G.XI.

6
9 Mo
26

Digitized by Google

Digitized by Google

R. P. ANDREÆ

MENDO

DE ORDINIBVS

MILITARIBVS.

Digitized by Google

R. P. ANDREÆ

MENDO

LVCRONENSIS E SOC. IESV,
in Provincia Caſtellanâ,
REGII CONCIONATORIS, SVPREMI S. INQVISITIONIS
Senatus Cenſoris, & olim in Collegio Salmantino Theologiæ
Scholaſticæ Profeſſoris, ac Sacræ Scripturæ Interpretis,

DE ORDINIBVS MILITARIBVS,

DISQVISITIONES CANONICÆ,
THEOLOGICÆ, MORALES, ET HISTORICÆ,
pro foro interno, & externo.

OPVS ELABORATVM AD PRAXIM IPSORVM ORDINVM,
nec-non Iuriſprudentum, & Confeſſariorum.

SECVNDA EDITIO, AB IPSO AVCTORE ADDITA.




LVGDVNI,
Sumptibus HORATII BOISSAT, & GEORGII REMEVS.

M. DC. LXVIII.

Cum Approbatione, & Permiſſu Superiorum.

Dom. Prof. Rom.



CELSISSIMO
AC REVERENDISSIMO DOMINO DOM.

VVENCESLAO EX COMITIBVS DE THVN,

SACRI ROMANI IMPERII PRINCIPI, nec-non Paſſauienſis ac Garticenſis Eccleſiæ Epiſcopo, ac Metropolitanæ Eccleſiæ Salisburgenſis Præpoſito digniſſimo, Mœcenati noſtro ac Patrono generoſiſſimo.

O*BTVLIMVS nuperrimè* EMINENTISSIMO AC CELSISSIMO CARDINALI ARCHIEPISCOPO SALISBVRGENSI GVIDOBALDO DE THVN *fratri tuo, Princeps Celſiſſime, doctiſſimi Opus Epiſcopi, quod è prælo noſtro tunc temporis prodibat in lucem: quàm humillimi noſtri ſignificationem officij: ſic pro ſua ſolita benignitate æqui bonique conſuluit Princeps maior humanitate, quàm quibus vndique fulget maximis honorum titulis; vt vota noſtra non modò cumulauerit, verumetiam*

ã 3 *vnde*

vndequaque ſuperarit. Succeſſus noſtri conſilij tam fœlix, nobis animos fecit, vt ad Te quoque auderemus accedere, rati tuas non minùs nobis faciles fore infulas, quàm ſacra EMINENTISSIMI FRATRIS TVI *purpura ſe comem nobis humanamque præbuerat: cui accedit notiſſima* ILLVSTRISSIMI FRATRIS TVI *comitis* IOANNIS ERNESTI *humanitas, qui noſtrum Bibliopolium Lugdunenſe non tantum generoſiſſima ſua præſentia multoties cohoneſtare; ſed etiam munificentiſſima ſua liberalitate idipſum abundè locupletare dignatus eſt: vnde in animum induximus tibi non omnino ingratum fore Publicum hoc noſtræ erga Te reuerentiæ noſtræ monumentum, gratíque animi documentum; quo niſi erga tuam ferremur* CELSITVDINEM, PRÆSVL REVERENDISSIME, *maximorum immemores beneficiorum ab omnibus mortalibus argueremur. Quam à nobis labem dum longiſſimè amolimur, ſpondemus ſanctè, nullam nos vnquam prætermiſſuros occaſionem eſſe, qua tibi nos deuinctos penitùs demonſtremus. Tuebitur ab inuidiæ ſpiculis Reuerendiſſimæ Celſitudinis tuæ, vel ſolum nomen eruditiſſimi hoc vndequaque viri volumen* de Sacris Ordinibus, *quibus & Tu cum Illuſtriſſimis Fratribus Tuis Eccleſiæ militanti egregiè militas, vt & tibi militet æther, & coniurati veniant ad claſſica venti, quo etiam nomine magis ſemper ac magis nos ſibi adſtringet iam ante*

REVERENDISSIMÆ CELSITVDINIS TVÆ

Deditiſſimos ſeruos
HOR. BOISSAT, & GEORG. REMEVS.

LECTORI

LECTORI.

Operis ratio, & methodus.

TERTIVS hic Tomus prodit in lucem poſt duos alios De Bvlla Crvciatæ ac de Ivre Academico, vtinam eadem ſorte fauſta, qua illi, publicam mercatur æſtimationem, & plauſum. Eum in meis Operibus animum ſemper foui, vt non his materiis inſiſterem, de quibus plura iam integra volumina præ manibus verſarentur, ſed his, quæ non exactè eſſent ex profeſſo diſcuſſæ, vel paucioribus fuiſſent Expoſitoribus illuſtratæ. Hinc Bullam Cruciatæ elucidaui, quia ex innumeris Societatis IESV Authoribus nullus id opus ſuſceperat; qua ratione motus eodem ferè tempore P. Franciſcus Bardi Siculus, idem Opus doctè perfecit. Poſtmodùm de Iure Academico concinnaui Tractatum, quem nullus equidem priùs ad amuſſim elaborauerat. Nunc verò de Ordinibvs Militaribvs, Diſquiſitiones Morales, & Canonicas, pro foro, & polo in hunc librum digeſſi; quarum plures, & ſi libatæ, aut diſperſæ in Authoribus reperiantur, attamen nec omnes, nec pro dignitate diſcuſſæ, nec in ordinem redactæ inuenientur. Integros ſanè libros hiſtoricos, & Apologeticos de his Ordinibus ad manum habebis; at ſimul ventilatas quæſtiones, quæ ad Equites, & Fratres Militiarum ſpectant, hoc vnum Opus tibi parauit. Plurima complectitur; ſcilicet agit de Inſtitutione eorum Ordinum, Priuilegiis, Foro, Iuriſdictione, Informationibus, Ingreſſu, Nouitiatu, Profeſſione, Votis, Patronatu, & Adminiſtratione perpetua Regum Hiſpaniæ, Regio Ordinum Senatu, Prælatis, Capitulis, Officialibus, Dignitatibus, Monaſteriis, Collegiis, Commendis, Beneficiis, Ceremoniis, Ornatu, Orationibus, Monialibus, Bonis decedentium, Funeribus, & aliis non abſimilibus, quibus tota materies penitus exhauritur, nec quidquam vlteriùs deſiderabitur. Opus equidem vtiliſſimum ipſis Equitibus, & Fratribus Militiatum, Senatibus, Iudicibus, Aduocatis, Iuriſprudentibus, & Theologis; vt lites, ac dubia dirimantur; quæſtiones & caſus conſcientiæ enodentur; & Confeſſarij noſcant; quonam pacto ſe gerant in dignoſcendis peccatis, & exonerandis conſcientiis Equitum Militarium, & Fratrum; & cum adeò numerus eorum fuerit in dies adauctus, frequentiſſimè deſiderantur reſolutiones, quas hic Tomus præſefert. In eius exordio Indicem Diſquiſitionum, & Quæſtionum præponimus, vt ob oculos tota rei ſeries habeatur. Ad calcem verò Indicem Rerum vberem annectimus, ex quo, inueſtigatâ dumtaxàt Diſquiſitione, & Numero, facilè in rem quæſitam deuenies. Quæ tibi arriſerint, ſequitor; quæ ſecùs, piâ manu corrigito; nam iudicij mei minimè tenax, à quouis ſapiente gaudebo emendari, & Eccleſiæ arbitrio cuncta ex animo ſubdo: Et etiam ea quæ in hac ſecunda Editione addidi, & exornaui.

ELENCHVS

Digitized by Google

ELENCHVS OPERIS.

DE Inſtitutione, qualitate, & diuerſitate Ordinum Militarium, ac de Regio Patronatu.
De Priuilegiis, Foro, & Iuriſdictione eorumdem Ordinum.
De Informationibus, Ingreſſu, Nouitiatu, & Profeſſione.
De Voto Paupertatis.
De Voto Caſtitatis.
De Voto Obedientiæ.
De Adminiſtratore perpetuo Ordinum, Prælatis, & Capitulis, eorumque poteſtate, & de Regio Ordinum Senatu.
De Dignitatibus, & Officialibus.
De Monaſteriis, & Collegiis.
De Commendis.
De Beneficiis, eorumque redditibus.
De Receptione Sacramentorum, cæremoniis, ornatu, victu, & cultu Equitum, & Clericorum Fratrum.
De Orationibus recitandis.
De Monialibus Ordinum Militarium.
De Bonis decedentium in Ordinibus Militaribus.
De Funeribus Equitum, & Clericorum Fratrum.
Praxis Regij Senatus Ordinum.

CENSVRA

CENSVRA REVERENDISSIMI P. MAGISTRI Fr. Franciſci de Rois, Philippi IV. Hiſpaniarum Regis à ſacris Concionibus, Cathedræ Philoſophiæ Moralis præcipuæ in Academia Salmantina Anteceſſoris, Ordinis Ciſtercienſis in Hiſpania iam Definitoris Generalis: nunc Collegij Salmantini Sancti Bernardi, ſecundò Abbatis.

MISSVM ab Illuſtriſſimo, atque Reuerendiſſimo Domino Don Ioanne Perez Delgado Salmantinæ Diœceſis meritiſſimo Antiſtite luſtrandum librum accepi, cui titularis frons, *Diſquiſitiones hiſtoricæ, & morales, pro Sacris Militaribus Ordinibus*, Author verò R.P.M. Andreas Mendo è Societate IESV fauſta proles, Sanctæ Inquiſitionis Supremi Senatus Cenſor, in Collegio Salmanticenſi Cathedrarum Theologiæ, & Scripturæ Sacræ olim Moderator, nunc Salmanticenſium itidem Hibernorum Rector. Ecce iam inuitus ſola nominis prolatione cenſuram Operis dedi, namque ſuper æthera notus quid ampliùs pro laude quærat? quidquid aliud, quid ni ventoſa cupido? Inuitus, inquam, quia ante obedientiam gratias meo Antiſtiti perſoluere vellem, quòd me primùm eligat, & in re ab omnibus optata nimis, me ſolùm præferat omnibus, vt prior fruar, quod non poſterior ambiebam. A priſco traditus æuo hîc extabat ritus, in primo albeſcere lucis, contra ſolis ortum, montium contemplari cacumina, vt qui in primo limine prior Phœbeos radios aſpiceret, proſpera ſperaret ſecurus. Ergo qui non in cardine tantum, ſed & antequam lucem hauriat, huius Operis luce perfundor, fatum ſperabo ſerenum. Iam vidi, & legi, euolui, inuenique congeriem eruditione plenam, ſubtilitate celebrem, antiquitate grauem, nouitate dulcem, Authoris denique perpetuò propriam. *Effinge aliquid, & excude, quod ſit perpetuò tuum*, (amico charo conſulebat iunior Plinius,) *Nam reliqua rerum tuarum poſteà, alium, atque alium dominum ſortiuntur, hoc tuum nunquam deſinet eſſe, ſi ſemel caperit*. Cuius hæc erunt poſteà? Cuius ante fuêre. Andreæ noſtri ſolius, à quo ſingulariter elaborata, excuſſa, & incepta miror hucvſque à nullo ex profeſſo, & pro dignitate tractata; ſed ſine cauſa miror; cæteris ſi quidem, vt bene Clandianus, *per attritas ſit ſatis ire vias*, & noſtro ſoli ſeruetur Authori ſine duce, ſine luce, ſicut florea rura, ſic ſalebroſos percurrere tramites. Ita mihi viſum, quando de Iure Academico inſalutatum anteà percelebrem vulgauit librum; potiori iure hodie, cum tam nouo nexu, tamque amicabili fœdere hiſtorica, & moralia copulantur. De noſtris Ciſtercienſibus Equitibus orationi aſſiduè incumbentibus, & armis legebat Rodericus Toletanus Archi-Sacerdos illud 2. Eſdræ 4. *Vna manu ſua faciebat opus, & altera tenebat gladium*; Cur non ego, & de ſuo hiſtorico Theologo, de ſuo morali Hiſtoriographo in ſimili dicam, vna manu ſua, id eſt, dextera, à cunabulis, vſque ad canitiem, à pauimento vſque ad tectum, Opus conſtruit militare, & contra prauos mores doctrinæ gladium altera tenet, altera, ſed non ſiniſtra, æquè potens in ambabus, *vtitur vtraque pro dextera*. Non enim inſolitum quòd ſicut in exercitu Dei, *Iudicum* 3. ſic novus reſurgat Aod in Societate IESV. Omnia, & ſingula in Volumine contenta placent; nihil à planta vſque ad verticem non dignum luce reperio, & facultatem, quam optat, debitam pronuntio. Salmanticæ in noſtro D. P. Bernardi Collegio, die 15. Iulij. Anno 1656.

M. Fr. Franciſcus de Rois.

FACVLTAS R. PATRIS MARTINI DE LEZAVN PROuincialis Societatis IESV in Prouincia Caſtellana.

EGO Martinus de Lezaun, Prouincialis Societatis IESV in Caſtellana Prouincia, poteſtate ad id mihi facta à Reuerendo admodùm Patre noſtro Goſvvino Nichel Præpoſito Generali, facultatem facio, vt Tomus, qui inſcribitur *De Ordinibus Militaribus* à Patre Andrea Mendo noſtræ Societatis Sacræ Theologiæ Profeſſore compoſitus, & eiuſdem Societatis grauium, doctorumque hominum iudicio approbatus, Typis mandetur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Matriti, die 13. Iunij; Anno 1657.

Martinus de Lezaun.

LICENTIA DEL ORDINARIO.

DON Iuan Perez Delgado por la gracia de Dios, y de la Santa Sede Apoſtolica Obiſpo de Salamanca, del Conſejo de ſu Mageſtad, &c. Por la preſente, por lo que à Nos toca, damos licencia, para que ſe pueda imprimir el libro intitulado, De Ordinibus Militaribus, *compueſto por el Padre Andres Mendo de la Compañia de IESVS, Rector del Colegio de Irlandeſes de la Vniverſidad deſta Ciudad; atento de la cenſura del Reuerendiſſimo P. Maeſtro Fr. Franciſco de Rois, Predicador de ſu Mageſtad, Cathedratico de Theologia en la de Durando en eſta dicha Vniuerſidad, y Deſinidor General del Orden de S. Bernardo, conſta, no tiene coſa contra nueſtra Santa Fè Catholica, y buenas coſtumbres. Dada en la Ciudad de Salamanca à 18. dias del mes de Iulio de 1656. años.*

Iuan Obiſpo de Salamanca.

Por mandado del Obiſpo mi Señor.
Don Thomas Delgado.

SVMA DEL PRIVILEGIO.

Tiene priuilegio el Padre Andres Mendo de la Compañia de IESVS, ò qui en ſu poder tuuiere, para imprimir eſte libro intitulado De Ordinibus Militaribus, *por tiempo de diez años, con prohibicion, que nadie lo pueda imprimir sò las penas contenidas en el dicho Priuilegio, como mas largamente conſta de ſu original deſpachado en el Oficio de Miguel Fernandez de Noriega Secretario de ſu Mageſtad: ſu fecha à diez y nueve dias del mes de Septiembre de mil y ſeiſcientos y cinquenta y ſeis años.*

CENSVRA LICENTIATI DON FRANCISCI DE PANIAGVA, ET ZVNIGA, in Collegio Majori Salmantino Archiepiſcopi Toletani, Togati, & in ea Academia Cathedra Inſtitutionum Imperialium Anteceſſoris: ac in Regio Granatenſi Tribunali Senatoris.

IVSSV Supremi Senatus librum *De Ordinibus Militaribus*, fœlicibus productum auſpiciis à R. Patre Magiſtro Andrea Mendo è Societate IESV, Supremi Sanctæ Inquiſitionis Senatus Cenſore, & olim in Collegio Salmanticenſi Cathedrarum Theologiæ Scholaſticæ, & Scripturæ Sacræ digniſſimo Anteceſſore, ſollicito ſtudio, & ſedula obſeruatione perluſtraui. Cujus ſtylus terſus, ac elegans, qui florentis calami dexteritate permulcet, & ſuum ſtatim Authorem redolet: methodus mirabili ferte diſpoſita, ac eleganti claritate digeſta: Argumentum valdè vtile, & egregium patrios Hiſpaniæ noſtræ decus: ſubſtantia etiam expolita eruditionis varietate commendata: ſpecioſis antiquitatis Hiſpaniæ monumentis illuſtrata, ex perituſſimis hiſtoriæ fontibus electæ deducta; quibus plura, quæ in antiquitatis ſinu, ac ſitu latebant, veteri nitori reſtituit: melioris ſimiliter eruat Iuriſprudentiæ portione ornata, cuius difficiliores quæſtiones dubio Marte à Principibus Iuris Interpretibus exagitatas caſtigatiſſimè expendit, non aridè, ſed fertili eruditionis ornatu, & eas matura iudicij deliberatione decidit abſque vtriuſque iuriſdictionis diſpendio: ſplendet ſimul aurea, ac ſpecioſa aliarum Profeſſionum ſupellectili: impendit enim ſedulam operam Theologiæ moralis illuſtrationi, quibus ſelectione, & ſolidioris doctrinæ documentis vtrique foro conſulit, ac publicæ vtilitatis bono laudabiliter deſeruit, & ingentem gloriam ſibi parat. Nihil omnino excogitari poteſt, nihil recipit tractationis natura, quod in ſuo libro non diſcernat acutè, & fœliciter expendat. Sed quid ego plura? Totum Opus docta varietate diſtinctum ſuo ſibi pretio apud omnes gratiam conciliabit, cuius Authoris laudes omni honore, ac debitis elogiis libenter percurrerem, ſi poſſent breui pagina claudi: ſit ſatis ſinceræ laudis candore decantare ipſum non ſolùm intra priuatos parietes, ſed in publica oſtentatione per bonas artes inſtitutum ad ſummæ ſapientiæ culmen euectum, inter prima ſuæ commendatiſſimæ Religionis ornamenta præfulgere. Deoique nihil ſynceris moribus aduerſum, ac à Catholica Religione deuium inueni, ſed plura, & Eccleſiæ, & Reipublicæ valdè vtilia, eximia pietate commendata. Sic cenſeo. Matriti, die quarta Septembris Anno 1656.

Licentiatus Don Franciſcus Paniagua, & Zuñiga.

APPROBATIO

OPus R.P. ANDREÆ MENDO è Societate IESV, *De Ordinibus Militaribus* plurima lectu digna complectitur, nec Catholicæ fidei vlla ex parte aduerſatur. Ita teſtamur. Lugduni die 12. Aprilis, anno domini 1667.

ELIAS VIAL Carmelita. MORANGE Doctor & Socius Sorbonicus.

Conſenſus Procuratoris Regij.

NOn Intercedo Regis cauſa ne liber cui Titulus eſt R. P. ANDREÆ MENDO è Societate IESV imprimatur ab HORATIO BOISSAT & GEORGIO REMEVS huius Ciuitatis Bibliopolis, cum prohibitionibus aliis omnibus huiuſce Ciuitatis Bibliopolis, in hoc caſu fieri ſolitis. Lugduni die 15. Aprilis, 1667.

GALLIAT.

LICENTIA.

F*iat iuxta Conſenſum Procuratoris Regij. Lugduni die 15. Aprilis, 1667.*

DV LIEV.

INDEX

INDEX DISQVISITIONVM, & Quæſtionum.

Vltimus numerus paginam denotat.

DISQVISITIO I.

DE inſtitutione, diuerſitate, & qualitate Ordinum Militarium: ac de Patronatu Regio. *p.* 1.

Quæſt. 1. De fine inſtitutionis Ordinum Militarium, in Hiſpania. *ibid.*

Quæſt. 2. De Ordinibus militaribus, & militiis Equeſtribus inſtitutis extra Hiſpaniam. 4.

§. 1. Ordo Militiæ Conſtantinianæ Equitum Angelicalium Aureatorum: olim apud Græciam, nunc in Italia. *ibid.*

§. 2. Ordo Militaris S. Antonij, in Æthyopia. 6.

§. 3. Ordo Militaris S. Sepulchri, Hieroſolymis. *ibid.*

§. 4. Ordo Militaris Friſiorum, apud Friſonum Prouinciam. 7.

§. 5. Ordo Militaris equitum S. Catharinæ in Græcia. *ibid.*

§. 6. Ordo equeſtris Militum Templi, vulgò *Templarios*, iam extinctus. *ibid.*

§. 7. Ordo Equitum Ieſu-Chriſti, ſancti Sepulchri, in Anglia, iam extinctus. 8.

§. 8. Ordo Equitum montis Gaudij, apud Hieroſolymitanos. *ibid.*

§. 9. Ordo S. Mariæ Theutonicorum in Germania. *ibid.*

§. 10. Ordo Equitum S. Mariæ matris Domini, qui nuncupantur *Gaudentes*, in Italia. 9.

§. 11. Ordo Equitum Nodi iam extinctus, Neapoli. *ibid.*

§. 12. Ordo Equitum Balnei, in Anglia, iam extinctus. *ibid.*

§. 13. Ordo Equitum Ieſu-Chriſti, ſub S. Dominico, apud Lombardos, & Toloſanos. 10.

§. 14. Ordo Equitum Ieſu-Chriſti; & enſium, apud Liuoniam, & Poloniam, iam extinctus. *ibid.*

§. 15. Ordo Equeſtris S. Lazari, in Sabaudia, vnitus Ordini S. Mauritij. *ibid.*

§. 16. Ordo Equitum S. Mauritij, & ſimul S. Lazari, in Sabaudia. *ibid.*

§. 17. Ordo Equeſtris Martyrum, apud Palæſtinam. 11.

§. 18. Ordo Equeſtris Lunæ creſcentis, ſeu aliàs, Stellæ, in Sicilia. *ibid.*

§. 19. Ordo Equeſtris S. Stephani, apud Florentinos. *ibid.*

§. 20. Ordo Equitum Bricianorum, in Suecia. 12.

§. 21. Ordo Equitum S. Mariæ de Monte Carmelo, apud Gallos. *ibid.*

§. 22. Ordo Equeſtris S. Georgij, in Germania. *ibid.*

§. 23. Ordo Equitum S. Ioannis de Ancona, S. Thomæ, iam aggregatus Ordini Melitenſi. *ibid.*

§. 24. Ordo Equitum Sancti Thomæ. *ibid.*

§. 25. Ordo Equeſtris S. Spiritus, Romæ, & alius ſub eodem titulo, in Gallia. 13.

§. 26. Alij Ordines Equeſtres à Summis Pontificibus inſtituti. *ibid.*

§. 27. Ordo Equeſtris S. Georgij, in Carinthia, & Auſtria. *ibid.*

§. 28. Ordo Militaris S. Marci, apud Venetias. 14.

§. 29. Ordo Militaris Redemptoris, in Mantua. *ibid.*

§. 30. Aliquæ Militiæ iam extinctæ, extra Hiſpaniam olim erectæ. *ibid.*

§. 31. Aliqui Ordines, ſeu Militiæ extra Hiſpaniam inſtitutæ, non approbatæ; ſeu de quarum approbatione Pontificia non conſtat. 15.

Quæſt. 3. De Regia Militia Equeſtri Velleris aurei: Hiſpanè, *del Tuſon*. 17.

Quæſt. 4. De Ordinibus Militaribus, ſeu Militiis, in Hiſpania olim erectis, & iam extinctis. *ibid.*

Quæſt. 5. De inſtitutione Ordinis Militaris S. Ioannis Hieroſolymitani. 19.

Quæſt. 6. De inſtitutione, & confirmatione Ordinis Militaris S. Iacobi. 22.

Quæſt. 7. De inſtitutione, & confirmatione Ordinis Militaris de Calatraua. 25.

Quæſt. 8. De inſtitutione, & confirmatione Ordinis Militaris de Alcantara. 28.

Quæſt. 9. De inſtitutione Ordinis Equeſtris de Monteſa, in Regno Valentiæ. 32.

Quæſt. 10. De inſtitutione Ordinis Militaris de *Auis*, in Luſitania. 34.

Quæſt. 11. De inſtitutione Ordinis Militaris Chriſti,

Chriſti, in Luſitania. 37.
Quæſt. 12. De Patronatu Regio circa omnia Eccleſiaſtica ſpectantia ad Ordines Militares, quorum Rex eſt Adminiſtrator. 28.
§ 1. Stabilitur Regius Patronatus. *ibid.*
§. 2. An Rex ratione ſui Patronatus poſſit ad ſe auocare prouiſionem, ſeu præſentationẽ ab aliis fieri ſolitam quoad ſeruitium. 40.
Quæſt. 13. Exponuntur aliqua circa Regium Patronatum Ordinum Militarium. 42.
Quæſt. 14. An vendere Inſignia Militaria, ſeu Habitus Equeſtres, & Commendas, ſit ſimonia, aut lethale peccatum? 45.

DISQVISITIO II.

De Priuilegiis, foro, & iuriſdictione Ordinum Militarium. 48.
Quæſt. 1. De iuriſdictione Ordinum Militarium. Vbi plura de poteſtate Senatus Ordinum, & Priorum. *ibid.*
§. 1. Stabilitur iuriſdictio circa Eccleſiaſticos, & temporalis Regia circa proprias ditiones. *ibid.*
§. 2. Sabilitur amplius iuriſdictio Ordinũ Militariũ. Vbi plura de viſitatione Eccleſiarũ. 51.
Quæſt. 2. An Equites Ordinum Militarium ſint exempti à iuriſdictione Regia in omnibus cauſis, & ſoli Senatui Ordinum ſubiecti? An ſint ſimpliciter, & ſtricte Religioſi? An Eccleſiaſtici? 54.
§. 1. Præmittũtur aliqua certa apud omnes. *ibid.*
§. 2. Proponuntur fundamenta ſententiæ affirmantis. 56.
§. 3. Proponuntur fundamenta ſententiæ negantis. 62.
§. 4. Illationes, quas deducunt Authores affirmantes. 68.
§. 5. Traditur, vt conſtans, Clericos Fratres eſſe ſtricte Religioſos, & eorum vota eſſe ſolemnia. 75.
Quæſt. 3. De priuilegiis in communi Ordinum Militarium. Vbi de ſolutione Decimarũ. 77.
Quæſt. 4. De poteſtate Ordinum Militarium ad eligendos Iudices Conſeruatores. 81.
§. 1. Exponitur, & ſtabilitur poteſtas. *ibid.*
§. 2. Obſeruationes circa Iudices Conſeruatores Ordinum Militarium. 84.

DISQVISITIO III.

De informationibus, ingreſſu, Nouitiatu, & Profeſſione in Ordinibus Militaribus. 88.
Quæſt. 1. Quis admittat ad Ordines Militares? Et de Informationibus ante ingreſſum peragendis. *ibid.*
Quæſt. 2. Exponuntur aliqua circa Informationes admittendorum ad Ordines Militares. Vbi de duellis. 91.
Quæſt. 3. Quo pacto teſtes deponere debeant in Informationibus Candidatorum Ordinum Militarium? 95.
Quæſt. 4. An is, qui ſcit, ſe impuro ſanguine eſſe infectum, poſſit licitè Profeſſionem emittere in Ordinibus Militaribus, ac alimenta, & Commendas percipere? 98.
Quæſt. 5. Decernitur de aliquibus, an poſſint admitti ad Ordines Militares. 100.
Quæſt. 6. A quo debeant accipere Equites Habitum Militarem, & coram quo Profeſſionem emittere? 102.
Quæſt. 7. Ad quid teneantur Nouitij Ordinum Militarium tempore Nouitiatus? 103.
Quæſt. 8. De priuilegiis, quibus gaudent Nouitij Ordinum Militarium. Vbi de priuilegio Canonis. 104.
Quæſt. 9. Exponuntur verba Profeſſionis, quam emittunt Militares. 106.
Quæſt. 10. Quo modo intelligatur *conuerſio morum à bono in melius*, emiſſa in Profeſſione Alcantarenſium? 109.
Quæſt. 11. An Equites, & Clerici Fratres Militares ex vi Profeſſionis ita ligentur, vt nequeant de ſe ipſis diſponere abſque licentia ordinis? 110.
Quæſt. 12. An Regularis Militaris Profeſſus, ſi ad aliam Religionem ſtrictiorem tranſeat abſque licentia ſuorum Prælatorum, validè in illa Profeſſionem emittat? 112.
§. 1. Supponuntur aliqua ad quæſtionis deciſionem. *ibid.*
§. 2. Deciditur quæſtio de tranſitu Regularium Militarium ad aliam Religionem ſtrictiorem. 113.
§. 3. Solutio obiectionum, quibus contenditur, non poſſe Regulares Militiarum tranſire ad alias Religiones ſtrictiores. 115.
§. 4. Illationes ex doctrina tradita circa tranſitum Religioſorum Militarium ad alias Religiones ſtrictiores. 118.
Quæſt. 13. An Eques Profeſſus Ordinis D. Ioannis poſſit ex diſpenſatione Pontificia tranſire ad ſtatum Equitum aliorum Ordinum Militarium? 121.
Quæſt. 14. An, qui emiſit votum Religionis, ei ſatisfaciat, aſſumendo Habitum Equitum, aut Clericorum Fratrum Ordinum Militarium? Vbi alia dubia deciduntur. 123.
Quæſt. 15. An Profeſſio poſſit emitti in articulo mortis à Regularibus Militiarum ante expletum annum Nouitiatus? Et an Nouitij eo anno minoribus Ordinibus initiari à ſuo Priore? 125.
Quæſt. 16. An Equites coniugati indigeant licentia vxorum, vt ingrediantur Ordines Militares, & in eis Profeſſionem emittant? 128.
Quæſt. 17. De diſpoſitione requiſita, & fine intendendo in ſuſceptione Habitus Militaris,

taris,

Digitized by Google

taris, & in profeſſione. 130.

DISQVISITIO IV.

De voto Paupertatis Ordinum Militarium. 132.

Quæſt. 1. Ad quid teneantur Equites Militares ratione voti Paupertatis? *ibid.*

Quæſt. 2. An peccent Equites Militares contra votum Paupertatis, ſi non faciant Inuentarium, aut ſua bona in res illicitas inſumant? 134.

Quæſt. 3. An Fratres Clerici Ordinum Militarium poſſint, dum viuunt, de fructibus Beneficiorum, aliiſque diſtributionibus, & bonis ſimilibus pro libito diſponere? 135.

§. 1. De Clericis Fratribus intra Monaſteria, aut Collegia degentibus; & de Inuentario ab eis conficiendo. *ibid.*

§. 2. Quomodo poſſint diſponere, dum viuunt, de ſuis bonis Fratres Militiarum extra Communitatem degentes? 138.

Quæſt. 4. An Clerici Fratres Militiarum valeant diſponere, dum viuunt, de bonis immobilibus? 139.

Quæſt. 5. An poſſint Clerici Fratres Militiarum bona immobilia alieno nomine emere, aut ſub alterius capite conſtituere, vſumfructum ſibi reſeruantes? 140.

Quæſt. 6. An Clerici Frates Militiarum expendentes in vſus illicitos bona, de quibus diſponendi facultatem habent, peccent contra votum paupertatis; & etiam contra Iuſtitiam? 142.

Quæſt. 7. An Clerici Fratres Militiarum peccent contra votum paupertatis, aut contra aliam virtutem, ſi nimiam pecuniæ quantitatem, & pretioſam ſupellectilem habeant? 144.

Quæſt. 8. An Fratres Clerici Iacobæi proprietatem bonorum retineant? 145.

Quæſt. 9. An aliqua negotiatio ſit licita Clericis Fratribus Ordinum Militarium? 149.

Quæſt. 10. An Clerici Fratres ſuccedere in bona, & in Maioratus valeant? 152.

Quæſt. 11. An ex vi voti Paupertatis teneantur Equites Militares ad tradendum bona ſua Ordini, aut Regi, vt Adminiſtratori, ſi ab eis poſcantur? 156.

DISQVISITIO V.

De Voto Caſtitatis Ordinum Militarium. 159.

Quæſt. 1. Ad quid teneantur Equites Militares ratione Voti Caſtitatis? *ibid.*

Quæſt. 2. An, ſi Eques Militaris vouiſſet in Profeſſione Caſtitatem abſolutam, eſſet validum votum? 161.

Quæſt. 3. An matrimonium ratum diſſoluatur per Profeſſionem Equitum Militarium Ordinis S. Ioannis Hieroſolymitani? 162.

Quæſt. 4. Exponuntur aliqua circa Votum Caſtitatis emiſſum in Ordinibus Militaribus. 164.

DISQVISITIO VI.

De Voto obedientiæ Ordinum Militarium. 165.

Quæſt. 1. Cui, & in quibus teneantur obedire Equites Militares, ratione voti Obedientiæ? *ibid.*

Quæſt. 2. Qua obligatione teneantur Equites, & Clerici Fratres Militiarum ad ſeruandum Regulam, ſtatuta, & Definitiones ſuorum Ordinum? Vbi agitur, quid iuxta illas debeant ſoluere Dignitates, & Commendatarij. 169.

Quæſt. 3. Cui teneātur obedire Clerici Fratres Militiarum, ratione voti obedientiæ? 174.

DISQVISITIO VII.

De Prælatis, & Capitulis Ordinum Militarium, eorumque poteſtate; & de Regio Ordinum Senatu. 175.

Quæſt. 1. De Regibus Hiſpaniarum, Adminiſtratoribus perpetuis Ordinum Militarium, qui in his Regnis ſunt inſtituti. *ibid.*

Quæſt. 2. De Capitulis generalibus Ordinum Militarium, eorumque poteſtate. 177.

Quæſt. 3. De Senatu Regio Ordinum Militarium, eiuſque iuriſdictione. 181.

Quæſt. 4. An Priores Militares gaudeant iuriſdictione in vtroque foro? 186.

Quæſt. 5. Quinam in Ordinibus Diui Iacobi, & Calatrauæ iuriſdictione gaudeant in vtroque foro? Vbi de Prioratu Monaſterij Monteſæ. 189.

Quæſt. 6. Qui Priores in Ordine Alcantaræ gaudeant iuriſdictione in vtroque foro, vti Pontificalibus, ſolemniter benedicere, & Indulgentias conferre? 191.

Quæſt. 7. An Priores Militares iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentes poſſint concedere omnibus ſubditis literas dimiſſorias, vt Ordinibus initientur, & minores Ordines conferrē eis, aliiſque non ſubditis, literas dimiſſorias à ſuis Prælatis afferentibus? 194.

Quæſt. 8. An vacantibus Prioratibus Militiarum, quibus annexa eſt iuriſdictio quaſi Epiſcopalis, Vicarij, vel Subpriores poſſint literas dimiſſorias conferre ſubditis, vt Ordinibus initientur? 197.

Quæſt. 9. An Eques Militaris, ſi Ordinibus ſit initiandus, teneatur poſcere literas dimiſſorias à Priore Monaſterij ſui Ordinis? 199.

Quæſt. 10. An Priores Militares gaudentes iuriſdictione, quaſi Epiſcopali poſſint abſoluere omnes ſubditos à caſibus reſeruatis, à quibus poſſunt ſuos ſubditos Epiſcopi abſoluere? Et an in irregularitate diſpenſare? 200.

Quæſt. 11. An nomen Prioris Militaris iuriſdictione, quaſi Epiſcopali gaudentis apponendum ſit, vbi in Miſſa dicitur, *Antiſtite* N. 203.

§. 1. Proponitur ſententia negans. *ibid.*

§. 2. Proponitur ſententia affirmans, & noſtrum iudicium. 205.

Quæſt. 12. Exponuntur aliqua dubia circa poteſtatem, & obligationem Priorum Militarium iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentium. 206.

Quæſt. 13. Alia dubia deciduntur de poteſtate Priorum Militarium iuriſdictione quaſi Epiſcopali in ſuis territoriis gaudentium. 209.

Quæſt. 14. De concordia Ordinis de Alcantara, cum Epiſcopo, & Eccleſia Cathedrali Caurienſi. 213.

§. 1. Proponitur concordia. *ibid.*

§. 2. Obſeruationes circa concordiam. 215.

Quæſt. 15. De Viſitatoribus Ordinum Militarium, eorumque iuriſdictione, & poteſtate. 219.

§. 1. De Viſitatorum electione, & deſignatione. *ibid.*

§. 2. De poteſtate Viſitatorum. 229.

Quæſt. 16. An poſſint eſſe Priores Monaſteriorum, aut Rectores Collegiorum Militarium Regulares, qui habent Dignitates intra ipſos Ordines equeſtres, ſiuè Prioratus cum animarum cura? Et an ad Academias cauſa ſtudiorum ſe conferre? 223.

Quæſt. 17. An Rectores Collegiorum Militarium poſſint cenſuras, & præcepta obedientiæ ſubditis Religioſis imponere? Vbi de eorum iuriſdictione. 226.

Quæſt. 18. De Subprioribus Monaſteriorum Militarium, & de eorum poteſtate. 229.

§. 1. Aliqua exponuntur. Vbi plura de poteſtate Priorum. *ibid.*

§. 2. Exponuntur alia dubia circa Subpriores Militares. Vbi etiam de Prioribus. 232.

Quæſt. 19. De Vicariis generalibus, & de Viſitatoribus Priorum Militarium iuriſdictione quaſi Epiſcopali pro foro externo gaudentium. 236.

DISQVISITIO VIII.

De Dignitatibus, & Officialibus Ordinum Militarium 240.

Quæſt. 1. Quæ, & quot ſint Dignitates in Ordinibus Militaribus D. Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ? *ibid.*

Quæſt. 2. An dignitates Ordinum Militarium propriæ Fratrum Clericorum, poſſint conferri equitibus, ſi ſacris initientur? 241.

Quæſt. 3. Quibus exemptionibus gaudeant Dignitates Ordinum Militarium? 246.

Quæſt. 4. De Officialibus, ſeù officia, ac munera ſpiritualia gerentibus in Ordinibus Militaribus. *ibid.*

DISQVISITIO IX.

De Monaſteriis, & Collegiis Ordinum Militarium. 249.

Quæſt. 1. Monaſteriorum finis, & regimen. *ibid.*

Quæſt. 2. De Collegiis Ordinum Militarium. 251.

Quæſt. 3. An Clerici Fratres Militares poſſint publicè addiſcere Ius ciuile? Vbi aliæ quæſtiones deciduntur. 253.

Quæſt. 4. De Capellaniis, ſeu Miſſis inſtitutis in Monaſteriis, & Collegiis Militaribus, aliqua dubia elucidantur. 256.

Quæſt. 5. Alia dubia circa eaſdem Capellanias, ſeu Miſſas. 259.

Quæſt. 6. Quibus obligationibus obſtringatur Clericus Frater, ſi ad Epiſcopatum promoueatur? 262.

Quæſt. 7. An Clerici Fratres Militares poſſint aſſiſtere ſpectaculis agitationis Taurorum? 265.

Quæſt. 8. Quo modo Clerici Fratres in Salmantinis Collegiis degentes, Magiſtro Scholæ ſubijciantur? Et an poſſint Gradu Doctoratus in Iure ciuili inſigniri, & illud publicè edocere? 266.

Quæſt. 9. An Clericis Fratribus ſubditis Rectores ſint aſſignaturi confeſſarios? Vbi de confeſſariis Militaribus. 267.

Quæſt. 10. Controuerſia circa Prioratum Monaſterij de Calatraua refertur. 269.

Quæſt. 11. Referuntur aliqui Viri illuſtres, qui ex Monaſteriis, & Collegiis trium Ordinum Militarium prodierunt. 278.

DISQVISITIO X.

De Commendis ordinum Militarium. 282.

Quæſt. 1. Quid ſint Commendæ, & quo fine inſtitutæ? *ibid.*

Quæſt. 2. An, & quomodo poſſint habere Commendas ordinum Militarium fœminæ, aut ætate minores, aut hi, qui non ſunt Regulares ipſorum ordinum? Vbi de pluralitate Commendarum, aliiſque concernentibus. 285.

Quæſt. 3. Quæ ſint obligationes annexæ Commendis trium ordinum Militarium? 288.

Quæſt. 4.

*Quæſt.*4. De concurſu eorum, qui ex Decreto Regio Commeodas expectant. 289.

*Quæſt.*5. An Commendatariis Ordinum Militarum debeantur primitiæ, & oblationes? 291.

*Quæſt.*6. An Commendatariis ordinum militarium debeantur Decimæ ex fructibus omnibus? Et an illi teneantur ſoluere ſubſidium, & excuſatum? 292.

*Quæſt.*7. Aliqua exponuntur de Commendatariis ordinis S. Ioannis Hieroſolymitani. 296.

DISQVISITIO XI.

De Beneficio Ordinum Militarium, eorumque redditibus. 300.

Quæſt. 1. De examine, electione, & collatione ad Beneficia militiarum requiſita. *ibid.*

*Quæſt.*2. An Beneficia Ordioum Militarium, quæ Fratres obtinent, ſint amouibilia ad nutum? 303.

*Quæſt.*3. An Clerici Fratres Ordinum militarium poſſint obtioere, quaſvis Capellanias in Eccleſiis ſui territorij ſitas, etiam obtineri ſolitas à Clericis ſæcularibus? 305.

§.1. Deciditur quæſtio. *ibid.*

§.2. Stabilitur ampliùs, poſſe Clericos Fratres Ordioum Militarium habere, quaſvis Capellanias in eorum Ordinum Eccleſiis ſitas. 307.

§.3. Diluuntur argumenta contraria. 308.

*Quæſt.*4. An Clerici Fratres Ordinum Militarium de licentia ſuorum Superiorum poſſint obtinere quaſlibet Præbendas, & Beneficia ſæcularia abſque diſpenſatione Pontificis? 310.

§.1. Examinantur fundamenta ſententiæ affirmantis. *ibid.*

§.2. Expeduntur fundamenta ſententiæ negantis. 314.

§.3. Fertur iudicium de fundamentis vtriuſque ſententiæ. 317.

*Quæſt.*5. Præſtringuntur obligationes Clericorum Fratrum Militarium, qui Parochi ſunt. 319.

*Quæſt.*6. Aliqui caſus occurrentes circa Parochos, & eorum Vicarios in Ordinibus Militaribus exponuntur. 323.

*Quæſt.*7. De reſignatiooe, ſeu renuntiatione Beneficiorum in Ordinibus Militaribus. 326.

DISQVISITIO XII.

De receptione Sacramentorum, ceremoniis, ornatu, victu, & cultu equitum, & Clericorum Fratrum Militarium. 329.

*Quæſt.*1. An ſub peccato mortali teneantur equites, Militiarum geſtare Habitum, ſeu Inſigne ſuorum Ordinnm, & quomodo? *ibid.*

*Quæſt.*2. An Religioſi Militares, dum adminiſtrant Sacramenta, poſſint vti toga Capitulari, loco ſuperpellicei, aut Albæ? 332.

*Quæſt.*3. An Clerici Fratres Militares peccent lethaliter, & ſimul in excommunicationem incidant, ſi proprium Habitum non geſtent? 335.

*Quæſt.*4. An equites Militares debeant accinctos tenere enſes, dum Sacramenta recipiunt? 338.

*Quæſt.*5. De excommunicatione, quæ fertur in Monaſteriis Calatrauæ, & Alcantaræ, die Dominica Palmarum. 341.

*Quæſt.*6. Oſtenditur expediens, diem S. Benedicti inſtitui Feſtum in territoriis ordinis Alcantaræ. Vbi attinguntur Indulgentiæ ordinum Militarium. 344.

*Quæſt.*7. Cui confiteri teneanrur equites, & Clerici Fratres ordinum Militarium? Vbi de caſuum reſeruatione. 347.

*Quæſt.*8. An is, qui intendens adſcribi Militiæ Iacobeæ paratus eſt ad duellum acceptandum, ſit abſoluendus in Confeſſione? 350.

*Quæſt.*9. De voto defendendi Immaculatam Conceptionem Deiparæ Virginis, quod emittitur in tribus ordinibus Militaribus. Vbi aliqua de hoc Myſterio obſeruantur. 351.

*Quæſt.*10. An in Eccleſiis exemptis ordinum Militarium ſitis intra limites Diœceſum Epiſcopalium liceat peragere officium diuinum de ſanctis ſpecialibus earum Diœceſum, & è conuerſo? 355.

*Quæſt.*11. An liceat Regularibus Militiarum vti Altari portatili? Vbi de receptione Euchariſtiæ, & de aliis. 358.

Quæſt. 12. Exponuntur aliqua circa victum, & ornatum Equitum, & Clericorum Fratrum Militarium. Vbi de eſu ouorum, & Lacticiniorum tempore Quadrageſimæ. 362.

DISQVISITIO XIII.

De orationibus recitandis in ordinibus militaribus. 365.

*Quæſt.*1. Proponuntur orationes recitandæ à Regularibus militiarum. *ibid.*

Quæſt. 2. An Equites Militares teneantur ſub peccato recitare orationes in ſuis ſtatutis præſcriptas? Idem quæritur de Clericis Fratribus Militiarum quoad orationes aliquas. Vbi alia ſimilia deciduntur. 368.

DISQ. XIV.

DISQVISITIO XIV.

De Monialibus Ordinum Militarium. 371.
Quæſt. 1. Referuntur Monaſteria Monialium Ordinum Militarium, & aliqua communia ſupponuntur. *ibid.*
Quæſt. 2. Libantur alia in communi de Monialibus, quæ Militaribus ſunt aptanda. 375.
Quæſt. 3. Attinguntur alia communia Monialibus, & aptanda Militaribus. 379.
Quæſt. 4. Traduntur alia ad praxim opportuna de Monialibus, quæ reſpectiuè Militaribus congruunt. 381.
Quæſt. 5. Exponuntur aliqua de Confeſſariis Monialium, atque etiam Religioſorum Militarium vtriuſque ſexus. 386.
Quæſt. 6. De Informationibus Monialium Ordinum Militarium. 389.
Quæſt. 7. De Clauſura Monialium Ordinum Militarium. 389.
§. 1. Libantur aliqua Monialibus communia de Clauſura. *ibid.*
§. 2. Attinguntur alia pro praxi circa Clauſuram Monialium. 392.
Quæſt. 8. De Clauſura Monialium Ordinis D. Iacobi, vbi de voto caſtitatis ipſarum. 399.
§. 3. De Clauſura Monialium Militarium. Vbi aliqua circa ipſas exponuntur. 395.

DISQVISITIO XV.

De bonis decedentium in Ordinibus Militaribus. 406.
Quæſt. 1. An Equites Militares de omnibus ſuis bonis teſtari queant? *ibid.*
Quæſt. 2. An, & quomodo Equites, & Clerici Fratres Militiæ S. Iacobi teſtari valeant? 407.
Quæſt. 3. An, & de quibus bonis poſſint per vltimam voluntatem diſponere Clerici Fratres Militiarum Calatrauæ, & Alcantaræ? 410.
Quæſt. 4. An Ordines Militares in ſuis Capitulis, aut Regius Ordinum Senatus poſſit immutare vltimas diſpoſitiones bonorum, à Clericis Fratribus Militiarum Calatrauæ, & Alcantaræ relictas? Vbi aliqua de Clericis Fratribus Ordinis S. Iacobi obſeruantur. 414.

DISQVISITIO XVI.

De Funeribus Equitum, & Clericorum Fratrum Militarium. 417.
Quæſt. 1. De Habitu, & pompa, qua Regulares Militiarum tumulari debent; & de ipſorum ſepulturis. *ibid.*
Quæſt. 2. De Suffragiis, & Orationibus fundendis pro Defunctis Ordinum Militarium. 418.


DISQVISITIO XVII.

Et vltima. Praxis Regij Senatus Ordinum. 420.
Quæſt. 1. Præſtringuntur plura iam ſtabilita de munere, poteſtate, & iuriſdictione Senatus Ordinum. *ibid.*
Quæſt. 2. Attinguntur ea, de quibus Senatus Regius Ordinum Regem noſtrum, vt perpetuum Adminiſtratorem, conſultat. Vbi alia exponuntur. 423.
Quæſt. 3. De Informationum examine, & approbatione ad Senatum Regium Ordinum ſpectantibus. 425.
Quæſt. 4. Exponuntur aliquà, quæ præſtantur, & alia, quæ præſtari poſſunt à Senatu Regio Ordinum? 426.
Quæſt. 5. Et vltima. Ex quibus Perſonis conſtituatur Illuſtriſſimus Senatus Regius Ordinum? 428.

DISQVISITIO XVIII.

Appendix Miſcellanea. 430.
Quæſt. 1. An qui non acceptauit duellum, impedimentum contrahat, ne admittatur in ordinem Equeſtrem Iacobæum? *ibid.*
Quæſt. 2. De poteſtate Priorum Militarium ad conſecrandum Aras, Vaſa ſacra, & Eccleſias. 431.
Quæſt. 3. An Clerici Fratres ordinum Militarium poſſint edere oua, & lacticinia virtute Bullæ Cruciatæ in ieiuniis Quadrageſimæ? 434.
Quæſt. 4. An Clerici Fratres Iacobæi Monaſteriorum de Vcles, & S. Marci Legionenſis poſſint extra Monaſteria vti Altari portatili? 437.

DE



DE ORDINIBVS MILITARIBVS, DISQVISITIONES CANONICÆ, THEOLOGICÆ, MORALES, ET HISTORICÆ.

DISQVISITIO. I.

DE INSTITVTIONE, QVALITATE, ET DIVERSITATE ORDINVM MILITARIVM AC DE REGIO PATRONATV.

NON eſt animus, Hiſtorias euoluere, Annalia recenſere, antiquitatem cuiuſque Ordinis Militaris vindicare, ſeriem Magiſtrorum, & rerum geſtarum attexere; Hæc etenim integra volumina complent, à pluribus agitata, ac diſcuſſa, nec ſpectant ad praxim, ad cuius ſcopum hic Tractatus collimat. Quare ſupponenda ſunt potiùs, quàm ventilanda; Et, ne vel vmbram offenſionis cuiquam ſuffundamus, nihil circa Hiſtorica decernemus, ſed ab alijs latè expenſa libabimus, vt cuiuſque ſententia, & arbitrium iuſto ſuo libramine penſetur; quin ex breui epilogo, quo rem præſtringemus, vis, aut præiudicium accreſcat. Neceſſum fuit tamen hiſtorica attingere, ne ieiunũ hoc Opus euaderet; atque etiã, vt fundamẽta iaciantur, quib⁹ tota innixa Diſquiſitionũ moles aſſurgat.

QVÆSTIO I.

De fine Inſtitutionis Ordinum Militarium in Hiſpania.

1 GRASSABATVR per Hiſpaniam totam Maurorum infeſta lues, quam ad eius excidium Africa euomuit, & poſt infœlicis Roderici Gothi miſerabilem fortunam, ferè per cunctas Prouincias ſuperbè dominabatur. Memores ſui ipſorum Hiſpani, Pelagio Duce, ſæuam tyrannidem propulſare cœperunt. Creuit in dies animus, refloruit vigor: & reſtauratis viribus, Hiſpanorum arma ingentes Maurorum acies debellarunt; Vrbes, Oppida, & Prouincias obtinuerunt. Sed adhuc illi non exiguam Hiſpaniæ portionem occupabant, & continuò ad bellum accincti, incurſibus, rapinis,

Digitized by Google

& prælijs Catholicos noſtros inuadebant. Non dumtaxat de terreno Regno agebatur momentum, ſed de Fide, de Religione, de Eccleſia, cuius conſeruatio, & propagatio ab hoſtium expulſione pendebat, ac illis caput extollentibus, periclitabatur.

2 Annuit pientiſſimus Deus communibus Fidelium votis, vt execrabilis adeò peſtis eradicata ab Hiſpania ad ſuas Africanas oras ageretur; Et, qui diuerſis temporibus, contra Eccleſiæ hoſtes, Religiones ſacras denuò exorientes, vt firmiſſimas arces, oppoſuit, quæ ſcriptis, diſceptationibus, & morum ſanctimonia Fidei veræ inimicos deturbarent, opportuna exitialibus morbis medicamina parans; decreuit pariter ſuæ Fidei, & Eccleſiæ, nec non ſuæ omnino Hiſpaniæ, per aptiſſima media conſulere. Sed quia bellum non vocibus, ſcriptis, & erroribus diſſeminatis gerebatur, ſed armis, Militias ſacras, & Regulares armauit, vt arma armis propellerentur, & inſimul virtutum, & religioſæ diſciplinæ vigore robur accreſceret; vnde certiores obtinerentur victoriæ, ad quas ſimul cum armis oratio, pœnitentia, & auſterus vitæ tenor viam complanarent.

3 Ad hunc finem, & ſcopum Ordines Militares D. Iacobi, Calatrauæ, Alcantaræ, Monteſæ, & alij in Hiſpania fuere inſtituti, atque, vt adeò pij, ſalubres, & vtiles tum animabus proprijs, tum Fidei, & Eccleſiæ, ab Apoſtolica Sede approbationem, confirmationem, laudem, augmentum, priuilegia, & immunitates obtinuerunt. Igitur eò tetendit Inſtitutio, vt Regulares Milites profectum in virtutibus facerent, aduerſus Fidei hoſtes militarent, & glorioſè pro Eccleſia ab illorum peſte ſeruanda, vitam periculis belli exponerent.

4 Vt verò aptiùs huic fini inſiſterent, circa hoſtium ditionem degebant, eorum incurſus, & excurſus propulſando; &, dum armis onuſti in acie non militabant, in ſuis verſabantur Monaſterijs, ſeu non longè ab illis, prout ſe ferebat occaſio, ibique communem vitam agebant Calatrauenſes, & Alcantarenſes, ac alij Milites, (Equites tamen D. Iacobi ſemper potuerunt nuptias contrahere) Orationibus, & pijs Operibus dediti, linteo circa corpus miniimè vtentes, in proprioque Ordinum habitu, moderato cibo victitantes. Inde moniti, cum Mauri ingruebant, illicò proficiſcebantur, ſtrenuè pugnaturi.

Quanta ex his Ordinibus Militaribus exinde bona prouenerint, nullus eſt, qui non legerit, audiuerit, nouerit. Egregios, & inſignes triumphos eorum auxiliares copiæ noſtris Regibus attulerunt, quos ſæpè miracula comprobarunt. Furentes Mauros frænarunt, atque eos diſcere coëgerunt, intra proprios terminos contineri. Eorum Ordinum iuuamine valido paulatim fuerunt in anguſtias hoſtes redacti, donec demum à Regno Granatenſi, quod vnica iam erat ipſorum ſedes, per inclytos, nunquam ſatis laudatos Reges Catholicos Ferdinandum, & Eliſabetham, Equitibus Militaribus ſuppetias ferentibus, fuerunt expulſi, & ab infeſtiſſimis, ſæuis, & pertinacibus Fidei, & Eccleſiæ inimicis libera tandem Hiſpania reſpirauit. 5

Admittebantur inſuper in Ordines Militares Clerici, quos nunc Fratres nuncupamus, qui in album Religioſorum adſcripti Diuinis Officiis vacabant, Choro aſſiſtebant, Sacramenta Equitibus, & vaſſallis, ſeu ſubditis Ordinum miniſtrabant, aliaque pietatis munia exercentes, armis ſpiritualibus validum præbebant Equitibus militantibus auxilium. 6

Rebus deinde immutatis, hoſtibus ab Hiſpaniæ oris expulſis, commutatoque à Sede Apoſtolica iuſtiſſimas ob cauſas voto abſoluto Caſtitatis Equitum Calatrauenſium, & Alcantarenſium, Monteſæ, & aliorum, extra Monaſteriorum clauſtra vitam ducere cœperunt, ibi Fratribus remanentibus, dum legitimè extra illa non forent occupati. Sed non ideò finis Inſtitutionis Ordinum Militarium fruſtraneus fuit redditus; quippè eo animo eſſe debent, & ſunt Equites Militares, vt, quotieſcumque ad bellum contra hoſtes Eccleſiæ gerendum aduocentur à Magiſtro, ſeu Adminiſtratore Ordinum (ſcilicet noſtro Hiſpaniarum Monarcha) ſeu quoties vexilla Ordinum à Commendatariis Maioribus in publicum efferantur, prompti reneantur ad militiam, ac bellum proficiſci; quin & cæteri Commendatarij iuxta Commendarum qualitatem, obſtricti ſunt milites alios ſecum comites geſtare; quibus omnibus Rex noſter ſtipendia ad victum opportuna ſuppeditet. 7

Inde dignoſcitur pietas, & perfectio finis Inſtitutionis Ordinum Militarium. Etenim Religiones ſunt Fidei, & Eccleſiæ propugnacula; &, cum vndique à ſuis hoſtibus mater Eccleſia prouocetur, diuerſiſque armis laceſſatur, expedit ſanè, vt diuerſis pariter armis Filij Catholici in eius defenſionem accurrant. 8

accurrant. Hinc agmina Sacra parantur; Alij orationi, ac contemplationi deditì Deum exorant, vt triumphos aduerſus infeſtos inimicos largiatur; Alij vitam contemplatiuam, & actiuam agentes, Deum placant; & ſaluti proximorum incumbunt, ne in errores, & vitia præcipitentur, atque à peccatis reſipiſcant; ſimulque ſcripto, & verbo conantur Ethnicos, Mahometanos, Hæreticos, ac barbaros quoſque, etiam in remotiſſimis, & abdiriſſimis regionibus degentes, ad fidem Catholicam, & meliorem vitæ frugem reuocare. Alij, vt Equites Militares, ex munere, & Inſtituto rebelles in Eccleſiam profligare tenentur. Ex his diuerſis copiis conſonus inter ſe, & firmiſſimè inſtructus formatur exercitus, vt nullo ex latere Eccleſiæ mœnia, ac munimenta labefactari tententur, vbi præſtò non ſint validiſſimi Milites, qui iuxta hoſtilium qualitatem incurſuum, Orationibus, Diſputationibus, Scriptis, Armis; ipſiuſque proprij ſanguinis effuſione, impetus propulſent, & glorioſa de hoſtibus trophea reportent.

9 Cæterùm cum Militares Ordines à Regibus obtinuerint plurium Oppidorum ditiones, in quibus etiam, Pontificibus impertientibus, iuriſdictionem Eccleſiaſticam, & Beneficia, ſeu Prioratus, vel Rectoratus fuerunt adepti, hæc omnia per Fratres Militiarum Clericos & Presbyteros exercentur. Quarè hi priùs in Monaſteriis degunt, poſtmodum in Collegiis ad ſcientias comparandas, & demùm vel ad Monaſteria redeunt, vel inde ad ea Eccleſiaſtica munera aſſumuntur. Itaque eorum Finis eſt, choro, & orationi intereſſe, & proximorum incumbere ſaluti, Sacramenta adminiſtrando, Fideles inſtruendo, concionando, omnibúſque aliis viis inſiſtendo, quæ ad animarum lucrum ſpectant. Vnde vitam actiuam, & contemplatiuam annectunt. Quam perfectus autem ſit Finis Religionum, quæ vtramque vitam complectuntur, adeò ex D. Thoma, & omnibus Authoribus eſt conſpicuum, vt id probare, & exornare, ſicut eſſet facile, ita meritò cenſeretur ſuperfluum. Quin & muneris Epiſcopalis non pauca hi Fratres exercent, dum iuriſdictioue quaſi Epiſcopali funguntur; vnde ad id etiam ipſorum Inſtitutum deſtinatur, eiuſque exindè accreſcit perfectio, cum Epiſcoporum Inſtitutum ſit perfectiſſimum, &, qui ex eo quidquam participant, reſpectiuè perfectionem mutuentur.

10 In omnibus ferè Regnis Orbis Chriſtiani Ordines Militares fuiſſe erectos, reperimus, vt auxiliaris Religioſorum manus ambidextera, Orationibus, & Armis bono publico ferret ſuppetias; ſeu miniſteriis ſpiritualibus ſimul, ac temporalibus erga Fideles cuncta exerceret munia charitatis. Hiſpania verò noſtra plures Militias Regulares, quam ſingula alia Regna, dedit Eccleſiæ; nam quæ in munitiſſimam Fidei arcem; ipſiuſque Eccleſiæ validiſſimum propugnaculum deſtinabatur, debuit plures ſpiritu, & corpore armatas copias inſtruere, quæ communes Fidei orthodoxæ hoſtes profligarent, ac indefeſſi vigiliis circunſtarent, vndique ne inimica tela, Hæreſes, Errores, Iudaïſmi ſcintillæ, nec vlla alia zizania in defœcatam ſegetem Hiſpaniæ irreperent, aut Fidei muros quoquo modo labefactarent. Indè Catholica diſciplina in vaſtiſſimis, totumque Orbem amplectentibus, Hiſpaniarum Regnis, viget, extollitur, augetur; nec vllus triumphus, aut fœlicitas ſollicitatur, quæ non ſit cum Fidei incremento coniuncta. Quippè noſtri Monarchæ norunt, ſe à Deo in Fidei ſpecialiſſimos Defenſores fuiſſe deſignatos, totiſque animis, viribus, & facultatibus incumbunt ei fouendæ; erroribuſque penitùs à ſua ampliſſima ditione eradicandis. Cui intenti ſcopo ditiſſimos ſuos theſauros in Europa, Africa, Aſia, & America veluti profundunt.

11 Diuerſis autem temporibus, & diuerſis in Regnis Hiſpaniæ, cum nondum cuncta ſub vnius Monarchæ ditione regebantur, Ordines Militares ſumpſerunt exordium; ſcilicet ſub Regibus Caſtellæ, & Legionis Ordines S. Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ; ſub Rege Aragoniæ Ordo Monteſæ; ſub Regibus Luſitaniæ Ordines Auis, & Chriſti. Hi quidem ſex Militiarum Ordines Hiſpaniæ, nunc vigentes ſunt ſpeciales, & propriæ. Quibus adnectere liceat Ordinem Militarem Sancti Ioannis Hieroſolymitani. Et enim, quamuis non fuerit in Hiſpania inſtitutus, Magiſtrumque magnum in Inſula Melitenſi habeat. Attamen Reges noſtri, inter eoſque Carolus V. Imperator Auguſtus, patrocinium, redditus, ditiones, & tutamen pace, ac bello ei Ordini ſuppeditauere, obſequium Eccleſiæ præſtantes, quam Militia hæc ab hoſtium incurſibus ſemper defendere totis conatibus curauit, ac Maurorum infeſtiſſimam gentem terra, & mari coërcere, ne in Catholicos ſæuiant, eoſque,

direptis facultatibus, in acerbam redigant ſeruitutem. Quare in Hiſpania plures locos, & Eccleſias obtinet hic Ordo; Prioratibus, Commendis, ac Beneficiis potitur; Equites ad Prioratus maiores Regnorum, Munia honorifica Ordinis, & ad Commendas vocantur; Fratres verò Clerici ad Prioratus Eccleſiaſticos, & Beneficia admittuntur, & inſuper Monaſteria, & Collegia eis ſunt extructa, in quibus vitam in Communitate religiosè tranſigant, & ſtudiis litterarum incumbant; Ita tamen, vt nullus exterus, ſed Hiſpani omnes prædictis omnibus in Hiſpania fruantur. Quare rectè aſſeruerim, non immeritò Ordinem Militarem S. Ioannis, quaſi proprium Hiſpaniæ, poſſe cæteris annecti, eſtò non ſit eo rigore, quo cæteri, proprium.

12 Hæc prima libri fronte libauerim in commendationem finis, & Inſtituti Ordinum Militarium, quod equidem libens lato calamo proſequerer, ſi exornatorio ſtylo foret agendum. Sed non fuit is animus, verùm difficiliora, ac vtiliora percurrere, & rem fortaſsè penitus abſoluere. Ne autem quidquam intactum, etiam hiſtoricum, in Opere deſideretur, breuiter Inſtitutionem Ordinum Militarium enarrabo, nec quidquam circa id (quod præſtitere non pauci) in controuerſiam vertam, ſed quæ in Authoribus extat, breuiſſimo compendio præſtringam. Et, vt aliquid curioſæ aliquorum indagini indulgeamus, non extra rem erit, ſi Ordines Militares extra Hiſpaniam erectos, qui vel adhuc vigent, vel eorum extant monumenta, aut veſtigia, leui manu recenſeamus.

QVÆSTIO II.

De Ordinibus Militaribus, & Militiis Equeſtribus inſtitutis extra Hiſpaniam.

13 NOn poſſumus huius Tractatus quæſtiones omninò aptare Ordinibus Militaribus extra Hiſpaniarum Regna, tum quia plures extant, diuerſiſque ſtatutis, regulis, ac ceremoniis gubernantur, ad quas ſeorſim exponendas integra volumina deſiderarentur; tum quia, quamuis apud aliquos Authores non pauca circa eos Ordines reperiantur, tamen nequit accuratè de illis agi, dum Religioſi ex illis docti, experti non conſuluntur, & ſingulorum Ordinum ſtatuta, Definitiones, Actus Capitulares, conſuetudines, & praxis non examinantur, cum ab his omnibus pendeant dubia, ac deciſiones. Quomodo autem conſulat Viros illos doctos, ſingulorumque Ordinum praxim, ac ſtatuta examinet, qui procul ab eis, in Hiſpaniæ Regione, in Vrbe Salmantica huic incumbit litterario labori? Idcirco è contra de Ordinibus Militaribus Hiſpanis poſſumus accuratè diſſerere, quia in promptu ſunt ea omnia, quæ ad eiuſmodi diſſertationem requiruntur, dum adſit induſtria, labor, ſollicitudo, ac reconditarum vbique notitiarum indefeſſa exploratio.

Quin intra ipſam Hiſpaniam triplex Militaris Ordo, nempè Sancti Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ, præcipuam ſibi vendicat huius tractatus veſtigationem; De his enim Ordinibus plura apud Authores ventilantur; plures item ſunt Equites, Fratres, Commendæ, Beneficia, iuriſdictio, ac facultates; plures lites, ac controuerſiæ; frequentiora dubia moralia; maior item, & accuratior tum in Curia, tum Salmanticæ, de illis obſeruatio, notitia, ac praxis, quàm de aliis Militaribus Ordinibus extra Caſtellæ vtriuſque, ac Legionis Regna inſtitutis. Attamen non pauca de Ordinibus Monteſæ, Auiſij, Chriſti, & Sancti Ioannis aſſeremus, & cum in pluribus conueniant cum triplici præfato Ordine, communes omnibus reddentur quæſtiones, ſi in his, quæ inter ſe concordant, aptentur. Id ipſum circa Ordines Militares extra Hiſpaniam iuſtitutos obſeruandum erit; quippè, vt in ipſorum Inſtitutione, ac pluribus ſtatutis, quæ legi, ac notaui diligenter, animaduerti, multa retinent Hiſpanis Ordinibus priuilegia communia, ſanctioneſque non diſſimiles. Quarè exteris etiam Nationibus Tractatus hic erit vtilis, & opportunus. Operæpretium autem eſt, eorum Ordinum notitiam in præſenti præſtringere. 14

§. I.

Ordo Militiæ Conſtantinianæ Equitum Angelicalium Aureatorum S. Georgij, olim apud Græciam, nunc in Italia.

ID prima fronte obſeruauerim, me non decernere, aut diſcutere, vtrùm omnes Ordines Militares, quos in medium proferemus, ſint ſtrictè, & propriè Religiones, &; an approbationes Pontificiæ eo tetenderint, vt ſtatum Religioſum conſtituerent? Hæc enim diſceptatio noſtro 15

noſtro inſtituto parùm eſt opportuna, cum ſufficiat id inueſtigare, (quod præſtabimus) de Ordinibus Militaribus in Hiſpania vigentibus. Id præſertim, ne, cum recenſeo Ordines omnes, & Pontificias confirmationes, iudicet quiſquam, eos à me, vt ſtrictas Religiones præfigi. Igitur Conſtantinus Imperator traditur huius Militiæ Inſtitutor, annuente Sancto Syluestro Pontifice, poſtquam circa annum 313. Maxentium tyrannum ſuperauit, viſa à ſe iuxta Solem Cruce, & audita ab Angelo voce. *In hoc ſigno vinces.* In cuius rei memoriam, ac gratitudinem Ordinem, qui eam Crucem veneraretur, & quam Militiæ ipſius alumni geſtarent, inſtituit; Hi verò dicuntur *Conſtantiniani* ab ipſo Conſtantino; *Angelicales* ab Angelo, qui Crucem attulit, & vocem protulit; *Aureati* à torque aureo, à quo Crux pendebat à Conſtantino ſolita præſtari Ordinis ſui Militibus, Vocatur autem Ordo Equitum Sancti Georgij, quia hic eius Patronus fuit communi ſuffragio nuncupatus, eo quòd, dum huius Ordinis Milites Hieroſolymas expugnarent, Sanctus Georgius in equo albo equitans, ac pugnans, auxilium eis cœleſte impertiuit, quo Sanctam eam Ciuitatem ab hoſtibus obtinuerunt: & præterea viuens regulam S. Baſilij Ordini tradidit.

16 Confirmarunt hunc Ordinem, ſub Regula S. Baſilij, quæ ei eſt tradita, & priuilegiis ſtabilierunt plurimi Pontifices, Iulius III. Calixtus III. Pius II. Sixtus IV. Innocentius VIII. Paulus III. Sixtus V. Clemens VIII. Pius V. Paulus V. Gregorius XV. Vrbanus VIII. Et priùs eum confirmauerant Sanctus Syluester, nec non Leo I. anno 1456. Illuſtrem hunc Ordinem reddidere plures ex illo Sanctorum faſtis adſcripti, nempè ipſe Sanctus Georgius Ordinis Patronus, Sanctus Demetrius, Sanctus Procopius, Sanctus Theodorus, Sanctus Hypolitus, Sanctus Martinus, Sanctus Mercurius, Sanctus Mennas, Sanctus Vitalis, & alij. Celeberrimus etiam eſt Ordo, quia ſeptuaginta duo Imperatores Græci, & Romani illius extitere Magiſtri, & certatim eum inſignibus priuilegiis donarunt.

17 Finis huius Ordinis eò tendit, vt Milites, Chriſtiani nominis, quod adeò extendere curauit Conſtantinus, eſſent defenſores, illiúſque hoſtes inſequerentur. Floruit Ordo apud Græciam, cum illuc tranſtulerit ad Byzantium, ſeu Conſtantinopolim, ſuam Curiam Imperator Conſtantinus; nunc verò in Italia viget; ac Cœnobium, ſedemque ſuam magni Magiſtri habent in Oppido de *Briana*, propè Venetias. Commune Inſigne in pectore, ſeu in latere ſiniſtro geſtatum eſt Crux holloſerica rubra, liliata, quam interſecat labarum aureum in formam literæ X. & in brachiis hæ literæ *A C*, componuntur, quæ ſignificant *Principium, & Finis*; Toga verò eſt alba. Præcipui ex ordine magnas Cruces geſtant; ita vt in medio Crux liliata, ad vtrumque latus duo Labara, & è media Cruce S. Georgius equitans conſpiciatur. Alij ſunt famulantes, qui Crucem geſtant vno ex latere non liliatam.

Obedientiæ, & Caſtitatis coniugalis 18
emittunt vota; poſſunt obtinere Beneficia Eccleſiaſtica Curata; Magiſter, dum non ſit aliquis ex progenie Conſtantini, eligitur ab Equitibus, qui magnis Crucibus vtuntur. Si quis Cummendam fundet, ipſe, eiúſque filij, ac ab eis progeniti, eam poſſident; & extincta linea in Ordinem recidit. In vexillo Ordinis ex vno latere, Deipara Virgo, & Cruces magnæ ſimul cum Sancto Georgio, apparent, eáque ſimul verba, *Conſtantine, in hoc ſigno vinces*; ex alio, Inſignia Magiſtri Ordinis, nempè Aquila biceps nigra coronata, & in medio pectore ſcutum, in quo alia ſunt inſignia ſpecialia.

Magiſtri Ordinis ſunt Commenſales 19
Pontificum, à quibus fouentur, vt Benefactores Eccleſiæ, & Fundatores Templi Sancti Ioannis Lateranenſis in Vrbe; Potentatus ſunt, nulli Principi ſubiecti, indeque monetam cudunt, & titulos Principum, Comitum; ſimiléſque concedunt. Sanguinis puritas, & nobilitas in quatuor auis exigitur, vt quis in Ordinem admittatur. Clerici etiam in Ordinem recipiuntur, qui Orationibus, & Sacramentorum adminiſtratione iuuent militantes. Plura qui de hoc velit, legat Illeſcas *in hiſtoria Pontific. in vita Leonis X. fol.* 184. Ioſephum Micheli Marquez, eiuſdem Ordinis Vice-cancellarium in *Theſauro Militia Equeſtris à fol.* 1. Statuta item, & Bullarium ipſius Ordinis.

* * *

§. II.

Ordo Militaris S. Antonij in Æthiopia.

20 ANno 370. refertur, hunc Ordinem incepiſſe, fuiſſeque inſtitutum ad debellandum Fidei Catholicæ hoſtes. Eum inſtituit Ioannes Imperator Abyſſinus, ſeu Æthiopiæ, qui vulgò nuncupatur *Preſte-Ican*; Regulam accepit à S. Baſilio Magno; & ſub aduocatione S. Antonij, qui illius Imperij eſt Patronus, Ordinem conſtituit, eiuſque habitum Religionis tradidit; ita vt Clerici, ac Monachi ſuper veſtem nigram afferrent inſigne cæruleum in formam *T*, vulgò *Tau*; Equites verò Milites Crucem ſuperiùs, & ad latera liliatam, non verò inferius, filis tamen aureis circundatam. Ipſe D. Baſilius approbauit hunc Ordinem, & poſtmodùm Pius V. & iuxta aliquos S. Leo Pontifex.

21 Eadem ſtatuta obſeruant, ac Equites Conſtantiniani. Emittunt inter alia votum profundendi ſanguinem; ſi neceſſe ſit, pro Catholica Fide. Magiſter Ordinis, ſeu Magnus Abbas ſuam habet Sedem in Inſula Meroë, ipſi ſubiecta; nec aliquis ex Imperatorio genere poteſt ad eam euchi Dignitatem, ne forte exindè recidat in Imperatorem. Ampliſſimis facultatibus Magiſter, & Ordo gaudent. Innumera profertur habere Monaſteria, in quibus Abbates ſpirituales Monachi, & Abbates Militares Equites degunt, & vnuſquiſque ſuos ſubditos in obedientia continet, dum Milites in bello non verſantur, aut Imperij terminos non cuſtodiunt. Cunctos ex Imperio (præter Medicos) aſſeritur teneri vnum ex filiis, qui non ſit Maioratus, Ordini tradere, vel ad Monachatum, vel ad famulitium, ita vt ipſe etiam Imperator ad id ipſum teneatur; & dumtaxat excipiuntur habitatores Inſulæ Meroë, quibus, vtpotè vaſſallis, poteſt pro libito vti magnus Abbas. Tenetur Ordo tria millia Equitum Imperatori ſuppeditare ad ipſius politicam aſſiſtentiam. Plura de magnitudine huius Ordinis, ritibus, & ſtatutis attingunt, aut proferunt Franciſcus Menen. *in delic. Equeſtribus fol.* 82. Petrus Damaſc. *in vita S. Baſily*, *fol.* 23. Ioſephus Micheli *in theſauro Militarum à fol.* 12. P. Vrrieta *in hiſtoria Abyſſin. fol.* 705. In Hiſpania noſtra ſunt aliquæ Commendæ huius Ordinis, quas Fratres Clerici obtinent, & à Rege noſtro præſentantur, ac illi immediatè ſubiacent Pontifici. Olim ſubdebantur Commendatario maiori, ſeu Abbati Ordinis in Germania, qui huc mittebat Commendatarios exteros; &, cum iam diu exteros non poſſe potiri redditibus Eccleſiaſticis in Hiſpania fuerit ſancitum, hæ Commendæ ſeparatæ fuerunt, & ad Reges noſtros ius præſentaudi fuiſſe translatum, contenditur ex grauiſſimis fundamentis. Attamen ſcio, etiamſi à Rege noſtro hæ Commendæ præſſententur, à Pontifice etiam eas præſentari, quaſi quid ad ſe pertinens; & contentiones extitiſſe inter præſentatos à Pontifice, & à Rege, Pontificemque non ſemel, & tunc temporis obtinuiſſe. Litis huius diſſidium, non eſt noſtrum, componere.

§. III.

Ordo Militaris Sancti Sepulchri, Hieroſolymus.

HVius Ordinis originem à Sancto Iacobo Epiſcopo Hieroſulymitano, ad annum 63. poſt Chriſti D. mortem, traxit Bartholomæus de Saligina, eiuſdem Ordinis Eques, *in Itinerario Terræ ſanctæ*. Alij eam trahunt à S. Helena Conſtantini Magni matre, quam, aiunt, inſtituiſſe hos Equites ad defenſionem Sancti Sepulchri, ſimulque vt vias tutas redderent peregrinantibus ad illud. Alij à Carolo Magno, qui aſſeritur ſtatuta huic Ordini deſignaſſe tunc temporis, cum Gothifredus de Boüillon Hieroſolymas ab infidelibus recuperauit. Demùm alij probabiliùs affirmant, exordium huius Ordinis contigiſſe propè annum 1110. tempore Balduini, primi Hieroſolymitani Regis. 22

Approbauerunt hunc Ordinem Innocentius III. & alij Pontifices. Eius eſt inſtitutum, Sancto Sepulchro aſſiſtere, peregrinos tueri, eleemoſynas per totum Orbem poſcere, ad redimendos Chriſtianos captiuos è Sarracenorum poteſtate. Admittebant in hunc Ordinem ex poteſtate Pontificia Guardiani S. Franciſci Hieroſolymitani; & admiſſi ſeruabant regulam S. Baſilij Magni, profitebanturque caſtitatem coniugalem. Eorum habitus erat toga alba, & in pectore ſcutum, in quo Crux rubea effigiabatur, quaternas alias Cruces in lateribus amplectens. 23

Penè extinctus fuit hic Ordo, nam, cum Hieroſolymæ, & Prouinciæ proximæ fuiſſent obtentæ à Sarracenis, pauci Equites ſuperfuerunt, Italiamque aduenerunt, Perugiæ ſuam Sedem collocantes. At Innocentius VIII. eos adſcripſit, & vniuit Ordini S. Ioannis; eſto non multis ab hinc annis 24

annis. aliqui ex his Equitibus per Belgium conſeruarentur. Videantur de hoc Ordine Iacobus Boſſius, *tom. 1. hiſtor. Melitenſis, lib. 5. anno* 1143. Syluester Marullus, Mennenius, Petrus Bellogns, Euſebius, Ioſeph Micheli, & Illeſcas, quos affert Barboſa *in ſumma Apoſtolicar. deciſion. collectan.* 304.

§. IV.

Ordo Militaris Friſiorum, apud Friſonum Prouinciam.

25 SVperato Rege Longobardo, & Lombardia expugnata armis Caroli Magni, ipſe, vt Milites ſuos nobiles præmio donaret, & alios ad militiam contra Infideles moueret, inſtituit hunc Ordinem ſub regula Sancti Baſilij, ad quem admittendi armabantur Equites, & votum Obedientiæ emittebant. Obtulit Carolus hunc honorem omnibus, qui per quinquennium ſub ipſius vexillis, ſuis expenſis militarent, vndè ſpe præmij per totum Imperium creuit numerus Militum abſque ærarij decremento. Habitus eſt toga alba, & in pectore Corona aurea Imperialis. Inſtitutum verò, militare pro Fide Catholica vſque ad vitæ diſpendium. De hoc Ordine agunt Ioannes Becanus, Martinus Acon, Ioannes Epiſcopus de Traiecta, & Molanus, quos adducit Ioſeph Micheli *in Theſauro Militia Equeſtris fol.* 16.

§. V.

Ordo Militaris Equitum S. Catharinæ in Græcia.

26 ALiqui viri nobiles anno 1063. cœlitùs illuſtrati inſtituerunt Ordinem Militarem ſub Regula S. Baſilij, eo fine, vt ſeruarent Sepulchrum S. Catharinæ in monte Sinaï, & peregrinantes è Græcia, ad illud inuiſendum, in viis tuerentur, & exciperent hoſpitio. Creuit eorum numerus, & Magiſtrum ex ipſis eligebant, pluribuſque Commendis potiebantur. Habitus erat albus, ac in pectore dimidium rotæ rubeæ, quam enſis interſecabat. Profitebantur caſtitatem coniugalem, & vnuſquiſque duplici anno Sepulchrum S. Catharinæ cuſtodiebat. Ferè iam abolitus fuit hic Ordo, cum Græcia in poteſtatem Infidelium fuiſſet redacta, & hi Equites expoliati. Abbates Monachorum S. Baſilij, quibus cuſtodia corporis S Catharinæ erat commiſſa, admittere ſolebant vnum, vel alium in eum Militarem Ordinem, poſtquam Magiſtri eſſe deſierunt. Hunc Ordinem memorat præfatus Ioſeph Micheli *vbi ſuprà fol.* 18. & refert, circa illum, Marianum Scotum, Lambertum Scarphlarbuc, & Guarinum.

§. VI.

Ordo Equeſtris Militum Templi, vulgò Templarios; *iam extinctus.*

ANno 1096. Gotfredus de S. Adelmano ſimul cum octo aliis Equitibus ſe ſe dicarunt hoſpitandis peregrinis ad Sanctum Chriſti D. Sepulchrum confluentibus, & ad purgandas à prædonibus vias. 27 Id vouerunt ſolemniter coram Patriarcha Hieroſolymitano, & ſimul pro defenſione Fide vitam profundere. Inſigne Xenodochium hi Equites erexerunt, vt Inſtituto ſatisfacerent. Honorius Pontifex illud approbauit; Ciſtercienſe eis Inſtitutum, & S. Benedicti Regulam tradidit obſeruandam, veſteſque albas afferendas. Addidit Honorius III. ipſis Crucem rubram, eam in formam compactam, qua nunc efformatur Crux alba Equitum Sancti Ioannis. Creuit per totum Orbem hic Ordo: diuitiis plurimis eſt auctus, ita vt aſſeratur, redditus annuos illius fuiſſe duos milliones, præter quadraginta mille Commendas ditiſſimas, quibus potiebatur. Exercebant ſeſtrenuè Equites in bello; Caſtitatem coniugalem profitebantur. A tempore Honorij III. Magiſtrum eligere cæperunt; iſque deinde eligebatur ex illis, qui magnis Crucibus ornabantur, quorum prima erat ſeries; ſecunda cæterorum Equitum; tertia Famulantium, qui Dimidiam Crucem geſtabant.

Floruit hic Ordo ducentis, & ampliùs 28 annis vſque ad annum 1310. in quo eum Clemens V. penitùs extinxit; Philippo IV. Rege Galliæ extinctionem fouente; Is autem Pontifex vocauit, X. Kalendas Decembris, Pontificatus ſui anno VI. Magiſtrum Ordinis D. Iacobi, vt ei Concilio aſſiſteret; qui tamen non adſtitit. Plures Equites ſupplicio fuut affecti, cæteri Habitu ſpoliati. Circumferuntur grauiſſimæ culpæ, de quibus arceſſebantur, contra fidem, pudicitiam, religionem, bonoſque mores; an verè, an ex odio, aut ex cupiditate facultatum, quibus gaudebant, adhuc ſub opinione eſt. Eorum bona Regum ærariis, & aliis Sacris Militaribus Ordinibus fuerunt applicata, & in Hiſpania mitiùs cum eis, quàm in aliis Prouinciis, fuit actum. Nam in Concilio Prouinciali in hac ciuitate Salmantina celebrato, illi

fuerunt pronuntiati innoxij, & immunes à culpis, quæ ipſis impingebantur. At, Ordine extincto, Habitum dimiſerunt; iubentibus tamen piiſſimis Regibus in Hiſpania dominantibus, ex Commendarum redditibus ſuppeditata fuerunt eis alimenta, dum vixerunt. Et poſtmodùm bona ferè omnia inter Ordines Militares Hiſpanos, ac Ordinem S.Ioannis fuere diuiſa. Videantur Platina *in vita Gelaſij II.* 1. Màriana *tom.2. hiſt. Hiſp. anno* 1310. Ioannes Azor *in Annalibus, lib.* 13. Vitriacus *in hiſt. Oriental. cap.* 65. & 66. Don Laurentius Mattheu *de regim. Regni Valenitæ, cap.* 7. §. 4. plures afferens Authores, qui de Templariis tractant.

§. VII.

Ordo Equitum IESV Chriſti Sancti Sepulchri in Anglia, tam extinctus.

29 ANno 1174. Henricus Angliæ Rex, cum Sanctum Chriſti ſepulchrum viſitaſſet, ibique Equites Milites illud cuſtodientes laudaſſet, ad eorum inſtar Ordinem in ſuo Regno erexit ſub eodem titulo, pluresque Equitibus Commendas inſtituit, qui duobus primis annis commeantes ad vrbem Hieroſolymitanam Sanctum Sepulchrum cuſtodiebant, ac deinde pro Eccleſiæ defenſione præſtò erant militaturi. Approbauit hanc Militiam Alexander III. ſub Regula Sancti Baſilij, & ſub eiſdem ſtatutis, quæ Milites Sancti Sepulchri ſeruabant. Inſigne eorum Crux erat viridis, in eam formam effigiata, quam Patriarchæ ante ſe geſtant. Extinctus fuit hic Ordo ſimul cum Catholica Fide in Anglia, Equites verò Catholici ſuperſtites Meliteuſibus Sancti Ioannis ſe adiunxerunt. Legatur Ioſephus Micheli *in Theſauro militari, fol.* 35. cum Voiſio, & Viano ab ipſo allatis.

§. VIII.

Ordo Equitum Montis-Gaudij apud Hieroſolymitanos.

30 EXtra vrbem Hieroſolymas mons extat nuncupatus Mons gaudius. In eo prima ſedes fuit horum Equitum, qui pio Religionis zelo Ordinem hunc inſtituerunt, vt eam Vrbem, tunc à Catholicis poſſeſſam defenderent, & quocumque vocarentur ad pugnandum contra Infideles prompti pergerent. Confirmauit Inſtitutum Alexander III. anno 1180. ſub Regula Sancti Baſilij. Habitus erat albus; inſigne rubrum inſtar eius quod Templarij geſtabant, & ſi non eiuſdem coloris. Paupertatem, Caſtitatem, & obedientiam vouebant. Ad Hiſpaniam pugnaturi contra Mauros acceſſerunt, & à Rege Alfonſo IX. aliiſque Principibus ditati ſunt; dictique Equites de Moſrac, quia in eo Oppido domum præcipuam habebant: In Valentia autem, & Catalaunia nuncupabantur Equites de Mongioa, quod idem eſt, ac Montis Gaudij. Tempore Regis Ferdinandi, cognomento Sancti, ipſo annuente, vniti ſunt hi Equites Calatrauenſibus; Ordinis Montis Gaudij meminerunt Tamburinus de iure Abbatum *tom.2 diſp.24.quæſt.4.n.96.* Mennenius, Rades de Andrada, Hieronymus Roman, Ioſeph Micheli, Barnabas de Montaluo, Aubertus Miræus apud Barboſam *in ſumma Apoſtolicar. deciſ. collectan.* 318.

§. IX.

Ordo S. Mariæ Theutonicorum in Germania.

A Quodam viro nobili, Theutonico cuius nomen non proditur, hunc Ordinem fuiſſe inſtitutum, aſſerit Barboſa *vbi nuper, collectanea* 315. Verùm Ioſeph Micheli *in Theſauro militari., pag.* 37. ait, fuiſſe inſtitutum ab Imperatore Federico I. tunc cum auxiliares copias contra Infideles ad vrbem Hieroſolymitanam duxit, eamque liberauit. Ibi anno 1184. in honorem Deiparæ templo constructo, Ordo fuit inſtitutus pro natione Theutonica, ad liberandum Catholicos à Barbarorum incurſu, quem Cœleſtinus III. approbauit ſub regula S. Auguſtini, anno 1192. votis emiſſis Obedientiæ, & Caſtitatis coniugalis. Barboſa *vbi ſuprà* ait, ſub ſpecie ſodalitij incepiſſe priùs hunc Ordinem anno 1119. ad recreandos peregrinos. 31

Captis Hieroſolymis anno 1187. à Sultano Ægypti Saladino, Theutonici in Ptolemaide conſederunt, & tunc temporis à Cœleſtino Papa approbatus fuit Ordo; dataque fuit Militibus pro teſſera Crux nigra, cum limbo argenteo in veſte candida, & Magiſtro Ordinis Crux nigra, cum alia Cruce aurea eam interſecante. Forma autem Crucis eſt adinſtar Crucis Equitum Sancti Ioannis. Poſtmodùm capta Ptolemaide, qui ſupererant è Theutonicis, ad Europam migrarunt, & vocati à Duce Moſcouiæ Conrado, vt contra Pruſios eius ditionem infeſtantes, bellarent, eis conceſſit, quidquid ex Pruſiano dominio obtinerent. Ipſi, duce Magiſtro Ordinis Hermanno Atza, Pruſios debellarunt, & ſubin- 32

de

de Lithuanos, ac Tartaros, qui vltra Viſtulam fluuium degebant. Vrbem ædificarunt ſub nomine Sanctiſſimæ Virginis, in qua Magni Magiſtri eſt Sedes, ac præcipuum Monaſterium, quod nuncupatur *Sancta Maria Mater Domini*. Pluribus intra Germaniam Commendis potiuntur. Eodem modo, ac Melitenſes, armantur Equites, cum Habitum accipiunt. De hac Militia agunt Sebaſtianus Munſterus *lib.*3. *de Germania*. Titelmanus, Brenderbacius, Tyrius, Cromerius Tortellus, Thuanus, Enricus Valpot, apud Ioſephum Micheli *vbi ſuprà*, P. Azor, *inſtitut. moral. p.*1. *lib.* 13. *cap.*5. *quæſt.*3. *verſu*, *Sunt & alij*. Aldana, Mennenius, Caſſanæus, Polydorus, Virgilius, Syluester, Marullus, Paulus Morigia, & plures alij apud Barboſam *vbi ſuprà*.

§. X.

Ordo Equitum Sanctæ Mariæ Matris Domini, qui nuncupantur Gaudentes, *in Italia.*

33 Ciuilibus odiis vrbs Bononiæ æſtuabat; dedit ſtrenuam operam eis ſedandis Fr. Bartholomæus de Vicenza ex illuſtri Prædicatorum Familia; & Militiam Equitum inſtituit, qui & Catholicam Fidem defenderent, & componendis inimicitiis, protegendiſque miſerabilibus vacarent, anno 1233. Confirmauit pium Inſtitutum Vrbanus IV. anno 1261. Quem aliqui Authores Fundatorem Ordinis huius deſignant. Vtuntur Equites tunica alba, ſubcinericea toga, & Cruce purpurea in campo albo, duabus ſuprapoſitis ſtellis, vt ait Barboſa, *ſuprà collectanea* 310. ſeu quatuor ſtellis auratis, ad quatuor Crucis extremitates affixis, vt affirmat Ioſeph Micheli *in Theſauro Militari*, *fol.*37. Vigent per Italiam ſub nomine Sanctæ Mariæ Matris Domini, maximè Bononiæ, Mantuæ, & Mutinæ. Ante ingreſſum in Ordinem informatio de nobilitate paterna, & materna peragitur; Profitentur caſtitatem coniugalem, & obedientiam Magiſtro Ordinis; Aliquas Commendas intra Italiam poſſident. Vulgus eis nomen Gaudentium impoſuit, quia pluribus commodis gaudent. De eis vide Baronium *tom.*13. *annal. anno* 1261. *num.* 12. Guarini, Sanſouini, apud Ioſephum Micheli, Tamburinum, Boſſium, Carolum Sigonium, & Marullum apud Barboſam *vbi nuper*.

§. XI.

Ordo Equitum Nodi iam extinctus Neapoli.

POſt atrocia bella, pacatis rebus, Regina Neapolis Ioanna nupſit Ludouico Tarantino, & conſentiente Clemente VI. Regia Corona fuerunt ornati die 26. Maij, anno 1351. Quo ipſo die in memoriam optatæ pacis nunc Ordinem inſtituerunt, cuius finis eſſet, Religionem Chriſtianam defendere, Regumque Neapolis obedientiam fouere; ſeptuaginta illicò Viri illuſtres in eum ſunt admiſſi, quorum teſſera fuit nodus purpureus auro intertextus, ſuper togam albam. Confirmauit Militiam hanc idem Clemens VI. ſub Regula Sancti Baſilij. Floruerunt aliquandiu Milites, opulentis ditati Commendis, donec Regibus Neapolis extinctis, pariter cum illis hic Ordo defecit. Legantur Pandulfus Colleuucius *lib.*5. *hiſtor. Neapolit.* Angelus Conſtantinus *lib.*6. *hiſtor. Neap.* 34

§. XII.

Ordo Equitum Balnei in Anglia iam extinctus.

HEnricus IV. Angliæ Rex, cum in balneo recrearetur, monitus fuit à quodam Equite, ibi duas fœminas viduas inſtare, vt audirentur, ac ius, & æquum ipſis ſeruaretur. Proſiliit à balneo Rex, nullam ſibi recreationem reputans iucundiorem, quàm ſubditis miſeris ſubuenire. Inde excitatus Militiam inſtituit, cuius finis eſſet, Religionis Catholicæ protectio, & miſerorum ſubleuatio, eumque Equitem, qui eum in balneo admonuit, primum in Militiam adſciuit, quæ exindè Militia balnei fuit nuncupata; & non niſi Nobiles in eam admittebantur. In toga viridi tres aureas coronas geſtabant, & ſub illis hoc lemma, *Tria in vnum*, vt denotaretur vnio ſeruanda ad tuendam Fidem, Regem, & Regnum. Plures Commendas Ordo poſſedit, ſed eius confirmationem Pontificiam non reperio, quare Militia quædam, & non Ordo debet nuncupari. Defecit infœliciter à Catholica Fide illud Regnum, & ſimul huius Militiæ ſplendor euanuit. De ea agit Guillelmus Cardenus *in diſpoſitione Britanniæ*. 35

§. XIII.

§. XIII.

Ordo Equitum IESV Chriſti ſub Sancto Dominico, apud Lombardos, & Toloſanos.

36 PVgnabat armis ſpiritualibus ſtrenuè aduerſus hæreticos in Lombardia, & Toloſa ſæuientes S. Dominicus, fulgentiſſimum Eccleſiæ, & Hiſpaniæ ſydus, innumeros ad ſanam mentem reduxit; & quia etiam armis temporalibus expediebat, eorum incurſus frænare, instituit Ordinem Militarem Equitum Iesv Chriſti, adinſtar eorum, quos inſtituerat Magnus Conſtantinus, vt hæreticos inſequerentur; & ſub ipſius S. Dominici Regula Ordinem approbauit Innocentius III. Magiſtrum ex ipſis eligebant, cui Obedientiam profitebantur; Habitus erat albus, & Inſigne Crux partim nigra, partim alba liliata, qua nunc miniſtri Tribunalium Sanctæ Fidei vtuntur. Agit de hoc ordine Ioſeph Micheli *in theſauro militari*, *fol.*47. & Franciſcus Mennenius apud ipſum.

§. XIV.

Ordo Equitum IESV Chriſti, & Enſium, apud Liuoniam, & Poloniam, iam extinctus.

37 LIuonia, viciniſque Prouinciis in Fide nutantibus, Catholici aliqui ſeſe coniunxerunt, vt Fidem aduerſus hæreticos tutarentur; & anno 1197. erexerunt Monaſterium ſub titulo Deiparæ, accerſitiſque Religioſis, qui in Fide Liuonios inſtruerent, ipſi armis contra hæreticos agebant. Primus Ordinis Magiſter fuit Volquinus. Confirmauit illum Innocentius III. ſub regula S. Baſilij. Teſſera fuit duplex enſis rubeus in modum Crucis ſuper togam candidam. Creuit plurimùm Ordo tum in Liuonia, tum in Polonia, floruitque per 357. annos. Inter Polonos, & Equites huius Ordinis; (qui Iesv Chriſti Milites appellabantur, & etiam Enſium, ratione teſſeræ, quam geſtabant) bellum fuit ſæuum exortum; Perierunt ex illis plurimi, & demùm pœnitùs fuerunt extincti circa annum 1550. id illis ſupplicium Deo iuſtiſſimè infligente, eo quod à Fide Catholica, quam ex inſtituto defendere tenebantur, defeciſſent damnati Lutheri ſectæ addicti. Huius Militiæ meminerunt Arnoldus Lubecenſis *lib.*7. *cap.*9. Franciſcus Mennen. Cromerus Lubecenſis Epiſcopus, quos refert Ioſeph Micheli Marquez *in Theſauro Militiarum Equeſtrium*, *fol.*52.

§. XV.

Ordo Equeſtris Sancti Lazari in Sabaudia, vnitus Ordini S. Mauritij.

ASſeritur, hunc Ordinem à S. Baſilio exordium habuiſſe anno 361. Confirmauit illum Honorius III. anno 1120. Approbauit ipſum Alexander IV. ſub regula S. Auguſtini anno 1157. Et plures Pontifices maximis priuilegiis auxerunt; ac Reges Galliæ ingenter ditarunt. Inſtitutum proprium erat hoſpitalitas, & cura leproſorum. Vouebant Caſtitatem coniugalem, & non niſi ſemel poterant nuptias contrahere. Ex decreto Innocentij VIII. anno 1490. ferè omnes Equites ſe coniunxerant Ordini Sancti Ioannis; Reſtaurauit Ordinem Pius IV. anno 1565. creans illius Magiſtrum Ianottum Caſtellionem Mediolanenſem; quo mortuo, in Italia coniunctus eſt hic Ordo Equeſtri Ordini S. Mauritij, & per Galliam Ordini Equeſtri S. Mariæ de Carmelo, iubente Paulo V. Domus præcipua Ordinis, poſt aduentum Equitum à Syria in Europam, Boniaci in Gallia vigebat. Inſigne erat Crux viridis, ſpecie ſimilis Cruci Melitenſi in toga alba. Nobilitas exigebatur per quatuor gradus ad ingreſſum in Ordinem. De quo vide S. Gregorium Nazianzenum *ſerm.*25. *in laudem S. Baſilij*; Petrum Belloium Tholoſanum, *libello de Ordinibus Equeſtribus*, *tit. de his Equitibus*; Lezana, Narbona, Tamburinum, Mennenium, Marullum, Aubertum Miræum, & alios apud Barboſam *in ſumma Apoſtolic. deciſ. collect.* 313. & Sanſouinum *de origine Equitum*, *tit. de Equitibus S. Lazari*. 38

§. XVI.

Ordo Equitum S. Mauritij, & ſimul S. Lazari in Sabaudia.

IPſum S. Mauritium Martyrem inſtituiſſe hunc Ordinem anno 1440. affirmat Ioſeph Micheli *in Theſauro militari fol.* 49. Et adducit ex aliis Authoribus, inſtitutum fuiſſe ſub Regula S. Auguſtini ab Amadeo Duce Sabaudiæ. Sed Barboſa *vbi ſuprà*, *collectan.* 312. aſſerit, inſtitutum fuiſſe ſub regula Ciſtercienſi ab Emanuele Philiberto Duce Sabaudiæ, & confirmatum anno 1572. à Gregorio XIII. qui eumdem Ducem, & eius Succeſſores deſignauit Ordinis Magiſtros. Eius inſtitutum eſt defenſio Religionis Chriſtianæ; Vouent Equites caſtitatem coniugalem, paupertatem, & obedientiam. 39

obedientiam. Duas habet Ordo Domus præcipuas; alteram Niceæ in Prouenza, alteram Auguſtæ Taurinorum, quæ eſt Curia Ducum Sabaudiæ. Gaudet Commendis opulentis. Inſigne eſt Crux alba, cuſpidibus in flores deſinentibus, ſuper veſtem holoſericam ex tabino vndato purpureo; Et, quia huic Ordini adiunctus fuit Ordo S. Lazari, vt diximus §. *præcedenti*, ei Cruci albæ coniuncta eſt Crux viridis S. Lazari, ita vt intra hanc illa contineatur, extantibus eius ramis ad angulos, vbi ſtipites Crucis viridis inter ſe connectuntur.

40 Cùm vnica fœmina, & Virgine, poſſunt contrahere matrimonium, & adhuc ex indulto Clementis VIII. remanent capaces retinendi penſiones vſq; ad ſummam 400. ducatorum auri de Camera. De hoc Ordine videantur Paulus Morigia *de origin. Relig. lib. 4. cap. 7.* Barboius, Marullus, Sanſouinus, Mennenius, Tamburinus, Belloius, & alij apud Barboſam, & Ioſephum Micheli, *locis nuper relatis.*

§. XVII.

Ordo Equeſtris Martyrum apud Palaſtinam.

41 NObiles aliqui viri zelo pietatis inflammati in Palæſtina Xenodochium extruxerunt ſub aduocatione SS. Martyrum Coſmæ, & Damiani, in quo erga aduenas, & peregrinos ægrotantes per omnia charitatis opera exercebantur; ſimul etiam pauperibus aliis opem præſtabant, captiuos redimebant, & defunctos ſepulturæ donabant. Creuit numerus piorum hominum, & inter ſe ſociati à Monacho Ordinis S. Baſilij, regulam ipſius, & viuendi normam acceperunt, quam Ioannes XX. confirmauit, & pro teſſera præſtitit Crucem rubram æquis extremitatibus diſtantem, & in medio ſtipite SS. Martyres Coſmam & Damianum intra circulum effigiatos. De hoc ordine tractant Annales Græci, Hieronymus Roman, & alij apud Ioſephum Micheli Marquez *in theſauro militari, fol. 53.*

§. XVIII.

Ordo Equeſtris Lunæ creſcentis, ſeu alias, ſtellæ, in Sicilia.

42 CArolus Rex Siciliæ, & Hieroſolymarum inſtituit hunc Ordinem in vrbe Meſſina, in Regno Siciliæ, anno 1268. & pro teſſera Equitibus præſtitit torquem auream liliis, & ſtellis (quæ erant ipſius Inſignia) intextam, ab ipſaque Luna ſemicircularis creſcens pendebat. Finis Ordinis fuit defenſio Fidei, hoſpitium peregrinorum, & defunctorum ſepulturæ cura. Nequibant in illum admitti, niſi nobiles, ac in bello probati. Clemens IV. hanc familiam Militarem confirmauit. Floruit equidem olim; ſed iam nonniſi Meſſinæ conſeruatur ſub nomine Equitum Stellæ, ſumpta denominatione ab ſtellis, quæ in torque interſeruntur. Huius Ordinis meminit Franciſcus Mennenius *in del. equeſtrib. fol. 35.*

§. XIX.

Ordo equeſtris Sancti Stephani apud Florentinos.

INſtituit hunc Ordinem Coſmas Medices 43 magnus Hetruriæ Dux anno 1560. vel iuxta alios, anno 1555. Eum confirmauit Pius IV. anno 1562. deſignans in Magiſtrum Ordinis eumdem Ducem, & eius Succeſſores; Magiſtri vices gerens, Ordiniſque gubernator Piſis ſuam Sedem habet, ſimul cum aliis Ordinis Dignitatibus. Nobilitas in admittendis requiritur, eorumque inſtitutum eſt, Turcas, & Mauros à mari Tyrreno propulſare: poſſunt nuptias contrahere; caſtitatem coniugalem, obedientiam, & charitatem vouent. Sub regula S. Benedicti militant, & ſub patrocinio S. Stephani Papæ, & Martyris, Florentiæ Patroni.

Inſigne Equitum eſt Crux rubra cum 44 limbo aureo, ſimili ſpecie ac Melitenſis, ſuper veſtem candidam ex ſerico vndulato. Sunt in Ordine Equites: item & Sacerdotes Fratres: & hi quidem alij nobiles, quibus Dignitates minores Ordinis conferuntur; alij inferiores, quibus beneficia ſimplicia præſtantur. Sunt præterea alij, qui nuncupantur Seruientes; hi etiam ſunt in duplici diſcrimine; alij in bello, & armis inſeruiunt: nobiles ſunt, ſed ad Commendas (quas Piſis, & in Liuorno poſſidet Ordo) non admittuntur, nec eo ſplendore gaudent, quo primi Equites; Alij inſeruiunt in miniſteriis inferioribus, & hi Crucem trimembrem geſtant, abſciſſo ſuperiori ſtipite. Equites huius Ordinis ex conceſſione Pauli V. non obſtante matrimonio, & bigamia, poſſunt frui penſionibus Eccleſiaſticis vſque ad ſummam 400. ducatorum de Camera. De hoc Ordine videantur Gualterius *in tabulis, ſæculo 16. pag. 745.* Illeſcas *in hiſtoria Pontific. p. 2. lib. 6. cap. 31.* Carolus de Tapia *in Authent. ingreſſi, Cod. de ſacroſ. Eccleſ. verbo, Monaſteria, c. 55.* Et plures alij paſſim.

§. XX.

§. XX.

Ordo Equitum Bricianorum in Suecia.

45 SAncta Brigitta Regina Sueciæ piiſſimè inſtituit hunc Ordinem anno 1396. & ſub regula S. Auguſtini confirmauit Vrbanus V. Inſtitutum eius fuit, hæreticos ibi infeſtiſſimos debellare; hoſpitalitatem exercere, mortuos ſepelire, viduas, & pupillos tutari. Teſſera Crux cærulea ad inſtar Melitenſis, ſub qua lingua ignea iacet, in ſymbolum charitatis, qua erga proximos erat vtendum. Extulit caput hæreſis in eo Regno; & hic Ordo deſeruit ſuum Inſtitutum, Equiteſque ſolùm in id intendunt, vt Commendas nanciſcantur. Eius meminerunt Antonius Vianus *in deſcript. Regni Sueciæ*; Antonius Boiſius *in Genealog. Eremitar. S. Auguſtini.*

§. XXI.

Ordo Equitum Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo apud Gallos.

46 PAulus V. inſtituit hunc Ordinem anno 1609. ſub Regula S. Auguſtini, & ſub aduocatione S. Mariæ de Monte Carmelo, in cuius honorem Equites feria tertia ab eſu carnium abſtinent; Coronam ſingulis diebus recitant, & Sabbatis Miſſam audiunt. Finis eorum eſt, pugnare contra hoſtes Sanctæ Romanæ Eccleſiæ; votum caſtitatis coniugalis, & obedientiæ emittunt. Primus Ordinis Magiſter fuit Philibertus Nerectanus, Eques Ordinis Sancti Lazari, qui Ordo huic fuit incorporatus per Galliam. Inſigne eſt Crux violacea ſimul cum effigie Virginis Mariæ de Monte Carmelo intra illam incluſa. Legantur Aubertus Miræus *de origine Auguſtin. lib.* 1. *cap.* 32. Marcus Antonius Alegre de Caſſanate *in paradiſo Carmel. ſtatu* 5. *ætate* 18. *cap.* 100.

47 Verùm Ioſephus Micheli *in Theſauro militari fol.* 57. aliter ex Mennenio Inſtitutionem huius Ordinis recenſet, affirmans, præfatum Philibertum Equitem S. Lazari obtinuiſſe à Paulo V. vt Ordo S. Lazari nuncuparetur deinceps Ordo Sanctæ Mariæ de Carmelo, & Crux deinceps violacei eſſet coloris cum effigie Deiparæ.

§. XXII.

Ordo Equeſtris S. Georgij in Germania.

ORdinem hunc inſtituit Imperator Maximilianus ſub aduocatione S. Georgij, quem in bellis aduerſus Turcas propitium implorabat, vt Equites eiuſdem patrocinio excitati infeſtos hoſtes proſternerent, quod ſanè præſtiterunt. Confirmauit hanc Militiam ſub Regula S. Auguſtini Vrbanus VI. Emittitur in ea votum Obedientiæ, & Caſtitatis coniugalis, finiſque eſt Eccleſiæ Catholicæ defenſio; Teſſera autem Crux ad inſtar Crucis de Monteſa, & de ſuper aurea Corona. Imperatores ſunt Protectores Ordinis, & inter Equites eligitur Magiſter; ſtatuta ſunt penè eadem ac Equitum Conſtantinianorum S. Georgij, de quibus egimus *ſuprà*. Legatur Lacius, *rerum Viennæ, lib.* 3. Ioſephus Micheli *in Theſauro Militari, fol.* 23. 48

§. XXIII.

Ordo Equitum S. Ioannis de Ancona, & S. Thomæ, iam aggregatus Ordini Melitenſi.

FLoruit olim hic Ordo à Viris Illuſtribus inſtitutus, & approbatus ab Alexandro IV. ſub Regula S. Auguſtini; Inſigne erat Crux rubea, inſtar Crucis de Monteſa, & in ipſius medio effigies SS. Ioannis, & Thomæ, ſub quorum patrocinio fuit Ordo erectus. Etiam in noſtra Hiſpania floruit cum liqueat, Alfonſum Regem, cognomento ſapientem, plures ei diuitias teſtamento legaſſe. Paulatim defecit pro temporum varietate; &, antequam extingueretur, aggregatus fuit Ordini Melitenſi S. Ioannis. Huius Ordinis meminerunt Hieronymus Roman, Boterus, Mennenius, & alij apud Micheli *vbi ſuprà fol.* 61. 49

§. XXIV.

Ordo Equitum S. Thomæ.

HI Equites forſan aliqui ſunt ex prædictis *nuper*, qui ſe Melitenſibus non aggregarunt, nec enim inter hos, illoſque diſcrimen cerno, niſi quòd in Cruce nulla effigies geſtatur. In cæteris ſunt omnino ſimiles cum ſub Regula S. Auguſtini militent, & ab Alexandro IV. fuerint confirmati. Sed tamen vt diuerſum Ordinem, Ioſephus Micheli *vbi nuper*, illum recenſet. 50

§. XXV.

§. XXV.

Ordo Equeſtris Sancti Spiritus, Romæ; Et alius ſub eodem titulo in Gallia.

51 HVnc Ordinem Romæ erexit Innocentius III. anno 1198. Equites vocantur Fratres Hoſpitalis Sancti Spiritus, quod propè Tybrim extat; In quo de pueris expoſitis eſt cura; nec non de ægrotantibus, ac peregrinis, & egenis, qui nequeunt mendicare. Incumbit ea ſollicitudo his Equitibus, quorum nobilitatis præcedit informatio, quamvis non armentur Equites, ſicut cæteri aliorum Ordinum Militarium. Tria vota Religionis abſoluta emittunt; habitu clericali incedunt ornati, & teſſera eſt Crux alba Patriarchalis. Ordinis Superior dicitur Præceptor. Gaudent pluribus Commendis. Videatur Ioſephus Micheli *vbi ſuprà.*

52 Alius Ordo Militaris Sancti Spiritus in Gallia fuit inſtitutus à Rege Henrico III. anno 1579. die prima Ianuarij, in ſignum grati animi erga Deum, quod vno, eodemque die Pẽtecoſtes, in Regem Poloniæ ſit electus, & in Galliæ Regnum ſucceſſerit. Confirmauit Ordinem Gregorius XIII. Toga capitularis Equitum eſt holloſerica, flammis aureis, & argenteis diſtincta; E collo pendet torques aurea, intertexta liliis, & flammis, appenſa Cruce ſimili Melitenſi, in cuius medio columba apparet. Ita Barboſa *in ſumma Apoſtolicar. deciſ. collectanea* 321. Aliter rem enarrat Ioſephus Micheli *in Theſauro militari pag.* 95. Scilicèt hos Equites inſtitutos fuiſſe à Rege Galliæ Ludouico XI. anno 1469. in oppido Ambaſæ, & anno 1476. in oppido Pleſiæ, ad defenſionem Religionis Catholicæ, & ſolùm ſex & triginta poſſe admitti, Regeſque Chriſtianiſſimos eſſe Magiſtros. Sed, credo, aliquam æquiuocationem hunc Authorem pati; nam, cum titulum præfigat, *Collar. de Sancti Spiritus en Francia*, & ſub eo depingat Crucem continentem intra ſe columbam, nihilque aliud; poſtmodùm in narratione, ait, hunc Ordinem Militarem Sancti Michaëlis, & torquem interſeri conchis maritimis, à qua pendet, non Crux, ſed effigies Sancti Michaëlis, cum epigraphe, *Immenſi terror Oceani*, & hunc Ordinem, ait, erectum à Ludouico XI. Quorum omnium nihil competit Equitibus Sancti Spiritus. Quare mihi ſuadeo, errorem fuiſſe Typographi, inuertiſſeque aliquam paginam.

§. XXVI.

Aliqui Ordines Equeſtres à ſummis Pontificibus inſtituti.

53 LEo X. inſtituit Militiam Equitum SS. Petri, & Pauli, anno 1520. & Paulus III. eam confirmauit, vt Religionem Chriſtianam aduerſus Turcas defenderet. Pro teſſera eſt effigies Apoſtolorum à torque pendens.

54 Alexander VI. ſimilem in Inſtituto Militiam Equeſtrem erexit ſub aduocatione Sancti Georgij, cuius effigies à torque pendens Equitum eſt Inſigne.

55 Sub eadem aduocatione S. Georgij inſtituit Paulus III. alios Equites, qui Rauennæ habitarent, & maris Adriatici confinia tuta ab hoſtibus redderent; Eorum teſſera Crux erat aurea, & deſuper corona. Obiit Pontifex, pariter & extinctus fuit Ordo.

56 Sixtus V. erexit Ordinem Militarem Sanctiſſimæ Virginis de Loreto, cuius imago erat Equitum inſigne, anno 1586. Breui tamen tempore ceſſauit ſplendor Ordinis, nondum tamen extincti.

57 Ioannes XXII. inſtituerat Ordinem Chriſti; eumque fouit, ac extendit Paulus V. Habitum huius Ordinis concedunt Summi Pontifices, eadẽque eſt teſſera, & conſtitutiones, ac in Ordine Chriſti in Luſitania.

58 Vrbanus VIII. erexit Ordinem Militarem ſub titulo Conceptionis B. Mariæ Virginis, ſub regula Sancti Franciſci, & ſub protectione S. Michaëlis, & Sancti Baſilij. Emittunt Equites vota, & iuramentum fidelitatis; contra Infideles, & Fidei hoſtes militant. Eligunt inter ipſos Magiſtrum: gaudent fori priuilegio; poſſunt adhuc coniugati, & bigami frui penſionibus Eccleſiaſticis vſque ad trecentum ſcuta.

59 De his omnibus conſulantur Bernardus Lucebergius *in libro Armorum Militar.* Alexander Sperellus *in deciſionib. fori Eccleſiaſt. deciſ. 2. n. 120.* Ioſeph Micheli *in Theſauro militari, pag.* 62. & ibi Stephanus Pigius. Barboſa *in ſumma Apoſtolicar. deciſ. collect.* 383.

§. XXVII.

Ordo Equeſtris S. Georgij in Carinthia, & Auſtria.

60 ROdulphus Aſpurg, ſeu, vt alij affirmant, Federicus III. Imperator exordium dedit huic Ordini, cuius Inſtitutum eſt, ſub aduocatione S. Georgij, fidem

Catholicam tueri, & pro ea ſanguinem fundere, cuſtodes eſſe noctu, diuque (ſi hoſtium periculum immineat) ſacri Euchariſtiæ Sacramenti, ipſumque comitari, quoties publicè defertur. Vouent Equites Caſtitatem coniugalem, & Obedientiam ſuo Magiſtro, qui ſuam habet Sedem Milleſtadij in Carinthia; atque, vt is locus eſſet celebrior, ipſe. Federicus in eo Eccleſiam Cathedralem erexit, ac Canonicos decorauit eadem teſſera, quam Equites geſtant, nempè Cruce purpurea in formam Crucis de Monteſa, ſupra togam candidam. Alexander VI. confirmauit Ordinem ſub regula S. Auguſtini. Cæſares ſunt illius protectores. Gaudet pluribus Commendis, Equites inſignes victorias à Turcis ſæpe reportarunt, Agunt de hoc Ordine Lazius *lib. 3. de reb. Viennenſ.* Bernardus Luceburgius, *de Ordinib. Militar.* Flocus *in ſuo Eleemoſynario*: Mennenius *de del. equeſtrib. fol.* 80. & alij plures.

§. XXVIII.

Ordo Militaris S. Marci apud Venetias.

61 INitium habuit hic Ordo apud Venetos anno 1562. Eiuſque finis fuit defenſio Fidei Catholicæ aduerſus Turcas. Non niſi nobiles in eum admittuntur. Sub patrocinio degunt D. Marci Venetiarum Patroni, Duces Reipublicæ ſunt Magiſtri Ordinis. Teſſera verò Leo coronatus, tenens in vna ex manibus gladium diſtrictum, in alia librum reſeratum, in quo ſex literæ apparent, quæ ſignificant, *Pax tibi Marce Euangeliſta meus.* Vocantur vulgò hi Equites *de la Calza.* Agit de eis Mennenius *vbi ſuprà.* Alij exordium huius Ordinis fuiſſe aiunt, anno 1332.

§. XXIX.

Ordo Militaris Redemptoris in Mantua.

62 VIncentius Gonzaga quartus Dux Mantuæ fundamenta huic Ordini iecit anno 1608. & eum approbauit Paulus V. Duces ſunt Magiſtri. Inſtitutum verò augmentum Religionis Chriſtianæ, & honor trium guttarum ſanguinis Chriſti D. quæ in teſſera effigiantur intra pyxidem Euchariſtiæ pendentem ab aurea torque, quam flammæ, & aureæ virgæ componunt, literis *D. P.* inſcriptis, quæ ſignificant *Domine probaſti.* Videatur Ioſephus Micheli *in Theſauro militari, fol.* 94.

§. XXX.

Aliqua Militia iam extincta, extra Hiſpaniam olim erecta.

CArolus Gonzaga Dux Mantuæ Militiam Virginis Annunciatæ erexit anno 1618. cuius inſigne erat Crux cærulea, inſtar Melitenſis, & circa ipſam inaurati radij, intùs verò effigies Annuntiationis Deiparæ. Approbauit eam Paulus V. ſed breui interuallo fuit extincta. Eius meminit Mennenius *vbi ſuprà fol.* 90. 63

Sub eodem titulo Virginis Annunciatæ Militiam inſtituit Amadeus ſextus Comes Sabaudiæ in memoriam victoriæ, quam obtinuit aduerſus Turcas Amadeus primus Comes defendens Inſulam Rhodos; & inde pendebat pro teſſera Crux alma, & imago Annuntiationis ex torque aurea, in qua hæ literæ inſculpebantur, *F. E. R. T.* id eſt, *Fortitudo eius Rhodum tenuit.* Duces Sabaudiæ erant Militiæ Magiſtri; Monaſterium hæc Militia habuit in Oppido de *Petra Caſtella.* Videatur Ioſeph Micheli *vbi ſuprà fol.* 83. 64

Reges Cypri, è familia Luſigniana Ordinem Militarem Cypri fundarunt, cuius teſſera erat ex torque pendens enſis, quem amplectebatur litera *S.* ſignificans *ſecretum*, quod in negotiis Regni ſeruare Equites profitebantur, & in centro ipſius literæ inſcribebatur pro fide ſeruanda, quod ipſorum erat inſtitutum. Degebant ſub Regulâ Sancti Baſilij; octoque Reges fuerunt Ordinis Magiſtri. Sed obtenta Cypro à Turcis, extinctus eſt Ordo; De quo agit Stephanus Luſignianus *in ſua genealogia.* 65

In Anglia Eduardus Rex, huius nominis III. anno 1350. vel, vt alij volunt, antiquiùs Ricardus I. inſtituit Militiam ſub aduocatione S. Georgij, vulgò *de la Gantiera*, ſeu *de la Iarretera*, quæ adhuc, Fide collapſa, ſolùm quoad honorem permanet. Vigiuti ſex tantum Equites nobiliores in eam admittuntur. Reges erant Magiſtri. Inſigne eſt torques aurea in formam roſarum compacta, à qua effigies S. Georgij pendebat; & ſimul faſcia cærulea, in qua ea verba Anglicè inſcripta leguntur, *Malè vertat ei, qui malè cogitat*; quam ſuper genu præcinctam geſtant. Lege Guillelmum Cadamum *de rebus Britannia.* 66

Sigiſmundus Imperator, vt hæreſes, & ſchiſmata propulſaret ab Vngaria, erexit anno 1400. Militiam *Draconis deuicti*, qui Draco teſſera erat à viridi zona ſuſpenſus, in ſymbolum 67

ſymbolum hereſis ſtrangulatæ. Huic Militiæ ſuum nomen dederunt Aragoniæ Reges, & plures Principes. De ea tractant Beloius *de origin. Militar. cap.22.* Annales Gallici *in geſtis Sigiſmundi, & Caroli IV.*

68 Militiam *Rutæ* in Scotia inſtituit Iacobus V. Rex eiuſdem Scotiæ, cuius inſtitutum fuit defenſio Religionis Catholicæ, & pauperum patrocinium. Inſigne erat effigies S. Andreæ Apoſtoli, & de ſuper duo rutæ rami. Defecit in eo Regno Fides, & Militia. Videatur Ioannes Leſleus *in rebus Scoticis.*

69 In Gallia Militiam *Conchæ* à Regibus, quin hi nominentur, fuiſſe fundatam, tradit Ioſeph Micheli, *in Theſauro Militari fol. 92.* eo fine, vt bellis Naualibus contra Turcas dimicarent Equites qui nuncupantur Argonautæ,& ſub regula Sancti Baſilij militabant. Inſigne fuit torques è conchis compacta, à qua maior alia concha pendebat.

70 Ordinem Militarem *Seraphinorum* Gothi in Suecia erexerunt, vt Fidem, & Regnum tutarentur. Teſſera fuit torques è quatuor Seraphinis compoſita, inter quos Cruces Patriarchales intexebantur, & Crux alia ex illis pendebat. Fides ibi, & hic Ordo emarcuerunt. De quo agit Olaus Magnus *lib.2. cap.25.*

71 In eadem Suecia Reges aliam extruxerunt Militiam *Enſium*; torques enim in enſem deſinebat, & ex enſibus conficiebatur. Lutheri hæreſis in eo Regno, & Religionem Catholicam, & Militias huiuſmodi deturpauit; teſte Ioſepho Micheli *vbi ſuprà fol.93.*

72 Ordinem militarem *Armillini muris* erexit Neapoli Rex Ferdinandus anno 1463. Inſigne fuit torques ex auro, & luti effigie compoſita, pendebatque armillinus, eis verbis appoſitis, *Malo mori, quàm fœdari.* Meminere illius Ioannes Pontanus *lib.1. de bello Neapolit.* Angelus Paca *de Ordinib. & Societatib. Militar.*

73 Carolus VI. Rex Galliæ inſtituit Militiam Hyſtricis, anno 1430. vt Orbi demonſtraret, ſe ab omnibus laceſſitum, ſe ſolo defendendum, ad inſtar hyſtricis, qui cuſpides è toto corpore iaculatur contra circumdantes ipſum, quibus ſe protegit, & liber euadit; Inſtitutum tamen Militiæ fuit defenſio fidei; & teſſera hyſtrix à torque pendens. Conſule Ioachinum Camerarium *in Emblemat. fol.5.*

§. XXXI.

Aliqui Ordines, ſeu Militiæ extra Hiſpaniam inſtituta, non approbata, ſeu de quarum approbatione Pontificia non conſtat.

Militiam Equeſtrem profanam erexit Arturus Catholicus Rex Angliæ *Equitum menſæ circularis*, ad quam, niſi viri inſignes bello non aſſidebant, nec admittebantur. Nullum ſpeciale Inſigne eorum reperio. Vide Gotfredum *de rebus Scoticis lib.9.* 74

In eodem Angliæ Regno, olim piiſſimo Franciſcus Primus Dux Britanniæ cum aliis Nobilibus ſuis manibus ſerebant, & metebant triticum,ex quo hoſtiæ Euchariſticæ erant conficiendæ,& anno milleſimo quadrageſimo, & quinquageſimo, inſtituit Ordinem Militarem *Spicæ*; Cuius Inſtitutum fuit, illud ipſum præſtare Sacrum Euchariſtiæ Sacramentum comitari, cum ad infirmos deferebatur, & toto tempore tyrocinij, diu, noctuque ante ipſum Sacramentum diuiſim aſſiſtere. Sub regula S. Auguſtini degebant. Teſſera fuit Crux ex ſpicis formata, & armillinus ex ea ſuſpenſus, ſuper togam albam, & epigraphe *Potiùs mori.* Annales Britanniæ poſſunt conſuli. 75

Bohemiæ Reges, vt hæreticos frangerent, & Turcas terrerent, erexerunt Ordinem Militarem *Diſciplinæ* ſub regula S. Baſilij, quamuis abſque Apoſtolica approbatione; verùm priſcis temporibus ante Concilium Lateranenſe approbatio Epiſcopi ſufficiebat, quæ, vtrùm in hac, & aliis Militiis ſimilibus fuerit obtenta, ignoratur. Teſſera erat Aquila alba in Fidei ſymbolum. Agit de hac Militia Mennenius *de del Equeſtr. fol.96.* 76

Militiam *Argonautarum* inſtituit Carolus III. Rex Neapolis, vt Religionem Chriſtianam protegerent, & ſeditiones, quæ tunc ſæuiebant, placarent. Inſigne fuit Nauis in tempeſtate fluctuans, & Epigraphe, *Non credo tempori*; ſuper togam albam. Vix ille obiit, & Militia defecit. Ita Pandolphus Colenducius *lib.5. hiſt. Neapolit.* 77

Equites *del Tuſiño* ab Archiducibus Auſtriæ fuerunt inſtituti, vt omnes excitarentur ad propulſandos Turcas, & hæreticos ex eis Prouinciis. Profitebantur Caſtitatem coniugalem, & Obedientiam ſub Regula S.Baſilij. Teſſera fuit ſuper togam rubram Crux viridis in formam Crucis de Monteſa, Magiſtri fuerunt Archiduces. Meminit huius Militiæ Hieronymus Meſegerius *in Annalib. Auſtriac.* 78

79 Militiæ *Cygni* erector in Belgio fuit Salucius Brabon, eo fine, vt inter vicinos Principes maximè inter ſe diſſidentes firmaretur vnio. Inſigne fuit Cygnus ſuper rogam nigram. Ita Richardus Vvaſeburg. *in antiquitat. Belgic.*

80 Militiam *ſtellæ* ſub patrocinio trium Regum Magorum erexit in Gallia eius Rex Ioannes Valleſius anno 1352. Cuius inſtitutum fuit, fidem tueri, miſeris ſuccurrere, inuiſere ægrotos, & ſepelire defunctos. Profitebantur Equites Caſtitatem coniugalem, & Obedientiam ſuo Magiſtro. Pro teſſera geſtabant ſtellam deauratam, & eam inſcriptionem, *Monſtrant Regibus aſtra viam*. Vide Mennenium *vbi ſuprà fol.* 56.

81 Non facilè innenies, quis fuerit Inſtitutor Equitum *Calcaris*. Aliqui affirmant, à Conſtantino Magno originem eos ducere, vtpotè qui calcaria ei miniſtrabant, & circa eum cuſtodes aderant. Alij aiunt, inſtitutos fuiſſe à Pio IV. anno 1560. nuncupatoſque *Pios* ; & deſtinatos ad ferculum Pontificis ſuper humeros deferendum. A Pontificibus Habitus conceditur, cuius inſigne eſt Crux ex filis aureis contexta, inſtar Melitenſis, & circa extremitatem exiguum calcar. Hi Equites etiam appellati fuerunt Commenſales. Vide Petrum Beloïum *in origine Militiarum*.

82 Militiam *Ampullæ* in Gallia inſtituit Rex Clodoueus, ad cuius vnctionem in Regem, refertur, Angelum è cœlis ei ampullam olei aduexiſſe, in cuius honorem ſub patrocinio Sancti Remigij eos Equites deſignauit, qui comitarentur olei ampullam, quoties Reges eſſent vngendi ; Quatuor omnino ſunt, & filij parentibus in Equeſtri dignitate, & amplis redditibus ſuccedunt. Vide Ludouicum Gotofredum apud Ioſephum Micheli *in theſauro militari, fol.* 77.

83 Militiam Sancti Georgij apud Genuenſes Federicus III. erexit. Inſigne eſt Crux rubra inſtar Crucis Monteſæ ; Duces Reipublicæ ſunt Magiſtri ; ſub regula Sancti Auguſtini fuit militia fundata, & ſub aduocatione Sancti Georgij, eiuſque inſtitutum eſt, pro Fide Catholica, & ſuæ Reipublicæ defenſione pugnare. Iniuria temporum, & aſſidua Ducum mutatione hæc militia nutat. Legatur Mennenius *de delit. Equeſtrib. fol.* 50.

84 Militiam *de la Gineta*, quæ Hiſpanè eſt animalculum *Ardilla*, fundauit in Gallia Rex Carolus VI. anno 738. & teſſera fuit idem animalculum à torque pendens, vt eius inquietam viuacitatem Equites æmularentur in expellendis à Gallia Mauris, & Fide tuenda. Legatur Petrus Beloïus *vbi ſuprà, cap.* 10.

Militiæ S. Mariæ, & Elephantum in Dauia Chriſtianus I V. Rex, & ſimul Imperator dedit exordium ad defendendum Religionem Catholicam, & Regni confinia. Torques ex Crucibus Patriarchalibus intexitur amplectentibus elephantem, à quo effigies Deiparæ pendet circumdata tribus ſacris clauis Chriſti D. Conſule Mennenium *vbi ſuprà fol.* 77. 85

Militiam *del Cardo*, ſeu S. Mariæ in Burgundia inſtituit, ſeu inſtaurauit Ludouicus II. Dux eiuſdem Burgundiæ, & pro teſſera dedit Equitibus in Africa, quò ad pugnandum contra Mauros expeditionem parauit, ſtrenuè bellantibus torquem ex auro, & argento compactam ; pendebat effigies Deiparæ, & ad vtrumque latus aſſurgebant lilium, & cardus, & inſuper in Cruces deſinebant. Meminit huius Militiæ Cominæus *lib.* 2. *cap.* 8. 86

Militiæ S. Blaſij in Palæſtina, ſeu aliàs S. Mariæ, ſub Regula S. Baſilij fundatæ Authorem non reperio. Inſtitutum eius fuit, debellare Hereſiarchas, & fidem tutari ; Teſſera verò Crux rubra, & intra ipſam effigies S. Blaſij. Legatur Ioſephus Micheli *in ſuo theſauro, fol.* 77. 87

Militiam *Canis*, qui ſymbolum eſt fidelitatis, ad Fidem protegendam erexit in Gallia Lisbius Montmorenciacus filius Regum Libiæ, & pro teſſera dedit canem ex torque pendentem. Poſtmodùm alia prodiit Militia *Galli Gallinacei*, qui è torque ſuſpendebatur cum Epigraphe *Vigiles* ; Coniunctæ ſunt ambæ militiæ, Galluſque, & canis ſimul pendent à torque. Ita Petrus Beloïus *in origin. Milit. c.* 11. 88

Militiam fœmineam *Funis* inſtituit in Anglia Regina Anna, vt fœminæ, de quarum nobilitate informatio præcedebat, accinctæ fune pro teſſera ad Eccleſiam conuenirent, orationibus, & armis ſpiritualibus Hereſiarchas debellaturæ. Extincta eſt ibi cum Fide hæc Congregatio, quam Militiam (locurio tamen eſt metaphorica) nuncupat Ioannes Ludouicus Gotofredus *in Archontologia Coſmica fol.* 14. *lib.* 3. 89

Pagani etiam, & Infideles ſuas Militias Equeſtres habent. In Iaponia ſunt *Nengori* bello inſignes, in quorum Oppida nulla fœmina ingreditur, teſtante Emanuële Faria de Souſa *in Aſia Luſitana, tom.* 2. *part.* 3. *cap.* 7. *num.* 24. Apud Turcas Imperator Magnatibus concedit torquem è Lunæ ſemicirculari multiplicata contextam, à 90

qua

qua ipſius Imperatoris pendet effigies. Permanet etiam apud ipſos alia Militia *Lunæ Bizantinæ*, quam ſucceſſores Conſtantini Magni ſub Regula S. Baſilij inſtituerant, & teſſera fuerat labarum, & Luna ſemiplena à torque pendens; Turcæ Labarum ſuſtulerunt, & Lunam afferunt. Ita Sanſouinus *in hiſtor. Turcar.* Apud Indos Limenſes Imperatores Motezumæ Proceribus folium aureum concedebant, quod pendebat ex auribus, & inde *Auriculares* nuncupabantur, qui ſoli cum Imperatoribus negotia grauia gerebant. Sic Mennenius *vbi ſuprà fol.* 32. Qui etiam refert apud ipſos Limenſes fuiſſe Equites *Tenclides*, quibus nares perforabantur, & ex vno latere roſtrum aquilæ, & ex alio os tygridis geſtabant, & in auribus aureas murenulas ex quibus ſingulis vnio pendebat.

QVÆSTIO III.

De Regia Militia Equeſtri Velleris Aurei, Hiſpanè del Tuſon.

91 PHilippus I. Dux Burgundiæ, qui ob eximias virtutes *Bonus* fuit cognominatus, anno 1430. in Oppido de Tomer, in Eccleſia S. Bertini, inſtituit egregiam Militiam Velleris aurei, quaſi præ oculis habens vellus Gedeonis, eximij Iſraëlitarum Ducis, in quo Deiparam Immaculatam, cui ipſe Philippus erat addictiſſimus, fuiſſe adumbratam, Eccleſia concinit; quare in eius honorem ſub patrocinio S. Andreæ Apoſtoli fundamenta Militiæ poſuit, quæ ſtrenuè pro Religione Catholica partes ágeret, ipſeque primus eius Magiſter, hoc munere ſuis ſucceſſoribus reſeruato, qui ſoli poſſent admittere in Militiam nobiliſſimos Dynaſtas; Teſſera autem eſt torques aurea ex ſilicibus, & excuſſoriis aureis compacta, agnuſque ſuo vellere ornatus ab illa pendens. Eam torquem priùs ſolum ex ſilicibus aureis contextam Carolus Audax, ſecundus Ordinis Magiſter excuſſoriis adauxit, & hæc verba inſculpſit; *Ante ferit, quàm flamma micet*.

92 Magiſtros habuit hæc Militia Philippum I. Ducem Burgundiæ: Carolum Audacem; Maximilianum Imperatorem; Carolum V. Reges Philippum II. Philippum III. & Philippum IV. nunc, & vtinam diu, ſuperſtitem; quibus Magiſterium obtigit ob legitimam ſucceſſionem in Ducatu Burgundiæ, illudque ſuis literis Pontificiis confirmarunt Gregorius XII. & Clemens VIII.

Hæc Militia non eſt Ordo, ſeu Religio 93 cum in ea non emittantur tria vota ſubſtantialia; ſolummodoque in admiſſione emittitur iuramentum obediendi Magiſtro, ac fidelitatis, & conſeruandi magnitudinem, & ſplendorem Militiæ; In quam nequit admitti vllus, qui alium Ordinem Militarem profiteatur, exceptis Regibus, ſeu Principibus, qui aliorum Ordinum ſunt Magiſtri, vel Adminiſtratores. Tenentur Equites in defenſionem Magiſtri, ſeu, cum ille pro Religione Catholica bella gerit, arma ſumere, & inuicem ſeſe Equites iuuare, ſi aliquis iniuſtè offendatur. Alia etiam ſtatuta Militia ſeruat, quæ in ingreſſu Equitibus cuſtodienda proponuntur. Numerus admittendorum fuit olim exiguus; at Imperator Carolus V. cum Comitia generalia Militiæ Bruxellis celebraret, anno 1516. ſtabiliuit, vt quinquaginta vnus Equites admitti poſſent. Ex priuilegio ſpeciali gaudent proprio foro, ita vt ſolus Magiſter ſit eorum Iudex. Cum aliquis eorum migrat è vita, torques cum vellere aureo ad Regem, vt Magiſtrum, mittitur; ipſeque, eum in Ordinem admittit, torquem concedit. Agunt de hac inſigni Militia Pontus Euterus *de initiis tumultuum Belgicor. lib.* 1. Mennenius *de del. Equeſtr. fol.* 58. Ioſephus Micheli Marquez *in Theſauro Militari Equeſtri fol.* 85. Sanſouinus, & plures alij.

QVÆSTIO IV.

De Ordinibus Militaribus, ſeu Militiis in Hiſpania olim erectis & iam extinctis.

GArſias Ximenez, primus, poſt Mauros à ſe deuictos, Nauarræ Rex inſtituit anno 722. Militiam nuncupatam *de la Encina*, cuius teſſera fuit hæc ipſa arbor, & ſupra eam Crux rubra inſtar Crucis de Monteſa; eo quòd aſſeratur, ei contra Mauros bellum paranti Crucem ſupra quercum apparuiſſe. Plures hanc Militiam ſecuti fuerunt, & ea Commendis ditabatur. De qua Ioſephus Micheli *in Theſauro Militari, fol.* 16. 94

Militiam *liliorum* ſub regula S. Baſilij 95 erexit Sanctius IV. Rex Nauarræ anno 1023. in honorem immaculatæ Deiparæ Virginis, vt Fidem Catholicam propugnaret aduerſus Mauros. Teſſera fuit ſupra togam albam effigies Annuntiationis Deiparæ intra duo lilia. Eius meminerunt Hieronymus Roman, Guarini, & alij.

96 Militiam, ſeu Ordinem Militarem *Saluatoris* in Aragonia fundauit Rex Alfonſus Caſtellæ anno 1118. vt auxilium ſibi cœleſte pararet ad expellendum Mauros à Cæſaraugusta, & aliis oppidis, quod obtinuit. Teſſera fuit ſupra habitum candidum effigies Saluatoris. Profitebantur Equites obedientiam, & Caſtitatem coniugalem. Sed de approbatione Pontificia non conſtat. Videantur Zurita *in vita Regis Alfonſi*, & Beloius *de rebus Aragoniæ*.

97 Militiam *Alæ* inſtituit in Luſitania Alphonſus I. Rex, ſub patrocinio S. Michaëlis, vt Mauros Hiſpalenſes ſibi infeſtiſſimos ſubiugaret. Nobilitas ſanguinis requirebatur in Equitibus, qui ſub Inſtituto Ciſtercienſi, & regula S. Benedicti militabant; Inſigne erat Ala (qua S. Michaël ornatus depingitur) purpurea, intermicantibus radiis aureis. Inſtitutio Militiæ fuit anno 1165. Ita Fr. Angelus Manriquez *in Annalibus Ciſtercienſ. tom. 2. anno* 1167. *cap.* 8. Brito, Brandonius, Aldanus allati à Barboſa *in ſumma Apoſtolicar. deciſ. collectan.* 307. Circa teſſeræ effigiem, & inſtitutionis annum diſſidet Ioſephus Micheli *vbi ſuprà fol.* 35.

98 Militiæ *Squammæ* ignoratur Inſtitutor; Aliqui ſuſpicantur, fuiſſe Regem Ioannem II. circa annum 1420. vt nobiles Regni alliceret ad pugnandum contra Mauros; alij inſtitutionis deſignant annum 1318. Inſigne fuit ſuper togam candidam Crux ex Squammis confecta. Vide Hieronym. Roman. 1. *part. Reip. lib.* 7. *cap.* 12.

99 Militiam, Ordinemque Militarem *B. Mariæ de Mercede* ad redimendum captiuos inſtituit Iacobus I. Rex Aragoniæ, auxiliantibus S. Raymundo de Penafort, & S. Petro Nolaſco anno 1218. & confirmauit Gregorius IX. anno 1230. Admittebantur Equites, qui profitebantur Caſtitatem coniugalem, Obedientiam, & Redemptionem Captiuorum. Iam verò hi defecerunt, & remanſit, viguit, ac floret illuſtris Religio Beatæ Mariæ de Mercede, vndique clara. Vide Zurium, P. Mariana, Micheli, Marquez, & plures alios de eis Equitibus agentes. Aliqui hos duos Ordines in vnum confuderunt, ſed diuerſos eſſe, oſtendit Benedictus Haëftenus *in diſquiſitionibus monaſticis, lib.* 2. *tract.* 6. *diſquiſ.* 5. Videndus tamen Reu. F. Marcus Salmeron in libro *Recuerdos hiſtoricos, y politicos, &c.* præcipuè *ſiglo* 1. *recuerdo* 4.

100 Militiam *del Roſario* erexit Toleti Rodericus Archipræſul Toletanus, ſub Regula S. Dominici, vt Mauris eam vrbem continuò inuadentibus obſiſterent. Teſſera fuit effigies B. Mariæ del Roſario, & infra ipſam Crux alba, & nigra, inſtar eius, quam geſtant Miniſtri Tribunalium Sanctæ Fidei. Tenebantur Equites quotidie percurrere Roſarium in honorem Virginis. Vide Mennenium *vbi ſuprà, fol.* 35.

Equites nuncupati de *Truxillo* iuxta aliquos, originem ducunt ab anno 1227. à quo Inſtitutore, non conſtat. Alfonſus Rex eis conceſſit Oppidum de Truxillo, & alia loca. Ait Ioſephus Micheli *in Theſauro Militari, fol.* 171. hanc conceſſionem fuiſſe peractam Æra Cæſaris 1233. Verùm hic error Typographi fuerit, cum ea Æra inciderit in annum 1195. quo, fatetur ipſe, adhuc hos Equites non fuiſſe inſtitutos. Addit ipſe, non niſi nobiles ad hanc Militiam admitti, & Regem in bellis tunc circumſtare; De Teſſera eſſe compertum, & aggregatos fuiſſe Militiæ Calatrauenſi; Hæc ait Micheli; ſed non ſatis rem euoluit. Etenim cum Alfonſus Rex Caſtellæ optaret, Equites, & Religioſos Sancti Iuliani del Pereyro (nunc vocatos Alcantarenſes) è Regno Legionis ad ſuam etiam Caſtellam adducere, eis donauit Oppidum, & arcem de Truxillo, indeque Magiſter Ordinis vocabatur *Magiſter del Pereiro, y Truxillo*. Quare hi Equites erant Iulianei, nunc dicti Alcantarenſes. Occupatum fuit illud Oppidum à Saracenis intra biennium, & Equites inde pulſi. Ita Fr. Angelus Manrique *tom.* 3. *annal. Ciſtercienſ. fol.* 286. *in fin. & fol.* 307. Reges deinde donarunt Ordini de Alcantara, Oppidum *de Magacela*, loco Oppidi *de Truxillo*. 101

Militia S. Bernardi ignoratur quænam fuerit. P. Mariana *tom.* 2. *fol.* 75. mentionem facit de Magiſtro S. Bernardi, qui partes Henrici Regis ſecutus eſt, & ideò occiſus à Rege Petro eius fratre; ac ob necem, ait, fuiſſe Regem à Pontifice excommunicatum. Addit verò, notitiam huius militiæ fuiſſe extinctam, & in vnico Authore reperiri confuſam; Ipſe verò coniecturaliter cenſet, aliquos populos, vulgò *de Behetria*, cum timerent, à Rege donari aliis ipſorum dominium, inter ſe conueniſſe, & conſtituiſſe Militiam, vt ſuam libertatem defenderet, & ad inſtar aliarum Militiarum elegiſſe Magiſtrum, & aduocationem, ſeu patrocinium ſimul S. Bernardi. 102

Militiam *Columbæ* inſtituit Segouiæ in Eccleſia Matrice S. Ioannes I. Caſtellæ Rex anno 1383. (quamvis circa annum idem ſit error apud Ioſephum Micheli, *fol.* 82. ac nuper poſitus; nam ait, inſtitutionem contigiſſe Æra 1383. & anno Chriſti 1390. quæ nòn cohærent;) Teſſera fuit columba radiis 103

radiis circundata è torque dependens: Eqnites profitebantur Caſtitatem coniugalem, & defenſionem Religionis Catholicæ contra Mauros. Ob eundem finem Rex ipſe eodem anno erexit Militiam appellatam *de la Razon*, cui nomen, niſi nobiles notoriè, non dabant; &, cum Rex ad bellum procedebat, geſtabant ipſi haſtas, in quarum extremitate vexillum exiguum peudebat. Videatur Hieronymus Roman. *lib.7. de Repub.*

104 Militiam nuncupatam *de la Iarra*, ſeu *de las Azuzenas* erexit in Aragonia anno 1403. eius Rex Ferdinandus, dictus Infans *de Antequera*. Teſſera fuit effigies Deiparæ *de la Antigua*, (quia in ipſius Templo in Oppido de *Methincampenſe* fundamenta Militiæ iecit) inter duo Lilia, quæ in gryphes deſinebanr, à torque aurea pendens. Inſtitutum erat pugnare contra Mauros, & opem ferre pupillis, ac viduis. Ita Zurita *lib.12.c.30.* Hieronymus Roman. *vbi nuper.*

105 Militiam *Burgundiæ* inter Hiſpanas recenſemus, quia eius fuit Author inuictus Imperator Carolus V. anno 1535. in Africa, poſt ſubiugatum Regnum *de Tunez*, vt præmium militare Magnatibus indulgeret. Quare eis torquem auream conceſſit, à qua Crux Burgundiæ pendebat, & ſimul excuſſorium, ac ſilex flammis circumdatus, & hæc vox ſubſtabat, *Barbaria*. Meminit huius Militiæ Mennenius *vbi ſuprà*, *fol.* 83.

106 Fœminæ etiam Hiſpanæ Viros ſunt æmulatæ, vt pro conditione, & ſtatu, auxilium, quod poſſent, armis ſpiritualibus miniſtrarent, quibus Religio Catholica caput extolleret, Mauri ſubiugarentur, & adaugerentur triumphi. Hinc Tortoſæ, in Catalaunia, cum fœminæ Mauros eam Vrbem inuadentes, fœmineo ornatu reiecto, & virili aſſumpto, procul amandaſſent, in memoriam victoriæ, Don Ramon Berenguel vltimus Comes Barchinonæ earum fœminarum Congregationem, ſeu quaſi militiam formauit, dictam *de la Hacha*, quia in capite geſtabant purpuream facis formam. Exemit eas à tributis. Præcedebant ipſæ Viros in actibus publicis, aliiſque prinilegiis potiebantur.

Lege Franciſcum Mortel de Luna *in hiſtoria Tortoſa*, *lib.1. cap. 29.*

* * *

QVÆSTIO V.

De Inſtitutione Ordinis Militaris Sancti Ioannis Hieroſolymitani.

OBtinuit à Saracenis vrbem Hieroſo- 107
lymas Gotofredus Dux Lotharingiæ, & de Boüillon, Regiſque corona, & nomine fuit donatus, eiuſque ſucceſſores per octoginta nouem annos Regnum Hieroſolymitanum poſſederunt, nempè à die 15. Iulij, anni 1099. vſque ad diem ſecundam Octobris anni 1187. quo Saladinus, Ægypti Dominus, vrbem Sanctam cepit, nunquam deinceps à Chriſtianis recuperatam. Eo igitur tempore, quo à Chriſtianis Hieroſolymæ poſſidebantur, ex toto Orbe ad loca Sacra inuiſenda peregrinorum multitudo confluebat. Hinc piiſſimo zelo certatim Viri nobiles Congregationes, ſeu Militias inſtituerunt, alij quidem, vt viam tutam ab hoſtibus redderent: alij, vt Sepulchrum Sanctum cuſtodirent; alij, vt ægrotantibus ſubuenirent. Igitur Xenodochium Hieroſolymitanum Sancto Ioanni Baptiſtæ dicatum, prope antiquum Salomonis Templum, donatum eſt Equitibus, qui peregrinorum infirmantium curam ſuſciperent, dummodò ægritudini non ineſſet contagium; nam aliud Xenodochium, ſub cura Equitum S. Lazari, deſtinatum fuit contagio laborantibus. In illo ergo Xenodochio inſtitutus eſt Ordo S. Ioannis, ſic nuncupatus à S. Ioanne Baptiſta, ſub cuius aduocatione fuerat extructum Hoſpitale; A quo etiam non ſemel Hoſpitalarij vocantur, & ſub hoc nomine Equites S. Ioannis intelliguntur. Hoſpitale ipſum fuiſſe erectum ab Inſtitutore Ordinis, aliqui affirmant. Abulenſis *in comment. epiſt. D. Hieronymi ad Paulam, cap.7.* aſſerit; *Cœnauit Dominus cum Apoſtolis, & nunc ibi Domus illa, à qua incipit Ordo, qui dicitur Hoſpitalariorum.* Itaque in Cœnaculo hic Ordo inſtitutus eſt; quod maximæ eſt commendationis. Videatur Don Gomez Arias de Meſa in libello *Auiſos morales, pag.6.*

Inſtitutor Ordinis fuit Gerardus, ſan- 108
guine illuſtris, natione Gallus, ex Prouincia Toloſana, anno 1099. Confirmatus fuit Ordo à Calixto II. anno 1120. & ab Honorio II. anno 1125. & deinde à ſequentibus Pontificibus auctus, & donatus innumeris gratiis, & priuilegiis, quæ poſſunt videri apud Barboſam *in ſumma Apoſtolicar. deciſ. collectan.* 314. & in Bullario ipſius Ordinis,

Digitized by Google

noſque aliqua in hoc opere attingemus.

109 Occupata à Saladino vrbe Hieroſolymitana, exireque coactis his Equitibus, domicilium collocauere primùm in vrbe *de Tripol*, deinde in vrbe *de Acre*, olim dicta *Ptolomaida*, exindeque aliquandiu vocati fuerunt Equites *de Acre*. Iam tunc, qui in primo exordiu de ægrotantibus dumtaxat curabant, cum numero creuiſſent, & Regum Chriſtianorum fauore, doniſque, ac diuitiis cumularentur, pluribus Viris Nobilibus vndique illuc conuenientibus, vt pio adhuc Inſtituto, quod ſub Regula S. Auguſtini fuit ſtabilitum, ſuum nomen darent, præter Infirmorum curam, arma aduerſus Infideles ſumpſerunt, & agmine facto, pluries cum illis congreſſi inſignes triumphos reportarunt; Et, cum eos iam illa Prouincia non caperet, tum ob Saraceenorum oppreſſionem, tum ob Equitum multitudinem, plures ad diuerſa Regna commigrarunt, & Regum militiam comitantes, ſtrenuè ſe cum hoſtibus geſſerunt. Multi ad noſtram aduenere Hiſpaniam, & Regibus ſuppetias tulerunt aduerſus Mauros, miſerabili clade Regnum vexantes. Hinc Reges, & alij eos pluribus diuitiis, ditionibus, ac redditibus cumularunt, & in Hiſpania opulentè fuerunt ditati, in obſequiorum remunerationem.

110 A tota deinceps Palæſtina expulſi anno 1291. cum pluribus Chriſtianis ad inſulam Cypri appulerunt Equites illi, qui in Orientalibus Prouinciis remanſerant; & bellum per mare parantes inſulam Rhodum vi armorum Turcis eripuerunt, anno 1308. Quàmvis nonnulli enarrent, cam inſulam à Chriſtianis Occidentalibus obtentam, à Pontifice Clemente huic Ordini fuiſſe donatam. In ea ſuam præfixere præcipuam ſedem, ibique conſtiterunt per annos 214. & Equites Rhodienſes fuerunt nuncupati, nomine ab Inſula deſumpto. Cæterùm die 25. Decembris, anno 1522. Turcæ eam Inſulam recuperarunt, poſt longam obſidionem, ad quam cunctas ſuas vires Africa parauit. Honorificis inde conditionibus exeuntes dono acceperunt ab inuicto Hiſpaniarum Rege Carolo V. Imperatore, inſulam Melitenſem, & in dominij traditi, & accepti ſignum, quotannis in feudum, auem venaticam, Hiſpanè *Azor*, mittunt ad Reges Hiſpaniæ, in Siciliæ Regno eam tradentes; Epiſcopuſque Melitenſis à Rege noſtro eligitur vnus ex tribus, quos ex ſuo Ordine magnus Magiſter præſentat. Ex ea Inſula dicti ſunt Equites Melitenſes; ſeruato quippè nomine Equitum S. Ioannis, varia cognomina ex variis ſedibus mutuarunt.

In Inſula igitur Melitenſi, in mari Ionio, non longè ab Africa, & à Sicilia, ſedem Ordo præfixit; Magiſter ibi magnus inhabitat, ſub nullius alterius Principis poteſtate conſtitutus. Voce *Eminentia*; vt Cardinales, ſalutatur; Inſulæque Dominus, & merum, ac mixtum Imperium erga omnes ſubditos habens, inde Ordinem gubernat. Inſigne ibi Xenodochium pro ægrotantibus eſt extructum, vt primæuo Inſtituto ſemper Equites, ac Religioſi inſiſtant, quare & nunc meritò Hoſpitalarij vocantur. 111

Auctus fuit elapſis temporibus hic Ordo, quia Innocentius VIII. ſuppreſſit, & ei vniuit Ordinem Militarem Sancti Sepulchri, & Ordinem S. Lazari Hieroſolymitani, & Domum de Montemorillon, Ordinis S. Auguſtini in Pictauienſi diœceſi, cum omnibus prædictorum Ordinum, & Domus redditibus, Magiſtratibus generalibus, Archiprioratibus, Prioratibus, Præceptoriis, & omnibus aliis ad eos ſpectantibus; Cuius aggregationis mentionem facit Pius IV. in Bulla, quæ incipit, *Circumſpecta*, & extat in Bullario Ordinis *pag.* 1. Prætereà extinctis Templariis, plurima eorum bona, maximè extra Hiſpaniam, huic Ordini ex Pontificia largitate accreuere. 112

Hinc per omnia Regna, & Prouincias Ordo propagatus, pluribus, ac ingentibus redditibus, ditionibus, Domibus, Eccleſiis, iuriſdictioneque ditatur. Diuiſus Ordo eſt in octo linguas, ſiue Nationes; & in viginti Prioratus; ſexcentas quinquaginta tres Commendas poſſidet, & ex illis non paucas, nec exiguas in noſtra Hiſpania, in qua etiam ſunt Monaſteria Clericorum Fratrum huius Ordinis, & Monialium; Collegium itidem Salmanticæ habent, vt in prima Orbis Academia Salmantina literarum ſtudiis inſtruantur. Duo etiam ſunt Prioratus magni, alter Caſtellæ, alter Nauarræ. Officia autem Ordinis, vt refert Claudius Robertus *in Gallia Chriſtiana, tit. de Generalib. Ordinum*, ſunt Magnus Magiſter, Magnus Commendatarius, Mariſchalus, Hoſpitalarius, Theſaurarius, Magnus Baiuliuus, Cancellarius, & Prior Eccleſiæ Ordinis. 113

Conſtat Ordo Equitibus, & Fratribus Clericis, quorum Teſſera eſt Crux alba, cuius quatuor brachia in extremitate extenduntur, & in rectam lineam deſinunt. Sunt prætereà alij, velut in famulantes admiſſi; Hiſpanè vocantur *Sirmentes*, & hi quidem afferunt Crucem non ex quatuor, 114

ſed

ſed ex tribus brachiis compactam. Toga Capitularis Ordinis eſt nigra, ſupra quam Crux candida eſt affixa. Inter ipſos Equites ſunt, qui Magnis Crucibus ornantur, è quorum numero Magiſter eligitur; Cæteros præcedunt, & ex Baiuliuis conſtat Senatus ſupremus collateralis magni Magiſtri; Hi quidem, & Priores Equites, & illi, quos *nuper* diximus, Officia Ordinis exercere, magnas Cruces afferunt, & ſpeciali titulo vrbanitatis ſalutantur. Præcepit autem Paulus V. in Bulla, quæ incipit *Accipimus*, & affertur à Laërtio Cherub. *tom.*3. *Bullarij, pag.*217. vt in promotione ad magnam Crucem ratio meritorum magis, quàm antiquitatis in Ordine habeatur.

115 Commendæ optantur ab antiquioribus, nullusque eorum eſt capax, qui in triremibus, quibus Equites Melitenſes mare tranſcurrunt, vt Turcas, ac pyratas propulſent, non militauerit, & fecerit, quod Hiſpanè dicimus, *las carabanas*; niſi Magiſtri magni famulitio vacet, aut ab eo diſpenſetur; Ille etiam antiquitatis tempus ſolet aliquod donare, vt citiùs quis promoueatur ad Commendam.

116 Non ſolùm Fratres Clerici, ſed etiam Equites vouent Caſtitatem abſolutam, & ſimul Obedientiam Magno Magiſtro, & Paupertatem, ſeu viuere ſine proprio. Nec teſtamenta, cum obeunt, condere poſſunt; ſed eorum bona, præter ea, quæ à Commendariis relicta ad reſtaurationem, & reparationem Commendarum debentur, ad Ordinem deuoluuntur, & ad ea recipienda, aliaque exequenda munia Equites deſtinantur pro determinatis territoriis, qui vocantur Hiſpanè *Recibidores de S. Iuan.*

117 Ad Magiſtrum Ordinis ſpectat beneficiorum collatio, & cauſarum cognitio, habet enim iuriſdictionem ſpiritualem, ac temporalem erga omnes ſui ipſius Ordinis Regulares, vt conſtat ex Bulla Pij IV. *ſuprà relata.* Equites verò Melitenſes à iuriſdictione Ordinariorum ſunt exempti, quin eos, & à ſolutione decimarum *ibidem* Pontifex immunes reddit. Vbi autem iuriſdictione ſpirituali, & temporali gaudent, nequeunt Ordinarij ſe ad viſitationem introducere, vt ſacra Concilij Congregatio declarauit, teſte Armendarlz *in addition. ad recop. leg. Nauarræ lib.*1. *tit.*6. *de viſit.* §. 2. *num.*94. At viſitare poſſe Eccleſias Parochiales Ordinis, quo ad curam, & adminiſtrationem Sacramentorum, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatos, etiam ſi Religio habeat temporalem iuriſdictionem, decreuit Pius V. in Bulla, quæ incipit, *Expoſcit*, & extat in Bullario Ordinis, *pag.*56. Quarè ea declaratio Cardinalium ita intelligi debet, vt Ordinarij nequeant viſitare eas Eccleſias, præcisè qua Ordinarij ſunt; cum quo ſtat, poſſe eas viſitare, quà Sedis Apoſtolicæ ſunt delegati, & ſeruata forma deſignata à Pio V. de quo tamen *inferiùs.*

Ita autem exempti ſunt Equites Meli- 118
tenſes ab Ordinariorum, & aliorum iuriſdictione, vt, licèt quis ex illis percuteret Clericum ſubditum Epiſcopi, hic non valeret eum excommunicatum declarare, eſto poſſet ſuis ſubditis præcipere, ne eum intra Eccleſiam admitterent, vt Sacra Congregatio Concilij declarauit, quam refert Lezana *in ſumm. qq. Regular. tom.*2. *cap.*5. *n.*39. Quin & ſi Eques Melitenſis aſſaſſinij criminis reus foret, nec Iudex Laïcus, nec Eccleſiaſticus poſſent eum declarare eius delicti reum, ſed cognitio ſpectat ad Superiores Ordinis, iuſto Epiſcopo loci: Ita Clemens VIII. in Bulla, quæ incipit *Æqua*, expedita anno 1595. affertur que à Laërtio Cherub. *tom.*3. *Bullarij, pag.*52.

Poſſunt Equites Melitenſes Iudices 119
Conſeruatores eligere, vt conceſſit Vrbanus VIII. in Bulla, quæ incipit *Exponi*, edita die 17. Februarij, anno 1628. quam affert Angelus Maria Cherub. *tom.*3. *Bullarij, pag.*92. Aliquæ circa eiuſmodi Conſeruatores difficultates videri poſſunt apud Lauret. de Franchis *de controuerſ. inter Epiſcop. & Regular. pag.*178. Alexandrum Sperell. *in deciſ. fori Eccleſiaſt. deciſ.* 21. Et de his omnibus *inferiùs* latè agemus.

Equites Melitenſes eſſe propriè, & 120
ſtrictè Religioſos (quod de Equitibus aliis Militiarum ſub lite eſt) docent plurimi, adhuc ex illis, qui cenſent, aliarum Militiarum Equites, non vouentes Caſtitatem abſolutam, non eſſe ſtrictè Religioſos; Ita multi, quos refert, & ſequitur P. Thom. Sanchez *in ſumm. tom.*1. *lib.*2. *cap.*16. *num.*11. Nicolaüs Garcia, Cenedo, Nouarius, Aloyſius Riccius, & alij, qui referuntur à Barboſa *in ſumma Apoſtolic. deciſ. collect.*314. *num.*19. *de Iure Eccleſiaſt. lib.*3. *cap.* 7. *num.* 29. *& in tract. de appellatiu. verborum ſignif. appell.*233. *num.*6. Hinc inferunt Ioannes Sanchez *in practic. diſput. cap.*49. *ex num.*11. Nouarinus, Aloyſius Riccius, Barboſa, & alij, poſſe hos Equites confiteri cum Sacerdote Regulari approbato à ſuo Superiore, & non ab Ordinario, ſicut poſſunt alij Regulares. Eos quidem ſtrictè, ac propriè Religioſos eſſe, Ego tradidi *tomo in Bullam Cruciat. diſp.*26. *n.*27. Exindè etiam comprehendi ſub decreto Tridentini

ſeſſ.

ſeſſ. 25. *de Regularib. capit.* 15. in quo declaratur nulla Profeſſio eius, qui eam fecerit ante decimum ſextum ætatis annum expletum, aut minori tempore, quàm per annum poſt ſuſceptum habitum in probatione verſatus fuerit; & in decreto eiuſdem Tridentini, *c.* 19. quo cauetur, ne quis Religioſus obtendens, ſe per vim, & metum, aut ante debitam ætatem Profeſſionem emiſiſſe, aut quid ſimile, audiatur, niſi intra quinquennium reclamauerit, docent Flaminius Pariſius *de reſignat. benef. lib.* 6. *quæſt.* 2. *n.* 120. Barboſa *de poteſt. Epiſcop. part.* 3. *allegat.* 101. *n.* 8. Gonzalez *ad reg.* 8. *Cancell. gloſ.* 8. *n.* 62. Maranta *tom.* 2. *reſp.* 6. & alij afferentes duas declarationes Sacræ Congregationis Concilij. Alia etiam extat declaratio Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, allata à Barboſa *de iure Eccleſiaſt. lib.* 1. *cap.* 44. *n.* 157. qua deciditur, hos Equites comprehendi ſub decreto, quo Regularibus prohibetur acceſſus ad Monaſteria Monialium.

121 De hoc Ordine tractant Ioſephus Micheli *in Theſauro Militari ex pag.* 39. vbi *ex pag.* 41. recenſet numerum, & ſeriem Magiſtrorum Ordinis vſque ad annum 1642. Ioannes Auguſtinus de Funes *in chronica huius Ordinis*; Ioannes Antonius Vipeanus *de bello Meliteſi*; Iacobus Boſſius *in hiſtoria Melitenſi*, Caſſanæus, Polydorus, Virgilius, Gualterus, Illeſcas, Iacobus de-Victoria, Hieronymus Roman, Venero, Paulus Morigia, Syluester Marullus, Aubertus Miræus, Mennenius, Emanuël Rodriguez, P. Azor, Marta, Hieronymus Rodriguez, Carolus de Tapia, Alfonſus de Narbona, Ioannes de Carualho, Carrillo, Machado, Ferdinandus de Camargo, & alij, quos refert Barboſa *in ſumm. Apoſtolicar. deciſ. collectan.* 304. Gothofredus *in archontologia Coſmica lib.* 3. *n.* 7. Vidal *in arca morali.*

122 Ego quidem, quamuis præcipuè de Ordinibus Militaribus Hiſpanis in hoc Opere agam, non pauca attingam de Ordine Sancti Ioannis, cum in Hiſpania adeò ſit propagatus; Plurimaque ei etiam adaptari valebunt, quæ de aliis Militiis erunt ventilanda; ſuo reſpectu, & proportione ſeruata, nam in pluribus differre, ex ipſo Ordinum regimine, Regula, Statutis, ac Definitionibus eſt compertum.

QVÆSTIO VI.

De Inſtitutione, & Confirmatione Ordinis Militaris Sancti Iacobi.

VAria Hiſtorici circa Inſtitutionem, & 123
Fundationem Ordinis Sancti Iacobi ſcripſerunt. Certiora compilauit D. D. Franciſcus de Vergara, & Alaba, Regij Caſtellæ Senatus meritiſſimus Fiſcalis. Ea perſtringam. Aliqui Viri Nobiles, quorum nomina ignorantur, Ordinis fundamenta iecere, in Regno Legionis, in partibus Galleciæ; Quo anno exordium dederint, non conſtat; id tamen eſt certum, iam Ordinem hunc fuiſſe inceptum, anno 1030. vt conſtat ex verbis priuilegij cuiuſdam in fauorem Monaſterij Salmantini Sancti Spiritus, Monialium S. Iacobi; quod pro foribus Eccleſiæ litteris deauratis eſt tranſcriptum; quod eo anno expediuit Ferdinandus I. Rex Caſtellæ, Legionis, & Luſitaniæ, in quem Regna Caſtellæ, & Legionis, poſtmodum iterùm diuiſa, deuenere. Non comperitur, quibus Statutis, & Regulis cæperit tunc Ordo gubernari.

Tempore ſuccedente, cum Equites 124
animaduerterent, non poſſe Religioſè degere abſque Clericis, de plurium Prælatorum conſilio, coniunxerunt ſe Canonicis Regularibus S. Auguſtini, Monaſterij de Hoyo in Gallæcia, quibus vniti Conſtitutiones, ipſorum conſilio, & iuuamine, quibus gubernarentur, condidere; Quas, & Ordinem primò confirmauit Cardinalis Don Hyacinthus Legatus Pontificis Alexandri III. in Hiſpania, & ſe cum Rumam tulit plures Equites, & Canonicos Ordinis, & huius Magiſtrum Don Petrum Fernandez de Fuente Encalada, & ante Pontificem ratione reddita Ordinis & Conſtitutionum, illum, & has Apoſtolica authoritate approbauit, & confirmauit, pluraque ei priuilegia indulſit, *tertio Nonas Iulij, anno* 1175. Quare confirmatio Ordinis ſaltem centum, & quadraginta quinque annis poſt eius exordium, & Inſtitutionem contigit.

Non tamen hic prætereà, Don Maurum 125
de Caſtelferrer *in hiſtoria aduentus S. Iacobi ad Hiſpaniam*, & D. Ferdinandum de Aluia *in memoriali pro vrbe Locruniꝫ ad obtinendum ſuffragium in Comitiis Regni*, aſſerere, ex traditione habita à maioribus, & ſatis confirmata, Ordinem Sancti Iacobi inſtitutum fuiſſe à Ramiro I. Rege Legionis

in

in nobiliſſima Vrbe Locrunio, in Eccleſia eiuſdem Apoſtoli ibi extructa, ſtatim ac ille Mauros proſtrauit iuxta oppidum *de Clauiſo*, ſuppetias ei ferente S. Iacobo: diſtat quippe ab hoc oppido Locrunium duabus duntaxat leucis. Nec aſſentiunt hi Authores neſcio cui affirmanti, Ordinem fuiſſe inſtitutum à Ramiro Rege in Eremitorio, in quo S. Iacobus iuxta Oppidum *de Clauijo* allocutus fuit ipſum Regem, & ad prælium excitauit, indeque tranſlatum fuiſſe ad vrbem Locrunienſem, vtpotè quæ in eo territorio erat, & eſt celebrior, atque illuſtrior, nec ſatis vnquam ab Scriptoribus commendata ob ſtructuræ pulchritudinem, eximiam camporum amœnitatem, fidem erga Reges, feracitatem ingeniorum, nobilitatis ſtemmata, & antiquitatem; Quippè fundata extat à Brigo, qui fuit quartus nepos Noë, & quartus Hiſpaniæ Rex poſt Tubalem, anno 1905. ante Chriſti natiuitatem; deinde à Iulio Cæſare fuit reparata, & reædificata; Vnde à Iulio, & à Brigo Locrunium ab Authoribus vocatur Iuliobriga. Quod ſi non aſſentiatur Inſtitutioni Ordinis Sancti Iacobi in vrbe Locrunienſi, mihi in ipſa Vrbe nato ſuffecerit, hoc illius ornamentum ex traditione propalaſſe; cum legerim apud Diuum Chryſoſtomum; *Eſt traditio. Nihil quæras amplius.*

126 Ad Ordinis progreſſum poſt confirmationem redeamus. In vrbe Legionenſi Hoſpitale fuerat extructum ſub aduocatione Sancti Marci, quod ſpectabat ad Canonicos de Loyo, Ordini Sancti Iacobi incorporatos, & vnitos. Aderat ibi Canonicus, qui peregrinantibus Compoſtellam ſubſidium, & refugium præſtabat. Paulatim Canonici, ſeu Fratres Ordinis ibidem numero, diuitiis, & authoritate creuerunt. Inde lites aduerſus eos ortæ; Rexque Legionis totum Ordinem, Equites, Priorem, & Canonicos de Loyo à ſuo expulit Regno, in eorumque ſe immiſit facultates. Ad Caſtellam illi deuenêre, & Alfonſus Rex beneuolè eos acceptos ditauit, & inter alia conceſſit eis territorium de Vcles, ea conditione, vt ibi caput Ordinis deinceps exiſteret. Prior, & Canonici Monaſterium, & templum extruxere eo in loco, in illoque vixerunt, Regi annuentes.

127 Proceres deinde Regni Legionenſis, cum animaduerterent, bona Xenodochij Sancti Marci eſſe diſſipata, nec in eo ſolitam erogari eleemoſynam, à Rege Legionenſi petierunt, vt ex Monaſterio de Vcles aliquos illuc Canonicos aduocaret. Ita ipſe præſtitit. Aliqui Canonici miſſi ſunt à Priore de Vcles, qui inter eos Priorem deſignauit; Hi quidem temporis ſucceſſu à Priore de Vcles, qui nihil de eo curauit, aut obſiſtere non potuit, ſe diſiunxerunt, & arbitrio ſuo admiſerunt Fratres in Ordinem. Inter Monaſterium vero de Vcles, & Equites diſcordiæ graues ſemel, & iterùm fuerunt exortæ ſuper redditibus, & decimis ſoluendis ab Equitibus in Monaſterij ſubſidium, quas priùs compoſuit Cardinalis Sanctæ Sabinæ Don Ioannes de Aluanilla Legatus Pontificis in Hiſpania, & poſtmodùm tempore Magiſtri Don Pelagij Perez Correa iuſſit Nicolaüs V. compoſitionem ab eo Cardinali peractam obſeruari, & vſque in præſens ea obſeruatur.

128 Luſitani aliquando Magiſtratum ſpecialem, ſeu Prælaturam Ordinis ſibi vſurparunt, & contenderunt ſaltem Magiſtrum in ſuo Regno ſpecialem eligere; ſed Bonifacius Octauus, & Ioannes Vigeſimus ſecundus prohibuerunt, Bullis ad id expeditis, quòd ſpecialis Magiſter eſſet in Luſitania, & præceperunt, vt omnes ſub Ordine degentes Magiſtro Generali Caſtellæ ſubiacerent. De quo ad finem quæſtionis ſermo redibit.

129 Ante confirmationem Ordinis plures eius extitêre Magiſtri, quorum nomina latent. Quia verò, cum fuit primo à Pontifice confirmata, Magiſter erat Petrus Fernandez de Fuente Encalada, hic primus deſignatur Magiſter Ordinis iam approbati. Quadraginta recenſentur Ordinis Magiſtri, quorum extremus fuit Don Alfonſus de Cardenas, inter quem, & Don Rodericum Manrique fuit diuiſus Magiſtratus, Regibus Catholicis Ferdinando, & Eliſabetha conſentientibus, ita vt primus in Regno Legionenſi, ſecundus in Caſtellæ Regno eſſet Magiſter. Obijt Manrique, & iuxta pactum inter vtrumque initum, Cardenas in Magiſtratum generale ſucceſſit. Hoc verò extincto, ex conceſſione, ac Bulla Alexandri Sexti Catholici Reges obierunt munus Adminiſtrationis Ordinis. Deinde, Regibus Catholicis vita functis, Leo Decimus Adminiſtrationem Ordinis Imperatori Carolo Quinto Hiſpaniarum Regi impertiuit, & Adrianus VI. Pontifex eidem Carolo, & Regibus ſucceſſoribus perpetuam adminiſtrationem conceſſit; Vnde ea fungitur noſter Magnus Philippus IV. qui Ordinis eſt quintus Adminiſtrator. Cæterùm Magiſtri vocabantur hi, qui Militias Equeſtres regebant, ſumpta ſimilitudine à Romanis, qui Magiſtros Equitum nuncupabant eos, qui Equitibus in militia præficiebantur.

Ordinem

Digitized by Google

130 Ordinem S. Iacobi tum repetita approbatione, & confirmatione, tum ingentibus priuilegiis, exemptionibus, ac gratiis, Pontifices ſtabilierunt & decorarunt; nempè Alexander III. Lucius III. Vrbanus III. Innocentius III. Honorius III. Gregorius IX. Innocentius IV. Alexander IV. Vrbanus IV. Gregorius X. Nicolaüs IV. Bonifacius VIII. Clemens V. Ioannes XXII. Benedictus XII. Clemens VI. Benedictus XIII. Martinus V. Sixtus IV. Innocentius VIII. Paulus III. Iulius II. Clemens VII. Iulius III. Eorum Bullas, & priuilegia, ac annos recenſet prædictus D. D. Franciſcus de Vergara *in Statutis Ordinis nouiſſimè editis, à fol.* 23. *vſque ad* 32. Et nos non pauca decurſu huius Operis libauimus. Ibidem etiam *à fol.* 17. referuntur nomina Magiſtrorum Ordinis, & aliqua de illis libantur, ſerie annorum ſeruata.

131 Nec minùs Reges Hiſpaniæ Ordinem fouerunt, ei plurimas ditiones, Eccleſias, & loca concedentes, & Regiis indultis, ac priuilegiis, largè decorantes; ſcilicèt Alfonſus Legionis, & Galletiæ Rex, eiuſque vxor Berenguela; Alfonſus Nonus Rex Caſtellæ; Ferdinandus Rex Legionenſis; Don Ferdinandus, cognomento *Sanctus*, eiuſque filius Alfonſus, Caſtellæ, & Legionis Rex, cognomento *Sapiens*; Huius item filius Don Sanctius, vulgò denominatus *el Brauo*; Don Ferdinandus IV. Alfonſus XI. Rex Don Petrus; Henricus II. Ioannes Primus, & demùm Magnus Rex noſter Philippus IV. Quorum priuilegia referuntur *in prædictis Statutis Ordinis, cap.* 7. *à fol.* 32. Eorum aliqua attingemus decurſu.

132 In Confirmatione Ordinis Alexander III. iniunxit, quod Tredecim, ſeu Tredecem Viri, eſſent inter alios, qui cum Magiſtro ad conſilia ſumenda, & decernenda verſarentur, vt regimini Ordinis prouideretur; mortuo autem Magiſtro illi Tredecim alium eligebant, & Sede Magiſtri vacante, Prior Fratrum Clericorum gubernabat. Hi Tredecim adhuc deſignantur, & in Capitulis Generalibus locum habent, vbi cum Rege, veluti perpetuo adminiſtratore, & cum aliis, qui in eis ſuffragium habent, decernunt, ac ſtabiliunt, quæ opportuna ſunt Ordini. In ipſa autem Bulla Alexandri continetur poteſtas, qua tempore Magiſtrorum hi gaudebant, nempè ad remouendum, ſi opporteret, aut corrigendum Magiſtrum; ad decidendum diſſidia inter ipſum Magiſtrum, & Capitulum exorta, aliaque ſimilia; quæ poteſtas magna ex parte eſt abolita, cum Magiſtri ſint extincti, & Hiſpaniæ Reges ſint perpetui Ordinis Adminiſtratores.

133 De Ordine Sancti Iacobi agunt Didacus de la Mota *in libello Latino de Confirmatione Ordinis; & in libello Hiſpano, Del principio de la Orden de la Caualleria de Santiago.* Franciſcus Caro de Torres *in hiſtoria Ordinum Militarium.* Ioannes Ramirez *in expoſitione Bullæ Alexandri Tertij.* Frater Franciſcus Rades de Andrada, *De Ordinibus Militaribus*, in chronic. huius Ordin. Caſſanæus, Polydorus Virgilius, Gualterus, Marullus, Paulus Morigia, Mennenius, Antonius Nebrixenſis, Pater Mariana, Martinus Carrillo, Iacobus Boſſius, Carolus de Tapia, Pater Azor, Lezana, Ioſeph Micheli, Tamburinus, & Machado, quos refert Barboſa *in ſumma Apoſtolicar. deciſ. dec.* 316. Necnon Lucas Tudenſis, Didacus Valera, Ambroſius de Morales, Illeſcas, Emanuël Rodriguez, & alij ab eodem Barboſa relati vbi nuper *à numero ſecundo.* Rursùs D. Ferdinandus de Aluia allatus *ſuprà*; D.D. Ferdinandus Pizarro *in diſcurſu Apologetico pro Ordinibus Militaribus*; Araujo Peñafiel, & innumeri citati à Ginesio Morote *in Patrocinio Ordinis de Alcantara.* Diana, Pater Suarez, P. Thomas Sanchez, Caſtro Palao, Pellizarius; Magiſter Iſla; *in inferioribus* ſæpè adducendi. Ioannes Caruallus *lib. de vna, & altera quarta, ad caput* Raynaldus *de teſtament. part.* 1. *num.* 349. Don Gregorius de Tapia *in memorali de antiquitate huius Ordinis.* Petrus Gonzalez Gragera *de iure Eccleſiaſtico Ordinum Militarium, parte prima, capit.* 7. Luis Contarino *in libro Italo*, Iluago Giurdino *tract. delle Religioni, ex pagin.* 452. Et plurimi alij toto libro referendi.

134 Habitus, ſeu Inſigne huius Ordinis eſt quidam enſis rubeus, eam in formam compactus, qua olim enſes conflabantur. Affertur in pectore, & in parte ſiniſtra pallij, qua brachium attingit. Toga verò Capitularis eſt alba, & in ipſa affixum Inſigne, quod ex materia lanea conficitur, & iam etiam ex ſerica. Veſtes Equitum in nullo à cæteris diſcriminantur. Veſtes verò Fratrum Clericorum extra Monaſteria, & Collegia degentium, conueniunt cum veſtibus modeſtis, ac decentibus Clericorum ſæcularium; Intra Monaſteria autem ſuperpelliceis rotundis circa collum ornati incedunt; in Collegio autem Salmantino intra domum togis vtuntur ſubobſcuri coloris; extra verò nigris, & ſuper togas palliolo ornantur humeros circumdante, & ad dimidium vſque corpus profluente. Vexillum Ordinis deſcribit Mota *in reg. lib.* 2. *c.* 20.

Apud

135 Apud Luſitanos idem Ordo Sancti Iacobi, abſque alia Inſtitutione, confirmatione, & exordio, viguit, ac viget; ſed tempore Regis Dionyſij (cum Inſtitutorem Luſitani vocant,) qui rem promouit, Equites Iacobæi Luſitani à Militia Caſtellæ deſciuerunt, & reclamantibus in Caſtella Magiſtri ab Apoſtolica Sede tunc protectis, illi ſpeciales Magiſtros Ordinis elegerunt, & Sedem Ordinis collocauerunt in Oppido de *Palmella*, inter Vlyſſiponem, & Setobrigam; Senatus etiam Ordinum fuit ibi conſtitutus.

136 Vltimus ibi Ordinis Magiſter fuit Don Georgius Dux Conimbricæ, & Auerij, Ioannis Secundi, Regis Luſitaniæ filius. Quippe Pontifex Iulius Tertius conceſſit Ioanni III. eiuſdem Luſitaniæ Regi, ac omnibus Succeſſoribus, perpetuam in ſuo Regno Ordinis Adminiſtrationem. Vnde in eam cum Regno ſucceſſerunt noſtri Hiſpaniarum Reges Philippus Secundus, Tertius, & Quartus. Qui nunc temporis, vt potè legitimus omnino Luſitaniæ Rex, Ordinis Iacobæi ibi vigentis eſt perpetuus Adminiſtrator.

137 Diſcrimen aliquod eſt in Cruce, quam Luſitani, & cæteri Hiſpani geſtant, nam in illis Crux rubra non refert aciem gladij, ſed ex inferiori cuſpide eſt liliata. Pro Fratribus Iacobæis in Luſitania ad ſtudia literarum Collegium fuit erectum in Conimbricenſi Academia. Equitibus plures ſunt deſignatæ Commendæ, quas obtinere poſſunt, poſtquam per quinquennium contra Infideles militauerint.

138 De his, quæ ad Ordinem Sancti Iacobi in Luſitania ſpectant, agunt Odoardus Nonius de Leano, Petrus Mauzius, Antonius de Vaſconcellos, Bernardus de Britto, Cabedo, Emanuel Faria de Souſa, Tamburinus, Ioſeph Micheli, Machado, & Barboſa, qui eos omnes refert *in ſumma Apoſtolicarum deciſionum, deciſione* 317. Vbi etiam Bullas Pontificum in fauorem Luſitanæ Iacobææ Militiæ affert, & ad Laërtium Cherubinum in Bullario remittit.

* * *

R.P. *Andreas Mendo de Ordin. Milit.*

QVÆSTIO VII.

De Inſtitutione, & confirmatione Ordinis Militaris de Calatraua.

139 SVccinctè proferam, quæ latiùs traduntur in Definitionibus huius Ordinis *à pag.* 9. & ab Illuſtriſſimo D. D. Hieronymo Maſcareñas *in Apologia Hiſtorica* pro hoc ipſo Ordine, *à pag.* 1. Regnum Caſtellæ, & Toleti Don Sanctius, vulgò *el Deſeado* tenebat; Oppidum autem veteris Calatrauæ, quod eius Genitor Imperator Alphonſus à Mauris obtinuerat, ſimul cum aliis arcibus, Milites Templi, ſeu Templarij ſibi donatum occupabant, ac defendebant; cum ecce rumor fuit exortus, Mauros ingentes copias parare, vt Calatrauam expugnarent. Perterriti Templarij coram Rege ei ditioni renuntiauerunt. Ea in præmium offerebatur ſuſcipienti tutamen; Audebat nemo. Aderat in Curia Raymundus Abbas Monaſterij de Fitero in Nauarræ Regno propè Tudelam, quem ſocius Frater Didacus Velazquez, olim in ſæculi militia verſatus, omninò excitauit, vt facinus illud aggrederetur. Subſcripſit ille; Regem conuenit; hic annuit; & anno 1158. donauit Raymundo, & Abbatibus de Fitero Oppidum de Calatraua. Is verò armis, & orationibus inſtructus, pluribus ei ſuppetias ferentibus, & ſolertia in primis Frat. Didaci Velazquez, Calatrauam muniuit; Arces ſibi creditas roborauit; terrorem incuſſit Mauris, quorum terras fauſtis incurſibus vexauit. Id accidiſſe anno 1157. (quod nec ipſi Calatrauenſes contendunt) tradit Benedictus Haëftenus *in diſquiſitionibus Monaſticis lib.* 2. *tract.* 6. *diſq.* 5.

Eo igitur anno 1158. annuente, ac fauente Rege Sanctio, Raymundus Monaſterium Calatranæ conſtruxit tum ſuis Monachis Ciſtercienſibus, tum Equitibus, qui Habitu Religioſo ornarentur, & ſtrenuè ea loca defenderent, Mahometanoſque profligarent. Hæc extiterunt prima Ordinis fundamenta, ſupra quæ ingens adeò moles ſurrexit. Quinto Inſtitutionis anno objit Raymundus, ſanctitate clarus; ſepultuſque fuit in Eccleſia Oppidi de Ciruelos, poſteaque ad Cœnobium Sancti Bernardi extra Toleti muros tranſlatus. Equites Calatrauenſes 140

elegerunt ſibi Prælatum, qui Magiſtri nuncupatione eos regeret, Don Garciam; quibus iterùm Rex Alfonſus Octauus Calatrauam cum ſuo territorio donauit. Monachi verò, qui in Abbatem aſſumpſerant Rodulphum (cui non ſibi arridenti Equites obtemperare renuerunt, ideoque Magiſtrum Garciam præfecere) Calatrauæ Monaſterio relicto, ad alia ſe Cœnobia receperunt. Hinc Equites in Ordinem admiſere Clericos Fratres, vt eis Sacramenta adminiſtrarent tum in bello, tum in Cœnobio.

141 Cum autem rectè animaduerterent, non poſſe nouum Ordinem ſine Regula, & ſine Confirmatione ſubſiſtere, in Ordinem Ciſtercienſem ſub Regula Sancti Benedicti, voluerunt coaptari, & à Capitulo Generali Ciſtercienſi tunc fuerunt admiſſi, non vt ſubditi, ſed vt Familiares, nempè per communicationem priuilegiorum, ac bonorum Operum; formamque viuendi opportunam Militibus ibidem acceperunt; quam Ordinis Procuratores, à Rege Alfonſo eximiè commendati, Pontifici Alexandro III. ſupplices obtulerunt, qui, expedita Bulla, Ordinem Calatrauæ confirmauit, ſeptimo Kalendas Octobris, anno 1174. Hanc fuiſſe ſpecialem Ordinis Calatrauæ iam inſtituti, & ſeparati ab Ordine Ciſtercienſi, approbationem, & confirmationem, doctè, acriter, & eruditè probat D.D. Hieronymus Don Nunius Maſcareñas *in Apologia relata*.

142 Viginti tribus annis hic Ordo ſeparatus à Ciſtercienſi extitit. Poſt verò quartus Magiſter Ordinis Don Nunius Perez de Quiñones anno 1187. cupiens, Ordinem pluribus regulis communiri, à Capitulo Generali Ciſtercienſi popoſcit, vt Statuta noua antiquis adderet, & ſub obedientia Calatrauenſes admitteret, at alicui addiceret Monaſteriu', cuius eſſet filiatio Calatrauæ Ordo. Ita ſunt omnia præſtita, & Monaſterium Morimundi (vtpotè ex quo Cœnobium de Fitero originem duxerat) deſignatum, cuius eſſet Filiatio, & deinceps, vt Ordinis Ciſtercienſis non modò Familiares, ſed Fratres eſſent Calatrauenſes. Totum Regulæ tenorem antiquum, & inſuper additum confirmauit Gregorius VIII. anno 1187.

143 Anno 1195. Mauri Oppidum Calatrauæ expugnauerunt; quare Magiſter, & Fratres ſuam Sedem in arce *de Saluatierra* collocarunt, indeque aliquo tempore Magiſter, ac Ordo de Saluatierra fuerunt nuncupati; &, ne mutatio nominis quidquam Ordini detraheret, iterùm Magiſter Don Martinus Martinez petiit, ac obtinuit à Capitulo Generali Ciſtercienſi viuendi normam, quam confirmauit Innocentius Tertius, anno 1189. Poſtmodùm Mauri arcem *de Saluatierra* debellarunt, anno 1210. Et Ordo aliquandiu abſque ſede præſcripta per varia loca fuit diuagatus, donec, fauente Rege Alfonſo, Calatrauam veterem recuperauerunt; ibi paucis annis verſati ſunt, ac tandem tranſtulère Monaſterium ad Arcem, quam Calatrauam nouam nuncuparunt; iteratamque confirmationem Ordinis, & Regulæ imperrauerunt ab Innocentio Tertio, anno 1214.

Aliquos Ordines Militares aliquandiù ſub ſe hic Ordo fuuit, de quibus *inferius*. Triginta illius extitère Magiſtri, quorum extremus fuit D. Garſias Lopez de Padilla; poſt quem Adminiſtrationem Ordinis ab Innocentio Octauo ubtinuerunt Catholici Reges Ferdinandus Quintus, & Eliſabetha anno 1489. Poſt ipſum Carolus V. antequam Imperator eligeretur, Adminiſtratur perpetuus Ordinis fuit deſignatus à Leone X. anno 1516. Et demùm Adrianus VI. anno 1523. Adminiſtrationem perpetuam conceſſit Hiſpaniarum Regibus, & Magiſteria trium Ordinum D. Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ, Regiæ Coronæ Caſtellæ incorporauit, anno 1523. Poſt Carolum V. Philippi duo, II. & III. Ordinem Calatrauæ adminiſtrarunt, & nunc ipſius quintus eſt Adminiſtrator Magnus Rex noſter, æternùm victurus, Philippus IV. 144

Gaudet hic Ordo priuilegiorum communicatione, quæ conceſſa ſunt Ordini Ciſtercienſi, & prætereà ipſi à Sede Apoſtolica plurima, ac inſignia priuilegia, gratiæ, & immunitates fuerunt indultæ. Triginta ſeptem Pontifices recenſentur in Definitionibus Ordinis *pag.* 54. qui eiuſmodi priuilegia expedierunt. Ibidem *à pag.* 55. referuntur triginta & vnus Reges, ac Principes Hiſpani, qui Ordini maximè fauerunt, tum priuilegiis, tum donationibus. Plures habet Commendas, Dignitates, ac Beneficia, de quibus, & aliis ad hunc Ordinem ſpectantibus, toto huius Tractatus decurſu plurima attingemus. 145

Primo Ordinis exordio Habitus Religioſorum ſimilis erat in colore, & materia habitui Monachorum Ciſtercienſium, ſed in forma diſſimilis, vtpotè ad equitandum, & militandum opportunus, expeditus, ac vſum 146

vſum armorum non impediens. Eum deſignat Alexander III. in Bulla confirmationis Ordinis, in qua etiam continetur vitæ auſteritas, quam tunc Religioſi profitebantur, & ſuccedente tempore oportuit eam molliri, ac temperari. Tenebantur etenim veſtiti, ac cincti dormire; nec poterant vti operimentis lineis, ad quod neutiquam iam, ex diſpenſatione Pontificia, tenentur. Scapulare etiam prælongum commutatum eſt in aliud exiguum, ſub veſtibus afferendum. Contendit Benedictus Haëftenus *in diſquiſ. Monaſt. lib. 5. tract. 3. diſquiſit. 6.* Habitum Calatrauenſium, & Alcantarenſium olim fuiſſe dumtaxat ſcapulare; Verùm conſtat ex Bulla Benedicti XIII. qui mutauit habitum Alcantarenſium, fuiſſe etiam cum ſcapulari caputium. Addit *tract. 7. diſquiſit. tertia in fin.* Ea ſcapularia exigua fuiſſe nuncupata *San Benitillos*, & indè ironicè vocari *San Benitos*, ea, quæ geſtant puniti à ſacris Fidei Tribunalibus. Pro libito id videtur aſſeri, & abſque fundamento. Quòd ſi tranſlatio ironica eſſet deſumenda, aptiùs diceretur, Calatrauenſes, & Alcantarenſes, dum iurant, ſolitos eſſe dicere, manu ſuper Crucem impoſita, *Por el Habito de San Benito*; & cum ea Crux, & habitus ſummo ſit honori, ac ſplendori, potuit ironicè vocari veſtis, quæ dedecori eſt, ac ignominiæ, eâ voce *San Benito*. Iam vero in Ordine Calatrauæ Inſigne proprium eſt Crux rubra ex quadruplici latere liliata, ſupra pectus afferenda, ac in pallio ſupra latus ſiniſtrum. Veſtes autem ſunt communes cæteris laicis non Militaribus. Fratres verò Clerici incedunt ornati, vt alij Clerici ſæculares, modeſte, ac decenter; intra Monaſterium autem, vt Clerici modeſti, ornati ſua Cruce incedunt; Intra Collegium inſtar Iacobæorum ſpecialibus togis ſuperueſtiuntur.

147 Non poterant olim Equites Calatrauenſes nuptias contrahere; quæ tamen illis permiſſæ ſunt à Paulo Tertio, anno 1540. Vnde priùs Caſtitatem abſolutam vouebant; poſtmodùm verò coniugalem. Nec valebant teſtamenta condere, ſed id etiam à Pontificibus fuit eis conceſſum, & tandem confirmatum à Gregorio XIII. anno 1575. De quibus omnibus agemus latiùs *in inferioribus*.

148 Vexillum Ordinis eſt ſericum album; & in quadam facie Imago Deiparæ Virginis apparet præfixa, in alia verò Crux rubra Ordinis, additis compedibus, quibus in ſtabulis equorum pedes ligantur, nigri coloris, vulgò *trabas*, alluſione facta ad Oppidum de Calatraua. Verùm ego cenſuerim cum Patre Ioanne Euſebio Nieremberg. *in lib. de Victoriata miſericordia Virginis*, vbi id ex aliis Authoribus tradit; compedes, ſeu vincula, quibus Ordines Calatrauæ, & Alcantaræ vtuntur, in primo exordio fuiſſe appoſita in ſignum ſeruitutis Deiparæ Virginis, cuius ſe ſeruos, & vinculis quaſi obſtrictos profitebantur omnes ſub his Militiis degentes; vt ſic innoteſcat, eum ipſis Ordinibus affectum ſpecialem erga Deiparam fuiſſe initio congenitum, eiſque augeſcentibus, fuiſſe adauctum, vt ſatis eorum geſta conclamant. De quo *diſq. 12. quæſt. 9.* ſermo redibit.

149 De hoc inſigni Ordine, ſeu de rebus ad ipſum ſpectantibus, agunt Polydorus Virgilius, Rodericus Archiepiſcopus Toletanus, Franciſcus Caro de Torres, Paulus Morigia, Sylueſter Marullus, Petrus Matthæus, Gualterus, Illeſcas, Hieronymus Roman, Martinus de Viriana, Sanſouiuus, Mennenius, Lobera, P. Mariana, Aubertus Miræus, Barnabas Montaluo, Bernardus de Britto, Carolus Tapia, Emanuël Rodriguez Rades de Andrada, P. Azor, Argote de Molina, Yepes, Carrafa, Hieronymus Rodriguez, Aſcanius Tamburinus, Ioannes de Caruallo, Ioſephus Micheli, Illuſtriſſimus Fr. Angelus Manrique, Ioannes Machado, & eos omnes referens Barboſa *in ſumma Apoſtolicarum deciſionum, collectan. 306.* Sanchez *de rebus Hiſpaniæ lib. 4. cap. 20.* Zeuallos *tom. 3. commun. contra commun. quæſt. 799. n. 30.* Azeuedo *in leg. 7. num. 50. tit. 5. lib. 5. nouæ Recop.* Guttierrez *practic. qq. lib. 2. q. 111.* Aldanus *in compend. canon. reſol. lib. tit. 19. de Relig. n. 51.* Zambrana *in allegat. iuris pro hoc Ordine.* D.D. Hieronymus Maſcareñas *in apologia pro hoc Ordine*, in qua plures etiam Authores affert; D.D. Ferdinandus Pizarro *in Diſcurſu Apologetico pro Ordinibus Militaribus*, P. Suarez, Thomas Sanchez, Pellizarius, Diana, Araujo Peñafiel, & alij decurſu Operis referendi.

150 Poſtquam hic Ordo Abbati de Morimundo in viſitationibus fuit ſubordinatus, duodecim Abbates inde in Hiſpaniam accedentes diuerſis temporibus illum viſitarunt ab anno 1283. vſque ad annum 1468. Quorum ſinguli diuerſas Definitiones ſtatuerunt ad Ordinis rectam gubernationem, iuxta exigentiam rerum, ac circunſtantiarum. Præterea Abbates de Morimundo, cum ipſi Hiſpaniam aduenire nequirent, Commiſſarios deſignarunt, nempè anno 1328. Abbatem de Rueda; anno 1425.

Abbatem de Palazuelos; & demum inclytorum Regum Catholicorum tempore, anno 1491. Abbatem Claræuallis, qui etiam ſinguli Definitiones ſpeciales ſtabilierunt.

151 Prætereà, cum hic Ordo in Ciſtercienſem fuit coaptatus anno 1187. Capitulum Generale Ciſtercienſe poteſtatem fecit Magiſtris Ordinis, condendi ſtatuta vtilia, ſeu Definitiones; quarum extant aliæ conditæ à Magiſtro Don Petro Munix anno 1383. aliæ à Magiſtro Don Gundiſaluo Nuñez de Guzman, anno 1397.

152 Capitula etiam generalia in hoc Ordine plurima fuerunt celebrata, &, quamuis non prodierint in lucem aut admiſſi ſint Actus Capitulares, ſeu ſtatuta in illis peracta ante annum 1492. Attamen dubitari non poſſe videtur, ante eum annum plura fuiſſe congregata Capitula. Ab eo anno vſque ad annum 1560. decem Capitula generalia in diuerſis locis Ordo celebrauit, & Actus Capitulares ex eis deprompti circumferuntur *in libro de Origine Actuum Capitularium, & Definitionum huius Ordinis.* In quo fit etiam mentio, ac præſtatur ſufficiens notitia Viſitationum, & Definitionum, quas *nuper* retulimus. Deinde recentiores Definitiones editæ ſunt iuxta ſtabilita in Capitulo Generali celebrato Matriti anno 1600. Demum nouiſſimè aliæ iuxta Capitulum Matriti congregatum anno 1652. Vbi plures antiquæ renouantur, aliæ reformantur, aliæ nouæ ſtatuuntur, ad quas ſtatuendas Capitulum generale poteſtate pollet, vt dicemus *diſquiſ.* 7.

153 Nec ſolùm gaudet hic Ordo priuilegiis conceſſis, & concedendis Ordini Ciſtercienſi, verùm & priuilegiis impertitis Ordini Militari D.Iacobi. Quæ priuilegia receuſentur in libro Definitionum huius Ordinis anni 1600. (quas Definitiones communiter in hoc Tractatu citabimus, quia nouiſſimæ adhuc ſub prælo iacent, dum hæc ſcribimus) vbi *à pag.* 427. referuntur priuilegia, exemptiones, & gratiæ huius Ordinis decerptæ ex Bullis Pontificiis, quæ aſſeruantur in Archiuo Monaſterij de Calatraua, & deſignantur ſcrinia, & numeri, ſub quibus extant, vt facilè valeant reperiri, ibidem etiam *à pag.* 445. per Ordinem Alphabeti denotantur Inſtrumenta publica ſpectantia ad ipſum Ordinem, quæ in ipſo Archiuo cuſtodiuntur. Hæc omnia priuilegia Pontificia, & Regia extant præſtricta in libro manuſcripto, cui titulus eſt, *Autos Capitulares del Orden de Calatraua ex fol.* 111. *& ex fol.* 153. qui ſeruatur in Regio Archiuo de Simancas.

Hic obſeruaueris, in albo Pontificum, qui hunc inclytum Ordinem priuilegiis, ac gratiis munierunt, inſcribi quoſdam, tempore ſchiſmatis, Pontifices apud aliquas Prouincias nuncupatos, qui etiam; cum Prouinciæ, vbi hic Ordo degebat, Obedientiam eis præſtitiſſent, ſuis priuilegiis Ordinem fouerunt. Etenim hæc priuilegia vim retinent, eo quòd Pius II. & Iulius II. confirmauerint omnes gratias, & priuilegia conceſſa huic Ordini non ſolùm à Pontificibus ritè, & canonicè electis, verum etiam ab Antipapis. Extant hæ Bullæ in Archiuo Monaſterij de Calatraua, in ſcrinio ſexto; & referuntur in præfato libro Definitionum anni 1600. *pag.* 428. Quare ex ea confirmatione Pontificia in ſuo robore illa priuilegia vigent. 154

QVÆSTIO VIII.

De Inſtitutione, & confirmatione Militaris Ordinis de Alcantara.

HVnc inclytum Ordinem fundatum fuiſſe anno 1156. docent, & probant F. Antonius de Yepes *in Chronic. Ordinis S. Benedicti, centur.* 7. *fol.* 456. afferens Doctorem Roco de Campofrio, & Doctorem Valentia. Illuſtriſſ. F. Angelus Manrique *tom.* 2. *Annal. Ciſtercienſ. anno* 1156. *cap.* 1. *& 2. & in Laurea Salmantina.* Illuſtriſſ. San Victores *in ſuo Sole Occidenti*; Bernardus Britus *lib.* 5. *cap.* 5. Brandon *part.* 3. *Monarchia Luſitana, lib.* 10. *cap.* 37. Ægidius Gonzalez *in hiſtor. Salmant. lib.* 2. *cap.* 15. *& in Theatro Eccleſiaſt. Eccleſ. Salmantinæ, fol.* 456. Rodericus Mendez de Silua *in lib. proſapia de los Barrientos, cap.* 3. Robles de Rocha *in manuſcriptis qq. Regularibus huius Ordinis, quæſt.* 10. Don Gineſius Morote *in patrocinio Ordinis de Alcantara, ex fol.* 5. Don Gabriel Bocangel *in panegyr. ordin. ad votum Conceptionis.* Et id profatum refertur à Barboſa *in ſumm. Apoſtolicar. deciſ. collectan.* 308. *num.* 2. Et hunc annum Fundationis fuiſſe, oſtendit Fr. Angelus Manrique ex Inſtrumento publico denuo reperto in Archiuio Monaſterij de Alcouaza. Et quia id, & alia latuerant, communis exiſtimatio annum Fundationis ad poſterius tempus deuoluebat. 155

Iuxta hos Authores, grauiſſimos ſanè, res ita ſe habuit. Don Suerus Fernandez, Salmaticæ natus, ſimul cũ fratre ſuo Gometio, 156

aliiſque

aliiſque Equitibus, vt Maurorum incurſiones fugarent, eoſque proſternerent, de conſilio Eremitæ, nomine Amandi, ſeu iuxta alios, Petri, Arcem conſtruxerunt, decem leucis ab vrbe Ciuitatenſi, in loco, qui dictus eſt *San Iulian del Pereyro*. Ibi ſtrenuè, & fœliciter pro fide, pro Eccleſia, pro Hiſpania pugnabant; ac, Deo excitante, Ordinem Militarem erigere cogitarunt. Epiſcopus tunc Ciuitatenſis, ob temporum calamitatem, non dabatur; Salmantinus eam regebat diœceſim, Ordoñus ex Ciſtercienſi Ordine. Ad illum ſupplices Suerus, & comites confluxerunt: laudauit ille mentem: probauit animum: approbauit Ordinem, ſub Regula S. Benedicti cum Statutis Ciſtercienſibus. Ab hoc tempore, & anno præfato Authores prædicti recenſent hunc Ordinem fundatum, inſtitutum, & approbatum; ea quidem approbatione, quæ tunc temporis, nempè ante Concilium Lateranenſe, ſufficiebat, vt Ordo Regularis verè, & propriè approbatus exiſteret. De quo videantur Innocentius *in cap.*1. *de tempor. ordin.* Abbas *in cap. per tuas, de ſimon. lib.*3. *num.*8. Decius *in cap. cum diligenti, de elect.* Marquez *de Origine Eremitar. D. Auguſtini, lib.*12. §.13. Thomas de Ieſus *antiquitat. Carmelit. cap.* 7. Baſilius Legionenſis 1, *part. variar.* 3. *quæſt. cap.*7. Ioannes Pinto *in Hierarch. Carmelit. tom.*2. *cap.*21. Fr. Antonius Perez *in prolog. Regul. S. Benedicti*, P. Suarez *de Relig. lib.*5. *cap.*5. *num.*17. P. Leſſius *de iuſt. lib.*2. *cap.*41. *num.*12.

157 Hæc ordinis antiquitas firmatur. Nam primus Pontifex, qui eam confirmauit, & ſub Apoſtolica protectione ſuſcepit Alexander III. anno 1177. in ſua prima Bulla ſupponit, hunc Ordinem iam vigere, & hac voce *Ordinis* eum nuncupat, quo impropriè vteretur, ſi adhuc non foret à Superiore competente approbatus, cum non rectè Ordo vocetur quædam Equitum Congregatio, dum non eſt approbata. Deindè Alexander in Bulla Confirmationis Regulam Ordini non tradit; ſupponebat ergo, iam ſub Regula illum degere accepta à potente illam deſignare; aliàs ipſe Pontifex Regulam tradidiſſet, cum nequeat abſque Regula Ordo ſubſiſtere: Imò nec Inſtituti mentionem facit, ſed apertè ſupponit, religioſos iam eſſe eos, qui in Sancto Iuliano degebant; Sic enim incipit; *Dilectis filiis Gometio priori S. Iuliani de Pereyro, eiuſque Fratribus, tàm præſentibus, quàm futuris, Religioſam vitam profeſſis.* Idemque ſæpè in Bulla ſupponit. Rurſus ab Alexandro III. vſque ad Lucium III. nulla fuit Bulla expedita circa Ordinem Alcantaræ; Lucius verò anno 1183. Bullam expediuit, in qua expreſsè affirmat, hunc Ordinem ſub Regula S. Benedicti degere; ergo ſupponebat, Ordinem accepiſſe Regulam ab Epiſcopo diœceſano approbante; cum à nullo Pontifice eam accepiſſet. Demum Innocentius III. in Bulla expedita anno 1207. Equitibus del Pereiro confirmat decimas, quas, ait, *ampliùs* quadraginta annis obtinuerant. Deme ergò 40. annos ab anno 1207. ſanè remanet annus 1167. Vnde ſaltem decem annis ante Bullam Confirmationis Alexandri III. expeditam anno 1177. ſupponit Innocentius Ordinem del Pereiro extitiſſe, & decimis fuiſſe potitum. Deme nunc aliquos prætereà annos, quia id ſignificat illa vox *ampliùs* quadraginta annis; Et incides in tempus Fundationis, aut in vicinum; nec enim ipſo die, quo approbatus fuit, ſed poſteà, credendum eſt, decimas obtinuiſſe, ob præclara geſta pro Eccleſiæ defenſione. Fundator Ordinis Suerus, Prior vocatus fuit; Succeſſor verò Gometius in demortui Fratris locum primus cognomen Magiſtri deſumpſit. Et, quia prima Sedes fuit Arx illa Sancti Iuliani *del Pereiro*, ſic dicti à Pyro arbore ante Eccleſiam conſita, Ordo ipſe fuit appellatus Sancti Iuliani del Pereiro. Prior autem vocatus fuit Suerus ab Epiſcopo Ciſtercienſi, quia nomen Abbatis non conueniebat laico: nomen autem Magiſtri nondum erat Ciſtercio cognitum, vt ait Fr. Angelus Manrique.

R.P. Andreas Mendo de Ordin. Milit.

A primis ergo Natalibus fuit hic Ordo 158
Ciſtercienſis, ſub Regula S. Benedicti; Epiſcopus Ciſtercienſis eam primus approbauit; ſtatuta ſui tradidit Ordinis; Lucius III. repetito conceſſit approbationem Ordinis, Regulæ, & Statutorum, ea appoſita moderatione; quæ eius fini, & inſtituto eſſet opportuna. Id ipſum cernitur in quinque Bullis Alexandri IV. quæ extant in Bullario ipſius Ordinis *ex pag.* 34. Eundem ferè habitum, ac Ciſtercienſes, in primæuo exordio Alcantarenſes geſtabant, ſed bellicis exercitiis in opportunum; Quare eum in caputia quædam, & rubras faſcias, Hiſpanè *bandas* commutarunt. Et poſtmodum Benedictus XIII. nono Kalendas Aprilis eum habitum in Crucem viridem mutauit, addito ſcapulari ſub veſte in eius afferendo. Benedictum autem, vt verum Pontificem, tunc Caſtella colebat. Permanent adhuc eius monumenta in maxima

Orbis Academia Salmantina, cum pro foribus ſtent illius ſtemmata lapide inſculpta, nempè ſemicirculus Lunæ, Thyara Pontificia, & clauibus Apoſtolicis circundatus.

159 Succedente tempore, Rex Alfonſus IX. Legionenſis Oppidum, & Arcem de Alcantara à Mauris obtentam tradidit Don Martino Fernandez Magiſtro Ordinis de Calatraua, vt ibi Monaſterium extrueret vltra illud, quod iam Calatrauæ fuerat erectum. Is verò difficile cenſuit, hinc confinia Caſtellæ, illinc vicinia Legionis ſimul tueri; quare, annuente Rege Alfonſo, tradidit oppidum, & ditionem Alcantaræ, & bona alia in Regno Legionis Ordini Sancti Iuliani del Pereiro, eiuſque Magiſtro Don Nunio Fernandez, qui, & Succeſſores vſque ad annum 1265. cognominati ſunt Magiſtri del Pereiro; & de Alcantara. Id tamen, Rege confirmante, inter vtrumque Magiſtrum fuit initum pactum, & concordia, quòd Magiſter Calatrauæ poſſet viſitare Monaſteria Sancti Iuliani, & Alcantaræ; Et quòd Alcantarenſes non tenerentur admittere Monachum Ciſtercienſem in eorum Conuentuum Priorem, ſed eum ex domeſticis, aut ex Calatrauenſibus Fratribus poſſent eligere; At, vacante munere Magiſtri Calatrauæ, quòd vocandus eſſet Magiſter del Pereiro, & de Alcantara ad ſuffragium ferendum in electione noui Magiſtri. Huic extremæ conditioni Ordo Calatrauenſis defuit, nec ad Magiſtrum eligendum vocauit Alcantarenſem. Hinc Ordo Alcantaræ pacto in ſui fauorem inito, vt contendebat, iam diſrupto, ſtare noluit pacto in fauorem Calatrauenſium præſcripto; Viſitatores ex eis non admiſit, & ab eiuſmodi ſe exemit obſequio. Res fuit ad Iulium II. delata, qui, cauſa cognita, in ſua Bulla Ordinem Alcantaræ à Calatrauenſi declarat exemptum. Calatrauenſes nihilominùs contendunt, ſibi deberi ſubiectionem, & penes Ordinem Calatrauæ ius viſitandi Ordinem Alcantaræ permanere. Hinc in Definitionibus Calatrauæ, *tit.* 19. *cap.* 3. iniungitur viſitatio Ordinis Alcantaræ peragenda, & in Capitulis deſignantur Viſitatores. Cæterùm Ordo Alcantaræ ſuis ſe munit exemptionibus, nec Viſitatores admittit, & iam à tempore Iulij II. hac fuit exemptione potitus. Aliundè nunquam ſubſtitit Diœceſanis, vt conſtat ex Bulla Lucij III. allata *in Bullario Ordinis, fol.*6. Nec prætereà, eſto Ciſtercienſis, fuit ſub Ciſtercio, in ſui exordio, vt poſteà extitit; ſic tradit Fr. Angelus Manrique, *vbi ſuprà.* Sed tamen, cum Alcantara fuit huic Ordini ſub prædicto pacto, & contractu tradita, pyro arbori, quam pro ſtemmate Ordo geſtabat, addidit in vtroque latere exiguas catenas, ſeu pendentia vincula, quæ vocantur Hiſpanè *Trabas*, quæ in ſuo etiam ſtemmate Calatrauenſes afferebant; & adhuc ſunt vtriſque communia, in amoris ſignum, in beneuolentiæ fraternæ vinculum; nec Alcantarenſes aliud per illas deſignari volunt.

Non diu perſtitêre in Monaſterio S. Iuliani del Pereiro Fratres Alcantarenſes, ſed ſecuti primos tandem ad Alcantaræ Conuentum penitus migrarunt; Magiſtrique propterea ſolùm ſunt nuncupati deinceps Magiſtri de Alcantara; non tamen amiſit tunc Ordo territorium, & bona S. Iuliani del Pereiro, ſed ex eis Commenda Ordinis fuit conſtituta, & qui eam obtinebat, Commendatarius *del Pereiro* fuit nuncupatus. Verum tandem hæc periit Commenda. Quippè Dionyſius Rex Luſitaniæ Regnum Caſtellæ inuaſit, vt faueret Ioanni Infanti, qui Regnum Legionis aduersùs Ferdinandum, puerum adhuc, Caſtellæ Regem affectabat. Obtinuit Luſitanus territorium S. Iuliani præſidio Alcantarenſium deſtitutum; Conati ſunt hi recuperationem, ſed fruſtrà. Vndè illud ditioni Luſitaniæ vnitum, & à ſuo Rege fuit diuiſum, atque donatum. Nunc temporis partem agrorum poſſidet proximum Ciſtercienſium Monaſterium, dictum *Nueſtra Señora de Aguiar*; pars verò redacta eſt in Commendam Ordinis Chriſti. Extabat adhuc paucis abhinc annis, diruto Monaſterio, Eccleſia, non quidem ſtructuræ ſuperbæ, ſed vt antiquis temporibus templa frequentiùs conſtruebantur; extra Eccleſiam verò aliqua ſepulchra lapidea à terra aſſurgentia eminebant. Aliud etiam Monaſterium hic Ordo habuit in Oppido de Truxillo, quod fuit collapſum. *Superiùs quæſt.* 4. Equitum *de Truxillo* meminimus. 160

Triginta Septem Magiſtri huic Ordini 161 præfuerunt; quorum extremus fuit Ioannes de Zuñiga, filius Aluari de Zuñiga, Ducis primùm de Areualo, deindè Plaſentiæ, demùm de Bejar, eiuſque vxoris Leonoris Pimentel. Eo Magiſtro, Ferdinandus Catholicus, Hiſpaniæ Rex, Bullam à Sede Apoſtolica impetrauit, qua ei fuit conceſſum, vt, Magiſtratu Ordinis vacante, ipſe foret illius Adminiſtrator. Renuntiauit muneri ſuo Ioannes de Zuñiga anno 1495. ſibi reſeruans redditus, quos in territorio *de la Serna* Magiſtralis menſa poſſidebat; Conſtruxit ſibi Monaſterium in Oppido

Oppido *de Villanüeua*, in quo aliquandiu vixit, paucis Equitibus, ac Clericis Fratribus comitatus. Poſtmodùm ad Archiepiſcopatum Hiſpalenſem, & ad purpuram Cardinalitiam fuit euectus. Obiit tandem in Cœnobio Hieronymiano *de Guadalupe*, & ad vrbem Plaſentiæ eius fuit corpus tranſlatum, vbi in Illuſtri Prædicatorum Cœnobio eius extat ſepulchrum. Renuntiatione igitur ritu ſolemni ab eo peracta, Magiſtratus vacauit: Catholicus Rex Ordinis adminiſtrationem ſuſcepit; qua in perpetuum ab Apoſtolica Sede Regibus Hiſpaniarum conceſſa, in eam ſucceſſerunt Carolus V. Imperator: Philippus II. Philippus III. Et nunc, ac vtinam diu, noſter Magnus Philippus IV. ea fungitur, quintus Ordinis Adminiſtrator.

162 Innumeris gratiis, & priuilegiis Apoſtolica Sedes hunc inclytum Ordinem ſtabiliuit, ac decorauit. In Bullario ipſius Ordinis tranſcriptæ afferuntur ſeptuaginta Bullæ in eiuſdem fauorem à ſeptemdecim Pontificibus expeditæ. Extat *ibi* etiam Decretum in ipſius gratiam editum à Concilio Baſilienſi celebrato anno 1438. Gaudet prætereà Ordo, vtpotè Ciſtercienſis, omnibus priuilegiis, & gratiis conceſſis, & concedendis Ordini Ciſtercienſi; & communicat omnia priuilegia Ordini D. Iacobi indulta, quare, vt propria Ordinis, afferuntur in Bullario *ex pag.* 181. & in Definitionibus *ex pag.* 222. Sed de his latiùs agemus, dum priuilegia Ordinum Militarium euoluemus, *diſquiſ.*2. & toto ferè Operis decurſu. Vbi etiam attingemus priuilegia Regum huic Ordini donata, quæ ſanè plurima, & ingentia ſunt; quippè à primo eius exordio fauerunt ei Reges, ac pluribus territoriis, ditionibus, locis, redditibus, & Eccleſiis locupletarunt, ac ſpecialibus exemptionibus inſtruxerunt, quæ in Definitionibus libantur, nec ab Scriptoribus prætermittuntur.

163 In vexillo militari Ordinis Crux effigiatur, quæ pro Inſigni ſuper veſtes affertur, ſerica, liliata; & præterea in æquore, ſeu campo aureo Pyrus arbor, ſiccis ramis (non viridantibus vt ait Barboſa *vbi ſuprà*) contexitur; propter pyrum conſitam in loco *del Pereyro*, prima Militiæ Sede. De quo videndus eſt P. Mariana *in hiſtoria Hiſpan. lib.* 12. *cap.*3. Toga, ſeu veſtis Capitularis Alcantarenſium eſt candida, & deſuper Crux viridis eminet. Equites, præter Crucem, vt cæteri ſæculares, incedunt ornatis Clerici Fratres extra communitatem degentes, vt cæteri Clerici, decentia habitus retenta; In Collegio Salmantino eam veſtium formam geſtant, quam Iacobæos afferre, diximus *quæſt.* 6. Intra Monaſterium autem à Clericis honeſtis non differunt, Cruce tamen viridi ſemper ornantur.

Hæc de Ordinis Alcantaræ progreſſu 164
ferè apud omnes Scriptores ſunt communia, nec multùm circa ea diſſidetur. Exordium autem Ordinis non adeò antiquum adſtruitur. Etenim, nondum reperto Inſtrumento illo publico, quod in Monaſterio Alcobacenſi extabat, à tempore expeditæ Bullæ Confirmationis ab Alexandro III. deſumebatur Ordinis initium; Et, quamvis ex eiuſdem contextu aliqui Scriptores obſeruarent, antecedenter ad illam, Ordinem viguiſſe, tamen cum nec initium poſſent explorare, nec de alia antecedenti approbatione conſtaret ipſis, cenſuerunt, tunc primùm fuiſſe iudicandum Ordinem erectum, vt propriè talem, cum à Pontifice fuit confirmatus. Forſan etiam fundationem Ordinis non à Suero, ſed à Gomecio deſumpſerunt, eo quòd hic primus extiterit Ordinis Magiſter, & hunc titulum cum Ordine cœpiſſe, iudicauerint, ſicut in aliis Ordinibus Militaribus cœpit. Hinc in ipſis Definitionibus *à pag.* 3. Fundatio adſtruitur ex Gomecio; Ea quippè enarratio Fundationis à priſcis temporibus exarata, abſque vlla mutatione, in Definitionibus deindè in lucem editis fuit tranſcripta. Igitur in eis aſſeritur, Ordinem hunc fuiſſe inſtitutum, dum Legionis Rex eſſet Ferdinandus II. qui in fauorem ipſius Ordinis priuilegium expediuit anno 1174. Affirmatur autem cœpiſſe regnare anno 1157. Sed rectiùs exacti Hiſtorici Fr. Prudentius de Sandoual *in hiſtor. Imperatoris Alfonſi*; & Colmenares *in hiſtor. Segouiæ, anno* 1154. & alij initium Regni antecedenter deſignant; nam eo anno 1157. obiit eius pater Imperator Alfonſus, qui anno 1154. inter filios Sanctium, & Ferdinandum Regna diuiſit. Primus Ordinis Fundator, Prior, & Magiſter deſignatur Don Gomecius Fernandez.

Propoſui opiniones circa Ordinis huius 165
exordium, quas accuratè exploraui. Viginti vnus anni inter vtramque intercedunt. Expendant alij fundamentorum vim; Authoritatum robur; Inſtrumentorum fidem. Meum fuit, ſyncerè, & exactè proponere; Illorum erit, ferre iudicium.

De Ordine Alcantaræ Equitibus, Cleri- 166
cis, Fratribus, priuilegiis, & qualitatibus, varia ſunt inter Authores hinc indè diſperſa. Ea attingunt Illuſtriſ. F. Angelus Manrique, Illuſtriſ. San Victores, Bernardus Brito, Brandon, Fr. Antonius de Yepes,

Barboſa, Rodericus Mendez de Sylua, Ægidius Gonzalez Dauila, Don Gineſius Morote, locis relatis *ſuprà*, & alibi ſæpè.

167 Præterea Caſſanæus *in Cathalog: glor. mundi, part. 3. conſider. 9.* Polydorus Virgilius *de inuent. rer. lib. 7. cap. 15.* Emanuel Rodriguez *tom. 1. qq. Regul. quæſt. 5. & pluribus in locis.* Ioann. Petrus Gutierrez *De origine Militum de Alcantara.* Ludouicus Contarinus *in lib. Italo, Il uago, è dilletteuole giardino, tractat. L'Origine delle Religioni, & Caualieri, ex pag. 425.* Carolus de Tapia *in authent. ingreſſi, Cod. de Sacroſanct. Eccleſ. verbo, Monaſteria, cap. 50.* Sanſouinus *de origine Equitum, lib. 2. tit. Alcantara.* Hieronymus Rodriguez *in comp. qq. Reg. reſ. 123.* Paulus Morigia *de orig. Relig. lib. 4. cap. 6.* Tamburinus *de iure Abbatum tom. 2. diſp. 24. q. 5.* Marullus *in Oceeano Relig. lib. 3. pag. 227.* Caruallus *de vna, & altera quarta, ad cap. Raynaldus de teſtam. part. 1. n. 349.* Martinus de Viriana *in Chronic. Valentiæ, p. 3. tit. de Alcantara.* Rades de Andada *in Chronica Alcantara.* Machado *de perf. Confeſſar. tom. 2. lib. 5. p. 4. tr. 2. documen. 2. & ſæpè alibi.* Mennenius *in del. Equeſt. tit. Alcantara.*

168 Demùm Franciſcus Caro de Torres *in hiſtor. Ordin. Militar.* D. Ferdinandus Pizarro *in Apolog. pro Ordinib. Militarib.* P. Araujo Peñafiel *de priuileg. Ordin. Militar.* Ioſeph Micheli *en el teſoro Militar. fol. 10.* Hieronymus Roman *de Rep. Chriſt. lib. 7. c. 9.* Don Gabriel Bocangel *in eleganti panegyri Ordinis, Votum Conceptionis Immaculata Deiparæ emittentis.* P. Azor, Diana, Pellizarius, D. Ioannes de Solorzano, & plures alij decurſu Operis referendi. Videndus eſt Fr. Antonius de Yepes *in Chronic. S. Benedicti, tom. 7. centur. 7. anno 1156. pag. 458.* Inſtitutionem huius Illuſtriſſimi Ordinis, traditionem Alcantaræ, pactum, & concordiam Alcantarenſium cum Calatrauenſibus, diſſidium inter vtroſque, & ſimilia latè recenſens.

QVÆSTIO IX.

De Inſtitutione Ordinis Equeſtris de Monteſa, in Valentiæ Regno.

169 EXtincto Ordine Militari Templariorum in Concilio Viennenſi à Clemente V. anno 1311. ad inſtantiam Regis Galliæ, bona quæ illi in Regno Valentiæ poſſidebant, Ordini Sancti Ioannis à Pontifice applicabantur. Renuit Rex Aragoniæ, & Valentiæ Iacobus II. vtpotè optans, loco Templariorum, alios Equites inſtitui, qui Regnum Valentiæ, eiuſque littora defenderent aduerſus Mauros terra, marique infeſtiſſimos, & Religioni Catholicæ ferrent ſuppetias. Rem obtinuit; Inſtituitque Ordinem Equeſtrem de Monteſa, ſic dictum ab Oppido de Monteſa in Regno Valentiæ, in quo primum, ac præcipuum domicilium, & Monaſterium Ordo habuit. Inſtitutionis annus variatur ab Authoribus, aliis deſignantibus annum 1316. aliis annum 1317. aliis demùm annum 1319. Confirmauit Ordinem Ioannes XXII. Cuius teſſera eſt Crux rubra plana, ſeu ſimplex, toga verò Capitularis alba. Alio olim habitu vſi fuerunt Regulares huius Ordinis, quem affert Don Laurentius Mattheu *de regimine Regni Valentiæ, cap. 7. §. 4.* Vbi oſtendit, confirmatum fuiſſe hunc Ordinem à Clemente V. Martino V. Iulio II. Gregorio VIII. Leone X. Gregorio XII. & Sixto V. conceſſumque Ordini fuiſſe, quòd omnibus priuilegiis Calatrauenſis Militiæ gauderet.

170 Erectus fuit hic Ordo ſub regula S. Benedicti, ſub norma Ciſtercienſi, & ſub Inſtituto Ordinis de Calatraua, & dependentia ab eo in ſpiritualibus, & temporalibus, ita vt Magiſter Calatrauæ quotannis per ſe, aut per alios eum viſitaret ſimul cum Abbate *de Santas Cruees*, aut Abbate *de Baldigne*; quorum ope, & conſilio viſitatio, & ſtatuta peragerentur; ipſis verò vocatis, & non aduenientibus, Magiſter Calatrauæ, aut eius Commiſſarij ſoli viſitationem peragerent. Sic conſtat ex Bulla Confirmationis, quæ affertur in Definitionibus Ordinis Monteſæ *fol. 6.* Hinc Don Garcias Lopez Magiſter Calatrauæ bis requiſitus fuit à Rege Iacobo II. & ab Archiepiſcopo Valentino, vt Ordinem viſitaret, Definitioneſque, ac Statuta perficeret, ipſe verò præpeditus aliis negotiis, cum non valuiſſet perſonaliter adeſſe, decem Fratres Clericos Calatrauenſes miſit Monteſam, qui Ordini normam, & Statuta præſtarent: exindeque Ordo Calatrauæ viſitauit hunc Ordinem, vt ex Definitionibus *num 4.* conſtat; Quod ipſi Ordini Calatrauæ conceſſit Eugenius IV. anno 1436. cuius Bulla aſſeruatur in Archiuo ſacri Monaſterij de Calatraua *ſcrinio 8. num. 18.* Idque præſtabant ipſi Magiſtri Ordinis Calatrauæ.

171 Hæc per Magiſtros viſitatio ceſſauit tempore vltimi Magiſtri Ordinis de Monteſa, qui fuit Don Petrus Ludouicus Galcerande Borja, qui Magiſterium in manibus

Pontificis

Pontificis reſignauit, vt dignaretur illud vnire Regiæ Coronæ Aragoniæ. Annuit Pontifex, & expediuit Bullam, qua Reges Aragoniæ Adminiſtratores perpetuos Ordinis deſignauit, & conuocato Capitulo Generali, Ordo acceptauit Bullam Pontificiam tempore Regis Philippi II. qui fuit primus Adminiſtrator, & poſt eum Philippus III. & demùm potentiſſimus noſter Rex Hiſpaniarum Philippus IV. eſt tertius Ordinis Adminiſtrator. Cæterùm Ordo Calatrauæ deſignat Equitem, & Fratrem Calatrauenſes, qui Ordinem Monteſæ viſitent.

172 Quatuordecim Magiſtros Ordo habuit. Tredecim poſſidere Commendas, aiunt; decem dumtaxàt apponit Don Laurentius Mattheu, qui rem exactiùs explorauerit. Præter Magiſtrum, ſeu Adminiſtratorem perpetuum, Dignitates Ordinis ſunt Commendatarius maior; Clauiger; (hæc autem Dignitas in duas fuit diuiſa Commendas) Gubernator, ſeu locum tenens Magiſtratus, quem cum duplici Aſſeſſore ex Senatu in vrbe Valentiæ Rex noſter, vt Adminiſtrator eligit, qui communiter Habitu Ordinis inſigniuntur; & ſimul eligit Aduocatum Fiſci; ac per hos Ordo regitur. Præterea in Curia ex Senatu Supremo Aragoniæ exiſtit Generalis aſſeſſor Ordinis. Modus autem, qui in criminum punitione exercetur, habetur in Definitionibus ipſius Ordinis *cap.* 70. Quinque ſunt Prioratus, & plures Rectoriæ Clericis Fratribus deſtinatæ. Huic Ordini fuit vnitus alius, qui dicebatur S. Georgij de Alfama, quam nuncupationem deſumpſit ab arce, ſeu caſtro vocato *Alfama*, quod ſitum eſt in Principatu Catalauniæ in litore maris Baleonarici inter oſtium Iberi fluminis, & collem Ballaguerij. Id caſtrum hodie eſt Prioratus Ordinis Monteſæ. Ordo ille S. Georgij erectus fuit à Petro II. Rege Aragoniæ anno 1201. Quamuis confirmatio Pontificia non reperiatur vſque ad annum 1369. quo eum approbauit Benedictus XIII. quem, vt legitimum Pontificem, Aragonij colebant: ipſe verò poſtmodùm, ne Ordo collaberetur, Ordini Monteſæ eum vniuit.

173 Gaudet Ordo Monteſæ omnibus priuilegiis conceſſis, & concedendis Ordinibus D. Iacobi, & Calatrauæ; vt conſtat ex Bulla Pauli III. expedita die 4. Auguſti, anno 1544. & ex alia Gregorij XIII. data die 6. Decembris, anno 1588. Componitur Ordo ex Equitibus, & Fratribus Clericis. Vouent Paupertatem, Obedientiam, & Caſtitatem; Equites quidem coniugalem; Fratres verò abſolutam.

174 Et quidem, cum tam hic Ordo, quàm Ordines de Auis, & Chriſti ſint filiationes Ordinis Calatrauenſis, & in ſubſtantia Inſtituti ſimiles, nec multùm abſimiles, in Conſtitutionibus, & Definitionibus, facilè eis aptaueris; quæcumque in hoc Tractatu diſcutiemus, in quo ſæpiùs mentio expreſſa fiet de Ordinibus D. Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ; Plurima etiam de his ventilanda aptantur omnino Ordini D. Ioannis. Quæ autem in hoc, & in Ordinibus de Auis, Monteſæ, & Chriſti ſunt ſpecialia, etiam attingemus, vt nihil omnino deſideretur; Et eſtò noſter hic labor ad Ordines Militares, Hiſpaniæ proprios, præcipuè collimet, ea omnia, in quibus conueniunt Ordines Equeſtres extra Hiſpaniam inſtituti, eis etiam poterunt adaptari. Id tamen annotaueris, Regium Senatum Ordinum non extendi, niſi ad tres præfatos Ordines Diui Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ.

175 Ioannes Gotofredus *in Arcontologia Coſmica lib. 3. num. 18. fol. 7.* ait, primam huius Ordinis confirmationem præſtitam fuiſſe à Benedicto XIII. & poſtmodùm à Martino V. Conſtat ſanè ex Diplomate Pontificio multò antè confirmatum fuiſſe à Ioanne XXII. Sed Authori extero licuerit exacta caruiſſe notitia; Sicut etiam mihi venia dabitur, ſi aliqua circa Inſtitutionem Ordinum qui extra Hiſpaniam ſunt erecti, minùs congruè appoſuerim; quippè non aliter valui de eis alloqui, quam ex Authorum teſtimonio, quos tamen plures accuratiſſimè euolui.

176 Quæ de Ordine Monteſæ præfixi, & alia plura ſparſim congerunt D. Don Hieronymus de Maſcareñas *in Apologia pro Ordine Calatraua ex pag. 162.* Ioſephus Micheli *in Theſauro Militari, fol. 72.* Eſcolanus *in annalibus Valentia, lib. 5. cap. 13. & lib. 9. cap. 6. & 7.* Rodericus Mendez de Silua *in Catalogo Regio, fol. 148.* Rades de Andrada *in Chronico Calatraua cap. 16.* Zurita *in annal. Regni Aragon. p. 2. lib. 6. cap. 26.* Illeſcas *in hiſt. Pontif. in vita Ioannis XXII. cap. 2.* Martin. Carrillo *in annalib. Bronolagic. lib. 4. anno 1317.* P. Mariana *in hiſtor. Hiſpan. lib 15. cap. 15.* P. Azor *p. 1. inſtitution. moral. lib. 13. cap. 5. quæſt. 3.* Tamburinus *de iure Abbat. tom. 2. diſp. 24. quæſt. 5. num. 22.* Machado *de perfecto Confeſſario tom. 2. lib. 5. part. 4. tract. 3. docum. 4.* Garibai *in comp. hiſt. lib. 3. capit. 11.* Caſſanæus *in catalog. gloriæ mundi p. 9. conſid. 9.* Argote de Molina *lib. 1. ſua hiſtoria, cap. 32.* Barboſa *in ſum. Apoſtolicar. deciſ. collectan.* 310. & apud ipſum Menchaca,

Lobera,

Lobera, Barnabas Montaluo, Polydorus Virgilius, Sylueſter Marullus, Paulus Morigia, Martinus de Viriana, Petrus Andreas Beuter. Llamas, Carolus Tapia, Franciſcus Hieronymus, Hieronymus Rodriguez, & Catuallo. Demùm Illuſtriſ. Dom. F. Angelus Manrique *tom.*3. *Annal. Ciſterc. anno* 1158. Pluta affert Doctiſſimus Don Laurentius Mattheu Sanz, *tom.* 2. *de regimine Regni,& vrbis Valentia, cap.*7.§.4.

QVÆSTIO X.

De Inſtitutione Ordinis Militaris de Auis, in Luſitania.

177 ALphonſus Henriquez Primus, Luſitaniæ Rex inſtituit hunc Ordinem ſub regula S. Benedicti, ac ſub Inſtituto Ciſtercienſi anno 1146. eo fine, vt Maurorum impetum frænaret, & Catholicam Religionem defenderet. Confirmauit primò Ordinem Humbaldus Cardinalis, Hoſtienſis Epiſcopus, Legatus Pontificis in Hiſpania, anno 1162. Approbauitque eodem anno Alexander III. & poſtmodùm plures Pontifices confirmatione Apoſtolica, & priuilegiis ſtabilierunt. Exordium Ordinis abſque loco fixo, & abſque nomine deſignato extitit; quippè vtrumque optabant Equites per arma comparare. Aliqui innuunt, ſedem primam habuiſſe Conimbricæ in vico, qui adhuc vocatur *da Freyria*, ibique per quadriennium fuiſſe commoratos. Deindè, Ebora à Sarracenis expugnata, ibi domicilium conſtruxere, & nuncupati ſunt Equites Eborenſes, donec Alphonſus II. Rex Luſitaniæ eis donauit Oppidum *de Auis* in tractu Transtagano, triginta millia paſſuum ab Ebora ſeiuncto, & illuc tranſlatis, Ordo nomen *Auis* ab Oppido deſumpſit; quamvis non deſit, qui nominis appellationem afferat fuiſſe deſumptam à volatu auis Aquilæ in primo Ordinis exordio conſpectæ, quam fœlix ſibi aucupium apparunt; Sed nec ad nominis anſam ſpecies ſuperſtitionis eſt admittenda. Exordium huius Ordinis anno 1147. conſtituit Benedictus Haëftenus *in diſquiſit. monaſt. lib.*5. *tract.*3. *diſq.*6.

178 Regulam, & Statuta Ordini præſtiterunt duo Ciſtercienſes Monachi ex Cœnobio Sancti Ioannis de Taroca, nempè Ioannes Zirita, & Guichardus. Subdidit ſe Ordo Abbati Ciſtercienſi Claræuallis, vt conſtat ex Inſtrumento, quod affert Bernard. Brit. *lib.*1. *Chron. Ciſterc. c.*11. & affertur in ſtatutis Ordinis de Auis, confecto Æra 1200. qui eſt annus 1162. & in eo inter alios ſubſcribit primus Ordinis Magiſter Petrus, frater, vel iuxta alios, filius Regis Alphonſi I. Vndè minùs accuratè Ioſeph Micheli *in Theſ. Mil. fol.*25. affirmat, primum Ordinis Magiſtrum fuiſſe Ferdinandum Monteiro.

Poſtmodùm Ordo de Auis Militiæ Calatrauenſi ſe ſubiecit, nec Luſitani recuſarunt Caſtellæ iugum; Hæc vnio, ſeu filiatio adoptiua perfecta fuit ante annum 1201. nam extat priuilegium hoc anno expeditum ab Innocentio III. datum Laterani XVI. Kalen. Iunij, Pontificatus ſui anno IV. cuius titulus eſt; *Innocentius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, & Fratribus Militia Ebora, Ordinem Calatraua profitentibus, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.* Affertur à F. Angelo Manrique *tom.*2. *Annal. Ciſterc. anno Chriſti* 166. *fol.*427. Quare eo anno 1201. iam Equites de Auis Militiæ Calatrauenſi ſubdebantur; minuſque exactè aſſeruit Rades *in Chron. Calat. c.*16. eam vnionem, ſeu filiationem contigiſſe anno 1213. Et miror D.D. Hieronymum Maſcareñas defœcatæ notitiæ Virum, huic aſſerto ſubſcripſiſſe, & vt ſuo Calatrauenſi Ordini, cuius acerrimus æquo iure propugnator eſt, eam detraxiſſe gloriam, dum annos ſubiectionis Ordinis de Auis imminuit *in Apolog. Hiſt. pro Ordine Calatraua fol.*159. Nec aſſeri valet, Ordinem de Auis inſtitutum fuiſſe ſub regula Calatrauenſi, ſed abſque ſubiectione. Nam in Inſtrumento inſtitutionis nihil agitur de regula Calatrauenſi; Et aliundè verba *Ordinem Calatraua profitentibus*, ſubiectionem ſonant. 179

Viſitauit Ordinem de Auis Magiſter Calatrauenſis anno 1238. Et ſub Ordine Calatrauæ ille militauit, donec Ioannes Rex Luſitaniæ, qui ante Regnum Magiſter fuerat Ordinis de Auis, præcepit, quòd Calatrauenſes non admitterentur ad viſitationem, & reformationem Ordinis, ſed hic ab ea ſubiectione ſubtraheretur. Ita præſtitit, nec admiſit D. Gundiſaluum Nuñez de Guzman Magiſtrum Calatrauenſem, qui eum viſitare contendebat. Inde conqueſtus eſt Calatrauenſis Ordo in Concilio Baſileæ, in quo ſtabilitum fuit, vt Ordo de *Auis* ſub eadem filiatione Ordinis Calatrauenſis ſubditus permaneret; Expedita eſt Bulla, quæ aſſeruatur in archiuo Sacri Conuentus Calatrauæ *ſcrinio* 8. Sed, ne indè, vt iuſtè timebatur, turbaretur pax inita inter Regna Caſtellæ, & Luſitaniæ ab incepto deſtitere Calatrauenſes, & Ordo 180

de

de Auis deinceps eis minimè ſubiacuit. At primam ſubiectionem manifeſtè oſtendunt Authores, Inſtrumenta, & Bullæ Pontificum Innocentij III. Ioannis XII. Innocentij VII. Alexandri VI. & Iulij Secundi, quæ in prædicto Monaſterio Calatrauæ ſeruantur.

181 Ait Rades, *vbi ſuprà*, & eum ſequitur D. Don Hieronymus Maſcareñas, Ordinem Calatrauæ donaſſe Ordini de Auis duas Arces (quarum vna *Auis*) & Xenodochium, quæ ipſe in Luſitania poſſidebat; ſicut etiam nonnullus aſſeruit, Ordinem Calatrauæ conceſſiſſe Ordini de Alcantara locum, & ditionem Sancti Iuliani del Pereiro, quæ fuit eius prima ſedes. Attamen inter alia fundamenta, quibus hæc eneruantur, illud eſt firmum, quòd conſtans eſt, Ordinem del Pereyro, nunc Alcantaræ, non niſi poſt quatuor annos, quibus iam erat inſtitutus Ordo, & ſedem fixerat in Pereyro, Ordini Calatrauæ acceſſiſſe; Ordinemque Auis ei ſe ſubmiſiſſe poſt aliquot annos, quibus iam Oppidum, & Arcem de Auis poſſidebat à Rege Luſitaniæ ipſi donatam. Videatur Illuſtriſſ. Dom. Fr. Angelus Manrique *ſuprà, fol.* 527. *ex num.* 10. vbi euertit fundamenta ab aduerſantibus adducta, qui verbis quibuſdam Pontificiis innituntur, quæ, ſi introſpiciantur, minimè adfauere, hic Author contendit.

182 Habitus Ordinis de Auis per duo ſæcula fuit ſcapulare breue, cui aſſutum erat caputium; quod, quia præliantes impediebat, à Bonifacio Nono viuæ vocis Oraculo, mutatum eſt in ſcapulare breuius, & Crucem viridem, quæ liliata eſt, & toga capitularis candida. Vota cæterùm, quæ in Ordine emittuntur, ea ſunt, quæ in Calatrauenſi, & Alcantarenſi Militia; Et quidem, ſicut in his, olim Caſtitas abſoluta vouebatur, poſtmodùm dumtaxat ab Equitibus coniugalis; à Fratribus verò Clericis abſoluta; Pro quibus, vt in literis progreſſus facerent, Collegium in Academia Conimbricenſi fuit extructum, & promotum à Paulo V. vt conſtat ex eius Bulla, quæ incipit *Ex iniuncto*, expedita die 23. Auguſti, anno 1605. quam refert Laërtius Cherub. *tom.* 3. *pag.* 208.

183 Potitur hic Ordo in Regno Luſitaniæ quadraginta duabus Commendis, quarum redditus adimplent ſummam 770350. ducatorum. Vt autem Equites Commendas aſſequantur, ſtatuit Paulus V. in Bulla, quæ incipit, *Maieſtatis*, expedita die 21. Iulij, anno 1606. & affertur à Laërtio Cherub. *vbi nuper in Bullario, pag.* 208. vt priùs per quinquennium aduerſus hæreticos, ſeu infideles in bello pugnarent.

Viginti ſeptem extitere Ordinis Magi- 184
ſtri, quorum vltimus fuit Georgius de Alencaſtro, filius illegitimus Ioannis II. Regis Luſitaniæ, & Dux Conimbricenſis, à quo Duces *de Aueiro*, atque *de Terras nouas* ducunt originem, & inſimul præfuit Militiæ D. Iacobi in Regno illo, Deinde Ioannes III. Rex Luſitaniæ deſignatus fuit Adminiſtrator Ordinis à Iulio III. anno 1550. Et paulò poſt ab eodem Pontifice impetrauit, vt hæreditario iure Magiſtratus Ordinis Regiæ Coronæ Luſitanæ aggregaretur, ipſeque Habitum militarem Auiſienſem Vliſipone ſuſcepit. Poſt Ioannem in Regnum, & Adminiſtrationem ſucceſſerunt Sebaſtianus, & Henricus; Quibus vita functis, legitimo hæreditatis iure Reges noſtri Luſitanum Regnum obtinuerunt, & ſimul huius Ordinis Adminiſtrationem, in primis Philippus II. deindè Philippus III. ac demùm Potentiſſimus noſter Monarcha Philippus IV. qui legitimè ſextus eſt huius Ordinis Adminiſtrator.

Seriem omnium Magiſtrorum Ordinis de Auis præfigit Fr. Angelus Manrique *in tom.* 2. *Annal. Ciſterc. in fin. pag.* 46. Vbi, (ne offendas) errorem Typographi obſeruaueris, qui in titulis Magiſtrorum exarauit *Ioannes V.* cum ſit Ioannes II. Et inferiùs, *Ioannes VI.* cum ſit Ioannes III. Prætereà D. Don Hieronymus Maſcareñas *in ſua Apolog. hiſtorica, ex pag.* 169. refert Viros ex ſtirpe Regia, qui Magiſtratus Ordinum Calatrauæ, Alcantaræ, Auis, Chriſti, & Monteſæ obtinuerunt, aut hos Ordines ſunt profeſſi, vt inde eorum Regius, vel ſi quid vltrà, ſplendor appareat.

Vexillum militare Ordinis de Auis ef- 185
formatur ex Caſtello aureo in campo rubeo, cui duæ compedes adiunguntur caſtellum ambientes, & duæ aquilæ in vtroque caſtelli latere effigiatæ. Caſtellum ſanè illud memorat, quod Equites ab Alphonſo Rege acceperunt in Eboræ vrbe, in quo ſuum collocauere tunc domicilium; Compedes verò alludunt ad eas, quibus Militia Calatrauenſis in ſuis Inſignibus vtitur, vulgò, *trabas*; vt denotetur amicitia, ac filiatio reſpectu eius Militiæ, Aquilæ autem duæ, ſiuè duo pulli aquilarum duos illos demonſtrant, qui in rupe, vbi nunc Auiſium cernitur, in nido aquilæ inuenti ſunt, cum Equites eum locum primò habitauerunt; & fortaſsè inde locus vocatus eſt *Auis*, accentu in vltimam ſyllabam mutato, quia aquila Regina auium per antonomaſiam poteſt auis nuncupari.

Omnibus

Digitized by Google

187 Omnibus priuilegiis, quæ conceſſa ſunt Ordinibus Sancti Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ, gaudet Ordo de Auis, ex conceſſione Gregorij Decimi tertij in Bulla, quæ incipit *ex Apoſtolica*, expedita anno 1575. Eam affert Laërtius Cherub. *tom.* 3. *Bullary, pag.* 398.

188 Præcedunt informationes ſanguinis, vt quis ad hunc Ordinem admittatur; Forma verò admiſſionis, & Profeſſionis eadem eſt, ac in ipſo Calatrauæ Ordine. Et, cum eiſdem ferè legibus gubernentur, quidquid in hoc tractatu de Calatrauenſibus dixerimus, facilè Auiſiis adaptaueris.

189 Ioſephus Micheli aliqua ex prædictis aliter enarrat *loco relato*, nempe Equites de Auis ante ſeparationem ab Ordine Calatrauenſi pro teſſera atruliſſe Crucem rubeam, poſteà verò, vt ab eis diſcernerentur, Crucem viridem ex præcepto Regis Luſitani aſſumpſiſſe, effigiatis infra ipſam duabus auibus. Ait prætereà, ſeparationem eam peractam tempore Petri Regis Luſitaniæ, qui victoriam dictam de *Aljubarrota* obtinuit. Vexillum autem militare Ordinis aliud deſignat; affirmat namque ex vno latere in eo effigiatam eſſe Crucem viridem, duobus alitibus nigris ſubſtantibus, ex alio verò Inſignia Regum Luſitaniæ circumdata caſtellis, & deſuper Coronam Regiam. Hæc attigerim, ne prætermiſſa videantur, quæ ab Hiſtoriographis referuntur; ſed veriora cenſeo, quæ in medium protuli, vtpotè ab Authoribus melioris notæ, ex illiſque non paucis Luſitanis, collecta.

190 De hoc Ordine, præter adductos in *hac quæſt.* agunt Antonius Brandon 3. *part. Monarch. Luſitan. lib.* 11. *c.* 1. Hieronym. Roman *lib.* 7. *de rep.* Sylua *in Catalogo Regio fol.* 76. Argote de Molina *lib.* 1. *de nobilit. Bethica, c.* 32. Rades *in Chronic. Calatraua c.* 19. Emanuël Faria *in epitom. hiſt. Luſitan. p.* 4. *c.* 12. Oduardus Nuñez do Leño, Petrus Mazizius, & Antonius Vaſconcellos *in hiſt. Luſitan. in Rege Aſphonſo I.* Flauius Cherubinus *in ſchol. ad Conſtitut.* 32. *Gregory XIV. ſchol.* 1. *&* 2. Andreas Reſende, *in tract. de inſtitutione Ordinis Auiſij.* Lezana *in ſ. m. qq. Regular. tom.* 2. *cap.* 5. *n.* 56. Machado *de perfect. Confeſſar. tom.* 2. *lib.* 5. *part.* 4. *tr.* 2. *docum.* 5. Franciſcus de Auellar, Emanuël Rodriguez, Renatus Choppinus, Arnoldus, Athanaſius Lobera, Mennenius, Bernardus Brito, Antonius Blandinus, Aubertus Miræus, Cabedo, Gabriel Pereira, Pat. Azor, Ioannes de Caruallo, Hieronymus Rodriguez, & Tamburinus, quos refert Barboſa *in ſumma Apoſtolicar. deciſ. collect.* 305. Ioannes Ludouicus Gotofredus *in archontologia Coſmica lib.* 3. *num.* 21. *fol.* 7.

Hic obſerua, Ordinem hunc in ſui exordio nuncupatum fuiſſe *Nouam Militiam*; non enim ei erat, vt notaui, *ſuprà*, fixa ſedes, aut locus, donec Æra 1204. quieſt annus 1166. vt extat *in Hiſtoria Gothorum*, Ebora capta fuit noctu à Giraldo, cognomento *ſine pauore*, qui eam tradidit Alfonſo Regi, hic verò præſidium illius Militiæ Nouæ commiſit, & indè *Militia Ebora* fuit appellata, quouſque nomen mutauit ab Oppido *Auis* ipſi à Rege donato. 191

Obſerua deindè, contentionem acrem eſſe inter Ordinem Calatrauæ, & Ordinem de Auis, ex eo quòd Auiſienſes aſſerunt, ipſos vltroneos, & nulla donatione inuitatos, Calatrauæ ſe ſubmiſiſſe, velut Militiæ formatæ per Ordinem Ciſtercienſem, quem ipſi etiam profitebantur, & in Inſtituto magis edoctæ. At Calatrauenſes affirmant, non ſpontaneam omnino fuiſſe vnionem, ac filiationem Auiſienſium, ſed, quaſi dotem hæreditariam, eis contuliſſe Caſtra, & Xenodochium, quæ in Luſitania Ordo Calatrauæ poſſidebat. Quod, vt *ſuperius* libaui, ex verbis quibuſdam duplicis Bullæ Pontificiæ ſuadere conantur. 192

Ego quidem, vt *in proœmio huius libri* præmonui, controuerſias has circa hiſtorica non dirimo; tum quia non eo tendit præcipuus mei laboris conatus, qui hæc potiùs ſupponit enarrando, quàm decidit, ne opus hoc ieiunum ab Inſtitutione Ordinum euadat; tum quia abſtinere eſt animus ab his, quæ ſpeciem odij valent ingenerare. Sanè Illuſtriſſimus Dom. Fr. Angelus Manrique altè perpendit eiuſmodi controuerſiæ fundamenta, & eneruata Calatrauenſium ratione, verbiſque Bullarum expoſitis, ſtat pro Auiſiis. Meo quidem iudicio, Calatrauenſes, dum contra eos contentio dirimitur, glorioſiores euadunt; eaque lis eſt, vt malle debeant eſſe victi, quàm victores. Quid enim eorum ſplendori congruentius, quàm Ordinem Auis ſponte ſua illos quæſiuiſſe, ambijſſe, ſollicitaſſe? Vltroneos ſe ſubmiſiſſe, & Obedientiam præſtitiſſe ſpontaneos? Niſi Calatrauæ Ordo vndique tunc præfulgeret, neutiquam in eius ſinum Equites alterius Militiæ confugerent. Id equidem æſtimabilius eſt, quàm donis allectos, veluti quodam contractu, Auiſienſes ſe Calatrauenſibus obæraſſe. Recta iudicij trutina penſetur, & fallor, niſi meo iudicio cuncti ſubſcribant. 193

QVÆST. XI.

Digitized by Google

QVÆSTIO XI.

De Inſtitutione Ordinis Militaris Chriſti in Luſitania.

194 Dionyſius Rex Luſitaniæ, Sanctæ Eliſabethæ Reginæ maritus, hunc Illuſtriſſimum Ordinem ſub regula Sancti Benedicti, ac ſub Inſtituto Ciſtercienſi erexit, anno 1316. vt aliqui volunt; alij 1319. alij demùm anno 1320. Illum confirmauit Ioannes XXII. die 14. Martij, anno 1319. Vnde rejiciuntur, qui Fundationem deſignant anno 1320. Extincti fuerant paulò antè Templarij, eorumque bona, præter alia plurima, huic Ordini fuerunt addicta, Pontifice indulgente, qui eiuſmodi facultates Sedi Apoſtolicæ reſeruauerat.

195 Inſtitutus fuit hic Ordo ad pugnandum pro Catholica Religione, & præcipuè contra Mauros Regni Hiſpalenſis, qui continuis incurſibus Luſitaniam vexabant. Primum domicilium Ordinis extructum fuit in Oppido *de Caſtro Marin*, in Regno Algarbiorum, & deindè tranſlatum ad Oppidum de Tomar inter Conimbricam, & Vlyſiponem. Componitur Ordo ex Equitibus, ac Fratribus, ſicut cæteri Ordines Militares Hiſpaniæ; Et à ſui exordio, vt ex Bulla Confirmationis conſtat, ſub Regula Ordinis Calatrauæ degebant, eius Conſtitutiones obſeruando; Vnde Pontifex ipſe deſignauit in Magiſtrum Ordinis Don Ægidium Martinez, qui erat Magiſter Ordinis Auis, etiam militantis ſub Regula Calatrauenſium, & ab hoc Magiſterio fuit abſolutus, vt illum ſuſciperet.

196 Teſſera huius Ordinis eſt Crux rubra, cuius quatuor brachiorum extremitates linea candida interſecat, formata pariter alia Cruce candida; ita vt binæ Cruces appareant, rubra, & alba. Decem fuerunt huius Ordinis Magiſtri vſque ad Ducem Emanuëlem etiam Magiſtrum, qui poſteà Rex fuit Luſitaniæ. Eius Filio Ioanni Tertio, conceſſa eſt Adminiſtratio huius Ordinis anno 1522. Et Iulius Tertius anno 1550. vniuit in perpetuum eam Adminiſtrationem Coronæ Regiæ Luſitaniæ. Adminiſtratores ergo fuerunt Reges legitimi illius Regni, nempè ipſe Ioannes Tertius; Rex Sebaſtianus; Rex Henricus: & poſt illos noſtri Reges, qui iure hæreditario in illud Regnum ſucceſſerunt, Philippus Secundus; Philippus Tertius, & noſter Magnus Monarcha Philippus Quartus, qui proprius, & legitimus eſt Rex Portugalliæ, & Ordinis Chriſti Adminiſtrator: Quare poteſt, quibus velit, Habitum Ordinis concedere; dum in ipſis qualitates ſanguinis, & alia in ſtatutis Ordinis neceſſariò exactæ, reperiantur. Communiter, nonniſi Luſitanis, hic Habitus conceditur.

Gaudet hic Ordo dominio plurium Op- 197
pidorum, iuriſdictione, atque inſignibus priuilegiis à Pontificibus, & Regibus, continua temporum ſerie, obtentis. Quatuorcentum, & quinquaginta quatuor Commendas habet, quarum in ſingulos annos dimidium millionis ducatorum ſunt redditus. Deindè potitur omnibus decimis Eccleſiaſticis cunctorum Regnorum, Prouinciarum, Inſularum, & locorum, quæ vltra mare ſubiectæ ſunt, & ſubjiciendæ Coronæ Luſitaniæ, quæ extant in ambitu ſex mille leucarum; omnem prætereà iuriſdictionem ſpiritualem in prædictis Prouinciis, ac Regnis vltramarinis conceſſit huic Ordini Rex Don Duarte anno 1433. die 26. Octobris, & à Pontifice petiit, vt eam confirmaret. Maiori adhuc extenſione ſtabiliuit donationem huiuſmodi iuriſdictionis Rex Alphonſus Quintus, & eam conceſſit, ac in perpetuum confirmauit Pontifex Calixtus Quartus anno 1455. ac declarauit, eam poteſtatem ſpiritualem, ac iuriſdictionem fore exercendam à Priore Maiori Ordinis, ita vt ipſe concedat omnia, ac ſingula Beneficia Eccleſiaſtica Curata, ac ſimplicia, in cunctis præfatis Regnis vltramarinis vacantia, iam inſtituta, & in poſterum inſtituenda; & poſſit cenſuras, interdicta, & alias pœnas Eccleſiaſticas inibi infligere, & exercere iuriſdictionem omnem ſpiritualem eodem modo, ac illam exercent in ſuis Diœceſibus Ordinarij. Totum hoc in ea Bulla indulgetur.

Ex qua conceſſione, quidquid eſt in am- 198
pliſſimis illis Prouinciis vltramarinis Eccleſiaſticum, huic Ordini fuit applicatum, cuius redditus, & fructus exindè in immenſum excreſcere, cernitur. Hæc temporis decurſu non parùm ſunt immutata; Etenim, iuxta hanc conceſſionem in omnibus Regnis, & Prouinciis vltramarinis non poſſent eſſe Epiſcopi; nec ſedes Epiſcopalis, nec Eccleſia Cathedralis dari (niſi ſolùm velis, Titulares futuros) nihil enim illis iuriſdictionis, poteſtatis, fructuum, ac redditunm

remaneret, ſi omnia penès hunc Ordinem eſſent. Inde crediderim, cum ea conceſſio à Sede Apoſtolica emanauit, minimè in mentem Pontificum veniſſe, amplas adeò Prouincias, & Regna in Indiis Orientalibus fore à Luſitanis ſubiuganda; Quæ, cum non poſſent Antiſtitibus priuari, tũ ob magnitudinem, & authoritatem, tum ob neceſſitatem adminiſtranda Sacramenta Confirmationis, & Ordinis, atque ad alia munia Epiſcoporum priuatiuè propria, ei conceſſioni Pontificiæ, ſaltem in pluribus eſt derogatum. Magnitudo tamen, & ſplendor huius Ordinis ſatis liquet ex dictis.

199 Admittendi ad Commendas priùs debent ſuæ virtutis ſpecimen ferre per triennium in Africanis præſidiis Ceutæ, Tanger, & Mazagon. Sunt in Ordine plures Dignitates, vt Commendatarius Maximus, Clauiger, & alij. Fratres Religioſi Clerici nuncupantur vulgò in Luſitania *Frades de Tomar*; deſumpta nuncupatione ab Oppido, vbi ſuum inſigne Monaſterium habent. Non poterant Equites nuptias contrahere, donec cum illis diſpenſatum eſt, ſicut cum Calatrauenſibus.

200 Prædicta omnia congerunt, vel attingunt Illuſtriſſim. D. Don Hieronymus de Maſcareñas *in apologia pro Ordine Calatraua ex fol.*153. Michaël Pacheco *in Tractatu de hoc Ordine.* Ioannes Ludouicus Gothofredus *in Archontologia Coſmica, pagin.*7. *n.*19. Vbi de Equitibus huius Ordinis ait: *Virtuti ipſorum debetur, quod Imperium Luſitanum, vſque in Orientem, & in Africa, Braſilia, aliiſque Regionibus versùs Occidentem propagatum fuit.* Præthereà Ioſephus Micheli *in Theſauro Militari, fol.*63. Galuanus, Pina, Oduardus Nuñez, Petrus Narizius, Bernardus Brito, Antonius Vaſconcellos, Polydorus Virgilius, Caſſanæus, Illeſcas, Hieronymus Roman, Mennchius, Platina, Petrus Mathæus, Lobera, Martinus Carrillo, Barnabas Montaluo, Petrus Mazizius, Camilus Borrellus, Ferdinandus Camargo, Emanuël Faria, Rodericus de Acuna, Pater Mariana, Maffæus, Pater Azor, Machado, Tamburinus, Llamas, Cabedo, Carolus à Tapia, Sanſouinus, Sylueſter, Marullus, Marta, Caruallo, & alij, quos refert Barboſa *in ſumma Apoſtolicar. deciſ. collectan.* 309. Denique Illuſtriſſ. Fr. Angelus Manrique *tom.*3. *annal. Ciſterc. anno* 1158. Huic Ordini (vt annotaui circa Ordines Auis, & Monteſæ) congruunt omnia ferè, quæ de Ordine Calatrauenſi, cuius eſt filiatio, in hoc Opere dicemus.

QVÆSTIO XII.

De Patronatu Regio circa omnia Eccleſiaſtica ſpectantia ad Ordines Militares, quorum Rex eſt Adminiſtrator.

§. I.

Stabilitur Regius Patronatus.

COnſtantiſſimum eſt, Reges noſtros 201
eſſe Patronos Eccleſiarum, Beneficiorum, Commendarum, & cæterorum, quæ in Ordinibus Militaribus, quorum ſunt perpetui Adminiſtratores, Eccleſiaſtica recenſentur, indeque eis competere ius præſentandi ad Prioratus, Commendas, Beneficia, & Capellanias. Etenim in primis Magiſtris Ordinum, in quorum munus ſucceſſerunt, is Patronatus competebat ex Iure, & ex Indultis Pontificiis. Ex Iure quidem, nam illi Eccleſias, & ditiones à Mauris occupatas reſtaurarunt, & obtinuerunt, ſimulque extruxerunt templa, & reædificarunt; vel à Regibus ex donatione facta Ordinibus acceperunt cum ſuis omnibus iuribus, poſtquam ipſi Reges ab Infidelibus eas ditiones recuperauerant, & Eccleſias condiderant. Vnde in Magiſtris duplex concurrebat titulus, aliter adquiſitionis, & obtentionis ditionum ab Infidelibus; alter fundationis, reædificationis, & dotationis Eccleſiarum, ſimul cum priuilegiis Pontificiis, ac Regiis, in quibus de donatione eis præſtita conſtat.

Vtrumque autem titulum, ſeorſim ad- 202
huc ſumptum, ſufficere ad obtinendum Patronatum Eccleſiaſticum, iuxta iuris diſpoſitionem, conſtat ex Tridentino *ſeſſ.* 25. *de reformat. cap.* 9. Gloſſa *in cap. pia mentis* 16. *quæſt.* 6. *ex leg.* 14. *tit.* 3. *lib.* 1. *Recop. leg.* 3. *tit.* 6. *ibidem.* Tradunt, & latè probant Nicolaüs Garcia *de benefic.* 5. *part. cap.* 9. *num.* 36. Valenzuela *conſil.* 188. *num.* 6. Martinus Magerus *de aduoc. arm. c.* 9. *num.* 11. *& cap.* 18. Cabedo *de patronatu Regio cap.* 2. Perez *in leg.* 3. *titul.* 3. *lib.* 1. *ordin.* Menchaca *contr.* 2. *c.* 51. *n.* 38. Borrellus *de præſtant. Reg. Cath. cap.* 53. *à num.* 9. Victoria, Sotus, P. Azor, Leſſius, & alij plures apud Menchacam *vbi nuper.* Atque ex his titulis Don Ioannes de Solorzano *in Politica Indica lib.*4. *cap.* 2. probat, Reges Hiſpaniarum obtinuiſſe Patronatum Eccleſiaſticum Indiarum,

Digitized by Google

Indiarum, præter priuilegia Apoſtolica, quibus gaudent; & ſanè omnia fundamenta, quæ eruditè affert, aptantur noſtræ deciſioni. Plura etiam ego attuli *tom. de Iure Academico, lib. 1. à n. 58.*

203 Deinde id Ius Patronatus firmatur ex conceſſionibus Pontificiis. Alexander III. illud conceſſit Magiſtris Ordinis D. Jacobi in Bulla confirmationis expedita anno 1175. In cuius expoſitione videatur Ioannes Ramirez *à cap. 27.* Idipſum indulſit, & confirmauit Magiſtris Ordinis de Calatraua Innocentius III. anno 1199. Iulius II. anno 1508. Pius II. in Bulla, quæ incipit, *In eminenti*, expedita anno 1462. Ius idem conceſſerunt Magiſtris de Alcantara Pontifices, dum eis Eccleſias, & decimas præſtiterunt, eximentes ab Ordinariis, eorumque diſpoſitioni cuncta relinquentes, vt conſtat ex Bulla Innocentij III. *pag.* 15. Gregorij IX. *pagin.* 20. & expreſſiùs ex Bulla Martini V. *pag.* 44. Innocentij VIII. *pag.* 60. Clementis VII. *pag.* 130. & ex pluribus aliis. Quæ omnia priuilegia clatè, & expreſsè Regibus noſtris indulſit Adrianus VI. in Bulla, quæ incipit, *Dum intra noſtra*, expedita anno 1523. quæ extat in Bullario Alcantaræ *pagin.* 414. in qua Pontifex vniuit Coronæ Magiſtratus trium Ordinum, Regibuſque noſtris tranſtulit omnia iura, quibus gaudebant Magiſtri, tum circa ſæcularia, tum circa Eccleſiaſtica, in ampliſſima forma. Quare Ius Patronatus circa Eccleſias, Prioratus, Beneficia, Commendas, quæ ex bonis Eccleſiaſticis etiam componuntur, vnicè, & priuatiuè Regibus noſtris competit.

204 Hinc ex Iuris Deciſionibus, & ex grauiſſimorum Authorum doctrina, Don Gineſius Morote *in patrocinio Ordinis de Alcantara ex fol.* 24. tradit, Regem eſſe veluti Vicarium Generalem, aut Ducem Generaliſſimum in his Militiis ſacris, & cenſendum eſſe velut Patriarcham, aut Epiſcopum in ordine ad regimen earum. Maius autem ius, quàm Epiſcopi, habet, cum ſit Patronus cum iure præſentandi omni tempore, quæcumque Eccleſiaſtica ſint, aut eis annexa.

205 Vnde, cum anno 1652. durante Capitulo Generali trium Ordinum Militarium in Curia Matritenſi coacto, dubitatum fuiſſet, an Capitulum Generale, & Senatus Regius Ordinum poſſent ad aliqua Beneficia præſentare, & in medium adducerent aliquos actus præſentationis, re in conſeſſu ſpeciali Virorum doctiſſimorum ventilata, nempè Illuſtriſſimi D.D. Didaci de Arce, & Reynoſo, Epiſcopi, & Quæſitoris Generalis Fidei; Dom. D. Petri Pacheco Præſidis Senatus Cruciatæ; & D. Don Franciſci de Solis Ouando, ac D. Don Franciſci Ramus del Manzano, & Illuſtriſ. D. Don Martini de Bonilla Epiſcopi nunc Abulenſis, & aliorum Inſignium Virorum, ſtabilitum fuit, priuatiuè ad Regem ſpectare, vt Patronum, præſentationem; vndè cernitur, actus in medium prolatos fuiſſe precarios, & ad Regis beneplacitum. Nec dubium vertebatur de præfecturis temporalibus, ſeu Commendis, quas ad Regem pertinere, nullus addubitabat, ſed de Beneficiis Eccleſiaſticis. Cæterùm in praxi Rex Senatui Ordinum commiſit, vt Beneficia minora concedat; reſeruata ſibi prouiſione Dignitatum, ſimiliumque Munerum. Prætereà Commendatarij aliquas Sacriſtias præſtant, & Priores Iacobæi de Vcles, & Sancti Marci Legionenſis, aliqua Beneficia. Quod ſanè emanat (eſtò Pontifices id confirmauerint) ex conſuetudine, & conſenſu Patroni, ſeu Regis, qui eſt Patronus vniuerſaliſſimus. Si verò celebratur Capitulum Generale Ordinis, ipſum, & Senatus conſulunt Regem de quibuſvis Beneficiis, aut Dignitatibus vacantibus. Obſerua tamen, ante vnionem Magiſtratuum, Priorem de Vcles, & Sancti Marci præſentaſſe ad aliqua Beneficia, vt conſtat ex Bulla Eugenij IV. allata in Bullario Alcantaræ *pag.* 224. Id autem ideò credam fieri, vel quia Ordo à primo exordio conceſſit id Prioribus, vel quia conſuetudine immemoriali ea poteſtas præſentandi fuit firmata; non reſiſtentibus Magiſtris, nec Regibus; aut etiam ſtabilita fuit confirmatione Pontificia.

206 Quàm æquo iure Pontifices conceſſerint, & confirmauerint Magiſtris Ordinum Militarium, & Regibus, eorum ſucceſſoribus, id ius Patronatus, ſatis oſtendunt geſta præclara, ſumptus facti, ſanguis effuſus, vt ditiones à Mauris obtinerentur, vt Eccleſiaſtica diſciplina reſtitueretur, vt extruerentur templa, & Religio Catholica radices ageret, Infidelitate expulſa. Ob quas rationes etiam Pontifices conceſſerunt noſtris Regibus Ius Patronatus circa Eccleſiaſtica in Regno Granatenſi. Et ex his fundamentis, ac ſimilibus, quæ ad præſens omninò concernunt, id oſtendunt in Patronatu Regio reſpectu Indiarum, Frat. Ioannes Zapata Epiſcopus de Guatemala *de iuſtit. diſtribut. p. 2. c. 14* Camilus Borrelus *de præſtant. Reg. Catholic. cap. 50. n. 29.* Franciſcus de Alfaro, & alij, quos congerit, & exornat D. Ioannes de Solorzano *tom. 2. de Iure Indiar. lib. 3. cap. 2.*

Qui etiam *in Politica Indica vbi ſuprà*, demonſtrat Reges erga Indias eſſe velut Vicarios Pontificum, & Miniſtros eorum, nec id munus laicis repugnare, cum ex commiſſione, & delegatione Pontificis exercetur; nec iura ſpiritualia tranſlata à Pontifice in laicum fieri laica, aut temporalia, ſed ſpiritualia manere, cum non fundentur in laico, vt laicus eſt, ſed vt Miniſter Pontificis eſt. Id ipſum doctè exagitat Don Gineſius Morote *vbi ſuprà*.

207 Id etiam Ius Patronatus Regium in Statutis, & Definitionibus apertiſſimè trahitur. Sic in Statutis D. Iacobi, *tit.16. cap. 1.* incipitur; *Las preſentaciones de los Beneficios Curados, y Capellanias de nueſtra Orden pertenecen à Nos, por razon de nueſtra dignidad Maeſtral, y como à verdadero, vnico, y vniuerſal Patron della, como parece por priuilegios, coſtumbre y eſtablecimentos.* Idem aſſeritur in Definitionibus Calatrauæ *tit.12. cap.6.* & pluribus aliis in locis affirmatur, aut ſupponitur. Et in Definitionibus Alcantaræ *tit.11. cap.15.* ita aſſeritur; *La prouiſion de los Beneficios Curados, y ſimples ſeruideros de las villas, y lugares de nueſtra Orden, ſon à prouiſion del ſeñor Maeſtre.* Et *in tit.9. c. 2.* aſſeritur *ſiendo Patron ſu Mageſtad, y los Maeſtres, que por tiempo fueren de las Igleſias de la Orden.* Vndique ergo, ex Iure, priuilegiis, ſtatutis, & conſuetudine Ius Patronatus Regium remanet inconcuſſum quod latiùs, non proſequimur, quia & eſt manifeſtum, & ex libatis ſufficienter probatur.

§. II.

An Rex ratione ſui Patronatus poſſit ad ſe auocare prouiſionem, ſeu præſentationem Beneficiorum ab aliis fieri ſolitam quoad ſeruitium.

208 Exemplum apponamus. In Ordine Alcantaræ, in territorio *de Villanüeua de la Serena*, mori antiquo indulgens Rex (vt cernere eſt in Definitionibus *tit. 11. cap.14.*) concedit, quòd oppida ipſa, vacantibus Beneficiorum ſeruitiis, vel amoris, duos Clericos præſentent Priori *de Magacela*, qui eos examinet, & deſignet aptiorem, vt Beneficio inſeruiat, eumque corrigat, cum opus fuerit, & remoueat, ſi cauſæ popoſcerint; ita tamen, vt nequeat collationem Beneficij vlli concedere, ſed tantummodò licentiam ad Sacramenta adminiſtranda præbeat. In hoc caſu, & quovis alio ſimili, quæſtio propoſita examinatur.

In eaque iudico, poſſe Regem præſentare ad prædicta Beneficia Fratres Clericos ipſius Ordinis, vel Clericos ſæculares, & tollere à prædictis Oppidis præfatam præſentationem. Moueor, quia ex vno capite ius Regis ad præſentandum ad ea Beneficia, ſicut ad cætera alia, ſatis, ſuperque eſt radicatum, & fundatum in Patronatu vniuerſaliſſimo, quo gaudet; nec indiget alio titulo, aut priuilegio ad id præſtandum; ex alio capite non præiudicat quidquam huic iuri illa antiqua conſuetudo, & conceſſio à Rege renouata; ergo poteſt Rex præſentare ad ea Beneficia. Et in ipſa Definitione relata id ſupponitur, ibi: *Los Beneficios de Villanüeua de la Serena, y el Portazgo de Zalamea ſon à proueer de ſu Alteza, como Adminiſtrador perpetuo, y de los Maeſtres, que por tiempo fueren.* Conſtat id ipſum ex Bulla Alexandri VI. *in Bullario fol.72.* Nam iura ibi conceſſa vltimo Ordinis Magiſtro circa prædictas Eccleſias ad Reges tranſlata ſunt. 209

Et quidem in præfata Definitione *tit.11.* nihil iuris tollitur à Rege; nam, vt attigimus *§. præcedenti*, ad Regem priuatiuè ſpectat ius præſentandi, quin Capitulum, aut Senatus Ordinum poſſint in id munus ſe immittere, atque adeò nec valent eius poteſtatem tollere, nec limitare; quare Rex cum Capitulo eam Definitionem ſanxit, iudicans tunc, ſic expedire ad rectum regimen, nihil verò ſuæ poteſtati derogans. Quin in ipſa innuitur ſatis, reſeruaſſe ſibi Regem ius præſentandi, ſi vellet, cum præcipiatur Priori *de Magacela*, vt collationem Beneficiorum non præſtet; quaſi Rex indicauerit, ſe pro ſuo arbitrio poſſe præſentare, & nolle, vt difficilis reddatur hæc præſentatio, ſi collatio fiat Beneficiorum; ſiquidem, eſtò Beneficia Regularia ſint amouibilia, vt dicemus *diſquiſ. 11.* tamen, cum fiunt collatiua, non poſſunt amoueri, niſi interueniant cauſæ ſufficientes iuxta Iuris, & Definitionum diſpoſitiones. Præterea Definitiones, quæ ſolùm ſunt inſtructiones quædam ad rectum regimen, nihil poteſtati Regis detrahunt. Sic iuxta illa Prior Alcantaræ ad aliqua Beneficia præſtat informationem de perſonis magis idoneis; & tamen Rex poteſt alios idoneos ad ea Beneficia præſentare, & de facto ita præſtare ſolet; ſicut ergo hæc Definitio non ligat, aut limitat eius poteſtatem, ita nec Definitio *ſuprà* appoſita obſtringit, aut minuit eius Ius ex Patronatu proueniens. 210

211 Deindè in præiudiciũ Patronatus Regij, ſicut

ſicut nec Iurium Regalium, nequit per vllam conſuetudinem præſcribi, etiam immemorialem; Ita docent Rebuffus *tom. 3. ad leg: Gallic. tit. de mater. poſſeſſ. in præfat. n. 133.* Salgado *de Regia protectione, 3. p. c. 10. n. 148.* Menochius, Menchaca, & plures alij, quos refert, & ſequitur Don Ioannes de Solorzano *tom. 2. de Iure Indiar. vbi ſuprà n. 25. Et in Politica, vbi ſuprà, pag. 507.* Hinc Rex Philippus II. anno 1574. in quadam Schedula expedita circa Patronatum Indiarum aſſerit; *Y otro ſi, que por coſtumbre, preſcripcion, ni otro titulo, ningunas perſonas, ni Communidades Eccleſiaſticas, ni ſeglares, Igleſia, ni Monaſterio, puedan vſar de derecho de Patronazgo, ſino fuere la perſona, que en nueſtro nombre, y con nueſtro poder, y authoridad le exercitare.* Rex etiam Philippus III. anno 1620. in epiſtola data die 18. Martij ad Principem de Eſquilache Proregem Regni Peruani, ait; *Y ſin reparar en qualquier vſo contrario; pues contra el dicho nueſtro Patronazgo no ſe admite, ni ſe puede llamar coſtumbre, &c.* Plura huiuſmodi poſſem afferre, quæ in præſenti noſtro dubio omninò militant.

212. Et quidem ea conſuetudo Oppidorum ad præſentandum, & Priorum ad eligendum vnum ex præſentatis, fuit, & eſt precaria, ad beneplacitum Magiſtrorum, ſeu Regum, indeque vi caret; non enim ea dicitur conſuetudo rigoroſè ſumpta, & ſufficiens ad præſcribendum in his, quæ præſcriptionis ſunt capacia (nam in præſenti non datur capacitas præſcriptionis) quæ pendet à nutu alicuius, pro ſuo arbitrio eam permittentis. Eſſe autem precariam, conſtat, nam, vt diximus, Iuri Regio præſentandi nequit præiudicari; deinde, quia verba Definitionis *ſuprà* allatæ oſtendunt, voluiſſe Regem conformare ſe ei conſuetudini; non verò adſtrictum eſſe ad gerendum morem illi; Demùm, quia ibi aſſeritur, Regem, & Capitulum præcipere, vt deinceps Oppida præſentent, vt ſolebant; Quæ verba eſſent nugatoria, & inania, niſi penes Regem adhuc eſſet ius præſentandi; fruſtrà namque præciperetur Oppidis præſentatio, & Prioribus electio, quibus ipſi independenter ab ea Definitione, & à Regis beneplacito, potirentur; Aliundè qui præcipit, poteſt non præcipere, vnde ſi Rex, vt potuit, noluiſſet præcipere eiuſmodi præſentationem, & electionem, eam in ſe ipſo reſeruaſſet.

213 Rursùs Oppida non habent ius præſentandi ad Beneficia, ſed Clericos amouibiles ad Sacramentorum adminiſtrationem. Tunc ſic, poteſt Rex ea Beneficia reddere collatiua, cum ſit Patronus, ad eumque ſpectet ſollicitudo Eccleſiarum, quarum intereſſe poteſt, vt Beneficiati ſint perpetui (dum non adſit Iuris, & Ordinis diſpoſitio eos remouens) &, non vt mercenarij conducti, ſed vt paſtores proprij de ouibus ſuis curent, indeque etiam vitentur pericula diſſenſionum inter Oppidorum habitatores; ſimoniæ, quæ interuenire queunt; præſentatio minùs aptorum, ſi affectus in præſentantibus dominetur, & alia huiuſmodi damna. At eo caſu, quo fierent collatiua Beneficia, vt ab Ordine ipſo reddita ſunt collatiua plura Beneficia, quæ erant amouibilia ad nutum primis Ordinis temporibus, non haberent ea Oppida ius præſentandi ad illa, nam id nunquam habuerunt, ſed ſpectaret præſentatio ad Regem; ergo idem nunc contingit, & ea præſentatio, qua gaudent, eſt ad Regis beneplacitum.

Rursùs poteſt Capitulum & Senatus Ordinum aggregare vnum ex illis Beneficiis alteri, ex Regis conſenſu, ſicut poſſunt Epiſcopi in ſuis Diœceſibus, cum Beneficia ſunt exigua (maximè cum Senatus habeat ſe inſtar Metropolitani, ad quem appellatur à Prioribus iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentibus) & de facto in eo territorio *de Villanueua de la Serena*, in quo *ſuprà* exemplum quæſtionis appoſuimus, aggregauit vnum Beneficium alteri ex Regis Patroni conſenſu; at tunc vnum ex Oppidis admittit facultatem præſentandi Clericos ad Sacramenta adminiſtranda; igitur penes Ordinem, & penes Regem reſidet poteſtas tollendi ab illis eam facultatem, vel ſic aggregando Beneficia, vel ſi Rex ſibi præſentationem reſeruet. Penes Capitulum Generale Ordinis, cum reſideat omnis poteſtas, reſidet etiam poteſtas aggregandi Beneficia, cum conſenſu tamen Regis, vt priuatiuè eorum Patroni. 214

Nec illa Oppida poſſunt ius ſuum præſcriptione protegere; Tum quia non potuit bona fide adeſſe; Etenim vt tradam *diſquiſ. 11.* omnes Eccleſiæ in eis territoriis ſitæ ſunt Regulares & ipſius Ordinis, ipſiuſque ſiunt, quæcumque Beneficia, & Capellaniæ ibi inſtitutæ ſint, & inſtituantur, Clericique ſæculares ſubiecti ſunt Ordini, ita vt abſque licentia ipſius, nec poſſint inter ſe Capitula, vulgò *Cabildos*, formare, & iuxta Definitiones Alcantaræ, *tit. 11. cap. 19.* nec Miſſa in illis celebrari abſque licentia; Cum ergo ita ab Ordine, & Rege dependeant, nunquam potuerunt eam bonam fidem habere, quod, etiam inuito Rege, & Ordine, Oppida forent præſentatura Clericos; quin potiùs in eis eam fuiſſe perſuaſionem, eſt credendum, quod ex beneplacito 215

Regis, & Ordinis id præſtabant, ne aliàs notarentur, vt ſubiectioni ad Regem Patronum repugnantes; Tum quia Patronatus Regius eſt Eccleſiaſticus (de quo *infrà*) contra quem ſæculares nequeunt præſcribere, iuxta doctrinam communem; indeque nec Capitula, nec Senatus Ordinum potuerunt obtinere ius præſentationis aliquorum Beneficiorum, eſtò plures pro ſe Actus produxerint, vt *ſuprà* attigimus. Demum Rex non fuit prohibitus præſentare; præſcriptio autem non procedit in iuribus, & actionibus, in quibus aliquid fieri poſſe negatur (vt in præſenti, ſi quis neget, Regem poſſe præſentare) niſi, poſtquam prohibeatur is, qui vult actum exercere, & prohibitus non contradicat, indeque conſentiat. Vndè contra Regem nequit præſcribi, cum adhuc non voluerit actum præſentandi exercere, nec prohibitus fuerit, nec acquieuerit. Hanc doctrinam, vt communem, nou exorno.

QVÆSTIO XIII.

Exponuntur aliqua circa Regium Patronatum Ordinum Militarium.

216 DVbitari poteſt, an hic Patrouatus ſit Eccleſiaſticus, vel Laïcus? Etenim in pluribus differunt inter ſe Patronatus Eccleſiaſtici, & Laïci, vt videre eſt, inter innumeros alios, apud Iulianum Viuianum *de Iure Patronatus lib.1. cap.3.* qui triginta octo caſus præfigit, in quibus hi Patronatus diſcordant, & quindecim, in quibus Patroni Eccleſiaſtici, & Laïci diuerſificantur. Sed noſtri inſtituti non eſt, eas differentias explanare, ſed ſupponere.

217 Cenſeo igitur, Patronatum Regium reſpectu Ordinum Militarium eſſe Eccleſiaſticum, & prætereà ex priuilegiis Pontificiis, quæ Magiſtris Ordinum ſunt conceſſa, & in Regiam Coronam tranſlata, gaudere pluribus prærogatiuis, quæ ſunt propria Patronatuum Laïcorum. Primam aſſerti partem videntur defenſuri Reinoſo *obſeruat.* 54. *n.*1. Maſtrillo *de Magiſtrat. lib.*5.*c.*5.*n.*10. Barboſa *in leg. quia tale, ff. ſoluto matrimonio, n.*95. ex Nauarro, Ioanne Andrea, & aliis, ac ex doctrina D. Thomæ 2.2. *quæſt.*87. *art.*12. Don Gineſius Morote *in patrocinio Ordinis de Alcantara fol.*22. quatenùs aſſerunt, rem Eccleſiaſticam vnitam ſæculari remanere Eccleſiaſticam, & in terminis loquens de Magiſtratibus Ordinum vnitis Coronæ Regiæ id tuentur Barboſa, & Morote, vnde eadem eſt ratio de Patronatibus, qui inſunt, & annectuntur Magiſtratibus, & quia hos habet ſibi vnitos Corona Regia, habet illos. Quin Aragon. *in* 2. 2. *quæſt.* 62. *art.*2. propendet in id, quòd omnes Patronatus Regij circa præſentationem ad Eccleſias ſunt Eccleſiaſtici; quod potiori ratione tenendum eſt de Patronatu Ordinum, cum hic dicendus ſit Eccleſiaſticus ob ſpeciale fundamentum ſtatim proferendum, quamvis illi eſſent Laïci.

Fundamentum autem eſt. Hic Patronatus in Magiſtris Ordinum erat Eccleſiaſticus; ſed in Regibus eodem modo reſidet, ac in illis, & eodem prorsùs modo ac ſi vnitus non fuiſſet Coronæ Regiæ; ergo in Regibus eſt Eccleſiaſticus, naturamque non mutauit. Conſequentia eſt recta. Maior etiam; nam Magiſtri erant Religioſi, & Eccleſiaſticæ perſonæ; iuxta plurium ſententiam *infrà diſq.*2. examinandam; & iuxta omnes, Religioſi ſtrictè fuerunt ante diſpenſationem ad contrahenda matrimonia omnes illi Militares, qui Caſtitatem abſolutam vouebant; & ex tunc Patronatus Magiſtris inhærens ſuam deſumpſit naturam; quin poſteà immutaretur, eſtò recidiſſet in perſonas non Religioſas, nec Eccleſiaſticas; Patronatus autem adhærens ex ſe Dignitatibus Eccleſiaſticis eſt Eccleſiaſticus, maximè earum rerum, quæ etiam Eccleſiaſticæ ſunt, vtpotè Eccleſiæ, Monaſteria, Beneficia, Prioratus, & ſimilia; Quæ doctrina ſupponitur, vt conſtans à Don Ioanne de Solorſano *in Politica Indica lib.*4. *cap.*3. *num.*1. 218

Minor propoſitio ratiocinij ſuadetur ex ipſis verbis Adriani VI. in Bulla, qua Magiſtratus Ordinum Regiæ Coronæ vniuit, *Et omnia, quæ ipſi Magiſtri, qui pro tempore fuerint, facere, & exercere, & Commendas ipſas, & Preceptorias, ac alia Beneficia Militiarum huiuſmodi perſonis idoneis conferat, liberè poſſint in omnibus, & per omnia, perindè ac ſi vnio huiuſmodi, quoad præmiſſa dumtaxat, minimè facta fuiſſet.* Ecce poteſtas eligendi ad Commendas, Beneficia, & ſimilia, quæ inuoluitur in Patronatu, manet immutata, & eodem modo ac in Magiſtris reſidebat, & ac ſi vnita non fuiſſet Regiæ Coronæ. Quæ verba ſatis oſtendunt noſtrum aſſertum; & firmatur ampliùs ex doctrina libata, quod res Eccleſiaſticæ vnitæ ſæcularibus non mutant naturam, ſed Eccleſiaſticæ remanent; quare, cum hi Patronatus in Magiſtris Ordinum eſſent Eccleſiaſtici, & nunc in Regibus Eccleſiaſtici ſunt. 219

Vnde, quamvis concedatur, Patrona- 220
tum

tùm Regium in ordine ad præſentandùm Antiſtites, & alias Dignitates in Eccleſiis, & eum, quó fungitur reſpectu Regni Granatenſis, & Indiarum quoad omnia Eccleſiaſtica, eſſe laïcum, vt pluribus contendit Don Ioannes de Solorzano *vbi ſuprà*, tamen non militant eius fundamenta, & rationes in noſtro caſu, cum ſit perſpicua diuerſitas. Etenim illi Patronatus Indiarum, & Regni Granatenſis non fuerunt in ſuo exordio Eccleſiaſtici, nec ab aliquibus perſonis Eccleſiaſticis tranſlati ad Reges, nec peruenerunt ad illos ſub illa clauſula expreſſa, *perindè ac ſi vnio huiuſmodi minimè facta fuiſſet*; Quæ omnia in Patronatu Ordinum Militarium reperiri, aſſeruimus. Etenim ipſi Reges adquiſiuerunt illud ius Patronatus Indicum, & Granatenſe, obtinendo Regna ab infidelibus, Fidem immittendo, Eccleſias dotando, indéque à Pontificibus confirmatum eſt id Ius, quaſi proprium ipſorum, & legitimè ab ipſis, non ab aliis, obtentum.

221 Deindè Ius Patronatus, quo Reges erga alias Eccleſias gaudent, ait Don Alphonſus de Eſcobar *de Pontificia, & Regia iuriſdictione*, *cap. 8. n. 7.* eis competere à tempore immemoriali, quin ad id conceſſionibus Pontificum fuerit opus; Ego tamen contra ipſum *tomo de Iure Academico, lib. 1. ex num.* 161. latè probaui, & pluribus confirmaui. Authoribus, id Ius adquiſitum Regibus opus habuiſſe indulto, conſenſu, & confirmatione Pontificiæ Sedis, nam; iuxta doctrinam Laurentij Landmeter *de vetere Clericorum, & Monachor. victu, & diſcipl. lib. 2. cap. 2.* Eccleſia eſt Regnum ſpirituale diſtinctum à quolibet ciuili, & eius poteſtas non tendit ad finem temporalem, ſed ad ſpiritualem, quare poteſtas hæc primariò ipſi Eccleſiæ, eiuſque capiti competit, alienaque eſt à poteſtate temporali, ideoque ab Apoſtolica Sede deriuari debet; poteſtas autem præſentandi Epiſcopos ad eum finem ſpiritualem tendit. Vnde Reges ad Patronatum Granatenſem, & Indicum indulta Apoſtolica obtinuerunt. Appoſuerunt, quidem ipſi omnia requiſita, vt eis Ius hoc competeret, dum Fidem fundarunt, Eccleſias reſtituerunt, erexerunt, & dotarunt; at independenter ab Apoſtolica Sede nequiuerunt plenè, & in exercitio Patronatu potiri. Tradit id Rodericus de Acuña *in cap. cum longè, diſt. 63. n. 2.*

222 Sed tamen hoc ius Patronatus reſpectu Eccleſiarum ſuæ ditionis, quoad præſentandum Prælatos, quo noſtri Reges gaudent, quam primùm ipſis competiit, nec aliundè eſt ad ipſos tranſlatum, ſed immediatè ex indulto Pontificio in ipſis fuit radicatum, & confirmatum; quare poteſt eſſe laïcum, ſicut plures fruuntur Patronatu laïco ad præſentandum ad Beneficia, eſto iuxta doctrinam *nuper* libatam ſemper ſupponatur conſenſus Apoſtolicæ Sedis, vnde poteſtas præſentandi ducit originem. Ipſi autem Pontifices, cum immediatè hoc Ius Patronatus in laïcis confirmant, reddunt illud laïcum ratione perſonarum; quod aliter ſe habet, cum iam etiam ex indulto Pontificio factum eſt Eccleſiaſticum, & deinde conceditur laïcis, conſeruando illud in ſua natura ſpecifica, veluti ſi laïcis non eſſet vnitum, & conceſſum.

223 Ex his fit, Patronatum Regium reſpectu Ordinum Militarium non eſſe laïcum; nam immediatè non fuit Regibus adquiſitus, & à Pontificibus confirmatus; quin Magiſtri Ordinum requiſita appoſuerunt, vt ipſis compararetur, ac à Sede Apoſtolica confirmaretur, vt *quæſt. præced.* tradidimus, in eiſque radicatum eſt, vt Eccleſiaſticus; poſtmodùm illud ipſum Ius Patronatus ex conceſſione Pontificia vnitum eſt Regiæ Coronæ, eodem modò ac illo fruebantur Magiſtri, ſine vlla immutatione naturæ, & eo pacto conſeruatum, ac ſi non eſſet vnitum. Vnde Eccleſiaſticum non poſſe tranſire vnquam in laïcum, tradidi *tom. de Iure Academico, lib. 1. q. 40. n. 641.*

224 Secunda pars aſſerti ſuperiùs præfixi, nempe quod hic Regius Patronatus gaudet prærogatiuis Patronatus laïci, conſtat; nam in primis quovis tempore Rex præſentat ad Prioratus, Commendas, ac Beneficia, vt præſtabant Magiſtri, & Pontifices repetito conceſſerunt. Patroni autem Eccleſiaſtici communiter nonniſi determinatis menſibus præſentare queunt. Deinde Rex, poſtquam aliquem præſentat, ſi nondum ſit facta collatio, poteſt variare, & alium præſentare, reuocans primam præſentationem; quod ſolùm Patronus laïcus, non verò Eccleſiaſticus, poteſt exequi; nam is, niſi præſentatus renunciet in manibus Epiſcopi, vel ipſius Patroni, præſentationi ſuæ, nequit variare, & alium præſentare, iuxta *cap. cum autem, cap. paſtoralis, de Iure Patronatus.* Id latè ſtabiliui *tom. de Iure Academic. loco relato.* Vbi plures Authores dedi de hac materia tractantes, & diuerſitatem inter Patronum Eccleſiaſticum, & Laïcum diſcutientes, quæ repetere non licet.

225 Nec, quia Patronatus eſt Eccleſiaſticus, eſt facilè derogabilis; tum qui includit in ſe quaſi contractum oneroſum, ex ſumptibus

collatis ad obtinendas ditiones ab Infidelibus, ad extruendas, dotandas, & conſeruandas Eccleſias, vt ſatis exprimunt Adrianus VI. in Bulla incorporationis Magiſtratuum, ſæpè relata, & Alexander IV. in Bulla, quæ incipit, *Deuotionis augmentum*, & extat in Bullario Ordinis de Alcantara, *fol.* 33. Gratiæ autem Pontificiæ inuoluentes, contractum oneroſum, niſi præſtetur ſatisfactio, ſi poſſit præſtari, & cauſæ ſint vrgentiſſimæ, nequeunt reuocari, vt tradidi *tom. in Bull. Cruciat. diſp.* 2. *cap.*6. (quidquid in me, modeſtiſſimo ſemper ſtylo vtentem, acriter inuehatur Fr. Ioannes Martinez de Prado *in opere moral. tr. de Bull. Cruciat.* Sed pacato animo, alio in opere, quod in lucem proximè patro, ei ſatisfacere conabor. Videat interim Don Ioannem de Solorzano *Locis relatis*, eruditè idem aſſertum confirmantem; Don Franciſcum de Ocampo plures Authores referentem in informatione pro exemptione Vicariorum Ordinis D. Iacobi.) Tum quia Patronatus Regij adeò ſunt firmi, vt ſub reſeruationibus, & derogationibus vniuerſalibus non cadant, vt obſeruant Couarruuias *in pract. c.*36. *n.* 5. Hojeda, 1. *p. c.*24. *n.*1114. Cabedo *de Patronat. Reg. c.*1. Salgado *de Regia protect.* 1. *p. c.*9. *num.* 114. Menchaca *controu.* 2. *c.*1. *n.*37.

226 Hinc, quamvis Beneficia Ordinum Militarium, vel Dignitates, aut Commendæ in Curia Romana vacarent, & quis illa à Pontifice obtineret, deberet iudicari collatio ſubreptitia, & ille intruſus, teneretur que ea relinquere, & fructus reſtituere, vt cum pluribus tradit Palacios Rubios *de benefic. vacant. in Curia* §.16. Cabedo *vbi nuper, cap.*25. & expreſsè Adrianus VI. in Bulla vnionis prohibet, ne poſſint Beneficia, & Dignitates ſpectantes ad Magiſtratus Ordinum impetrari à Sede Apoſtolica, aut ab eius Legatis; & concedit Regi, vt impediat effectum eiuſmodi impetrationum; & Rodriguez, *tom.*1. *qq. Regul. q.*36. *art.*1. affert Bullas plures Pontificum prohibentes impetrationem Beneficiorum Regularium. Imò aliundè nequeunt impetrari, quia nunquam re ipſa vacant; Sunt enim amouibilia ad nutum, vt oſtendam *diſquiſ.*11. quare ſolùm ſeruitium conceditur ad nutum, & proprietas Ordini reſeruatur. Ita Gloſſa *in Clement.* 1. *de exceſſib. Pralat. verbo, ad menſam.* Indè etiam in prouiſione Beneficiorum ad eum Patronum ſpectantia non debent, nec poſſunt alij Prælati ſe immittere. Imò nec permutationes eiuſmodi Beneficiorum, nec penſiones ſuper illa à Pontifice poſſunt præſtari, niſi Reges Patroni conſenſum præbeant, vt tuentur Gigas *de penſion. q.*13. Couarruuias *ſuprà, c.*36. *n.*9. Cabedus *ſuprà cap.*11. & plures, quos refert, & ſequitur in ſimili caſu D. Ioannes de Solorzano *tom.*2. *de Iure Indiar. lib.*3. *cap.*3. *n.*18.

Ex vnione huius Regij Patronatus ad Coronam ſit, eum nec poſſe alienari, nec ad alias perſonas transferri ſicut nec aliæ res, quæ vocantur Regaliæ. De qua doctrina, quæ eſt certiſſima conſulantur Ioannes Matienzo *de moderat. Regn. Peru.* 1. *p. c.*37. Couarruuias *tom.*2. *variar. c.*18. *n.*10. Valenzuela *conſil.* 99. *n.*71. Caſtillo *de tertiis cap.*9. *n.*27. & plures alij paſſim. 227

Cæterùm ex eo, quòd Patronatus ſit Regius, & Eccleſiaſticus, fit, quòd omnes lites, & cauſæ quoquomodo ad eum ſpectantes in Senatu Regio Ordinum ſint tractandæ, qui eſt Tribunal iuriſdictione Eccleſiaſtica gaudens, (de qua *infrà diſquiſ.*2.) Etenim ex vno capite, quidquid ad alios Patronatus inferiores ſpectat, priuatiuè pertinet ad Iudices Eccleſiaſticos; quare omnia conducentia ad hunc Patronatum Eccleſiaſticum ad perſonas iuriſdictione Eccleſiaſtica gaudentes, vt Iudices, attinet; Ex alio verò, quæ ad Regios patronatus conducunt, tradit cum pluribus Don Ioannes de Solorzano *in Politica Indica, lib.* 4. *cap.*3. *pag.*513. apud Tribunalia Regia Suprema ſæcularia eſſe ventilanda, & ſic extat *in leg.* 34. *tit.*5. *lib.*2. *Recop.* Vndè ad Tribunal Regium Eccleſiaſtica iuriſdictione gaudens, pertinebunt omnia ad patronatum Regium Eccleſiaſticum ſpectantia, cum patritas rationis rectè indè huc trahatur. Et ſanè Ordinum Militarium eſt Supremum infra Pontifices Tribunal, quatenùs Eccleſiaſticum, hic Senatus, à quo, niſi ad Pontificem, non datur appellatio; & ex praxi liquet, in eo omnes huiuſmodi cauſas peragi, ſaltem per appellationem à Prioribus iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentibus, ſi hi de aliquibus ex illis in prima inſtantia cognoſcant. Cæterùm decurſu Tractatus redibit ſæpè ſermo de cauſis ad Senatum Ordinum ſpectantibus. 228

Fit rurſùs ex vniuerſalitate eiuſmodi Regij Patronatus, competere Regibus in omnibus Ordinum Militarium ditionibus præſentare, & eligere ad omnia Eccleſiaſtica munera, ità vt nullum poſſit ab alio concedi; niſi ex ipſorum conſenſu olim, aut nuper obtento. Quod in Regno Granatenſi, ratione patronatus, Regij, ita eſſe in praxi, teſtatur Bobadilla *lib.* 2. *cap.* 2. *n.*221. Hæc enim electio, & præſentatio eſt vnus ex præcipuis effectibus, & fructibus, 229

vt

vt ita loquar Patronatus, quem nihil Eccleſiaſticum ſubterfugit. Fit etiam, ſubreptitias fore cenſendas literas, ſi impetrentur, vt Beneficiarij, & Parochi ſe eximant, à iuriſdictione Ordinis in cauſis ſpectantibus ad Patronatum; vel, vt ſine conſenſu Regis, & Ordinis, in Eccleſiis ipſius erigantur Confraternitates, aut Capitula Clericorum ſæcularium. Quippè hæc aduerſantur patronatui; & præſumitur, velle ſe eximere à iuriſdictione Ordinum, ne compellantur exequi onera, quæ eis incumbunt. Imò à Senatu Ordinum poterunt puniri, vt tentantes violare priuilegia ipſorum Ordinum, & patronatus poteſtatem eneruare.

130 Fit adhuc, Regi competere, eſſe protectorem Ordinum, & Eccleſiarum; id enim munus habet etiam reſpectu Eccleſiarum omnium, maximè Cathedralium ſui Regni, ratione dominij territorij, in quo ſunt extructæ. Conſulantur D. Ioannes de Solorzano, *ſuprà c.2. initio*, & Authores *ibi* in margine relati.

131 Fit demùm, vt alia conſectaria, & cuilibet peruia omittam, non poſſe in ditionibus Ordinum Militarium, extrui Eccleſias, Eremitoria, Xenodochia, aut Capellas, quæ à Regio patronatu ſubtrahantur; quod *diſq.* 11. latiùs proſequemur. Imò ad ipſam materialem ædificationem Eccleſiarum, & ſimilium opus eſt licentia ipſorum Ordinum, eo modo quo in aliis territoriis neceſſaria eſt licentia Ordinarij; Ea autem obtenta, poteſt quis in Capella, aut in Monaſterio (ſi aliquod fundetur) Inſignia ſuæ Familiæ ſculpere, aut pingere; id enim non tollit iuriſdictionem, & patronatum rerum Eccleſiaſticarum. Quòd ſi Monaſterium Religioſorum non Militarium fundetur, ſanè exemptum manet, niſi quoad ea, in quibus Religioſi non Militares in aliis territoriis ſubſtant Epiſcopis, nempè in approbatione ad audiendas Confeſſiones, & concionandum, in quibus Religioſi in territoriis Ordinum Militarium ſubſtant prioribus, ſi iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudeant. praxis, autem ea eſt ad fundandas Eccleſias, vel Confraternitates, vt prior licentiam præſtet, & Rex confirmet, ita vt primum ſequens Capitulum generale deindè approbet. Ordo enim, penes quem eſt poteſtas, cum Rex ſit Adminiſtrator, non dominus ipſius Ordinis, has, vt potuit, præfixit limitationes; quod non præiudicat patronatui, qui, poſt confirmationem factam ab Ordine, ſuam vim integram retinet. Hinc Capitulum poſcit à Monaſteriis denuò fundatis, vt oſtendant licentias, ad eas approbandas; idemque præſtat reſpectu Eccleſiarum, Confraternitatum, & Capitulorum, à quibus etiam Viſitatores Generales licentias ſibi oſtendi exigunt. Videatur D. Sebaſtianus Zambrana *in inform. pro Ordine Calatrauæ, num.* 89. Aduerte tamen circa dicta, priorem Alcantaræ non poſſe concedere eam licentiam, quæ Ordinariis competit, ad extruendum Monaſteria in ſuo territorio, quia id ad Epiſcopum Caurienſem attinet ex vi Concordiæ *num.* 8. quam afferam *diſq.* 7. *q.* 14. Aduerte præterea, præter licentiam Ordinis ad extruenda Monaſteria opus eſſe facultate Regis, eiuſvè Supremi Senatus Caſtellæ, quia id eſt Regalia, vt *in inferioribus* aſſeremus.

QVÆSTIO XIV.

An vendere Inſignia Militaria, ſeu Habitus Equeſtres, & commendas, ſit ſimonia, aut lethale peccatum?

NOn eſſe ſimoniam, iudico probabilius. 232
Ita docent Aragon. 2. 2. *quæſt.* 100. *n.*4. Victoria *in relect. de ſimon. num.*45. Barboſa *de iure Eccleſ. tom.*2. *lib.*3. *cap.*7. *n.*9. Emanuël Rodrig. *tom.*2. *ſum. cap.*59. *concl.* 11. *num.*12. Villalobos 2.*p. ſum. tract.* 33. *de ſimon. diffic.*14. P. Suarez *de Religione lib.* 4. *cap.* 27. *num.*6. Cabedo *de Patronatu Regiæ Coronæ, cap.*15. *n.*15. Portel, *p.*3. *caſu* 17. *n.*1. Bonacina *tom.*1. *tract. de ſimon. diſp.*1. *quæſt.*4. *num.*15. Diana *part.*3. *tract.*2. *de dubiis Regular. reſolut.* 64. Pater Alfonſus de Peñafiel Araujo *in lib. de obligat. Ordin. Militar. tract.*1. *cap.*11.

De commendis id probatur. Quippè non 233
conferuntur propter munus Eccleſiaſticum, aut ſpirituale, nec exigunt aliquem Ordinem, nec adhuc primam Tonſuram in eo, qui illis potitur, nec onus recitandi Horas Canonicas ex eis conſurgit; ſolumque præſtantur ob temporalem laborem militiæ pretio æſtimabilem, quamvis hic ad diuinum cultum, & Fidei propagationem referatur; nihil ergo ſpirituale, aut annexum ſpirituali confertur, ac proinde pretium pro eis adquirere, procul eſt à ſimoniæ labe. Et, licèt Commendæ ex fructibus Eccleſiaſticis comparentur, non indè fit (iuxta communem opinionem, de qua redibit ſermo *infrà*) eſſe Beneficia Eccleſiaſtica; cum plures accipiant redditus ex eiuſmodi fructibus ob temporalem laborem in Eccleſiæ vtilitatem impenſum,

quin

Digitized by Google

quin propterea Beneficiis gaudeant. Sic æconomus, Syndicus cymbalorum pulſator, & alij ſuam recipiunt ex fructibus Eccleſiaſticis portionem.

134 Et quidem labores in bello tolerati pretio ſunt compenſabiles; & immediatus finis, ob quem Commendæ conferuntur, eſt militia; quamvis finis mediatus ſit Dei cultus, & honos; hic enim quoad præſens, non eſt inſpiciendus: aliàs plures emptiones, ac venditiones eſſent ſimoniacæ; nec poſſet ab artifice vendi calix, nec à mercatoribus merces ad Eccleſiaſticum ornatum, & ſic de innumeris aliis contractibus poteſt argumentum efformari.

135 De Inſignibus autem Militaribus Equeſtribus idem aſſertum ſuadetur. Tum quia etiam conceduntur intuitu finis immediati temporalis, nempè vt quis militiæ ſe deuoueat, & honorem comparet, qui ex Inſignibus Equeſtribus accreſcit, & præterea capax ſit obtinendi Commendas. Tum quia emens aliquod Inſigne Equeſtre, eſto Equites iuxta ſententiam plurium eſſent Eccleſiaſtici, ac ſtrictè Religioſi, non intendit emere Religionem, aut ſtatum Eccleſiaſticum, quin potiùs optaret liber remanere à paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ votis; ſolumque conatur ſibi honorem, & ſplendorem temporalem comparare, qui ex Equeſtri Militia in æſtimatione populi conſurgit. Quod ſanè non aliter meliùs animaduertitur, quàm ſi attentè introſpiciatur, quid optent hi, qui gratiam alicuius Militiæ Equeſtris ob temporalia ſua, ac Maiorum obſequia à Rege expoſtulant. An eis præcipuè, & immediatè in mentem venit, ſe exindè cultui diuino tradendos? rem ſpiritualem, aut Eccleſiaſticam à ſe adquirendam? Quis eorum animus? Quæ mens? Nihil de Religione communiter cogitant: temporalem ſplendorem inhiant; inter cæteros eminere optant. Quòd autem poſtmodùm (ſi ſententiam libatam ſequantur) in ſtatum Religioſum, aut Eccleſiaſticum incidant, ex annexione huius ſtatus ad eos Habitus prouenit. Nec id poterit inſtari, ſi vndequaque res penſetur, in honore Epiſcopatus, aut alicuius Dignitatis Eccleſiaſticæ, quam vendere, eſſet ſimonia; cum nec in his honor reperiatur purè temporalis, nec huic honori intento ſit acceſſoria Dignitas Eccleſiaſtica, quin æquè quis Dignitatem, & honorem ambit; nec finis, immediatus ſit quid temporale. Nec, ob dicta, laudo, & probo mentem, & animum eorum, qui Habitus Militares ob finem dumtaxat temporalem honoris, & lucri ſuſcipiunt. De quo redibit ſermo *diſq.* 3. *quæſt.* 17.

Confirmatur, quia de facto temporibus elapſis plures vendebant Habitus Equeſtres, quorum gratiam à Rege obtinuerat; Nec credi poteſt, id fuiſſe publicè peractum, ſi ſimoniaca eſſet venditio. Et, quamvis id iam fuerit prohibitum, non tamen certo conſtat, prohibitionem ex eo emanaſſe, quòd ſimoniaca fuerit iudicata eiuſmodi venditio: cum plures aliæ rationes impellere iuſtiſſimè valuerint ad eam venditionem penitùs prohibendam; ſcilicet ne beneficia Regum, eorumque liberales gratiæ reddantur venales; ne homines diuites, ſed origine ignobiles, emerent ea Inſignia, idque in Militiæ Equeſtris dedecus redundaret: & ne alia etiam incommoda exorirentur. Rurſus ea prohibitio indè potuit oriri, quia, eſto non ſit ſimonia prædicta venditio, communiter iudicatur peccatum lethale iuxta dicenda *inferiùs*. Imò, &, ſi ob ſimoniam vitandam, ea prohibitio prodiiſſet, non eneruatur noſtrum iudicium; Quippè illud non adeò apud omnes eſt conſtans, vt res hæc ſub lite, ac opinione non ſit, cum contrarium plures cenſeant *infrà* referendi. Potuit ergo opinioni contrariæ inniti prohibitio, vt tutiori, & quæ maiorem decentiam, ac pietatem præ ſe fert, quod & ego fateor. Sed non proindè, inſpectare ſecundum ſe, eam veriorem cenſeo, ſed noſtram, quæ etiam grauium Authorum, quos iam dedimus, calculo firmatur. 136

Adhuc, poſita etiam illa prohibitione, nunc communiter gratiæ Habituum pretio æſtimantur, conſueuitque Rex eas elargiri fœminis, vt ex eis dotem ſibi adſciſcant, ac matrimonium ineant cum viris, qui iis Habitibus, ſeu Inſignibus exornentur; &, dum ad matrimonium vltrò, citroque fœdera fiunt, Inſigne Militare tradendum Viro nomine dotis, præſcribitur, & duobus millibus ducatis, aut ampliori pretio æſtimatur. Id cuncti vident; nullus Sapiens reclamat, nec illicitum arbitratur; ſignum ergo eſt manifeſtum, ea Inſignia eſſe pretio æſtimabilia, & per conſequens, dum ſemel non ſit ſimonia, ea pretio taxari, & loco pretij transferri, nec ſimonia erit, ea vendere; ſiquidem ſimonia non reſpicit hunc contractum potiùs, quàm illum, ſed traditionem pretij temporalis pro re ſpirituali, vel ei annexa, quoquo modo pretium tradatur; ſiue per emptionem, ſiue per permutationem, aut nomine dotis, ſeu in quouis alio contractu. Quin id, quod nomine dotis confertur, iuxta Iuris diſpoſitionem, ad dominium mariti irreuocabile tranſit, & 137

per

per modum emptionis dos à marito accipitur : quòd vulgare eſt apud Iuriſperitos. Ex his roboratur id, quod aſſeruimus, in collatione horum Inſignium, eorumque petitione, non intendi quid religioſum, aut ſpirituale, ſed immediatè, & omninò honorem, ac finem temporalem. Cum enim hæ gratiæ ſoleant conferri, vt fœminæ nuptias contrahant, quin conſtet adhuc, cum quibus ſint contracturæ, earum electioni, & arbitrio relinquitur, quinam ſint eo honore donandi ; arbitrio autem tertij poteſt quidem committi honoris elargitio, non verò voluntarium obſequium religioſum ab alio præſtandum ; quare fœminis indulgetur, vt eum honorem temporalem pro libito transferant, pretio æſtiment, & nomine dotis in contractu deſignent, quaſi quid ſeparabile à ſubſtantia ſpirituali, Religioſa, & Eccleſiaſtica, etiam ſi Equites Militiarum ſtrictè religioſi cenſeantur.

238 Sententiam oppoſitam aſſerentem, eſſe ſimoniam, pretio vendere Commendas, ſeu Habitus Equeſtres Militares, tuentur Nicolaüs Garcia *de Beneficiis, tom.1. part. 1. cap.4. num.7.* Hieronymus de la Cruz *in Defenſione ſtatutorum lib.1.c.17.* Cordoua *in Inſtruct. Confeſ.p.2. num.30.* P. Azor *tom.1. inſtit.mor.lib.13.c.6. quæſt.3.* Mota *in Problemate, quomodo ſit petendus Habitus militaris, ex pag. 86.* Franciſcus Caro de Torres *in approbatione libri de obligat. Ordin. Militar. editi à Patre Peñafiel Araujo.*

239 Probant primò. Commendæ ſunt beneficia Eccleſiaſtica ; ergo earum venditio eſt ſimoniaca. Antecedens docetur à Patre Azor *part.2. lib.3. cap.26. quæſt.9.* Raudenſ. *conſt.17. num.19.* Marta *de iuriſdict. part.2. cap.32. & part.4. caſu 24. num.16.* Mendez à Caſtro *in praxi Luſitana, lib.2. capit.1. num.10.* Nauarro *de reddit. Eccleſiaſt. quæſt. 1. mon.54. memb.6. & quæſt.3. num.27.* Mota *de confirmatione Ordinis Sancti Iacobi, lib.2. cap.2. §.10. memb.4.* Flamin. Pariſ. *de reſignation. benefic. part.1. cap.4. num.6.* Etenim Commendatarij ex inſtitutione Eccleſiaſtica redditus Commendarum percipiunt ob miniſterium militandi aduerſus Eccleſiæ hoſtes, eoſque titulo perpetuo, dum viuunt, ſibi comparant ; deguntque intra Ordines à Sede Apoſtolica approbatos ; quæ omnia oſtendunt, eas Commendas eſſe Eccleſiaſtica Beneficia.

240 Nego antecedens (quod conſtabit inferiùs *diſq.10.*) Quippe, vt iam aſſerui, redditus huiuſmodi titulo Eccleſiaſtico non comparantur, nec vllus Ordo, nec prima Tonſura in percipiente illos requiritur, ac propter finem temporalem immediatè exhibentur. Id docui *tomo in Bullam Cruciat. diſp.34. num.166.* Et etiam *tomo de Iure Academico, lib.3. num.430.* Vbi præſtrinxi cum P. Thom. Sanchez, & aliis relatis à Diana *part. 5. tract. 8. reſol. 30.* Commendas præſtari titulo laïco, ſeu ob militiam : indeque non peccare eos, qui fructus, ſeu redditus inſumunt in vſus profanos ; cum tamen, quæ ex beneficiis Eccleſiaſticis ſuperſunt, quorum redditus ſunt patrimonium Crucifixi, ſeu pauperum, nequeant in magna quantitate abſque peccato in vſus profanos expendi, vt cum Cardinali Lugo, & aliis docet Diana *part.7. tract.11. reſol.36. & 39.* Inde etiam addidi *tom. de Iure Academ. lib.3. n.210.* redditus Commendarum eſſe bona Caſtrenſia ; & etiam à filiisfamilias poſſe ludo exponi in qualibet quantitate. Cæterùm id, quod in argumento adjicitur de Commendatariis, quòd intra Ordines approbatos degant, vt Religioſi, in noſtri aſſerti probatione præoccupauimus.

Probant ſecundò. Quia Pontifices recenſent Commendas inter Eccleſiaſtica 241
Beneficia ; erit igitur ſimonia earum venditio. Aſſumptum conſtat ex variis Bullis. In primis, cum à Pontifice Innocentio VIII. expoſceretur, vt Commendam Ordinis de Alcantara, Oppidi de Valentia in Caurienſi Diœceſi, applicaret Menſæ Magiſtrali, ipſe Bullam expediuit, quæ extat *in Bullario eius Ordinis, fol.63.* Vbi ait ; *Nos igitur, qui dudùm inter alia voluimus, quòd petentes, Beneficia Eccleſiaſtica vniri, tenerentur exprimere annuum valorem ſecundùm communem æſtimationem, etiam Beneficij, cui aliud vniretur, alioquin vnio non valeret. &c.* Ecce Commendas, ſeu Præceptorias Beneficiorum nuncupatione includit, cum in earum vnione eadem requiſita exprimat, ac in vnione Beneficiorum. Deinde ea verba Innocentij repetit Alexander VI. in Bulla, quæ incipit, *Apoſtolica Sedis, num.8.* & affertur *in Bullario Ordinis de Alcantara, fol.72.* Quibus aliæ ſimiles poſſent afferri.

Reſpondeo primò, à Pontificibus vocari 242
Beneficia eiuſmodi Commendas, lata denominatione, non ſtricta quatenus earum fructus ex Eccleſiis proueniunt ; non verò fit inde, eſſe Beneficia rigorosè, cum nullum Ordinem in percipiente ipſos requirant, & titulo militari, non Eccleſiaſtico præſtentur. Reſpondeo ſecundò, ſub opinione eſſe ; an Commendæ ſint Beneficia, nec ne ; & Pontifices ſecutos fuiſſe partem affirmantem, vtpotè probabilem, & ſuæ iuriſdictioni ampliùs fauentem. Nos verò

contrariæ

contrariæ ſententiæ adhæremus, innixi Authorum grauium iudicio, & fundamentis libatis. Cæterùm *diſquiſ.* 10. de Commendis agemus latiùs, vbi oſtendemus, earum bona non eſſe annumeranda inter ſæcularia; cum ſpectent ad ipſos Ordines, qui ea poſſidebant, & poſteà diuiſerunt illa, modò *ibi* libando.

143 Ad ſecundam quæſtionis partem deueniendo, cenſent, eſſe peccatum lethale emptionem, ac venditionem Commendarum, & Habituum Equeſtrium, omnes illi, qui ſimoniam in hoc interuenire arbitrantur. Id ipſum ex Authoribus noſtræ ſententiæ iudicant Villalobos *vbi ſuprà*, Barboſa *ſuprà num.* 19. Mouentur, quia ea venditio contrariatur fini, ac intentioni Fundatorum Ordinum Equeſtrium, qui voluerunt, Habitus, & Commendas gratis concedi his, qui Fidem Catholicam, & Rempublicam Chriſtianam defenderent. Deindè, quia eſt valdè perniciosa bono publico illa venditio; ſiquidem, vt *ſuprà* attigimus, Militares Habitus venderentur ignauis, & ignobilibus homuncionibus, quibus diues fortuna ſolet arridere, priuarenturque eo præmio Milites ſtrenui, qui egeſtate premuntur. Quæ ſanè ratio me in hoc flectit iudicium; Ex ſe enim res eſt obnoxia periculo deprimendi Habitus Militares, & defraudandi Milites, quamvis aliquando contingenter venderentur Viris Nobilibus, ac in bello exercitis. Rurſùs id dedecere videtur Maieſtatem, & liberalitatem Regiam, à qua præmia debent emanare, nec immediatè, nec mediatè, pretio adquiſita.

144 Nec obſtat, pretio æſtimari Habitus Militares, qui nomine dotis fœminis adſcribuntur. Etenim illi præſtantur, vt Maiorum obſequia remunerentur, & gratis à Rege conceduntur; ac deinde his fœminis, quæ ob ſuam Nobilitatem, non niſi Viris Nobilibus ſint nupturæ, qui eis Habitibus ornentur in præmium coniugij, & Maiorum, ſeu Progenitorum fœminarum, quæ eos quoad præmium factorum repræſentant. Id autem nec indecorum, nec indecens, nec bono publico eſt perniciosum. Doctrina tradita non eſt extendenda ad Habitus Fratrum Clericorum Militarium, quos vendere, aut emere, eſſet ſimonia; ſicut eſſet, vendere Habitum Religionis non Militaris. In hac enim venditione, non adeſt finis temporalis, nec aliæ rationes *ſuprà* traditæ de Habitibus Equitum militant; quare pretio præcipuè emeretur ſtatus Eccleſiaſticus, & Religioſus; eſto minùs principaliter ſimul connecterentur commoda temporalia. Admiſſionem autem ad ſtatum Religioſum pretio venundari, prohibitum eſt in Concilio Nicæno II. *Canon.* 19. In Lateranenſi ſub Alexandro III. *part.* 2. *cap.* 10. In Oxomenſi ſub Innocentio III. *c.* 32. in Treuerenſi II. *c.* 12. Exornat id Renatus à Valle *in Hiparcho de Religioſo negotiatore, pag.* 87.

DISQVISITIO II.

De Priuilegiis, foro, & iuriſdictione Ordinum Militarium.

QVÆSTIO I.

De Iuriſdictione Ordinum Militarium. Vbi plura de poteſtate Senatus Ordinum, & Priorum.

§. I.

Stabilitur iuriſdictio circa Eccleſiaſticos, & temporalis Regia circa proprias ditiones.

IVRISDICTIO alia eſt Eccleſiaſtica, alia temporalis. Eccleſiaſtica verò alia pro foro interno dumtaxat, alia etiam pro foro externo, ſeu pro vtroque foro; & rurſùs vel eſt in ordine ad purè ſpiritualia, aut in ordine ad alia, quæ ſpiritualia non ſunt. Hæc prætereà limitatur, aut extenditur, vel pro diuerſis ſubditorum ſtatibus, nempè vel pro ſolis Regularibus, aut pro ſolis ſæcularibus, ſeu pro vtriſque; vel etiam extenditur, ſiuè limitatur iuxta conceſſionem Superioris, à quo dimanat, ſeu Pontificis, ſeu alterius. Vnaquæque autem iuriſdictio, aut eſt ordinaria, aut eſt delegata, vel etiam ſubdelegata. Quas omnes diuiſiones paſſim exponunt Authores, & Ego non ſemel elucidaui *tomo in Bullam Cruciat. & tom. de Iure Academico.* Quare nunc non declarandæ, ſed ſupponendæ ſunt; eas tamen præfixi, vt clariùs quæſtionem propoſitam explicemus, ſermonem de illis inſtituendo. 1

Igitur Ordines Militares gaudent in primis iuriſdictione Eccleſiaſtica pro vtroque foro, reſpectu omnium Regularium ſibi ſubditorum, qui ſimpliciter ſint Religioſi. (Etenim *quæſt.* 2. de Equitibus in ſpeciali agemus, circa quos eſt maxima controuerſia.) Id conſtat ex Bullis Pontificiis confirmationis, & approbationis Ordinum, quas *ſuprà* 2

ſuprà In Inſtitutione ipſorum adduximus, & ex aliis, quas Decurſu totius Operis referimus, ac præcipuè *diſq.7.q.3.* ac in Ordinum Conſtitutionibus, & Bullariis adducuntur. Conſtat etiam, quia omnes Religiones approbatæ, hoc ipſo, quòd à Sede Apoſtolica confirmentur, ea iuriſdictione erga ſubditos regulares pollent, eo quòd abſque illa nequeant hi gubernari, nec finem Inſtituti adipiſci; Cum ergo Ordines Militares ſint Religiones approbatæ, & confirmatæ à Sede Apoſtolica, hoc ipſo ab ea iuriſdictio Eccleſiaſtica, & ſpiritualis pro vtroque foro in eos dimanat erga ſubditos verè Regulares. Conſtat demum, quia Ordines Militares ſunt exempti à qualibet iuriſdictione Eccleſiaſtica, eo pacto, quo poſtmodum aſſeremus; ſequitur ergo, quòd in ſe iuriſdictionem Eccleſiaſticam contineant erga ſubditos propriè Religioſos, & Eccleſiaſticos, qui alicuius debent iuriſdictioni ſubiacere; non autem alterius; ſed ipſorum Ordinum. Hoc aſſertum poſſet Iuribus, & Authoribus, ac Conciliis exornari; ſed in rebus manifeſtis, & obuiis, tempus teritur, dum ad paginas adimplendas ea agglomerantur.

3 Deindè Ordines Militares iuriſdictione temporali potiuntur erga ſuæ ditionis territoria, Oppida, loca, & vaſſallos ipſorum Ordinum. Etenim ipſi Ordines in primæuis exordiis aliqua loca, & territoria per donationem à Regibus acceperunt, & quaſi per contractum onerosum, vel vt Prouincias ab incurſibus Saracenorum defenderent, & eſſent velut muri, ac arces Regnorum Hiſpaniæ, eoſque profligarent, ac terras ipſorum tyrannide vexatas, Hiſpaniæ, & Religioni Catholicæ reſtituerent; vel in remunerationem, ſeu gratitudinem illuſtrium geſtorum, quibus eam infeſtiſſimam Chriſtiano nomini cladem inſequebantur, propellebant, Hiſpanumque Imperium vndique quaſſatum ſuo ſplendori reddebant. Prætereà ipſi Ordines Militares plura obtinebant ſibi loca, armorumque vi in ſuam poteſtatem redigebant, annuentibus Pontificibus, & Regibus, vt ſic præmio debito ob præclara facinora, & plurimum ſanguinem in pugnis animoſè effuſum, propter fidem, & Regnum, donarentur; & nouis ſtimulis ad alias glorioſas expeditiones incitari ſuo inſiſterent ſanctiſſimo Inſtituto. Hinc Ordinibus accreuêre ditiones, territoria, Oppida, vaſſalli, erga quæ iuriſdictione fruuntur temporali, non ſecùs ac cæteri, qui domini ſunt temporales locorum, & iuriſdictionis in ipſis. Hæc territoria, & Oppida diuiſa fuerunt, ità vt plurima Magiſtris Ordinum inde ſuſtentandis applicarentur, quæ nunc in Regum Hiſpaniæ dominio immediato, vtpotè Adminiſtratorum ipſorum Ordinum, exiſtunt, cum eis ſint vnita, quæcumque ad Magiſtros ſpectabant; Alia verò ipſis Equitibus in Commendam, ſunt conceſſa, ita tamen, vt iuriſdictio penes Ordines remaneret.

Reges ergo, tanquam Domini prout 4
Adminiſtratores, & Ordines ipſi, iuriſdictionem temporalem in eis ditionibus exercent, conſtituuntque Gubernatores, Prætores, aut Iudices, alioſque Miniſtros, qui ius dicant, locaque gubernent. Ad Senatum autem Ordinum pertinet, Regem noſtrum conſulere de Gubernatoribus, qui ſunt conſtituendi in territoriis, ſeu Oppidis Ordinum, ad ipſum, vt Adminiſtratorem ſpectantibus, vt ipſe deſignet, quem malit. Et ſanè multò amplior iuriſdictio, & ditio Ordinum foret, niſi plura Oppida fuiſſent alienata, tranſactis temporibus, quod Ordinum detrimentum vt præcaueatur, Bullæ expeditæ ſunt à Pontificibus diſtrictè prohibentibus quamcumque alienationem.

Hæc Ordinum iuriſdictio temporalis ita 5
exercetur, vt à ſententiis, quas ferunt Iudices inferiores ipſorum Ordinum, detur appellatio, cum electione appellantis, vel ad Senatum Ordinum, vel ad Cancellarias Regias, cum cauſæ ſunt temporales, exceptis his, de quibus §.3. redibit ſermo, à quibus priuatiuè appellatur ad Senatum Ordinum. A ſententia autem prolata à Senatu in cauſis temporalibus, nec non & in criminalibus vaſſallorum, appellatur ad Conſeſſum Commiſſionum, qui conſtat ex duobus Senatoribus Tribunalis Regij Supremi Caſtellæ, & itidem ex duobus Senatoribus ipſius Tribunalis Ordinum. Prætereà ſubordinata eſt hæc temporalis iuriſdictio, quatenùs concernit dominium, cum id non ſit ſupremum, ſed ſubiacens Regibus Hiſpaniæ, tanquam ſupremis totius Regni dominis, vnde hi in territoriis Ordinum ſuis potiuntur Regaliis.

Demùm Ordines Militares iuriſdictione 6
Eccleſiaſtica, & ſpirituali gaudent pro foro externo erga ſæculares, & Eccleſiaſticos, qui in eorum territoriis verſantur, quæ vel immediatè exercetur à Senatu Regio quoad aliqua munia Eccleſiaſticam iuriſdictionem exigentia, vel per Clericos Fratres Priores, aut Vicarios, vel etiam per Viſitatores; de quibus omnibus agemus *diſq.* 7. Et plura circa hanc iuriſdictionem, &

eius vſum enodabimus. Quippè ſeu iniuria temporum, ſeu incuria eorum, quibus id munus competebat, ſeu conſuetudine in aliquibus territoriis, vel Oppidis, valdè fuit imminuta eiuſmodi iuriſdictio; in aliis tamen omninò viget, vt cernere eſt in Ordine Alcantaræ in Priotatu de Magacela, Zalamea, & Rollan; In ipſo autem Ordine, ob continuas lites vitandas, concordia fuit peracta inter Ordinem quoad territorum Prioris de Alcantara, & Epiſcopum, & Eccleſiam Cathedralem Caurienſem. In Ordine autem D. Iacobi, & Calatrauæ multæ diu lites agitatæ ſunt, & agitantur adhuc ſuper vſu; in variis muniis iuriſdictionis, in diuerſis territoriis, ac Oppidis. Quippè Antiſtites Eccleſiarum contendunt, ad ipſos ſpectare ſaltem hunc, vel illum iuriſdictionis vſum, quem ipſis concedere Ordines, & Priores, aut Vicarij renuunt. plurimæ, ac doctæ ſuper his vtrinque prodierunt in lucem iuris allegationes. pro Ordine D. Iacobi ſcripſit D. Franciſcus de Ocampo ſuper litibus exortis inter Eminentiſ. Cardinalem Archiepiſcopum Toletanum, & Vicarios Campi de Montiel, ac de Aledo, & Totana. pro Ordine Calatrauæ doctiſſimè informationem exarauit D. Sebaſtianus de Zambrana in lite cum Dignitate Archiepiſcopali Toletana, & Viſitatoribus eius Ordinis. Huiuſmodi plures aliæ circumferuntur, maximè his temporibus, quibus plures ſuper hoc contentiones exiſtunt. Et quidem ad ſuam defendendam iuriſdictionem Eccleſiaſticam aduerſus Antiſtites, Rex noſter, vt Adminiſtrator Ordinum, deſignauit Conſeruatorem Don petrum de Velaſco, Regiæ Capellæ Iudicem, Virum omni literatura inſignem. Sed nec vacat, nec congruit, in hoc opere ſingulos articulos ſuper iuriſdictione exorientes ventilare; nobis namque ſolùm incumbit, fundamenta iacere, principia ſtabilire, & doctrinam ſolidiorem tradere. An verò in hoc, aut illo caſu, in hac, vel illa diœceſi, ſeu Oppido, detur aliqua exceptio doctrinæ generalis, ratione conſuetudinis, ſiuè priuilegij, aut ex alio capite, ſunt quidem euentus ſpecialiſſimi, quos nec omnino complecti, fieri valet, nec integra volumina ad id præſtandum ſufficerent. Attamen quietè ſuam iuriſdictionem exercent Priores de Vcles, & S. Marci Legionenſis, per ſe, & per ſuos Vicarios. Cum aliquibus autem Vicariis Ordinum D. Iacobi, & Calatrauæ, qui non à prioribus, ſed à Rege deſignantur ad territoria eis prioribus non ſubiecta, hæ lites exoriuntur. Illi quidem non habent eadem priuilegia, ac priores quoad omnia; ſed quia Ordines ipſi, qui iuriſdictione Eccleſiaſtica gaudent circa ſua territoria, his Vicariis eam concedunt, illis aptanda eſſe contenditur proportionatè, quæ de prioribus quoad iuriſdictionem aſſeremus.

Iam verò iuriſdictionem præfatam ſpi- 7
ritualem pro foro externo in propriis territoriis eſſe apud Ordines Militares, certo certius eſt; nam ea repetitò, manifeſtè, & expreſsè continetur in Bullis pontificiis tum *ſuperiùs* relatis, tum *inferiùs* referendis. Ea etiam in diuerſis caſibus fuit ſtabilita per deciſiones Rotæ, & Declarationes Sacræ Congregationis Concilij, vt videre eſt pluribus in locis apud Barboſam *in Remiſſ. ad Trident.* & Farinacium *in Declarat. & Deciſ. ad Trident. volum.*4. præterea per plura ſæcula Ordines hanc exercuerunt, & exercent iuriſdictionem, iuriſque legitimè adquiſiti datur immemorialis poſſeſſio.

Hinc Ordines ex Iure communi debent 8
viſitare ſua territoria, iuxta *Clementin. Attendentes, §. hoc igitur, de ſtatu monach.* ibi: *At exempta alia per alios, quibus ſubſunt, annis ſingulis debeant viſitari.* Videantur Socinus *de viſitat. n.* 11. Barboſa *de iure Eccleſiaſt. lib.* 1. *cap.* 17. *ex n.* 22. Huc etiam faciunt textus *in c. in ſingulis, verſic. Ordinentur, cap. final. de ſtatu monachor. cap. Abbates in fin. de priuileg. lib.* 6. *cap. luminoſo*, 18. *quæſt.* 2. *Gloſſa in Clement.* 1. *verbo, propry, de reb. Eccleſ. non alien.* Et quidem ea territoria pleno iure ſubiecta ſunt Ordinibus, hoc ipſo, quòd ſint eorum propria, & exempta; & hæc exemptio eſt pleniſſima, non ſolùm perſonalis, nec ſolùm localis, ſed perſonalis, & localis ſimul; quare iuriſdictio eſt omnimoda, & iuxta Bullas pontificias, priuatiua circa omnia, etiam ea, quæ ad curam animarum; & adminiſtrationem Sacramentorum ſpectant. Quare eam accumulatiuam non eſſe cum Epiſcopis, tradunt Menochius *lib.* 2. *præſumpt.* 18. *num.* 17. *&* 22. ſic explicans Tridentinum *ſeſſ.* 6. *cap.* 3. *& ſeſſ.* 23. *de regularib. c.* 24. Ludouitius Pap. *deciſ.* 4. *ex num.* 6. *& deciſ.* 8. *n.* 2.

Etenim hæc iuriſdictio exercetur per 9
priores Militares, qui ſunt veluti Abbates exempti, vt dicam *diſq.* 7. Abbates autem in ſuis territoriis æquiparantur Epiſcopis, iuxta *cap. final. de officio Ordinary.* Docetque cum aliis Tamburinus *de iure Abbat. diſput.* 1. *quæſt.* 5. & inde omnimoda iuriſdictione ordinaria gaudent, iuxta *c. dilectus, de officio Ordinary; cap. perſona*, 11. *quæſt.* 1. cum aliis vulgatis; quod latiùs proſequemur *diſq.* 7. *quæſt.* 4.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

Stabilitur amplius iuriſdictio Eccleſiaſtica Ordinum Militarium. Vbi de viſitatione Eccleſiarum.

10 CErnitur ex dictis, nullum eſſe actum iuriſdictionis Eccleſiaſticæ ordinariæ, qui ab Ordinibus Militaribus neqneat exerceri, dum non ſpectet priuatiuè ad Epiſcopos. Et quidem pro actu viſitandi ſua territoria, præter iam allata, ſtant non pauca Iura, ex quibus infertur; nempè *cap. 1. §. hanc autem de cenſibus, lib. 5. Extrauagans 1. tit. de cenſibus.* Adſunt Deciſiones Rotæ, quas affert Farinacius 1. *tom. deciſ.* 394. *& tom. 2. deciſ. 493. num. 2. & p. 1. recentiorum deciſ. 346. num. 2.* Suffragatur Zerola *in praxi Epiſ. verbò, viſitatio, verſ. 22.* Riccius *in praxi aurea, tom. 2. reſol.* 301. Renatus Copinus *Monaſticon lib. 1. tit. 2. num. 12.* Flores de Mena, Coquier, Barboſa, & alij *ſuprà* relati. Et quidem, vt ſæpè repetimus *in hoc Opere*, omnis iuriſdictio, quæ erat penes Magiſtros Ordinum, reſidet in Rege noſtro, cuius Coronæ ſunt vniti Magiſtratus, vt eam exerceat, ſi ſit ſpiritualis, per Regulares ipſius Ordinis ab ipſo deputandos; Magiſtri autem plena iuriſdictione gaudebant ad omnes cauſas ſpirituales, matrimoniales, decimales, curam animarum concernentes, & ſimiles, quam per ſe, vel per alios exercebant, vt conſtat ex innumeris Bullis Pontificiis, & tradit Suarez de Paz *in pract. tom. 2. præludio 1. ex num.* 3. Vbi circa viſitationem priuatiuè Ordinibus competentem, cum excluſione alterius diœceſani, iam fuiſſe iudicatum in Senatu Regio affirmat; nec non Emanuël Rodriguez, Pereira, Villalobos, vterque Barboſa, Ledeſma, Campanilins, Flores de Mena, Cenedo, Ioannes Ramirez, Zeuallos, Cabedo, Nauarrus, apud Don Sebaſtianum Zambrana *vbi ſuprà ex num. 94.*

11 Valdè roboratur iuriſdictio hæc ſpiritualis in Ordine Calatrauenſi, & Alcantarenſi ex Bullis Clementis VII. expeditis anno 1524. & 1525. in quibus confirmat priuilegia exemptionis conceſſa à ſuis Prædeceſſoribus, addens, ea deinceps robur habere, quamvis hucuſque in praxi, & vſu non fuerint, & quòd nunquam derogari deindè valeant; & ſignatè includens omnes cauſas decimales, Beneficiales, ac matrimoniales, deſignat formam, qua vſque ad tertiam appellationem in Senatu Ordinum ſunt tractandæ; & indulget Calatrauenſi Ordini, vt in tribus territoriis, & in aliis deputet cum omnimoda iuriſdictione ſpirituali Vicarios. Ab hac Bulla, contendit Dignitas Archiepiſcopalis Toletana, ſupplicatum per ipſam fuiſſe, illamque apud Senatum Regium eſſe retentam. Don Sebaſtianus Zambrana *ſuprà ex n.* 107. reſpondet, non obſtante retentione, Ordinem poſſidere ſuam iuriſdictionem, & ex ea Bulla titulum iuſtum reualidari, ac ex aliis anterioribus, ac poſterioribus eum eſſe firmum; maximè cum anno ſequenti Pontifex præceperit, quòd partes Romæ comparerent, & interim Ordo in ſua poſſeſſione conſeruaretur. Hæc, & plura alia affert hic Author eruditiſſimus, argumentaque plura contraria diſſoluit; de quibus, ac de ea lite, vt *ſuperiùs* annotaui, iudicium non fero, ſed tantummodò principia generalia iacio; quæ ſi conſuetudine, aut indulto non labefactentur, ſuam vim retinent.

In Ordine Calatrauenſi inter alias Bullas extat quædam Pontificis Leonis Decimi, in qua ipſe Pontifex eximit regulares ſubditos ab omni iuriſdictione, & poteſtate Antiſtitum, & Iudicum; & immediatè Sedi Apoſtolicæ ſubjicit. Nec poſſe priuilegia Ordinum Militarium Ciſtercienſium derogari per derogationem in communi, ſed neceſſum eſſe, vt fiat de illis ſpecialis mentio, ita vt Ciſtercienſes Militares, nec per reſcripta Pontificia poſſint conueniri, niſi fiat de illis ſpecialis mentio, docet Nauarrus *lib. 3. conſil. tit. de Regularibus, conſ. 21. num. 4.* (extendens id ad regulares S. Ioannis) & item Flores de Mena, & Emanuël Rodriguez, qui ſic interpretantur. Decreta Concilij, vt videre eſt apud Dom. Zambrana *num.* 136. & fauet textus *in cap. cum Ordinem, de reſcript. lib.* 6. Præterea Ordinem Alcantarenſem Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectum reddiderunt Lucius III. & alij Pontifices vſque ad Gregorium IV. qui, Eccleſias eſſe proprias ipſius Ordinis, ſtatuit. Videantur eorum Bullæ in Bullario Alcantaræ *ex fol 6. & ex fol. 22.* Sermo eſt de regularibus propriè talibus, dum exemptos ab omni alia iuriſdictione pronunciamus; nam ſtatim erit ſermo de Equitibus, de quibus dubitatur, an ſint Eccleſiaſtici, & religioſi ſtrictè? 12

In Ordine D. Iacobi extant plurium 13
Pontificum Bullæ, quas affert Mota *de Confirmat. eius Ordinis, lib. 2. capit. 1. §. 9. probatione 7.* quæ etiam communicantur, ſicut & alia priuilegia, Ordinibus Calatrauæ, & Alcantaræ, & in illis pontifices confirmant iuriſdictionem Magiſtri, immediatè ſolùm

Digitized by Google

Sedi Apoſtolicæ ſubiectam, in quam reſpectu eorum Ordinum ſucceſſit Rex noſter, qui eſt Adminiſtrator, vt ait Pontifex, in temporalibus, & ſpiritualibus; quæ per alium ab ipſo deputandum ſunt exercenda; Eamque iuriſdictionem retinet in omnibus territoriis, & Oppidis Ordinum, quamvis Oppida ſint in aliena diœceſi. Nam aliud eſt, locum eſſe in diœceſi, aliud, locum eſſe de diœceſi; nam eſſe de diœceſi, ſignificat, eſſe territorium Epiſcopi; quod non ſignificat hoc, quod eſt, eſſe locum in diœceſi. Cum ergo locus, & perſonæ à iuriſdictione Epiſcopi ſunt exempta, non dicitur locus de Diœceſi, quod dumtaxat denotat ſitum eius loci. Ita Tuſchus *in practic. verbo Diœceſis, concl.* 45. *n.* 5. Farinacius cum pluribus à ſe relatis, *deciſ.* 324. *num.* 3. *part.* 1. Tamburinus *de iure Abbat. diſp.* 15. *quæſt.* 9. *num.* 4. Cum ergo locus non eſt de Diœceſi, priuatiuè competit iuriſdictio ei, cui ſubiacet, & inde ea loca nuncupantur *nullius Diœceſis*, quia de Diœceſi non ſunt, ſicut alia exempta extra Diœceſim fiat.

14 Hine, vt affertur ab Emanuele Rodriguez *tom.* 1. *qq. Regul. quæſt.* 36. *art.* 5. *in fin.* Rex Catholicus Philippus II. ſimul cum tribus Senatoribus, Caſtellæ, Indiarum, & Ordinum, authoritate cuiuſdam Breuis Gregorij XIII. protulit ſententiam die 24. Iulij anno 1591. quod Oppidum de Rollan, & Commenda Magdalenæ, quæ eſt in Diœceſi Salmantina, ſoli Priori Alcantarenſi de Rollan, vt Iudici Ordinario, ſubiaceret; cui ſententiæ obediuit poſt varias inſtantias Epiſcopus Salmantinus anno 1595. die 13. Maij; & Prior de Rollan ſuum Tribunal ibi habet, & ſua vtitur iuriſdictione, & Clericis ſæcularibus degentibus intra territorium eius Commendæ dimiſſorias præbet. Vnde ea Commenda eſt nullius Diœceſis, & non de Diœceſi Salmantina. Cæterùm Prior de Rollan operatur ex vi eorum, quæ ſtatuta ſunt à Rege Philippo II. & tribus præfatis Senatoribus, quorum Tribunal appellatum fuit *Iunta Apoſtolica.*

15 Ampliùs hæc iuriſdictio ſpiritualis (quæ maximè in viſitatione territorij, & locorum conſpicitur) poteſt firmari ex ſententiis obtentis, quas referre, eſſet prolixum. Extat etiam Decretum regium expeditum anno 1556. præcipiens, ne Archipræſul Toletanus, aut eius Vicarij ſe intromittant in iuriſdictionem Ordinum Militarium, nec in cauſas Regularium, etiam in ea Diœceſi Beneficia obtinentium; non obſtantibus diſpoſitionibus Concilij Tridentini, eo quòd ab illo diſpoſita non comprehendant tres Ordines Militares; (id ipſum latè probat Zambrana *ex num.* 131.) Quod Decretum Dignitas Archiepiſcopalis acceptauit. Præterea, cum Ioannes Cauallero, Toletanus Vicarius de Ciudad Real excommunicaſſet Doctorem Ruyz Priorem Oppidi de Manzanares Calatrauenſis Ordinis, eo quod Clericis non miniſtraret neceſſaria ad celebrandam Miſſam; & cum ab hoc appellaretur per viam violentiæ ad Senatum regium Caſtellæ, Senatus ſua ſententia declarauit, die nona Iulij, anno 1566. prædictum Vicarium inferre vim, atque adeò cauſa delata fuit ad Senatum Ordinum, in cuius ſcriniis aſſeruatur. Et præterea Paulus III. in Bulla *Laudanda Sedis*, data die 3. Nouembris anno 1542. declarauit, Eccleſias, & territoria trium Ordinum Militarium non fore viſitanda ab Antiſtite, ſeu Archipræſule; quam viſitationem priùs ipſe Pontifex ei indulſerat, eo quod ſibi relatum fuiſſet, ab Ordinibus Militaribus viros parùm idoneos conſtitui in Vicarios, & Beneficiarios; reclamatum fuit à Carolo V. imperatore, & Ordinum Adminiſtratore; Pontifex rem cognouit: & primum indultum reuocauit, in quo conceſſerat Archipræſuli viſitationem.

Et quidem ex Tridentino non deſumuntur fundamenta efficacia ad euertendam hanc iuriſdictionem ſpiritualem, tot Pontificum authoritate, praxi, conſuetudine, poſſeſſione, ſententiis, & Authorum ſubſcriptione vallatam. Vbi enim Epiſcopis concedit, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatis, quòd viſitent opera pia, præter quàm quòd id non intelligitur de Operibus piis habentibus alium Superiorem exemptum, additur *ſeſſ.* 22. *cap.* 8. *de reform. Non tamen, quæ ſub Regum immediata protectione ſunt, ſine eorum licentia.* Conſtat autem, omnia loca, Eccleſias, & Opera pia Ordinum Militarium eſſe ſub immediata protectione regia, vt circa Patronatum aſſeruimus *diſq.* 1. & ex vnione Magiſtratuum ad Coronam regiam id omnino innoteſcit. Sanè mens Tridentini ea fuit, ne vllus ſub aliquo prætextu viſitationem ſubterfugeret, indeque mores non corrigerentur; at non intendit innumeris Pontificum Bullis circa Ordines Militares derogare; quod exindè cernitur, quia poſt Tridentinum plures Deciſiones Rotæ, & Declarationes Sacræ Congregationis Concilij extant circa iuriſdictionem ſpiritualem Ordinum priuatiuam. Poſt illud etiam Ordines eam pacificè exercent in cunctis 16

fere

ferè ſuis territoriis & Oppidis, ſi excipias aliquas lites ſuper nonnullis exortas. Poſt illud demùm innumeri graues Authores pro hac ſtant iuriſdictione priuatiua, cum excluſione Diœceſanorum, Quos in prædicta allegatione Iuris congerit Dom. Zambrana; vbi ad ſingula Tridentini Decreta; quæ opponuntur, reſpondet, ibique ſunt videnda, ne tranſcribamus. Plurimos etiam Authores, & fundamenta affert D. Franciſcus de Ocampo *in Memoriali pro Vicariis Campi de Montiel, de Aledo, & Totana*, Ordinis Iacobæi. Nec pauca huc concernunt ex allatis à Don Ginesio Morote *in patrocinio Ordinis Alcantaræ*. Videndus Emanuël Rodriguez, qui reſpondet Decretis Tridentini *tom. 1. qq. Reg. q. 36. art. 3. & ſæpè alibi*. Et quidem Tridentinum exinde fuit motum, vt conſtat ex eius verbis, *cap. 3. ſeſſ. 25. de regular.* ad concedendum Epiſcopo poteſtatem, vt licentiam ipſe præbeat ad fundanda Monaſteria Regularium (ex quo etiàm capite iuriſdictio ſpiritualis Ordinum intenditur labefactari) quia ſupponebat, Epiſcopum habere rationem redditiuum, & fructuum ſui territorij, indeque voluit ab eo examinari, an in ſua Diœceſi poſſent Monaſteria ædificanda ſuſtentari. At in territoriis Ordinum ea ratio fructuum non pertinet ad Epiſcopum, ſed priuatiuè ad Ordines; vnde ceſſante cauſa, & motiuo ſubſtantiali, ceſſat effectus. Hanc rationem exornat Molina *de primogeniis lib. 1. cap. 5. num. 13.* & infertur *ex cap. cum ceſſante, de appellat. ex leg. adigere, §. quamuis, de iure patronat. Gloſſa, verbo, auocandum in leg. mancipia, Codic. de ſeruis fugitiuis.*

17 Nec par eſt, credi, Concilium voluiſſe imminuere poteſtatem, & ſplendorem Illuſtriſſimorum Ordinum Militarium, qui illum in obſequium Eccleſiæ, & Fidei proprio ſuorum Equitum ſanguine plurimo effuſo compararunt. Etenim iure belli iuſti aduerſus Saracenos geſti, vel à Regibus donantibus, Ordines ſua territoria obtinuerunt, indeque dominium apud ipſos remanſit, iuxta *leg. ſi quid bello, de captiuis, §. item ea, inſtitut. de rerum diuiſ. leg. 20. tit. 28. partit. 3.* Docent, & exornant Couarruuias *regula, peccatum, 2. part. ex §. 9.* Valenzuela *de iure belli, part. 2. concl. 3. ex num. 22.* Pater Molina *de iuſt. & iur. tract. 2. diſp. 118.* Don Ioannes de Solorzano *de iure Indiar. lib. 2. cap. 5. num. 28.* Et plures ab eiſdem allati. Indè ergo, & quia Ordines in eis territoriis Fidem plantauerunt, & Eccleſias fundarunt, poſt confirmationem dominij temporalis à Regibus indultam, Pontifices eandem poteſtatem temporalem confirmarunt, & ſimul ſpiritualem eis conceſſerunt. Et meritò; nam, ſi Epiſcopus populos alterius Diœceſis ad Fidem conuertat, iuriſdictionem ſpiritualem erga eos obtinet, dum per triennium illam præſcribat, imò per ſex menſes, dum priùs Epiſcopum illius Diœceſis monuerit, vt ex Iure probant Couarruuias *regula, poſſeſſor. 2. part. §. 11. num 8.* Menchaca *controuerſ. illuſtr. cap. 72. num. 6.* Barboſa *in collectan. ad cap. 1. de præſcription. ex num. 1.* Anaſtaſius Germonius *animaduerſ. cap. 20. num. 2.* à fortiori profectò ea iuriſdictio Ordinibus fuit indulta, cum & Oppida à ditione, & tyrannide Maurorum indefeſſis laboribus exonerauerint, & Religionem Catholicam ibi introduxerint, quæ deindè altas egit radices, ipſorum vigilantia, & ſolertia.

Quid? quòd iuriſdictio, & exemptio 18
Ordinibus conceſſa eſt quaſi quidam contractus priuilegiatus, & remuneratio obſequiorum; priuilegia autem conceſſa ob remunerationem non cenſentur reuocata per Tridentinum, vbi de viſitatione Eccleſiarum exemptarum agit. Videantur Barboſa *in collect. ad Tridentinum, ſeſſ. 7. de reformat. capit. 7. num. 40.* P. Thom. Sanchez *in præcept. decal. lib. 7. cap. 29. num. 191.* Flores de Mena *lib. 1. variar. quæſt. 10. num. 46.* Ex pluribus autem Bullis Pontificiis conſtat, ea priuilegia exemptioni ob remunerationem Ordinibus indulgeri. Eleganter, & dilucidè inter alios Martinus V. Iacobæos affatur; *Glorioſa Religionis veſtræ Militia, quæ aduerſus Chriſtiani nominis æmulos certando vos, & veſtra exponitis intrepidè, cura indefeſſa, ſynceraque deuotionis affectus, quem ad nos, & Romanam Eccleſiam geritis, comprobauit, meretur non indignè, vt ea Vobis fauorabiliter concedamus, per quæ ſingulis oppreſſionibus abiectis, corde tranquillo in huiuſmodi certamine feruentiùs; & quietiùs poſſitis Altiſſimo militare. Nos igitur ex præmiſſis, &c.* Lucius III. in Bulla erga Ordinem Alcantaræ allata in Bullario *fol. 6.* ait; *Cum locus veſter in Saracenorum faucibus conſtitutus, &c. Vt eo liberiùs, & libentiùs defenſioni Chriſtianitatis pro viribus, & aliis diuinis obſequiis inſudetis, quantò à Romana Eccleſia in iuſtis petitionibus fueritis exauditi, &c.* Idem Lucius III. Bullam ſimilem expediuit erga Iacobæos, quæ incipit *Attendentes.* Similia plura teſtimonia poſſem proferre tum reſpectu Ordinis D. Iacobi, tum Calatrauenſis, & Alcantarenſis. Et quidem Pius V. poſt Tridentinum anno 1566. expediuit Bullam confirmans aliam Pauli III. & de nouo concedens Ordini Iacobæo omnimodam exemptionem,

Magiſtroque, ſeu Adminiſtratori ſupremam ſuperioritatem.

19. Cum autem datur hæc ſuperioritas, tenetur ipſe Adminiſtrator per alios, cum per ſe non poſſit, Eccleſias, & territoria viſitare. Indè ergo non potuerunt alij Prælati id munus obire; nam, cum ait Tridentinum, Epiſcopos, tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatos, poſſe viſitare loca exempta, intelligendum eſſe de locis non ſubiectis alteri Prælato, qualia ſunt territoria Ordinum Militarium, docent Barboſa *de poteſtat. Epiſcop.* 3. *part. allegat.* 74. *num.* 2. Cochier *de iuriſdictione Ordinary in exemptos part.* 4. *quaſt.* 13. Aldana *in compend. Canonic. lib.* 8. *tit.* 8. *num.* 41. Vbi ait, ita in Rota fuiſſe deciſum. Gabriel Pereira *de manu Regia tom.* 2. *cap.* 58. *num.* 6. Emanuël Rodriguez 1. *tom. qq. regul. quaſt.* 36. *art.* 3. *&* 4. Cenedo *in qq. Canonic. q.* 26. *num.* 25. Farinacius, & Barboſa, qui afferunt plures declarationes Cardinalium, *in notis ad Trid. ſeſſ.* 7. *c.* 5. Don Ioannes de Solorzano *tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 17. *ex num.* 45. Erudita etiam inter alias circumfertur allegatio Iuris à Doctore Perlines elaborata, in cauſa viſitationis Eccleſiæ pertinentis ad Ordinem Militarem D. Ioannis in Diœceſi Ciuitatenſi. In qua latè probat, viſitationem Eccleſiarum Ordinum Militarium ad ipſos priuatiuè ſpectare; ne ex vi Tridentini poſſe Epiſcopos munus id viſitandi prætendere; quod plurimorum Doctorum authoritate, Deciſionibus, & Declarationibus confirmat. Hancque doctrinam tradit etiam reſpectu Eccleſiarum Ordinis S. Ioannis; Circa quas variæ Declarationes extant libatæ *ſuprà diſq.* 1. *quaſt.* 5. Etenim, vt libaui, Tridentini intentio ea fuit, vt nullus, viſitatione liberaretur.

20 Scio, vt *ſuperiùs* dixi in aliquibus Diœceſibus, maximè in Toletana, ingentes eſſe lites, & contentiones inter Præſules, & Ordines Diui Iacobi, & Calatrauenſi, ac S. Ioannis, ſuper iuriſdictione, & viſitatione; & Archiepiſcopum Toletanum viſitare plures Eccleſias, & territoria (non verò perſonas ipſas Fratrum Clericorum) & vel priuatiuum in aliquibus muneribus, vel cumulatiuum in aliis, vſum iuriſdictionis retinere; in aliis etiam Diœceſibus limitatam eſſe eorum Ordinum iuriſdictionem ſpiritualem. De quibus controuerſiis nihil omnino profero; ſua cuique maneat illibata defenſio. In ſingulis enim litibus ſua ſunt ſpecialia fundamenta deſumpta à conſuetudine, à poſſeſſione, ab indultis Pontificiis, & ab aliis rationibus, quæ nec integro hoc volumine poſſent comprehendi. Idcircò ſupplex libellus ad Regem noſtrum à Capitulo Generali Ordinis Calatrauæ fuit oblatus, in quo ab eo popoſcit, vt curaret, Romæ has omnes de iuriſdictione ipſius Ordinis quæſtiones decerni. Ordo autem Alcantaræ concordiam cum Epiſcopo, & Eccleſia Caurienſi ſanciuit reſpectu Prioris de Alcantara, de qua agemus *diſq.* 7. Cæteri verò Ordinis Priores tranquillè ſua iuriſdictione potiuntur. Quæ praxis, & poſſeſſio validè roborant hucuſque dicta Hinc Prior Alcantarenſis de Rollan, cum Antiſtes Salmantinus contenderet, interdictum à ſe promulgatum comprehendere Eccleſiam B. Mariæ Magdalenæ ei Priori ſubiectam, reſtitit acriter ventilata eſt lis; & ſuam exemptionem fori obtinuit, ſententia prolata ab illuſtriſſimo Hiſpaniarum Nuntio die 21. Auguſti, anno 1634. Quam ego ipſe perlegi, totamque litem euolui.

QVÆSTIO II.

An Equites Ordinum Militarium ſint exempti à iuriſdictione Regia in omnibus cauſis, & ſoli Senatui Ordinum ſubiecti? An ſint ſimpliciter, & ſtrictè Religioſi? An Eccleſiaſtici?

§. I.

Præmittuntur aliqua certa apud omnes.

IN vnam adnecto quæſtionem dubia in titulo præfixa, quia inter ſe ſunt omnino connexa. Quippè, ſi Equites Militares ſint ſtrictè, & ſimpliciter Religioſi, ſanè à iuriſdictione Regia erunt exempti, ſicut ſunt cæteri Religioſi Ordinum non Militarium, & gaudebunt priuilegio fori, ſicut illi gaudent; atque adeò ſoli Senatui Ordinum ſubiacebunt, qui conſtitutus eſt, vt iuriſdictionem erga tres Ordines Militares exerceat; Gaudet enim hic Senatus iuriſdictione Eccleſiaſtica iuxta Bullas plurium Pontificum afferendas *diſq.* 7. *quaſtion.* 3. Et, cum Alexander VI. Regiæ Coronæ incorporauit, ac vniuit Magiſtratus Ordinum, conceſſit Regibus Hiſpaniarum, vt omnia, quæ Magiſtris olim licebant, exercerent, ac exequerentur; dum tamen deſignarent aliquos ex Ordinibus ipſis, qui ſpiritualia, & annexa ſpiritualibus forent exercituri. Reges autem noſtri deſignauere Senatum Ordinum, per quem iuriſdictio exerceatur circa ea omnia, quæ non 21

ſunt

ſunt merè ſpiritualia, nec Clericalem ſtatum requirunt; nam ad hæc Clerici Fratres deſignantur.

22 Præterea, ſi Equites Militares ſint Eccleſiaſtici ſimpliciter, & propriè, non ſubiacent iuriſdictioni Regiæ temporali; (exceptis his, quæ competunt Regibus iure dominij erga omnes Vaſſallos, adhuc Clericos) & quidem poteſt quis eſſe Eccleſiaſticus, quin ſit Religioſus, vt ex terminis conſtat; Attamen in ordine ad gaudendum priuilegio fori Eccleſiaſtici, vnum è duobus requiritur; aut eſſe ſtrictè Religioſum, aut habere qualitates in Tridentino requiſitas, nempè Beneficium Eccleſiaſticum, vel Ordinem Sacrum, vel demùm primam Tonſuram, ſeu etiam minores Ordines cum deputatione ad aliquam Eccleſiam per Epiſcopum præſtita, & cum habitu, ac tonſura Clericali. Vndè, cum circa Equites Militares non ſit quæſtio, an gaudeant priuilegio fori Eccleſiaſtici, ſi habeant qualitates à Tridentino requiſitas, (id enim eſt citra dubium) nec reſtet alius titulus ad gaudendum eo foro, niſi titulus Religionis ſtrictè in ipſis repertæ, tota contentio vertitur ad explorandum, an ſint ſtrictè Religioſi; & fortaſsè ideò vnam quæſtionem cum alia confundit Petrus Gregorius *lib.* 15. *ſyntagmat. cap.* 34. *num.* 3. Scio, aliquos eſſe Authores, qui negant Equites Militares eſſe ſtrictè Religioſos, & tuentur, eſſe perſonas Eccleſiaſticas. Verùm eorum fundamenta, vel eò tendunt, vt illos Religioſos conſtituant; vel euertuntur ex ſtabilitis in Tridentino neceſſariis ad gaudendum priuilegio fori Eccleſiaſtici; vel demùm dumtaxat ſuadent, eos eſſe perſonas Eccleſiaſticas non ſtrictè, & ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, eo modo, quo Authores inficiantes; illos eſſe ſimpliciter Religioſos, fatentur, eſſe Religioſos ſecundùm quid; quatenus Vota ſolemnia Paupertatis, Obedientiæ, & Caſtitatis coniugalis emittunt; Habitum ſpecialem geſtant; Dei obſequio, & Eccleſiæ defenſioni mancipantur; ſub Regula, & ſpecialibus ſtatutis degunt, hiſque ſimilia. Nihilominùs contendunt non pauci Authores, Equites prædictos eſſe perſonas Eccleſiaſticas, quamvis Religioſi non ſint gaudentes priuilegio fori; Quorum fundamenta §. *ſequenti* proponemus.

23 Deindè ſupponendum eſt, vt conſtans, Ordines Militares, ſecundùm ſe inſpectos, eſſe ſimpliciter, & ſtrictè veras, ac proprias Religiones. Etenim, vt tales approbatæ, & confirmatæ ſunt à plurimis ſummis Pontificibus, vt conſtat ex dictis in ipſorum Inſtitutione *diſquiſit.* 1. & ſæpiſſimè toto huius Operis decurſu. Nec id vllus negabit; ſicut nullus negat, Clericos Fratres prædictorum Ordinum eſſe ſtrictè, & ſimpliciter Religioſos in Religionibus ſtrictè talibus; nequit enim quis eſſe ſtrictè, ac propriè Religioſus, niſi profiteatur ſub aliqua Religione approbata propriè tali. Cum hoc tamen ſtat controuerſia de Equitibus; nam aliud eſt, Religionem aliquam eſſe approbatam, & propriè talem; aliud eſſe propriè, & ſtrictè Religioſos omnes eos, qui ſub eius obedientia militant; nam in Religionibus non Militaribus hi, quos Hiſpanè vocamus *Donados*, non ſunt ſtrictè, & propriè Religioſi, & tamen obſequio Religionum addicti ſunt, & Obedientiam vouent. Quare contentio in præſenti non eſt de Ordinibus Militaribus ſecundùm ſe ſumptis, ſed ſolùm de Equitibus; nam Fratres Clericos exemptos eſſe à iuriſdictione Regia, & gaudere priuilegio fori, eſt manifeſtum.

Rursùs ſermo non eſt de Equitibus Militiæ Sancti Ioannis Hieroſolymitani, quos eſſe ſtrictè, & propriè Religioſos, omnes fatentur; &, cum Votum Caſtitatis abſolutæ emittant, nec teſtari valeant, nec eorum bona ad hæredes transferantur, non militant aduersùs illos præcipua fundamenta, quibus Equites aliorum Ordinum oppugnantur. Hinc eorum cauſæ criminales ad proprios Iudices ſpectant; imò & cauſæ ciuiles, cum ſunt Rei, ſi quidem ad proprium forum trahunt Actorem; nec aliter ſe habent reſpectu ſui fori, ac Eccleſiaſticæ perſonæ reſpectu fori Eccleſiaſtici. 24

Cæterùm ſermo eſt in hac diſputatione non ſolùm de Equitibus Militarum Sancti Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ, qui ſubiacent Senatui Ordinum; verùm & de Equitibus Militiarum Monteſæ, de Auis, Chriſti, & Sancti Iacobi in Luſitania; quorum Ordinum Magiſtratus etiam Regiæ Coronæ Hiſpaniarum ſunt vniti; (quin Magiſtratum Ordinis Sancti Iacobi in Luſitania non fuiſſe diuerſum à Magiſtratu Caſtellæ, ac Legionis *alibi* oſtendimus *diſq.* 1. *quæſt.* 6.) & reſpectu eorum etiam conſtituta ſunt Tribunalia, ſeu Iudices à noſtris Regibus, quibus illi ſubduntur, ſicut Equites trium Militiarum Senatui Ordinum. Eſt autem de omnibus eadem ratio, cum omnes poſſint nuptias contrahere, teſtari, & munera publica exercere, non ſecùs ac cæteri ſæculares laici. 25

Præterea adhuc in ſententia negante, Equites Militiarum eſſe Religioſos, & Eccleſiaſticos ſimpliciter, certum eſt, eos 26

ſubjici Senatui Ordinum; cum à Regibus noſtris is conſtitutus ſit Senatus, vt Superioris munus exerceat non ſolùm erga Clericos Fratres, ſed etiam erga Equites tum Nouitios, tum Profeſſos; & Equites in Profeſſione Obedientiam voueut Magiſtro, ſeu Adminiſtratori perpetuo, nempè Regi noſtro, qui in ſui locum conſtituit Senatum Ordinum,& hic cum Rege vnum Tribunal conſtituit quoad ſubditos, quare hi tenentur obedire Senatui in his, quæ ſunt iuxta ipſorum ſtatum, & Regulam, eique in prædictis ſubduntur. Non tamen propterea controuerſia præſens euaueſcit. Quippè duplex reſidet iuriſdictio in Senatu Ordinum; alia Eccleſiaſtica erga eos, qui ſunt ſtrictè Eccleſiaſtici, ſeu Religioſi; alia Regia, & temporalis,à Regibus noſtris dimanans, & prima etiam dimanat à Regibus, quatenùs his eſt conceſſa à Pontificibus, ea tamen conditione, vt deſignent Regulares Ordinum, qui ſpiritualia, & annexa ſpiritualibus exerceant. Olim quidem, cum dabantur Magiſtri Ordinum, iuriſdictio in eis temporalis reſpectu ſuarum ditionum, & Vaſſallorum fuit reperta; à Regibus noſtris conceſſa, aut confirmata in his, quæ iure belli de conſenſu ipſorum Regum ſibi obtinebant. Hæc iuriſdictio in vnione Magiſtratuum ad Reges noſtros reuocata eſt, & dominio apud ipſos manente, conceſſa fuit Senatui Ordinum, apud quem ſortitur naturam iuriſdictionis temporalis, & Regiæ; vnde Iudices, & Gubernatores in ditionibus Ordinum conſtituti iuriſdictionem temporalem, ac Regiam exercent.

27 Attamen contentio eſt, vtrùm Senatus Ordinum reſpectu Equitum Militarium in cauſis criminalibus vtatur ſolùm iuriſdictione Eccleſiaſtica; an ſolùm iuriſdictione Regia? Nam Authores defendentes, Equites eſſe ſimpliciter Religioſos, iuriſdictionis Eccleſiaſticæ erga illos exercitium tuentur, & hæc iuriſdictio à Sede Apoſtolica dimanat; licèt à Regibus noſtris pendeat deſignatio eorum, per quos eſt exercenda. Conſequenter hi aſſerunt, non poſſe Tribunalia ſæcularia cognoſcere de eis cauſis. E contrà verò Authores, qui affirmant, Equites Militares non eſſe Religioſos, nec Eccleſiaſticos ſimpliciter, aſſerunt, Senatum Ordinum vti iuriſdictione Regia, & temporali erga illos; quæ à noſtris Regibus ei eſt conceſſa; indeque ab ipſis Regibus poſſe reuocari, aut limitari; Et hinc Senatum Regium Caſtellæ; in quo reſidet ſuprema iuriſdictio Regia, in aliquibus caſibus; qui ad ipſum, vel per viam violentiæ, gubernationis, aut competentiæ deferuntur, ad ſe, aut ad alios Iudices regios cauſas criminales Equitum auocare quandoque, & aliquando eas aut ab ipſo Senatu Ordinum, aut à Iudicibus ipſorum Ordinum decidendas eſſe, decernere, iuxta cauſarum qualitates, & circunſtantias. His præiactis, dilucidè ad quæſtionem peruenimus, ex cuius fundamentis hinc indè contrariis competentiæ, & contentiones oriuntur.

§. II.

Proponuntur fundamenta, quibus Authores ſententiæ affirmantis probant, Equites Militares eſſe ſtrictè Religioſos, & Eccleſiaſticos, ac à iuriſdictione Regia temporali in cauſis criminalibus, & mixtis exemptos.

Authores huius ſententiæ ſunt Nauarrus *in Apolog. Monit.* 55. *quæſtion.* 1. & *tractat. de reddditibus, quæſtion.* 3. *monit.* 27. & 28. & *part.* 1. *lib.* 1. *titul. de his, qua vi, num.* 6. *conſil.* 5. & *lib.* 3. *titul. de regular. conſil.* 13. & *conſil.* 41. Diuus Antonius, Syluester, Fortunius Garſias, Humadas, Caualcanus, Molina Iuriſperitus, Oldradus, Burgos de Paz, Montaluo, Gironda (qui Equites in cauſis criminalibus ad ſuos iudices eſſe remittendos aſſerit,) Azeuedo, Belluga, Bobadilla, & Emanuël Rodriguez, quos refert, & ſequitur Garſias Maſtrillo *in Deciſionibus Conſiſtorij Siciliæ, deciſ.* 290. Calderon *in quæſtion. Vtrùm Milites de Alcantara debeant ferre Habitum ſub peccato mortali?* Gutierrez *lib.* 2. *practic. qq. quæſt.* 111. *num.* 2. Bobadilla *in politic. lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 11. Mendez de Caſtro *in praxi Luſitana, lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 10. Nicolaüs Garcia *de Benefic. part.* 1. *capit.* 4. *num.* 15. Baſilius Legionenſis *de impediment. matrimon. capit.* 19. §. 4. Ioannes Valerus *de differentia vtriuſque iuris, verbo, munera, differentia* 1. *num.* 22. Antonius de Marinis *reſolut. quotidian. lib.* 1. *c.* 44. Vbi refert pro hac ſententia Menchacam, Menochium, Couarruuias, Salcedo, & alios. Cenedo *in tract. de pauper. Relig. dub.* 60. *ex num.* 12. Martinus de Ayala *in declarat. Reg. Ordinis S. Iacobi ex cap.* 1. Magiſter Iſla *in tract. ſuper eandem Regul.* Vega *in ſumm.* 1. *part. capit.* 85. *caſu* 147. P. Thomas Sanchez *in præcept. Decal. tom.* 1. *cap.* 16. *num.* 11. Gabriel Verarti *de viſitat. ſæculari cap.* 3. *num.* 46. Domin. Don Ferdinandus Pizatro *in diſcurſu Apologet. in gratiam Ordin. Militar.* Pater Rebellus *de obligation. iuſt. part.* 2. *capit.* 1. *num.* 10. Michaël de Medina *de ſacrorum hominum continentia,* 28

continentia, lib. 4. controuerſ. 7. capit. 39. Michaël à Marañon *in tractatu de hac ipſa quæſtione.* Petrus Nuñez de Auendaño *capit. 26. Prætor, lib. 2. num.* 11. Doctor Ioannes Ramirez *in Bull. Confirmation. Diui Iacobi.* Hieronymus Roman *in Republic. Chriſtian. capit. 2.* Thomas del Bene, plures referens *part. 1. tract. de immunit. Eccleſ. cap. 1. dubit. 11.* Didacus Mota *de Confirmat. Ordinis Sancti Iacobi lib. 2.* Vbi *capit. 2.* affert pro hac ſententia Martinum Garnica, Gregorium Satorres, & Hieronymum Cabanillas; *Et ex pagin.* 325. refert verbatim ſententias Virorum ſui æui doctiſſimorum, qui huic ſententiæ ſubſcripſerunt; Illi autem ſunt Pater Gabriel Vazquez, Frater Franciſcus Martinez, Ignatius Lopez de Salcedo, Ludouicus Tena, Aluarus Villegas, Ludouicus Monteſinus, Frater Ioannes Marquez, Emanuël Rodriguez, Pater Ludouicus Turrianus. Pater Michaël Marcos, Doctor Orduña, Pater Hieronymus de Florencia, Ioannes Pardos, Andreas Perez de Arenas, Pater Chriſtophorus de Caſtro, Martinus Yañez, Stephanus Izquierdo, Ildephonſus Valdiuieſo, Frater Ioſephus Aguayo, Alphonſus Coloma, Frater Franciſcus de Molina, Frater Michaël Salon, Antiſtes Vincentius Iuſtinianus, Frater Didacus Mas, Frater Michaël de Carranza, Frater Baltaſar Poncius, Ioannes Trilleſius, & Petrus de Caſtañeda; qui omnes enuntiarunt, Equites Militiarum eſſe strictè, & ſimpliciter Religioſos. Demùm Pater Araujo, Peñafiel, & alij centum ſeptuaginta duo Authores (quorum plures ſunt ex iam relatis) afferuntur à Don Gineſio Morote Blaſquez *in patrocinio Ordinis de Alcantara ex fol.* 13. enuntiantes, Equites Militiarum eſſe exemptos à iuriſdictione Regia, & proprio foro gaudere. Pro eodem foro tuendo ſtant Carleual *tom. 1. de iudic. diſput. 2. quæſtion. ſection. 3.* Domin. Ioannes de Larrea *in allegat. Fiſcal.* Don Laurentins Matheu *de regimin. Regni Valentiæ, capit. 7. §. 4. num. 21.* Vbi eruditè tractat, quomodo decidantur competentiæ in Ordine Monteſæ, quæ cauſæ ad ipſum Ordinem ſpectent, & his ſimilia. Demùm nouiſſimè Alexander Sperellus *tom. 2. deciſ. 2.*

29 Præcipua horum Authorum fundamenta ſunt plurimæ Bullæ Pontificiæ, in quibus approbantur, & confirmantur Religiones hæ Militum, & ipſi Milites à Pontificibus, abſque addito diminuente, vocantur Religioſi, & eximuntur ab omnibus Iudicibus, niſi à propriis ipſorum Ordinum. Pro Ordine, & Militibus Diui Iacobi has Bullas expedierunt Alexander Tertius, Lucius Tertius, Iulius Secundus, Innocentius Tertius, & Quartus, Martinus Quintus, & alij, quorum verba referunt, & expendunt Didacus Mota, Ioannes Ramirez, & Domin. Pizarro *ſuprà* relati, & Don Franciſcus de Ocampo *in Informatione ſuper Vicaria de Aledo, & Totana, in margine, ex fol. 1.* Pro Ordine, & Militibus Calatrauæ extant Bullæ Alexandri Tertij, Pauli Tertij, Pij Quinti, & aliorum plurium, quas obſeruant Don Barnabas de Reſa *in Allegatione pro Prioratu Calatrauæ*; Domin. Don Sebaſtianus Zambrana *in Allegatione ſuper viſitatione Campi de Calatraua, ex fol.* 10. Pro Ordine Alcantaræ, eiuſque Militibus Bullæ emanarunt ab Alexandro Tertio, Gregorio Nono, Innocentio Octauo, quæ adducuntur in Bullario ipſius Ordinis, *fol. 4. & 21. & 64.*

30 Et quidem ex his Bullis deducitur, Clericos Fratres eſſe strictè Religioſos, ac à iuriſdictione Regia exemptos, proprioque foro gaudentes; ergo à fortiori debet deduci, Equites Militares eiſdem qualitaribus affici. Probant conſequentiam, tum quia eodem filo, & tenore verborum, abſque diſcrimine vllo, Pontifices includunt, & exprimunt Commendatarios, Milites, & Fratres Clericos; tum quia hi Ordines Militares primariò, & præcipuè pro Militibus ſunt inſtituti, tanquam pro perſonis conſtituentibus ipſos Ordines, & Inſtituto primario eorum ſatisfacientes, quibus additi ſunt Clerici Fratres, qui Sacramenta miniſtrarent ipſis, & populis ſuarum ditionum, & iuriſdictionem ſpiritualem exercent. Hinc, ſi ex eis Bullis non deducitur, Equites eſſe strictè Religioſos, nec deduci poterit, Clericos Fratres eſſe ſimpliciter Religioſos; imò conſequenter erit negandum, Ordines Militares eſſe propriè Religiones, ſi hi, pro quibus Bullæ confirmationis, & exemptionis fuerunt expeditæ, strictè Religioſi non ſunt.

31 Confirmant id ipſum; Nam plurimæ Bullæ Conſeruatoriæ, poteſtatem concedentes ad eligendos Iudices Conſeruatores, & ampliſſimæ quidem, conceſſæ fuerunt à Pontificibus non ſolùm pro Fratribus Clericis, verùm etiam pro Commendatariis, & aliis Equitibus Militaribus, qui clarè, & apertè in ipſis exprimuntur, vt ex verbis ipſarum conſtabit *infrà quæſtion. quarta.* Ergo Commendatarij, & cæteri Equites ſunt strictè Religioſi; & Eccleſiaſtici, ac à iuriſdictione Regia exempti; nam, ſi ſæculares eſſent, non poſſet eis poteſtas concedi ad eligendos Iudices Conſeruatores

uatores, qui ſolùm conceduntur Religioſis, & Eccleſiaſticis perſonis, ſeu pro bonis Eccleſiaſticis.

32 Rurſus Equites Militares communicant priuilegia, & gratias aliarum Religionum non Militarium ex conceſſionibus plurium Pontificum, adducendis *infrà quæſtion. tertia*. At hæc communicatio conceditur eis, vt Religioſis ſimpliciter; nec etenim ampla adeò communicatio in priuilegiis Religionum conceditur, niſi Religioſis; ergo Religioſi ſunt ſimpliciter, & abſolutè. Roborant id ex aliis Bullis Pontificum, nempè ex Bullis Confirmationis Ordinis Diui Iacobi, & ex Bulla Innocentij Tertij, reſpectu Calatrauenſium, ac ex Bulla Alexandri Tertij, & Innocentij Quarti, reſpectu Alcantarenſium, quæ extant in Bullario Alcantaræ *fol.4. & 94.* in quibus Pontifices prohibent, ne vllus ex Ordinibus Profeſſus, ſiuè Miles, ſiuè Clericus Frater, valeat ad aliam Religionem, niſi arctiorem tranſire; Quæ prohibitio non poterat competere, niſi perſonis verè, & ſimpliciter Religioſis, ſicut videre eſt in ſimili deciſione, in *cap. licet, de Regularibus, lib.6.*

33 Adhuc vrgent ex Bullis Innocentij Secundi, Lucij Tertij, Vrbani Tertij, Gregorij Noni, quæ afferuntur in Bullario Ordinis de Alcantara *fol. 24. & fol. 57.* & ex Bulla Gregorij Decimi Tertij expedita die 20. Octobris, anno 1503. quam affert *in ſua allegation. num. 66.* Dom. Don Bernardus de Ipeñarrieta; in quibus Pontifices eximunt Equites Militares ab omnibus Iudicibus ſæcularibus, & Actus iudiciales ab his confectos declarant eſſe nullos; prohibentque eis, vt iuriſdictioni ſæculari ſe ſubmittant, & vt fideiuſſores ſint ſæcularium; ac demùm, ſi quis ex illis delictum capitale committat, brachio ſæculari relaxandum eſſe, decernunt. Deindè Pius Quintus in Bulla, quæ incipit *In Eminenti* expedita in gratiam Calatrauenſium, & Lucius III. Innocentius Octauus, Bonifacius Octauus, Martinus Quintus in Bullis allatis in Bullario Ordinis de Alcantara *fol. 6.& 67. & 192.* eximunt Equites Militares, vt perſonas Religioſas, & Eccleſiaſticas, à tributis, & decimis ſoluendis; inter quos Pius Quintus excommunicat tum eos, qui vectigalia ab Equitibus poſcunt, tum ipſos, ſi ſoluant; & Lucius Tertius concedit immunitatis libertatem perſonis, bonis, & Monaſteriis Ordinis Alcantaræ. Item Leo Decimus in Bulla adducta in Bullario Alcantaræ *fol.111.* prohibet omnibus Iudicibus Eccleſiaſticis, quòd poſſint excommunicare perſonas Ordinis, niſi Iudices ſint ex ipſo Ordine, aut ab eo conſtituti. Rurſùs Pontifices in pluribus Bullis, dum aliquid ſtatuunt circa veros Religioſos, ſolent excipere Equites Militiarum, vt cernere eſt in Bulla Cruciatæ circa eſum ouorum, & lacticiniorum; in Bullis, in quibus prohibetur Religioſis aſſiſtentia ad ſpectacula Taurorum, & in ſimilibus; & quidem inutilis eſſet ea exceptio, ſi non eſſent propriè Religioſi; Quos tamen Pontifices, tanquam laxioris diſciplinæ profeſſores, nolunt ſub rigida aliorum norma comprehendere.

Quòd ſi aſſeratur, Bullas omnes præfatas non fuiſſe admiſſas, ſeu ab illis fuiſſe ſupplicatum ad Pontifices à Senatu Supremo Caſtellæ, eiuſque Fiſcalem retinuiſſe illas, adeoque non debere executioni mandari; Reſpondent Authores huius ſententiæ affirmantis, plures ex Bullis ſuperioribus expeditas fuiſſe ferè quingentis ab hinc annis, alias verò longo ab hinc tempore, & tunc nec retentas fuiſſe, nec ab illis ſupplicatum, indeque effectum ſuum fuiſſe ſortitas, & Equites Militares in legitima poſſeſſione ſuorum priuilegiorum verſari. Deindè dum Pontifex declarat, aliquam Congregationem, ſeu cœtum eſſe veram Religionem, & perſonas militantes ſub illa eſſe verè, & ſimpliciter Religioſos, eoſque approbat, & confirmat, poſſunt quidem Reges non admittere illos intra ſua Regna; cum ſint ſupremi domini temporales ditionum, & locorum; non verò poſſunt facere, quòd illi non ſint verè Religioſi; Vnde, ſi eos admittant intra ſuam ditionem, ea qualitate affectos admittunt. Potuerunt ergo Reges impedire, ne in ſuis ditionibus Ordines Militares fundarentur, & erigerentur, non verò, quòd iam erecti, approbati, & confirmati à Sede Apoſtolica, ipſis Regibus annuentibus, & optantibus, non ſint ſtrictè Religiones, & Equites ſtrictè Religioſi, dum à Pontificibus, vt tales recenſentur, & approbantur. Sed nec Reges impedierunt, quin potiùs ad Regis Philippi Secundi inſtantiam vna ex prædictis Bullis, in qua Equites etiam eximuntur in criminalibus cauſis à iuriſdictione temporali Regia, fuit expedita. Quin ad inſtantiam aliorum Regum ſimiles Bullæ conceſſæ fuerunt. 34

Si autem replicetur, olim ſanè Equites in primæua Ordinum fundatione fuiſſe verè, & ſimpliciter Religioſos, cum Inſtituto ſuo omnino erant intenti, nec ſplendoris cauſa Habitum ſuſcipiebant, ſed vt Eccleſiæ obſequiis per plurimos labores in bello tolerato ſe manciparent, nec licebat, niſi 35

Iacobæis,

Iacobæis, ducere vxores; Nunc verò nec
Habitum ſuſcipiunt, vt Deo, & Eccleſiæ
militent, ſed vt ſplendorem familiæ au-
geant, nec in bello occupantur; & aliundè
diſpenſatum eſt cum illis, vt vxores du-
cant, indeque familiæ curam, & non ſe-
cùs, ac cæteri ſæculares, foueant; Quare
Pontifex ſic diſpenſans, & præterea facul-
tatem teſtandi indulgens, eos à ratione
ſtrictæ Religionis abſoluit, cum qua non
ſtat nuptiarum contrahendarum poteſtas,
& bonorum omnium dominium cum fa-
cultate diſponendi, & teſtandi; & præ-
tereà vix datur Obedientiæ materia, cum
non niſi raro aliquando quidquam eis præ-
cipiatur; quare eorum vota cum ingenti
adeò laxitate, & diſpenſatione emiſſa, ne-
queunt veram, & propriam Religionem
conſtituere.

36 Reſpondent Authores prædicti, Equi-
tes Iacobæos ab exordio Ordinis potuiſſe
matrimonium contrahere, & tamen tunc
fuiſſe verè, & ſimpliciter Religioſos; ergo
Calatrauenſes, & cæteri, etiam ſunt verè,
ac ſimpliciter Religioſi, poſtquam ex diſ-
penſatione Pontificia valent contrahere
matrimonium; ſiquidem Pontifices con-
ſtituunt eos inſtar Equitum Ordinis Diui
Iacobi, & id in Bullis exprimunt. Deindè
ante hanc diſpenſationem Pontificiam
erant ſtrictè & verè Religioſi; ergo & poſt
illam. Probant conſequentiam; nam Pon-
tifices non immutarunt ſtatum Religio-
ſum Equitum Militarium, nec illum abole-
uerunt, ſed præcisè diſpenſauerunt quoad
nuptias, & in reliquis nihil abſtulerunt, aut
mutarunt, quin cætera ſarta tecta reliquе-
runt. Sic Paulus III. allatus in Bullario Al-
cantaræ *fol.* 153. aſſerit; *Ipſique Magiſtri,
Præceptores, Milites, & Fratres futuri, etiam
poſtquam matrimonium contraxerint iuxta
ſtatuta, & ſtabilimenta Militiæ Sancti Iacobi
prædicta, vt præfertur, omnibus, & ſingulis
priuilegiis, immunitatibus, exemptionibus, gra-
tiis, libertatibus, prærogatiuis, fauoribus, &
indultis, eis, antequam matrimonium huiuſ-
modi contraherent, ratione illarum de Cala-
traua, & Alcantara Militiarum huiuſmodi,
quam profeſſi fuerint, quomodolibet conceſſis,
& quibus, ante contractum matrimonium præ-
dictum, de iure, vel conſuetudine vtebantur,
& gaudebant, ac vti, potiri, & gaudere pote-
rant, in omnibus & per omnia, perindè ac ſi
matrimonium non contraxiſſent, vti, potiri, &
gaudere, &c.* Hanc autem Bullam accepta-
tam eſſe, eſt certum, cum ex vi illius Equi-
tes Calatrauæ, & Alcantaræ nuptias con-
trahant; Nec videtur, poſſe aſſeri; admiſ-
ſam, & acceptatam fuiſſe quoad diſpenſa-
tionem circa nuptias; non verò quoad
cætera; cum ad id non extet ſolidum fun-
damentum.

Præterea aiunt, Religionis veræ, & 37
ſtrictæ naturam ſtare cum matrimonio;
quando id non opponitur fini, & Inſtituto
Religionis, vt contingit in præſenti, cum
Inſtitutum ſit, militare pro fide, & Eccle-
ſia; Et deindè rationi Religionis ſecun-
dùm ſe non repugnare rerum dominium;
Vtrumque autem probat Baſilius Legio-
nenſis *de matrimon. lib.* 7. *ex cap.* 13. vbi
oſtendit, primis ſæculis conſtitiſſe veros
Religioſos cum retentione dominij rerum;
& cum eo ſaluari veram Religionem, dum-
modò Religioſi ſe abdicent vſu dominij;
niſi licentia Prælati accedat, quod præſta-
tur ab Equitibus Militiarum; Ibi etiam
oſtendit, ſaluari veram Religionem cum
voto caſtitatis coniugalis; & Ordo quidem
Iacobæus ab initio cum eo voto fuit appro-
batus, & confirmatus. Quod autem nunc
Obedientiam Equites non frequenter
exerceant, nec militiæ incumbant, laxam-
que vitæ normam teneant, & Habitum ad
ſplendorem proprium ambiant, aiunt pro-
uenire tum ex defectu materiæ, cum iam
intra Hiſpaniam Saraceni nullum locum
occupent, ad quos debellandos primæuis
temporibus Equites militabant; nec adeò
inuiſcerata, & frequentia ſint bella intra
ipſam Hiſpaniam, ac Saracenorum miſe-
ra tempeſtate; tum etiam, quia aliqua re-
laxatio inducta eſt reſpectu Equitum Mili-
tarium, qui abutuntur fine, quem in ſuſ-
cipiendo Habitu debent in animo habere,
nec adeò obſeruantes ſunt ſui Inſtituti, &
Regulæ, ac erant primæuis temporibus,
quod & dolendum eſt, & reparandum.
Quòd autem relaxatio aliqua, aut abuſus
ſit inductus ob hominum fragilitatem, &
calamitatem temporum, non probat, Reli-
gionem fuiſſe abolitam, nec ſtatum Reli-
gioſum Equitum reuocatum. Addunt Au-
thores huius ſententiæ, Equites Militares
gaudere priuilegio Canonis, quod etiam in
Bulla Pontificia circa Iacobæos eſt expreſ-
ſum; quod ſuadet, eos eſſe Eccleſiaſticas
perſonas, & à iuriſdictione Regia exem-
ptas. Quam exemptionem, & cætera pri-
uilegia extendunt ad Equites Nouitios;
cum Nouitij iuxta receptam valdè ſenten-
tiam gaudeant priuilegiis Religioſorum.

Vrgent fundamentum exemptionis; 38
quia, eſtò Equites non eſſent Religioſi, Ec-
cleſiaſticæ tamen perſonæ ſunt; Quod, ait
Maſtrillo *ea deciſione* 290. nullum negaſſe,
niſi Sarmiento, etiam ex contrariis Autho-
ribus; & id probat latè Nauarrus *monitor.* 27.

&

& 55. vbi ſuæ modeſtiæ meminiſſe non videtur, dùm Sarmientum impugnat. Expreſsè id pronuntiauit Innocentius VIII. allatus in Bullario Alcantaræ *fol.67.* ibi: *Nos igitur attendentes, quòd Magiſter, Præceptores, & Fratres prædicti Eccleſiaſticæ perſonæ, provt ſunt, meritò ſint cenſendi, debeantque gaudere Eccleſiaſtica libertate, in quas laicis nulla iuriſdictio, vel poteſtas eſt, quomodolibet attributa.* Idem enuntiat Alexander III. in Bulla confirmationis Ordinis D.Iacobi. Vndè Equites omnibus priuilegiis Clericalibus gaudere docent P. Thomas Sanchez, Emanuël Rodriguez, Velaſco, Mendez à Caſtro, Hieronymus Rodriguez, Flores de Mena, alij, Nicolaüs Garcia, P.Leſſius, & plurimi alij, quibus ſubſcribit Diana *part.1.tit.2.reſ.50.& 73. part. 3.tit.1.reſ.61. part.4. tract.1. reſ.36. & 86. part.5. tit.1. reſ.18. & tract. 13.reſ. 44. part.6. tract.8.reſ.6.* Confirmant. Senatus Ordinum gaudet iuriſdictione Eccleſiaſtica, cum abſque illa non poſſet cauſas Clericorum Fratrum, etiam criminales, & alias, quæ manifeſtè ſunt Eccleſiaſticæ, decernere; ergo Senatores, qui ſunt Equites Militares, ſtrictè Religioſi ſunt, aut ſaltem perſonæ Eccleſiaſticæ; aliter enim iuxta plurium ſententiam, minimè capaces eſſent iuriſdictionis Eccleſiaſticæ? Nec poſſunt præſtare laïci Iudices ea, quæ ipſi præſtant; igitur ipſi non ſunt laïci. Nec extat Bulla, qua Pontifex illis, vt laïcis, concedat (vt poteſt) iuriſdictionem Eccleſiaſticam. Sed reſpondent Authores oppoſiti, Pontificem poſſe iuriſdictionem Eccleſiaſticam concedere laïcis, de quo *diſq. 7. quæſt.3.* conceſſiſſe autem eam Senatui Ordinum conſtat ex Bullis, quibus eius iuriſdictionem approbarunt Pontifices afferendi *diſq.7. num. 24.* Vlteriùs inſiſtunt. Pius V. abſtulit ab Equitibus Militaribus licentiam teſtandi, quam poſtmodùm Gregorius XIII. eis reſtituit. Si autem non eſſent ſtrictè Religioſi ad quid erat reſtituenda licentia, & quomodo Pontifex potuiſſet ab illis eam licentiam auferre? Abſtulit autem, quia Religioſorum omnium Generaliſſimus eſt Pontifex; & ſuppoſuit, eos eſſe ſtrictè Religioſos. Rurſus in Concordia Ordinis de Alcantara cum Epiſcopo, & Eccleſia Caurienſi, quam tranſcribam *diſq.7. quæſt.14.* ſtabiliuit Rex Philippus II. Epiſcopos Caurienſes, *No han de tener iuriſdicion alguna en los Religioſos, ni Caualleros de la Orden en primera, ni ſegunda inſtancia, ſiendo Reos; ſino que dicha iuriſdicion ha de ſer de la Orden, è del Conſejo de las Ordenes priuatiuamente, aſſi en ciuil, como en criminal indiſtinctamente, &c.* Ecce mentem Regis deſignati à Pontifice ad componendas diſcordias inter Ordinem Alcantaræ, & Caurienſes Antiſtites. Prætereà cum Gregorius XIII. emolliuiſſet Breue Pij V. circa prohibitionem factam Eccleſiaſticis ad aſſiſtendum ſpectaculo agitationis taurorum, tamen renouat cenſuras contra Religioſos ei ſpectaculo aſſiſtentes; & excipit Equites Ordinis Militarium, qui ſacris non eſſent initiati, à cenſurarum incurſu, etiam ſi aſſiſtant. Ergo in hac exceptione ſuppoſuit, eos Equites eſſe ſimpliciter Religioſos; nam, ſi abſolutè eſſent laïci, ſuperuacaneè exciperentur, cum reſpectu laicorum non proferentur cenſuræ, nec prohibitio.

Aliud horum Authorum fundamentum 39 deſumitur à legibus noſtri Regni, quæ proprium forum Equitum Militarium tuentur; nempè *lex 12. tit.16. lib.2. ordinam. lex 4. tit.17. part.3. Pragmatica ſanctio promulgata die 19. Ianuary, anno 1609.* In qua omnes cauſas criminales, & mixtas Equitum in prima inſtantia decidendas eſſe in Senatu Ordinum Philippus III. Rex noſter ſanciuit, & præcepit obſeruari Bullam Clementis VIII. expeditam anno 1600. & aliam Pauli V. daram anno 1608. Quas Regias literas tranſcripſit Maſtrillo *vbi ſuprà num.165.* Eaſque, & alias Regni leges expendunt Dom. Don Bernardus de Ipeñarrieta *in defenſione Ordinum Militarium num. 38. & 54.* Don Ginefius Morote in Patrocinio Ordinis Alcantaræ *fol.43.* Sed de ſupplicatione facta à Fiſcali Senatus Regij Caſtellæ ab his literis Regiis redibit ſermo *§ ſequenti.*

Adhuc id probant *ex leg.14. tit.5. lib.3. Recopil.* (quam Authores contrarij pro oppoſita ſententia afferunt) In qua Rex noſter Philippus II. præcipit, nullum Religioſum, nec Equites Ordinis S. Ioannis poſſe exercere munera Prætorum, Præfectorum Arcium, Senatorum vrbium, & ſimilia; ſed tamen poſſe ea exercere Equites trium Militiarum. Sanè hæc eſt exceptio eius vniuerſalitatis, qua Religioſi prohibentur ab his muneribus; ergo Equites recenſentur Religioſi; nam, ſi tales non eſſent, ſupra quid ea exceptio caderet? aut vnde prohiberentur exercere ea munera? Quin, ſi Equites eſſent ſæculares, ſufficeret præcipere, Religioſos non exercere munera eiuſmodi, vt maneret fixum, Equites Militares poſſe ea exercere; nam exceptio firmat regulam in contrarium; ergo, ſi Religioſi à muneribus excipiuntur, & Equites non ſunt Religioſi, hi 40

munia

munia illa exercere valerent, quin eſſet opus, eos exprimere. De hac tamen lege redibit ſermo *infrà* §.3.

41 Inſtant in id ipſum. Etenim Rex noſter Philippus II. qui optauerat huic controuerſiæ finem apponere, id in ſuo Codicillo aperuit, ſuumque animum propalauit, nempè quòd cauſæ omnes ciuiles Ordinum, & criminales vaſſallorum deciderentur in prima inſtantia à Senatu Ordinum, ac ipſorum Senioribus inibi adſtantibus, à quo poſſet appellari ad quatuor Iudices, duos quidem è Senatu Supremo Caſtellæ, duos verò ex ipſo Senatu Ordinum. Illicò autem ac in Regnum ſucceſſit Rex Philippus III. Legato ſuo in Curia Romana præcepit, vt à Pontifice Breue impetraret, quo paternæ voluntati indulgeretur. Expediuit illud Clemens VIII. die 31. Ianuarij, anno 1600. & ipſum Breue declarauit, ac confirmauit Paulus V. die 5. Nouembris, anno 1608. Quo ſuppoſito, ſic arguunt. Neceſſaria fuit conceſſio Pontificia ad hoc, vt duo Senatores è Supremo Caſtellæ Senatu ſimul cum aliis duobus Senatoribus Ordinum in Conſeſſu commiſſionum cognoſcerent in gradu appellationis de cauſis ciuilibus Ordinum, & de criminalibus vaſſallorum; ergo quia cauſæ Ordinum ſunt Eccleſiaſticæ, & Senatores Ordinum iuriſdictionem Eccleſiaſticam exercent, à qua nequit appellari ad Iudices ſæculares (non eſt ſermo per viam violentiæ, quod huc non attinet) nam alias non foret opus Breui Pontificio; ſiquidem Reges ipſi poſſent conſtituere Tribunal ſæculare ad cauſas ſæculares; at non potuiſſe conſtituere illud, oſtenditur ex impetratione indulti Pontificij. De his tamen adhuc §.*ſequenti* ſermonem reperemus, dum oppoſitam ſententiam proponemus. Vrgent; Ad eum Conſeſſum commiſſionum non feruntur cauſæ criminales Equitum Militarium in ſecunda inſtantia, ſed ad Pontificem; ergo, quia duos Iudices ſæculares in eo aſſiſtentes nequeunt eas cognoſcere, vtpotè Equitum, qui ſtrictè ſunt Religioſi.

42 Confirmant hanc doctrinam pluribus exemplis Regum, & Iudicum ſæcularium, qui ob defectum poteſtatis abſtinuerunt à cognitione cauſarum ad Equites Militares ſpectantium; vel de cognitione à ſe habita pœnituerunt. Celebre eſt illud, Regem Ioannem II. abſolutionem ſibi, & ſuo Regio Senatui à Pontifice petiiſſe, eo quòd cauſam tractauerint, & capite damnauerint D. Aluarum de Luna Magiſtrum Ordinis D. Iacobi; in quo tamen Ordine à primæua inſtitutione Equites valuerunt nuptias contrahere. Frequentes etiam caſus afferunt Authores hi, in quibus cauſæ criminales Equitum ad Senatum Ordinum remittuntur ex diuerſis Prouinciis, & Regnis. Quin, cum priuilegium exemptionis Ordinum ſit Pontificium, & Pontificia poteſtas vigeat in omnibus Prouinciis Catholicis, indè Equitem delinquentem adhuc in Prouincia Regi noſtro non ſubiecta debere ad Senatum Ordinum, vt ad proprium forum, remitti, contenditur. Quare, cum Mantuæ deliquiſſet Flaminius paleologus Eques Iacobæus, Rex noſter Philippus II. tanquam Ordinis Adminiſtrator, ſeu Magiſter, literis datis 20. Maij, anno 1564. à Duce Mantuæ popoſcit, eum ſibi remitti. Plura afferunt, & obſeruant Carleual. *tom.* 1. *diſp.* 2. *q.* 6. *ſect.* 3. *num.*430. Carolus de Graſſis *de effectibus clericat. effect.* 1. *numer.* 116. Salazar de Mendoſa *in hiſtor. Cardinalis D. Petri Gonzalez*, *lib.* 1. §.7. Don Gineſius Morote *vbi ſuprà ex fol.* 44. P. Araujo Peñafiel *de priuileg. Ordinum Militar. tract.* 4. *fol.* 188. Dom. Don Ioannes de Larrea *in allegat. Fiſcal.* Ioannes Nuñez de Villaſan *in Chronic. Regis Alfonſi cap.* 48. Carol. de Torres *in hiſtor. Ordin. D. Iacobi lib.* 1. *cap.* 4. *§. vlt. & cap.* 9. *ac cap.* 52. Caſſanare *in alleg. Iuris pro exempt. Ord. Milit.* P. Mariana *in hiſtor. Hiſpan. lib.* 17. *cap.* 1. Antonius de Nebrija *in Chronic. Regis Don Petri*, *cap.* 51. Rades *in hiſtor. Ordin. D. Iacobi cap.* 33. *ex fol.* 45. *& c.*17. *fol.*201. *& fol.*24. *&* 51. *ac* 54. *&* 70. Montaluo *ad leg.* 1. *tit.* 7 *part.* 1. Quin addunt, quamvis aliquando Reges, aut ex eorum commiſſione Iudices ſæculares cognouerint de cauſis Commendatariorum; qui in ſuis Commendis iuriſdictione erga vaſſallos exercent, non propterea ſuaderi, eos Commendatarios non eſſe perſonas Eccleſiaſticas; Quippè aliqui caſus ſunt, in quibus Reges poſſunt cognoſcere de cauſis Eccleſiaſticorum, qui vaſſallos habent; vt videre eſt apud P. Suarez *contra Regem Angliæ diſp.* 34. *n.* 26. *& ſæpè in eodem tomo.* Deinde aiunt, aliquando Iudices ſæculares cognouiſſe de cauſis Equitum; verùm id præſtitiſſe per viam violentiæ, Hiſpanè *por via de fuerza*; De qua, inter alios, eam approbans ſcripſit Nauarrus *in prælect. ad cap. ſi quando, cap. cum contingat, de reſcript.* Quæ prælectiones Romæ ab editionibus huius Authoris fuerunt ablatæ; extant verò in antiquioribus, & ſeorſim etiam excuſſæ reperiuntur.

Pro hac rursùs ſententia Authores ſic 43

Digitized by Google

decertant. Equites Militares ita ſunt Ordinibus ſuis perpetuò adſtricti, vt poſt emiſſam Profeſſionem nequeant ab eis egredi, niſi Religionis arctioris cauſa; ergo ſunt perſonæ Religioſæ; cum enim reſilire non valeant, & onus Votorum ſentiant, debent pariter commodum Religionis, fori, & exemptionis ſentire. Hæc ex Cardinali, Bartolo, Paulo, & aliis exornat Gregorius Lopez *ad leg.* 1. *tit.*7. *partit.* 1. Vbi hanc controuerſiam pro vtraque parte exagitat, & ſuam ſententiam non depromit: In quo, ait Maſtrillo *ea deciſ.* 290. *num.*164. eum *ſagaciter* ſe habuiſſe.

44 Confirmant rationem hanc. Equites Militares emittunt in Profeſſione tria Vota ſolemnia conſtituentia veram Religionem; degunt ſub Regula approbata in Eccleſia; nempe Iacobæi ſub Regula S. Auguſtini; cæteri verò ſub Regula S. Benedicti, ſub Inſtituto tamen Ciſtercienſi; quam Regulam Pontifices eis deſignarunt in Confirmatione Ordinum; Quòd ſi in votis aliqua eſt laxitas, id ex Pontificis diſpenſatione dimanat, qui potuit Religionis veræ naturam conſeruare adhuc poſt præſtitam diſpenſationem. Prætereà Equites prædicti ſubſunt propriis Prælatis; ad ſtatuta, Definitiones, & Regulam obſeruandam tenentur, &, dum violant, puniuntur; Confeſſarij proprij eis deſignantur; Capitula generalia, vt in cæteris Religionibus, celebrantur, in quibus deſtinati ſunt, qui ius habent ſuffragij; Habitum proprium geſtare debent, & eo ornati, cum è viuis decedunt, ſepeliri; Quæ omnia, & ſimilia ſuadent, eos eſſe Religioſos, à iuriſdictione Regia exemptos, proprioque foro gaudentes. Hæc latè ex Nauarro, Vazquez, Bobadilla, & aliis exornat Maſtrillo *vbi ſuprà ex num.*32. Et profectò rectè ſubſiſtit Religio ex fine militandi ad defendendam Fidem, & Eccleſiam, cum is finis Deo ſit gratiſſimus. Deindè cum veris Religioſis poſſe diſpenſare Pontificem, vt, retento ſtatu, ducant vxores, aſſerit Maſtrillo *ſuprà num.* 134. eſſe veriorem, & communiorem opinionem, pro eaque affert Innocentium, Caietanum, Scotum, Nauarrum, & alios, & *num.* 141. oſtendit, Clericos Græcos, & Orientales, adhuc Presbyteros, quamvis coniugati ſint, gaudere priuilegio fori, & Canonis.

45 Accedit, quòd Senatus Ordinum nequit punire Equites Militares pœna capitali, quod ſignum eſt, contra eos, tanquam Eccleſiaſticas perſonas, procedi; Vnde Nauarrus *conſil.*1. *de regularib.* ait, quendam Equitem Militarem, quem ob crimen grauiſſimum cupiebat Rex capite damnari, à Iudicibus Ordinis fuiſſe à morte liberatum, & relegatum in Africam ad pugnandum aduerſus Saracenos. Alia his ſimilia afferuntur à relatis Authoribus.

Demùm aiunt, ex conſuetudine, optima legum interprete, (de qua §. ſequenti iterùm agemus) conſtare, Equites Militares eſſe verè Religioſos, ac exemptos à iuriſdictione ſæculari. Hinc Nauarrus *tract. de reddit.* affirmat, ſe in Luſitania, vbi per quindecim annos Cathedram rexerat, tanquam rem notoriam ſemper hoc intellexiſſe. Adſtipulatur Maſtrillo *vbi ſuprà, num.* 82. Addit Nauarrus *conſil.*5. *de his, qua vi, num.*6. adeò certam iudicari hanc ſententiam ab omnibus, quòd opinio Soti contrarium tuentis fuerit *noua, & ſcandaloſa in Hiſpania.* Alij verò magis temperatè loquendo enuntiant, non fore tenendam ſententiam oppoſitam ab his, qui attentè viderint Bullas, & Conſtitutiones Ordinum Militarium, ad quas videndas remiſit Gregorius Lopez *vbi ſuprà*, vt iudicium de controuerſia ferretur. 46

Pro Ordinibus Auis, & Chriſti militant proportionatè fundamenta ab Authoribus allata, & Bullæ pro eis expeditæ, quarum meminimus *diſquiſ.* 1. *quæſt.*10. *&* 11. Pro Ordine Monteſæ ſtat Bulla confirmationis expedita anno 1436. & Gregorij XIII. ac Sixti V. qui eum vocant Eccleſiaſticum Ordinem. Videantur Franciſcus Calaf. *in allegatione pro Prioratu Monaſterij de Monteſa*; Dom. Pizarro *in ſua Apologia, num.*73. D. Laurentius Matheu Sanz *tom.*2. *de regimine Regni Valentiæ, cap.*7. §.4. 47

§. III.

Proponuntur fundamenta, quibus Authores ſententiæ negantis probant, Equites Militares non eſſe ſtrictè, & propriè Religioſos, nec perſonas Eccleſiaſticas nec à iuriſdictione Regia in cauſis vllis exemptos.

Authores cenſentes, Militiarum Equites non eſſe propriè Religioſos, ſunt, Sotus *in* 4. *diſt.* 27. *quæſt.* 1. *art.* 4. *& de iuſtit. lib.*7. *quæſt.* 5. *art.* 3. Don Franciſcus Sarmiento *de reddit. Eccleſ. part.*4. *cap.*1. Ioannes Andreas, Ledeſma, P. Azor, Cenedo, Burgos de Paz, Montaluo, Auendaño, Alcozer, Marta, P. Sa, Guttierrez, Ioannes de la Crux (qui tamen ait, eos gaudere priuilegio Canonis ex indulto Alexandri III.) & alij, quos refert Don Garcias Maſtrillo 48

deciſion. 29. Laſarte *de decim. cap.* 19. *n.*29. Gironda *de gabell. part.*7. *num.*47. (eſtò aſſerat, illorum cauſas criminales ad Iudices Ordinum eſſe remittendas) Aragòn 2. 2. *quaſt.*88. *art.*11. *ad vlt. arg.* Azeuedo *lib.* 14. *num.*3. *tit.*5. *lib.*3. *noua Recopil.* Iacobus de Graffis *tom.*1. *lib.*3. *conſil.*11. Vinianus *in praxi iuris. patronat. p.* 2. *lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 17. Barboſa *tom.* 2. *de iure Eccleſiaſt. lib.* 3. *cap.* 7. (Qui ait, oppoſitum ſibi probabilius fuiſſe iudicatum, ſed id eſſe receptius) P. Molina *de inſtit. tract.* 2. *diſp.* 141. *&* *tom.* 4. *tract.* 3. *diſp.* 3. *n.* 5. P. Valentia *tom.* 3. *in* 2. 2. *dubio* 10. *q.* 4. P. Leſſius *de iuſtit. lib.* 2. *cap.*41. *n.*7. P. Reginaldus *tom.*2. *praxis fori pænitent. lib.*18. *tract.*4. *cap.*24. *num.*365. P. Quintanadueñas *in Iubilao duplicis hebdomada cap.* 17. *num.* 50. & aliis relati à Dom. Ferdinando Pizarro *in Apologia pro Ordin. Militar.* Ludouicus Poſtius *de manutenendo deciſ.* 326. Lambertus Ortiz *in allegatione pro Regio Fiſco.* Ac alij, quos refert Petrus Gonzalez Gragera *in allegatione pro pracedentia Clericorum Fratrum Hiſpalenſium*, *num.* 14. vbi ſe ipſum citat *in lib. de Iure Eccleſiaſtico Ordinum Militarium*, *part.* 2. *cap.* 2. *§.* 1. Quem librum diligenter quæſiui, nec in eum offendi. Propter tot Virorum authoritatem extrinſecam, Ego non ſemel *tom. in Bullam Cruciata*, *&* *tom. de Iure Academico*, non diſcutiens, nec decidens controuerſiam, ſed hanc ſententiam ſupponens, aliqua ſtabiliui, quæ ei innituntur; nam ea authoritas ſufficit, vt quæ ei ſunt innixa, tuto in praxi executioni mandentur. Ex his tamen Authoribus aliqui tenent, Equites Militares eſſe perſonas Eccleſiaſticas, & in cauſis criminalibus, ac mixtis in proprio foro eſſe conueniendos, vt *ſuperiùs* obſeruaui.

49 Cæterùm fundamenta, quibus Authores probant, præfatos Equites non eſſe propriè, & ſimpliciter Religioſos, nec perſonas Eccleſiaſticas, nec à iuriſdictione Regia temporali exemptos, ſunt. In primis ad Religionis ſtatum proprium requiruntur tria vota ſubſtantialia Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ; ita vt ſimul cum voto ſolemni Paupertatis non detur rerum dominium, nec cum voto Caſtitatis poteſtas contrahendi nuptias, vt colligitur *ex cap. cum ad Monaſterium*, *de ſtatu regular.* & docet poſt D. Auguſtinum S. Thomas 2.2. *quaſt.* 186. *art.* 1. *&* 4. Exornant Abbas, Hoſtienſis, Calderinus, Vazquez, Nauarra, Sarmiento, Sotus, Ioannes Andreas, Socinus, Gregorius Lopez, & alij apud Maſtrillo *ſuprà ex num.* 1. Et quidem, quomodo Dei obſequiis intendant, qui diuitias, & patrimonia curant, & fouent? qui matrimonij deliciis irretiuntur? qui vxoris, & filiorum amore ſollicitantur? qui in ſæculo degentes, non aliter, quàm alij ſæculares, honores, munera, & diuitias ambiunt, negotiiſque temporalibus incumbunt? qui, cum non ſint ſuorum corporum domini, dum vxorati ſunt, nequeunt expediti eſſe ad obediendum? qui nunquam intra Clauſtra degunt, nec Prælatum, qui frequenter eos exerceat, habent, ſed rarò quidquam ab illo ipſis iniungitur? Hæc omnia impedimenta ſunt ad finem Religionis aſſequendum, ad perfectionem Euangelicam ſectandam; ad ſtatum autem Religioſum requiritur abſtractio eorum, per quæ homo impeditur, quominùs omnino in Deum feratur. Vnde ex Apoſtolo Paulo, D. Auguſtino, & D. Thoma probat Gregorius Lopez *vbi ſuprà lit. H.* delectationes huiuſmodi ſollicitare animum, & ex ſe illum retrahere ab obſequio Dei, atque ad terrena conuertere. Quis autem, ſi vitam Equitum Militarium perpendit, non iudicet, ſimilem eſſe ſæculari, & propiùs accedere ad vitam laïcalem, quàm ad Religioſam? ergo abſolutè, vt laici, ſunt habendi quo ad ſtatum, & forum.

Confirmant hoc fundamentum Autho- 50
res *ex cap. duo genera*, 12. *q.*1. vbi traditur, duo eſſe Chriſtianorum genera; aliud mancipatum diuinis Officiis, deditum contemplationi, & orationi, ac ſpirituali, & corporali proximorum vtilitati; & ceſſans ab ſtrepitu rerum temporalium, indeque homines huius generis ſunt omnino conuerſi ad Deum; aliud genus ſunt laïci. Sed Equites Militares non ſunt ad Deum ſic conuerſi; quin ſtrepitu rerum temporalium illaqueantur, ergo abſolutè ſunt laici. Qua ratione Abbas, Fredericus, Guillelmus de Monte Laudato, Ancharanus, & Calderinus apud Gregorium Lopez *vbi ſuprà* cenſuerunt, Milites Gaudentes, ſeu S. Mariæ, & Fratres de Pœnitentia non eſſe propriè Religioſos, nec perſonas Eccleſiaſticas, nec gaudere priuilegio fori, nec Canonis. Confirmant ampliùs ex Innocentio *in cap. ſignificantibus*, *de offic. deleg. & in cap.* 2. *de maiorit. & obed*, vbi ait; Clericos ideò eſſe exemptos à iuriſdictione Imperatoris, quia ſunt res ſpirituales, & ex toto corpus, & animam Chriſti obſequio ſacrarunt; igitur, ea ratione ceſſante, vt in Equitibus ceſſat, non ſunt hi exempti à iuriſdictione Regia. Et, quamvis modum viuendi à Sede Apoſtolica

approbatum habeant, non fiunt indè exempti, vt à paritate conſtat in Tertiariis Ordinis S. Franciſci, qui ſub Ordine vero, approbato, & confirmato, degunt, modumque vitæ etiam approbatum retinent, & tamen exempti non ſunt, nec ſtrictè Religioſi, aut perſonæ Eccleſiaſticæ, ſed lato modo, & ſecundùm quid; eo quòd contrahant matrimonium, & dominio rerum gaudeant cum libera facultate diſponendi de illis. Similiter ergo in Equitibus contingit, quamvis ſub Ordinibus veris, approbatis, & confirmatis degant, & certum viuendi modum approbatum obſeruent. Hinc iuxta praxim Equites excommunicantur ab Epiſcopis, ſicut alij laici; & Ordinibus ab eiſdem initiantur, quin literas dimiſſorias à Prælatis Ordinum Militarium afferant; quæ præſtari nequirent, ſi eſſent ſtrictè Religioſi, ſicut nequeunt præſtari reſpectu Regularium non Militarium.

51 Probant prætereà hi Authores ſuam ſententiam. Nam duplex eſt exemptio; alia de iure diuino, qualis eſt Clericorum ſaltem in ſpiritualibus; alia de iure Pontificio, merè poſitiuo, cum nempè à Pontifice exemptio impetratur; contra primam nequit præſcribi, ſic verò contra ſecundam. Hinc aſſerunt, licèt Equites à Pontificibus exemptionem habuerint, potuiſſe conſuetudini præſcribi contra exemptionem; Hanc autem conſuetudinem dari probant ex temporum decurſu, quo de cauſis criminalibus, & mixtis Senatus Regius Caſtellæ, & Iudices ſæculares cognouerunt, quotiès iuxta qualitates, & circunſtantias cauſarum, hæ non fuerunt remiſſæ ad Senatum, & Iudices Ordinum. Cum ergo Senatus Supremus Caſtellæ ſuo recto arbitrio quandoque de eis cauſis cognoſcat, quandoque eas remittat, iam inducta eſt conſuetudo contra exemptionem. Hinc aſſeruit Gregorius Lopez; *In iſtos Commendatores S. Iacobi de Spata de conſuetudine antiqua Rex Hiſpania vſus eſt ſua iuriſdictione, & in tali eſt poſſeſſione.*

52 Vlteriùs, ſi Equites Militares teneantur ad gabellas ſoluendas, non poſſunt dici perſonæ Eccleſiaſticæ; iuxta *cap. quanquam, de cenſib. Clementin.* 1. *eodem tit.* Tenentur autem ad eas ſoluendas. Vnde, cum in *leg.* 6. *tit.* 18. *lib.* 9. *Recopil.* fuerit diſpoſitum, quòd gabella, Hiſpanè *Alcavala*, non perſoluatur ab Eccleſiis, Monaſteriis, Clericis, & Prælatis; Rex noſter Philippus II. immediatè *legem* 9. *eodem tit.* condidit, qua præcipit, quòd Commendatarij trium Ordinum Militarium eam perſoluant ex omnibus rebus, quas venderent, exceptis fructibus, & redditibus Commendarum, niſi vbi eſſet conſuetudo, quòd ex his etiam fructibus ſolueretur. Iudicauit ergo prudens Rex, eos eſſe laicos, cum Eccleſiaſtici ab eo onere ſolutionis ſint exempti. Vnde, quamvis exemptionem obtinuiſſent à gabellis ſoluendis, etiam illa per conſuetudinem potuit abrogari. Quin ſubdunt hi Authores, exemptionem à iuriſdictione ſæculari (cum non prouenit ex iure diuino) ſolùm habere vim in præiudicium concedentis illam, non verò in præiudicium tertij; nempè Principis ſæcularis, à cuius iuriſdictione Pontifex non eximit laicum ſubditum, vt tradunt Innocentius, & alij *in cap.* 2. *de maioritat. & obedient.*

Firmatur idem aſſertum ex Ordinatione 53 inuictiſſimi Imperatoris Caroli V. quam vocant Concordiam Comitis de Oiorno, cum non tam concordia fuerit, quàm medium quoddam ab Imperatore iniunctum ad dirimenda dubia, quæ ipſi propoſuerat Capitulum Ordinis D. Iacobi anno 1527. Et affertur inter Ordinationes Tribunalis Regij Valliſoletani *tit.* 1. *fol.* 7. Ex cuius prætatione conſtat, Fiſcalem Supremi Senatus Caſtellæ ſupplicaſſe à Bullis Pontificiis expeditis in fauorem Ordinis D. Iacobi; ac Imperator ſupponens, illas non eſſe acceptatas, & Regibus fauere poſſeſſionem, & conſuetudinem cognoſcendi de omnibus cauſis ciuilibus Equitum Militarium, decreuit, quòd deinceps omnes cauſæ ciuiles Equitum ad Iudices Regios ſpectarent, & ſimul etiam plures cauſæ criminales; aliæ verò ex his à Iudicibus propriis Ordinis cognoſcerentur; eaſque illis permiſit, eo quòd Magiſtratus vniti iam eſſent Regiæ Coronæ, & ab ipſis Regibus forent deſignandi Iudices Ordinum; nec vllas his cauſas aliter permiſiſſet. Dicunt Authores primæ ſententiæ, hanc Concordiam non fuiſſe admiſſam ab Ordine, hùncque reclamaſſe, & in ſtatutis ipſius Ordinis à Regibus ſubſcriptis declarari eam Concordiam nullam, & inualidam. Sed reſpondent ſecundæ ſententiæ affectæ, eam non fuiſſe Concordiam, vt præmiſi; & adhuc vigere, ac iuxta illam à Senatu Supremo Caſtellæ decerni communiter competentias, ac illæſam inter Ordinationes Regias afferri. Quòd autem ſtatutis Reges ſubſcribant, non obſtat; nam Rex noſter duplicis perſonæ vices gerit, nempè Regis, & Magiſtri Ordinum; Quatenùs Magiſter, ſubſcribit

ſubſcribit his, quæ à Capitulis ſibi proponuntur; Quatenus Rex, ſuam ſupremam, ac Regiam iuriſdictionem tuetur; habetque ſe, ac ſi alius eſſe Magiſter ſubſcribens ſtatutis, ipſe verò perpendens, indè ſoæ Regiæ iuriſdictioni præiudicari, non vult ratum habere, quod alius, ſi diſtinctus Magiſter daretur, ſubſcribit; & quoad hoc eodem modo res ſunt expendendæ, ac, ſi de facto diſtinctius foret Magiſter.

54 Poſtmodùm Rex Philippus II. ſuam mentem expoſuit, cum gabellas ſolui iuſſit à Commendatariis Ordinum. Deindè, quamvis Rex Philippus III. impetrauerit Breuia à Clemente VIII. & Paulo V. ad Conſeſſum Commiſſionum erigendum, in quo duo Senatores Supremi Senatûs Caſtellæ cum duobus Senaturibus Ordinum aſſiſterent, vt poſt primam inſtantiam circa omnes ciuiles cauſas in Senatu Ordinum ipſorum habitam, de illis in ſecunda inſtantia cognoſcerent, & per ſanctionem Regiam præceperit, ea Breuia Apoſtulica obſeruari, & cauſas criminales Equitum Militarium à Senatu Ordinum cognoſci, prout etiam in Breuibus Pontificiis continebatur; Tamen Dom. Melchior de Molina, Fiſcalis tunc Supremi Senatus Caſtellæ, & poſtmudùm Senator, ac vnus è Camera Regia Caſtellæ, vir equidem ſapientiſſimus, ſupplicauit ad Pontificem à prædictis Breuibus; & ad ipſum Regem à ſua ſanctione, tanquam præiudicante iuriſdictioni Regiæ; indeque Rex ſuperſedit; ac Senatus Supremus Caſtellæ retinuit poteſtatem cognoſcendi de cauſis criminalibus in prima inſtantia, ſeu remittendi eas ad Iudices Regios, cum id videtur expediens, aliaſque eiuſmodi cauſas Senatui Ordinum remittit, aut ad ſe non aduocat. Quare pro varietate euentuum in competentiis nunc vnum ex his, nunc aliud decernit. Idemque præſtat, ſi Equites eligant Conſeruatores, & per viam violentiæ cauſa ad ipſum afferatur, nam aliquando decernit, Conſeruatores vi vti, & cauſam à Iudice ſæculari tractandam eſſe, declarat; aliquando verò eam Iudicibus Ordinis remittit, quin iuriſdictionem Conſeruatorum admittat. Ecce, inquiunt hi Authores, vna ſerie, ac filo Reges ſteitiſſe pro iuriſdictione ſua Regia, nec admiſiſſe exemptionem Equitum Militarium, ac conſequenter iudicaſſe, eos non eſſe ſimpliciter religioſos, & perſonas Eccleſiaſticas; aliter pro ſua ſumma pietate, iuſtitia, & veneratione Eccleſiæ, ac Religionum, ſecùs ſe habuiſſent; nec rem grauiſſimam, niſi Viris doctioribus, conſultis, ita tractaſſent. De Potentiſſimo autem Rege noſtro Philippo IV. *infrà* ſermo inſtituetur. Obſeruant tamen hi Authores circa Breuia relata, ideò, quia Pontifices anteceſſores conceſſerant Equitibus præfatis omnimodam exemptionem à iuriſdictione ſæculari, modo *ſuprà* dicto, Pontifices Clementem, & Paulum quoad eum Conſeſſum reuocaſſe illam exemptionem; idque intendiſſe operari per Breuia; & ſic ſatisfit obiectioni, quæ §. 2. contendebat, ideò neceſſaria fuiſſe Breuia Pontificia ad Iudices ſæculares admittendos, quia Equites ſtrictè ſunt religioſi, & Eccleſiaſticæ perſonæ. Et quidem, cum cauſæ ciuiles Equitum Militarium apud Iudices ſæculares communiter ventilentur, quid opus fuit diſpenſatione Pontificia, vt duo Senatores e Supremo Caſtellæ Senatu ſimul cum aliis duobus ex Senatu Ordinum de cauſis ciuilibus, & de criminalibus etiam vaſſallorum Ordinum in gradu ſupplicationis, aut appellationis cognoſcerent?

Inſiſtunt adhuc ſuæ ſententiæ probandæ Equites Militares in cauſis ciuilibus conueniuntur apud Iudices Regios, ergo non gaudent priuilegio fori, & exemptionis, nec ſunt Religioſi ſtrictè, nec perſonæ Eccleſiaſticæ; Cum hi conſtans, Clericos, & Religioſos, cum Rei ſunt, trahere Actorem ad ſuum proprium forum, nam Actor ſequitur Forum Rei. Si dicatur, id contingere ex conſenſu Pontificum, & ipſorum Ordinum Militarium, ac ex tolerantia. Contrà, nam de tali conſenſu neutiquam conſtat; & in re adeò graui, qualis eſſet ceſſio fori proprij, non abſque Pontificiis Bullis foret operandum. Rurſùs, ſi non obſtante proprio foro, ex tolerantia cognoſcunt Iudices Regij de omnibus cauſis ciuilibus Equitum Militarium, cur non aſſeratur, etiam ex tolerantia eos cognoſcere de cauſis criminalibus, ac mixtis illorum? Quare aliqui Viri ſapientiſſimi ſentiunt, independenter ab eo, quòd Equites Militares ſint Religioſi ſtrictè, aut latè, vel ſecundum quid, decidendam eſſe quæſtionem de cognitione cauſarum, quæ ad illos ſpectant, & aſſerendum, ex communi tolerantia pertinere ad Iudices Regios cognitionem eiuſmodi, hancque tolerantiam inductam fuiſſe à congruentiis, & à neceſſitate. Etenim, cum numerus Equitum Militarium adeò creuerit, & per diſtantiſſima Regna, & Prouincias diſperſi illi ſint, & ſolum modò in Curia Matritenſi ſit Senatus Ordinum, nec alibi vſquam dentur Iudices proprij Equitum Ordinum, 55

Ordinum, quo pacto Equitum crimina in ſingulis locis, Prouinciis, & Regnis puniantur? An impunè delinquere ſunt illi permittendi? Si reſpondeatur, poſſe, ac debere delinquentes apprehendi à Iudicibus Regiis, & cauſas ad Senatum Ordinum remitti; Equidem, ſi quælibet cauſa criminalis, etiam ſi crimina ſint exigua, ex diſtantiſſimis locis ſit ad Senatum Ordinum mittenda, ſatius cenſebitur, culpam impunitam relinquere, quàm in his delationibus tempus, & ſumptus impendere; Ac in executione plures ſeſe offerunt difficultates, quæ praxim impediunt.

56 Hinc in Prouinciis diſtantibus, ipſi Authores primæ ſententiæ fatentur, cauſas criminales Equitum Militarium apud Iudices ſæculares tractari; Id in Regno Neapolitano eſſe in praxi, teſtatur Carleual *vbi ſuprà num.* 438. Sed ait, exindè prouenire, vel quia ibi priuilegium Apoſtolicum exemptionis non habet Regium *exequatur*; vel quia, abſente Iudice proprio, vt in eo Regno abeſt Iudex Equitum Militarium Hiſpaniæ, Rex eſt Iudex exemptorum. Verùm hac in ſolutione oſtendit Carleual, exemptionem Equitum Militarium non eſſe de iure Diuino, ſaltem Canonico; (qualis eſt exemptio Clericorum, hæc enim non indiget Regio *exequatur*) ſed eſſe de iure Pontificio merè poſitiuo, nempè conceſſam ex priuilegio à Pontificibus reſpectu Equitum Militarium, quamvis ipſi non ſint ſtrictè Religioſi, nec Eccleſiaſticæ perſonæ; & hæc exemptio, cum ſit in præiudicium iuriſdictionis Regiæ, dum ipſe Rex non annuit, & aſſenſum præbet, nullum robur habet. Deindè, ſi Equites exempti eſſent à iuriſdictione Regia, non rectè prouiſum fuiſſet ab Ordinibus, dum in quavis Prouincia diſtanti non deſignaſſent aliquem ex ipſis Ordinibus inibi commorantem, ad quem cauſæ criminales Equitum deferrentur, ne Iudices Regij ob abſentiam proprij Iudicis de eis cauſis cognoſcerent, & indè contra fori priuilegium præſcriberetur. Rurſùs, ſi cauſæ omnes criminales in Senatu Ordinum ſint tractandæ, cum ab eo detur ad Pontificem appellatio, ſanè crimina grauiſſima longo tempore impunita manebunt, & communiter, cum à Pontifice Iudices deſignentur in Hiſpania, poſt longam moram minora delicta apparebunt, & mitiori pœna coërcebuntur. Quod contra rectam gubernationem tendere, contenditur.

57 Aliud fundamentum politicum hi Authores producunt. Nempè Equites Militares eſſe præcipuam, & clariſſimam Regni partem, cum Habitu Militari ornentur Dynaſtæ, Magnates, Belli Imperatores, Senatores, & plurimi alij munere, & nobilitate conſpicui. Abſurdum autem videtur, à Regis iuriſdictione eos eſſe immunes, & principalem adeò Regni portionem ſubterfugere poteſtatem ſupremam Regiæ iuriſdictionis. Quæ abſurditas magis eminet, ſi inſpiciatur, Equites inter cæteros ſæculares abſque vlla diſtinctione commorari, ſplendidas habere familias, primos eſſe in ludis, & ſpectaculis fouendis, in temporalibus rebus tractandis, in vitæ delicioſæ luxu; & hi tanquam Religioſi non ſubdantur iuriſdictioni Regiæ?

Plura etiam oſtendunt, reperiri in Militiarum Equitibus, quæ prohibita ſunt Religioſis. Hi enim nequeunt publicè adeiſcere Ius Ciuile; nec eſſe cauſarum Aduocati vniuerſaliter, nec Iudices in cauſis ciuilibus, & criminalibus laicorum, & alia huiuſmodi; Quæ omnia ab Equitibus præfatis exequutioni mandantur, quin impetratæ ad id fuerint diſpenſationes Pontificiæ. Rurſùs peracto anno Nouitiatus in ætate legitima, Religioſi debent Profeſſionem emittere, nec hæc differtur niſi ex vrgenti cauſa ad breue tempus; Equites autem Militares plurimis annis tranſactis ab Habitus receptione Profeſſionem emittere ſolent, & plures totam vitam tranſigunt, quin emittant illam, vel ob negligentiam, vel ob commoda temporalia, Præterea alij Religioſi tempore Nouitiatus rigidiorem vitæ normam ſectantur, & Religionum onera ſubeunt, vt probent, an ea poſſint tolerare per vitæ decurſum, & Religiones ipſæ dignoſcant, an illi vitæ Religioſæ ſint apti. Nihil autem horum præſtatur circa Equites Militares Nouitios, qui non ſecùs, ac alij ſæculares viuunt; imo non ſecùs ac ipſi viuebant ante ſuſceptionem Habitus; pecuniaque redimunt breue tempus, quòd in Monaſteriis erant verſaturi. Quæ ergo eſt hæc Nouitiatus norma. Et, quantumvis Ordines ſint Militares, nec adeo auſteri, ac cæteri, tamen aliquid deberet in Nouitiis reperiri, quod eos à cæteris diſcriminaret, ſi Nouitiatus dirigeretur ad aſſumendum ſtatum ſtrictè, & ſimpliciter Religioſum. Deindè, quamvis Habitus Equitum Militarium de facto non vendantur, poſſe tamen abſque ſimoniæ labe diuendi, plurimi Authores tutantur, de quo *ſuprà diſquiſ.* 1. *q.* 14. & tamen non poſſunt pretio æſtimari Habitus Clericorum Fratrum, ergo ideò eſt, quia hi ſunt ſtrictè Religioſi, non illi, nam aliàs non facilè diſcrimen ſolidum excogitabitur. 58

Alio

59 Alio fundamento, tanquam à poſteriori, vtuntur, ſcilicet Romanum Tribunal Rotæ, apud quod cauſæ Eccleſiaſticæ tractantur, ſequi hanc ſententiam, quòd Equites Militares non ſint ſtrictè Religioſi, nec perſonæ Eccleſiaſticæ. Ita teſtatur Ludouicus Poſtius *de manutenendo, deciſ.* 326. Et, cum omnia Tribunalia curent ſuam promouere iuriſdictionem, eamque ſartam tectam conſeruare, & Rota Sacra iuriſdictionem ſuam Eccleſiaſticam ad Equites eiuſmodi non extendi fateatur, eos non eſſe perſonas Eccleſiaſticas, euinci videtur. Quin id fuiſſe deciſum in ipſa Sacra Rota coram Dom. Seraphino, die 4. Iunij, anno 1582. affirmat Viuianus *in praxi nouiſſima iuris patronatus, part. 2. lib. 6. cap. 2. num.* 17. Id ipſum declarauit die 10. Nouembris, anno 1609. Sacra Congregatio Cardinalium, vt aſſerit Diana *tract. 2. de dub. Regular. reſol.* 64. Prætereà adducunt *legem* 14. *tit.* 15. *lib.* 3. *Recopil.* in qua decernitur, nullum Religioſum, nec Equites S. Ioannis ad munera publica aſſumi; poſſe autem ad ea aſſumi Equites trium Ordinum Militarium. Quæ additio non fuit exemptio eorum à generali decreto erga Religioſos, ſed declaratio, quòd intra numerum Religioſorum non eſſent recenſendi, ne quiſquam cenſens, eos eſſe ſtrictè Religioſos, incapaces iudicaret munerum eiuſmodi.

60 Hinc, vt alia omittamus, quæ latè afferuntur à Don Franciſco Sarmiento, & ab aliis *ſuprà* relatis, concluduut, à Pontificibus non fuiſſe poſtulatam iuriſdictionem erga Equites Militares, poſt vnionem Magiſtratuum Ordinum Coronæ Regiæ factam, nam erga eos, Reges iuriſdictione, ac poteſtate gaudebant, qua poſſent illos regere, ac in ſuo officio continere, & delinquentes punire; ex tunc autem, quia etiam in Reges recidit immediata temporalis iuriſdictio in ditiones Ordinum; (qua fruebantur olim Magiſtri) Gubernatores, & Præfecti earum ditionum vtuntur iuriſdictione Regia; ſpiritualia verò, & Eccleſiaſtica exercentur per Clericos Fratres ipſorum Ordinum, & Eccleſiaſtica iuriſdictio penes Senatum Ordinum reſidet, præter iuriſdictionem Regiam, qua hic Senatus fungitur tum reſpectu ditionum Ordinum, tum reſpectu Equitum Militarium, reſpectu quorum (iuxta hos Authores) iuriſdictione Regia, non Eccleſiaſtica vtitur. Indè cauſæ, quæ per viam appellationis olim à Iudicibus temporalibus Ordinum ad Regias Cancellarias deferebantur, nunc cum electione ad illas, vel ad Senatum Ordinum, dum eſt in Curia, deferuntur; poſtquam inſtitutus fuit; & cauſæ Eccleſiaſticæ ad ipſum Senatum tantùm. In gradu autem ſupplicationis à Senatu Ordinum cauſæ temporales non criminales deferuntur ad Conſeſſum Commiſſionum; Eccleſiaſticæ verò in gradu appellationis ad Pontificem, & etiamad ipſum criminales, quæ in Senatu Ordinum fuerint tractatæ. In Regibus itaque noſtris reſidet iuriſdictio Regia, & iuriſdictio erga Ordines, ac poteſtas deſignandi Miniſtros ex illis, per quos ſpiritualia, & eis annexa gerantur. Reges verò illos deſignant, & Senatui Ordinum, cui poſt deſignationem competit iuriſdictio Eccleſiaſtica, ſimul conferunt iuriſdictionem Regiam, qua vtatur erga temporalia Ordinum, & erga Equites Militares; Vnde iuriſdictio Senatus Ordinum eſt duplex, vocatique poteſt mixta ſubiectiuè, quia in eiſdem ſubiectis vtraque reſidet; non obiectiuè, quia reſpectu eiuſdem cauſæ, vel perſonæ non vtraque ſimul exercetur, ſed pro varietate cauſarum vnaquæque viget. Ita Authores huius ſententiæ, & alij expreſſiùs poſt illos, qui hac tempeſtate hanc ſententiam tenent, & quidem grauiſſimi, ac doctiſſimi, quos Ego accuratè tum in Curia, tum Salmanticæ conſului.

61 Cæterùm, cum anno 1652. Matriti coacta fuiſſent Capitula Generalia trium Ordinum Militarium, & valdè optaſſent, contentionibus, & competentiis finem apponi, at ſuam iuriſdictionem erga Equites in criminalibus, ac mixtis, Regia authoritate ſtabiliri, ſimulque eorum exemptionem à iuriſdictione ſæculari Regia; Regi noſtro Magno Philippo IV. libellum ſupplicem obtulerunt, in quo fundamentis, & rationibus pro ſua iuriſdictione libatis, enixè poſtularunt, vt eam firmiter ſtabiliret. Commiſit Rex grauiſſimo Conſeſſui rem examinandam; in quo, cum animaduerteretur, de Regia imminuenda iuriſdictione agi, iudicatum fuit, ad Senatum Supremum Caſtellæ deducendam etiam fore controuerſiam; ſic fuit præſtitum, Rege noſtro annuente. Maturè in eo Inſigni Senatu fuit diſcuſſa contentio, & iniunctum Fiſcali, vt rem totam examinaret. Fiſcalis munere potiebatur Dominus Don Hieronymus de Camargo, nunc in eodem Supremo Caſtellæ Tribunalis Senator, Vir ſupra inuidiam maior, ſuprà admirationem ſapientior, qui doctiſſimam conſultationem exornauit, momentis vndique libratis, cuius is erat ſcopus, vt nihil innouaretur, ſed cuncta, vt hucvſque, ſe deinceps

 haberent,

haberent, in gratiam iuriſdictionis Regiæ, pro qua plura ex *ſuperius* allatis propoſuit. Obtulit Senatus ipſi Regi noſtro eam conſultationem, à ſe priùs expenſam, & approbatam. Qua à piiſſimo, ac iuſtiſſimo Rege perſpecta, diſtulit decidere controuerſiam, & Capitulis Generalibus reſpondit, ea poſſe diſſolui, remque hanc maturè à ſe fore introſpiciendam. Et quidem eam introſpici curat, tum ab ipſo Senatu Regio Caſtellæ, quem iteratò de re iudicanda admonuit, tum à grauiſſimo Conſeſſu, quem deſignauit; In eo autem ſunt Illuſtriſſimus Dominus Don Didacus de Arce & Reinoſo, Epiſcopus olim Plaſentiæ, nunc Fidei Quæſitor Generalis; Domin. Don Petrus Pacheco, Tribunalis S. Cruciatæ Præſes; Reuerendiſſimus P. M. Fr. Ioannes Martinez Confeſſarius Regius; & ex Senatu Regio Caſtellæ Illuſtr. Dom. D. Martinus Bonilla, nunc Epiſcopus Abulenſis; Dom. Don Franciſcus de Solis; Domin. Don Franciſcus Ramos del Manzano; & Reuerendiſſimus Pater Magiſter Nicolaus Baptiſta ex Carmelitano ſacro Ordine, Regius Concionator, Quæſtionem ergo, quam Rex ipſe diſtulit adhuc authoritatiuè decidere, nec mihi licet opinatiuè decernere; vt ſic & Regis noſtri, & Adminiſtratoris perpetui Ordinum nutui debitam venerationem, & cultum exhibeam.

§. IV.

Illationes, quas ex ſua doctrina appoſita §. 2. *deducunt Authores affirmantes. Equites Militares eſſe ſtrictè Religioſos, & exemptos. Vbi de perſonis, quibus competunt priuilegia Militarium.*

62 INferunt primò, non poſſe vllum reum, Militarium Ordinum in cauſis criminalibus conueniri coram Iudice ſæculari, aut Eccleſiaſtico, qui non ſit ipſius Ordinis ad id deputatus. Indè nec vllum ex his Iudicibus poſſe eum aliqua pœna mulctare, nec Actus iudiciales aduerſus illum exercere, & quicumque fiant, eſſe inualidos, ac Iudices, qui eos exercuerint, incidere in pœnas deſignatas à Iure, & in Bullis in fauorem ipſorum Ordinum expeditis aduerſus Iudices violantes immunitatem, ac exemptionem Eccleſiaſticam, & Religioſam. Id enim commune eſt reſpectu omnium Religioſorum, & eorum, qui ſunt Eccleſiaſtici. Ex ſuis autem fundamentis conſtare, aiunt, Equites, & Clericos Fratres Militares eſſe verè, ac propriè Religioſos, & perſonas Eccleſiaſticas, priuilegioque fori proprij gaudentes.

Inferunt ſecundo, caſu quo à Iudicibus 63 alii Equites comprehenderentur in aliquo delicto, ob quod congrueret, illicò eos in cuſtodia detineri, fore remittendos ad Iudices proprios de delicto monitos; cum id ipſum cum aliis Regularibus, & perſonis Eccleſiaſticis peragatur, qui in delicto, quod vocant, *flagranti*, deprehenſi poſſunt cuſtodiæ tradi, & debent ad proprium Iudicem remitti. Circa hanc illationem videantur Don Ferdinandus Pizarro *in ſuo Diſcurſu Apologetico*; & Gineſius Morote *in patrocinio Ordinis Alcantaræ, concluſione tertia.* Plura circa hæc poſſunt, vt concernentia, exornari ex dictis à me *tom. de Iure Academico, lib. 1. quæſtion. 3. à* §. 4. *& lib. 3. ex quæſtion. 2.* Vbi latè egi de foro Studioſorum, & de his, quibus tum fori priuilegium, tum aliæ immunitates competunt.

Inferunt tertiò, ex ſe, & priuilegiis, ac 64 ſtatutis Ordinum inſpectis, Equites Militares etiam fore conueniendos in cauſis ciuilibus coram Iudicibus propriis ipſorum Ordinum; cum enim Actor debeat ſequi forum Rei, vt eſt vulgatum, & conſtans, in ſuo proprio foro deberent conueniri Equites Militares, cum eſſent Rei. Forum quippè non ſolùm eſt pro cauſis criminalibus, ſed etiam pro ciuilibus, vt videre eſt in aliis perſonis Eccleſiaſticis, in Religioſis, in Studioſis, & in ſimilibus proprio foro gaudentibus, qui in illo etiam in cauſis ciuilibus conueniuntur; & quidem aſſerunt, Bullas, ac priuilegia Ordinum Militarium forum, & exemptionem, ac immunitatem non limitare; nec minora eſſe, ac ſunt ea, quibus gaudent alij Ordines non Militares, ſed ampliſſima, & omnimodam exemptionem in omnibus cauſis ab aliis Iudicibus, concedentia.

Verùm addunt, Ordinibus ipſis annuentibus, ita diſpoſitum eſſe, vt Equites Militares conueniantur in cauſis ciuilibus coram Iudicibus ſæcularibus, non ſecùs ac alij ſæculares, & id fuiſſe expediens; etenim, cum Equites ſint per varia loca diſperſi, non poſſent abſque ingenti grauamine, & ſumptibus Actorum, coram proprio Iudice conueniri, indeque plures defraudari contingeret iuribus, bonis, & actionibus, dum non valentes facere eos ſumptus, à litibus intentandis abſtinerent, vel ſi poſtulatio, vt ſæpè contingit, emolumento non ingenti eſſet intentanda, id refugerent, cum maiores eſſent peragendi ſumptus, quam foret ſumma vtilitatis. Aliundè etiam, cum Tribunal proprium Equitum trium Ordinum Militarium (idem 65

reſpectiuè

reſpectiuè de cæteris aſſerito) ſit Senatus Regius Ordinum, qui ad plura, & grauiſſima, negocia totam curam impendit, non poſſet de tot, tamque innumeris litibus curare, audire, & decernere. Nec præterea pro ſingulis Equitibus in quolibet Oppido ad frequentiſſima negocia poſſet Iudex ſpecialis ex Ordine deſignari; id enim ex ipſa propoſitione terminorum cernitur, fieri non poſſe, cum mille vndique inconuenientia obſiſtant. Rursùs, cum Equites Militares dominium rerum habeant, in Maioratus ſuccedant, teſtamenta condant, cæteraque perficere queant circa bona, & actiones, quæ cæteri ſæculares poſſunt, & eiſdem prorsùs legibus eorum lites ſint decernendæ, congruum fuit, coram eiſdem Iudicibus conueniri. Plures tamen adhuc ſunt exceptiones, in quibus nequeunt Iudices ſæculares de cauſis ciuilibus Ordinum, & Equitum cognoſcere, vt annotaui *ſuprà*.

66 Si eis opponatur, non poſſe eos, qui proprio foro gaudent, ei renuntiare, vt cernitur in aliis Religioſis, & perſonis Eccleſiaſticis; ergo nec Equites Militares, ſi proprio foro potiantur. Et Equites ſuis priuilegiis renuntiare non poſſe, docet Mota *in regulam Ordin. Diui Iacobi, lib.2. capit.15.* Duplici via huic incommodo eunt obuiam, ita vt non admittant, Ordines Militares ſuo foro renuntiaſſe. Prima eſt, aſſerendo, ipſos Ordines Militares veluti deſignaſſe in Indices, ad cauſas ciuiles Equitum, in omnibus inſtantiis, adhuc per viam appellationis, Iudices ſæculares, qui de cauſis aliorum ſæcularium cognoſcunt; dum enim ob rationes *nuper* libatas, aliter fieri non poſſe, cognouerunt, ad id annuentes, ſeſe habuerunt, ac ſi expreſsè eos Iudices deſignarent; Nec refert, quòd illi ſæculares ſint; ſiquidem non eſt opus, vt cauſæ ciuiles Eccleſiaſticorum coram Iudice Eccleſiaſtico tractentur. Patet; nam ſi Eccleſia, aut Monaſterium, vel perſonæ Eccleſiaſticæ, ſint Actores, & ſæculares perſonæ ſint Rei, coram Iudicibus ſæcularibus lites intentant, ab eiſque hæ decernuntur; ergo non eſt contra rationem ſtatus Religioſi, & Eccleſiaſtici, vt eorum cauſæ ciuiles à Iudice ſæculari dirimantur; nam id præciſè, quod eſt, lites ab eo Iudice dirimi, eodem modo accidit, quando ſunt Actores, ac ſi eſſent Rei. Quòd ſi adhuc ſcrupulus non quieſcat, addunt ſecundam viam, qua id ſine renuntiatione fori contingit; nempè per conſenſum Pontificum, quibus ſcientibus, & annuentibus, id peragitur, quaſi quadam ipſorum diſpenſatione, ob rationes, & cauſas iuſtiſſimas *ſuprà* allatas, exhibita.

Cæterùm, cum Fratres Clerici Militares ſunt Rei in cauſis ciuilibus, conueniendi ſunt, vel coram Priore, aut Vicario gaudente iuriſdictione quaſi Epiſcopali externa in eo territorio, in quo degunt; vel, ſi nulli Priori, aut Vicario Ordinis ſubduntur, conueniendi ſunt apud Senatum Regium Ordinum. Nec in hoc verſantur incommoda *ſuprà* attacta, tum quia non ſunt tot Clerici Fratres extra territorium Ordinibus ſubiectum; tum quia pauciores lites ciuiles contra eos agitantur, cum non habeant illud amplum dominium rerum, maioratus, ac ſimilia, quæ Equites habere poſſunt, & ex quibus controuerſiæ, ac lites dimanant. Hinc Don Sebaſtianus Zambrana *in ſua allegat. iur. ex num.*143. probat, Epiſcopos non poſſe cognoſcere de Clericis Fratribus, nec ratione Officij, nec Beneficij, & ad id Regia Decreta affert. Idem tuetur Emanuël Rodriguez *tom.* 1. *quæſtionum Regularium quæſtion.* 36. *articul. quarto.* Quod nos ſæpè in hoc Opere repetimus, & probamus ex exemptione, qua illi gaudent. 67

Iudices verò proprios Equitum Militarium trium Ordinum in cauſis criminalibus, enuntiant hi Authores, eſſe Senatum Regium Ordinum, ſimul cum duobus ſenioribus eius Ordinis, cuius eſt Reus; ad quos attinet, punire, damnare, &c, ſi delictum poſtulet, ad brachium ſæculare delinquentem relaxare, niſi à Rege, vt Adminiſtratore, deſignetur Iudex cum poteſtate damnandi capitaliter; & ab eorum ſententia ad Summum Pontificem duntaxat, tuentur, dari appellationem. Reſpectu Equitum de Monteſa deſignatus eſt Senator, eiuſdem Ordinis, in Supremo regio Aragoniæ Senatu, qui de cauſis criminalibus cognoſcat, tanquam Aſſeſſor generalis Ordinis, cuius Tribunal eſt Valentiæ, vt libauimus, *diſquiſition. prima, quæſtion. nona.* reſpectu regularium Sancti Ioannis ſunt etiam in Curia regia Equites ipſius Ordinis à Magno Magiſtro deputati, in Aſamblea, qui id munus, & alia exequuntur. In Luſitania etiam ſuus eſt Senatus Ordinum, & Senatores, quibus competunt cauſæ Ordinum Diui Iacobi, Auis, & Chriſti. Clerici autem Fratres Militares in cauſis criminalibus, dum verſantur in territorio ſubdito Priori, aut Vicario Ordinis, coram illo conueniuntur; ſi alibi viuent, coram Senatu Ordinum, & duobus ſenioribus, ſicut Equites. Attamen, quid poſſint præſtare rectores Collegiorum 68

Militarium

Militarium Salmanticenſium in caûſis criminalibus reſpectu ſubditorum, & quid Viſitatores reſpectu Equitum, & Fratrum Clericorum, quos viſitant, aſſeremus *inferiùs diſquiſition.7. & diſquiſition.9.*

69 Inferunt quartò prædicti Authores, quibus perſonis competat priuilegium fori Ordinum Militarium, nempè competere in primis omnibus Profeſſis, ſiue Equitibus, ſiue Clericis Fratribus, cum hi ſint, qui Ordines conſtituunt, & iuxta hanc ſententiam vtrique ſint Religioſi perfectè. Pariter competere Monialibus Profeſſis Ordinum Militarium, quæ ipſis Ordinibus ſubduntur, atque, vt eorum membra, priuilegia omnia ipſorum reſpectiuè participant, inter quæ primum, & quaſi fundamentale eſt hoc priuilegium fori.

70 Deindè docent, competere priuilegium fori Nouitiis, ſiuè nouitij ſint Equites, aut Clerici Fratres, ſeu Moniales, quia Nouitij gaudent priuilegiis, & foro Religioſorum, iuxta dicenda latiùs *diſq.3.* & præter Authores *ibi* referendos ex Gineſio Morote, & aliis, vide plures apud Dom. Pizarro *in diſcurſu Apolog. pro Ordinibus Militaribus num.95. in margine, lit. O.* Quò loci affirmat (quod inficiantur Authores oppoſitæ opinionis) hanc ſententiam ferè ſemper admiſſam fuiſſe in Senatu Regio Caſtellæ in competentiis iuriſdictionis, affertque non pauca exemplaria; & cum ſint res iudicatæ à ſupremo Tribunali, ait, legis vim retinere. Ad id etiam expendit Bullas Martini V. Leonis X. & aliorum Pontificum eximentium Ordines Militares à iuriſdictione quorumcumque Iudicum; In illis enim adeò generalis eſt ſermo, vt Nouitij comprehendi debeant. Ibidem etiam pro exemptione huiuſmodi tum Profeſſorum, tum Nouitiorum, aſſerit, videri ſequelam manifeſtam, eos, qui iuriſdictionem Ordinum Militarium impediuerint, aut turbauerint, incurrere in excommunicationem Bullæ in Cœna Domini. Præter priuilegium fori, competere Nouitiis priuilegium Canonis, & cætera Ordinum Militarium priuilegia, ſi hæc ſententia defendatur, dicemus *diſq.3.* eo quòd Nouitij in fauorabilibus nomine Religioſorum veniant, ſecùs in odioſis.

71 Rursùs priuilegium fori, & alia priuilegia reſpectiuè, inquiunt, competere vxoribus Equitum Militarium, tum adhuc cum illis matrimonio copulatis, tum viduis. Ita Don Laurentius Matheu *de regimine Regni Valentiæ, cap.7. §.4. num.51.* plures Authores referens; Don Gineſius Morote *in patrocinio Ordinis Alcantaræ, fol.28. num.119.* Pater Quintanadueñas *tom.1. ſing. tr.8. ſing. 16. num.6.* ex Menochio, Rebuffo, Tiraquello, Cruz, Trullench, & aliis, Thomas del Bene *part.1. tractat. de immunitate Eccleſiaſt. capit.1. dub.11.* vbi notat, Patrem Thomam Sanchez oppoſitum ſenſiſſe de viduis *in tractatu de matrimon.* & poſteà ſe ipſum correxiſſe *in opuſcul.* Videatur Diana *part. 8. tract. 7. reſolut. 23. & part. 9. tract. 4. reſolut. 7.* Probant aſſertum, nam in generali vxor ſequitur forum mariti, *leg. cum quadam puella, ff. de iuriſdictione omn. iudic. leg. 32. titul. 2. partit. 3.* Sunt etenim vir, & vxor vnum corpus, vnaque domus; *leg.1. §. ſi vir, ff. ad Sylanianum;* in qua vnione forum dignioris eſt ſequendum, iuxta *caput, quod in dubiis, de conſecrat.* Et in generali priuilegia mariti communicantur vxori ex vi correlationis; *leg. non tantum, in fin. ff. de re iudicata;* Tradit Fontanella *de pact. nuptial. clauſul. 3. gloſſ. 3. pact. 15. num. 42.* Hinc vxor militis gaudet priuilegio mariti, vt docent Abbas, Imola, & alij *in titul. de foro competent.* Vxor Familiaris Sancti Tribunalis Fidei eius potitur priuilegiis, vt exornant Paramo *in defenſione iuriſdictionis Sancti Officij, capit. tertio,* & Graſſis *de effectibus Clericatus, effect. 1. n.156.* Vxor ſtudioſi participat eius priuilegia, vt latè tradidi *tom. de Iure Academico, lib.1. ex num.344. & lib.3. ex n.26.* Vbi plura iura, & Authores, tum pro vxoribus Studioſorum, tum pro aliis quoad participationem priuilegiorum, quæ maritis conceduntur, attuli, & ſpecialiter de viduis id exornaui *num.28.* Ibi videndus ſum, nec eadem tranſcribam. Ex his ſequi contendunt, Vxores Equitum Militarium, eorumque viduas gaudere ipſorum priuilegiis, cum plurima Iura generaliter loquantur, & à paritate recta fiat illatio, nullumque ſit fundamentum, ob quod eis negetur, quod cæteris indulgetur.

Famulis etiam Equitum, & Fratrum 72
Clericorum Militarium, competere priuilegium fori, docet Gineſius *vbi ſuprà fol. 28. num.121.* & probat argumento textus *in cap. final. de offic. Archidiaconi; cap.1. de pœnis, lib. 6. c. Eccleſiarum ſeruos 12. quæſt. 2. leg.2. Codic. de Epiſcopis, & Cleric. Authentic. de Sanctiſſ. Epiſcopis, §. ſportularum, leg. 51. tit.6. partit.1.* Et generaliter famulos, & ſeruos perpetuos Clericorum gaudere eorum priuilegiis, docent Belletus, Graſſis, Diana, & alij, quos refert, & ſequitur Dom. Vrritigoyti *in Paſtorali Regularium, 3. part. voto 10. num.6.* & tradit *ibidem* gaudere etiam famulos conductitios, & temporales, in his, quæ concernunt ad neceſ-

ſitatem

ſitatem dominorum, ſecùs in aliis; ibique pro vtraque parte plures refert Authores. Idque ſuadent alij huius ſententiæ aſſeclæ ex doctrina communi, quòd priuilegium domino conceſſum circa forum, communicatur famulis Cardinalium, Epiſcoporum, Militum, & ſimilium. Conſulatur P. Suarez *de legibus, lib.* 11. Confirmant ex famulis Studioſorum, quos iuxta Ius commune eorum priuilegiis potiri, ex Souſa, Rebuffo, & Gotofredo, Ego tradidi *tom. de Iure Academico lib.*1. *num.* 338. & ſtabiliui *ex conſtitutione* 22. *&* 23. *Martini V. ibidem lib.* 3. *num.*32. quamvis eo loco oſtenderim per *leg.*18. §. 7. *tit.*7. *lib.*1. *Recop.* famulos Studioſorum non gaudere priuilegio fori, & hanc diſpoſitionem ex Decreto Pontificio confirmauerim. Roborant idipſum argumento *leg. cum precario* 22. *ff. de precario*, ibi: *Cum precario quis rogat, vt ipſi in eo fundo morari liceat, ſuperuacuum eſt adiici, ipſi, ſuiſque, nam per ipſum ſuis quoque permiſſum vti videtur.* Ex quibus verbis colligunt Doctores, famulos, qui inter *ſuos*, ſiuè inter familiæ domeſticos ſunt recenſendi, gaudere priuilegiis dominorum.

73 Adhuc confirmant ex Bulla Leonis X. in fauorem Ordinis de Alcantara, quæ extat in Bullario eiuſdem Ordinis *pag.* 108. Vbi Pontifex concedens Ordini de Alcantara omnia priuilegia in genere conceſſa, & concedenda Ciſtercienſibus,& prætereà confirmans priuilegia indulta ab Honorio III. Martino V. Sixto IV. & Innocentio VIII. ac declarans, quibus perſonis ea omnia concedat, *num.*6. ait; *Magiſtro, ſeu Adminiſtratori pro tempore exiſtenti, Prioribus, Preceptoribus, Militibus, Fratribus, & aliis perſonis dictæ Militiæ, illorumque vaſſallis,& ſeruitoribus, etiam pro tempore exiſtentibus, ac eiuſdem Militiæ virorum, & mulierum Monaſteriis, & locis aliis, eorumque, ac in diſtrictu, & dominio ipſius Militiæ virorum, & mulierum Monaſteriis, & locis aliis, eorumque, ac in diſtrictu, & dominio ipſius Militiæ conſiſtentibus, Eccleſiis præſentibus, & futuris, vt de cætero, perpetuis futuris temporibus, inhibitione, mandato, ſuſceptione, exemptione, liberatione, ſubiectione, & decretis, ac literis prædictis, ac aliis in eiſdem literis contentis, nec non omnibus, & ſingulis priuilegiis, conceſſionibus, immutationibus, gratiis, & indulgentiis, ac Indulgentiis etiam ſpiritualibus, ac temporalibus, ac peccatorum remiſſionibus, &c. vti, potiri, gaudere, liberè, & licitè valeant.* Ecce, vbi omnia priuilegia Pontifex indulget ſeruitoribus, ſeu famulis omnium Equitum, & Fratrum, conceſſa, & concedenda Ordini Ciſtercienſi; inter quæ aiunt hi Authores, priuilegium fori, & exemptionis in primis eſſe recenſendum, quod etiam ſatis in præfatis verbis exprimitur. Id priuilegium fori famulis Ordinis Ciſtercienſis ampliſſimum conceſſit Vrbanus III. in Bulla, quæ incipit, *Cum Ordo veſter*; extatque in Bullario Ordinis Alcantaræ, *fol.*182.

Quin addunt, exemptiones, ac priuilegia in prædictis verbis concedi vaſſallis Ordinis de Alcantara, (idem dicunt de Ordine Calatrauæ, qui eadem priuilegia Ordinis Ciſtercienſis participat) & inſuper aſſerunt, priuilegium fori, eſtò non competat eis, quatenùs priuilegium eſt, competere tamen, quatenùs omnes Rei debent in proprio foro conueniri; cum autem vaſſalli Ordinum ſint eis ſubiecti, & eorum Iudicibus, nec alios Iudices habeant, exindè fit, vt in proprio Foro Ordinum Militarium ſint conueniendi. Exponunt propoſitionem hanc, omnes Reos in proprio Foro eſſe conueniendos, ſtando Iuri communi; addendo, aliter poſſe contingere ex conſuetudine, aut priuilegio; ſic in diœceſi Salmantina ex conſuetudine Clericus Actor trahit Reum ad ſuum Forum; & in Academia Salmantina ex ſpeciali priuilegio Actor ſtudioſus trahit Reum, dum ſit intra diætas, ad ſuum Forum, quod vtrumque tradidi *tom. de Iure Academico, lib.*1. *num.*518. *& num.*521. Quid autem dicendum ſit de priuilegiato litigante cum alio priuilegiato, expoſui *ibidem, lib.*3. *num.*24. ſtabiliens, Reum in proprio Foro eſſe conueniendum, nam, vbi paria ſunt priuilegia, potior eſt cauſa Rei; iuxta *legem verum.* 11. *§. item quæritur; leg. ſi minor.* 24. *ff. de minoribus.* Et hanc doctrinam latè tradunt ad eos textus Cuiacius, & Antonius Faber. Quando verò priuilegia non ſunt paria, ſed vnum ex illis potentius, & derogatorium alterius, potentiori eſt ſtandum. Ibidem retuli D. Alfonſum de Eſcobar *tract. de Pontificia, & Reg. iuriſdict. in ſtudiis gen. cap.*55. *ex n.*18. aſſerere, ſtudioſum Salmantinum litigantem cum alio quovis priuilegiato Reo, qui ſit intra diætas, trahere eum ad ſuum Forum, nam iuriſdictio Magiſtri Scholæ Salmanticenſis Conſeruatoria exerceri poteſt in quaſvis perſonas cuiuſcumque dignitatis, ac conditionis exiſtant; & conceſſio Pontificia eiuſmodi iuriſdictionis derogat priuilegia quæcumque. Id ſanè ita praxis oſtendit, atque adeò, vt *ibi num.* 25. aſſero, ſiuè ſtudioſus ſit Actor, ſiuè Reus, in quavis cauſa criminali, aut ciuili, conueniendus eſt, vt Reus, aut conuenire poteſt reum apud ſuum Tribunal; etiam ſi ipſe ſit in cauſa criminali reus, & actor ſit religioſus;

Religioſus ; niſi priuilegia eligendi Conſeruatores ad eiuſmodi cauſas in Religione ſit potentius priuilegio ſtudioſorum, & derogatorium illius. Hæc obiter dixerim, vt affine priuilegio Fori, de quo nunc eſt ſermo. Id quotidiè cernimus, ſtudioſos Equites Militares conuenire, & conueniri Salmanticæ coram Magiſtro Scholæ, ipſe enim eorum, vt ſtudioſi ſunt, eſt Iudex. Nec circa hoc inter illum, & Senatum Regium Ordinum ſunt competentiæ ; nec poſſent iuuenes regi, & contineri, ſi adhuc minutiſſimæ eorum culpæ, quæuiſque delicta ad Senatum Ordinum eſſent deferenda. Fateor, rarò euenire delicta enormia eiuſmodi ſtudioſorum Equitum, nec me vllum audiuiſſe octodecim annis, quibus Salmanticæ iam dego ; Credam etenim, ſi caſus hic eueniret, & pœna grauiſſima foret propter delictum infligenda, Senatum Ordinum poſtulaturum fore Reum, & competentiam indè exorturam. Et niſi aliquam Bullam Pontificiam, potentiorem, vt dixi, Senatus aſſeruet (plures enim à Sede Apoſtolica obtinuit ad ſuæ iuriſdictionis exercitium, quæ non ſunt prælo excuſſæ) pro Magiſtro Scholæ Salmantino ſtat Bulla Conſeruatoria ; ſubſcribit latè Eſcobar, nec Ego diſſenſi *loco relato.* Quid autem Magiſter Scholæ exequi valeat circa Clericos Fratres Collegiorum Militarium Salmanticenſium, & in quibus ei ipſi ſubiacent, diſcuſſi *eo tom. de Iure Academico, lib.*1. *num.*173. *& num.*486. & *in inferioribus* hanc quæſtionem iterùm attingam ; & oſtendam, an, & in quibus poſſit Magiſter Scholæ cognoſcere de illis.

75 Obſeruant præfati Authores in præſenti ; ſi famulo alicuius Equitis, aut Clerici Fratris, contemplatione domini fieret iniuria, quamvis non concederetur famulis prædictum Fori priuilegium, tamen dominis tunc illud competere in cauſa famuli ; nam eo caſu non agitur ex huius perſona, ſed ex perſona dominorum. Quæ doctrina eſt communis Doctorum circa famulos cuiuſque priuilegiati, cum domini contemplatione, afficiuntur illi iniuria.

76 De filiis Equitum Militarium poterat dubitari, an eis competeret priuilegium Fori : Si extra patriam poteſtatem ſint, in dubium eſt, illis non competere ; ſicut non competit filiis emancipatis Doctorum Forum paternum, cum tamen Doctores circa extenſionem Fori plurimis gaudeant priuilegiis. Si in patria poteſtate verſentur, cum pater ſemper cauſas filij ſequatur, quæſtio videtur inutilis ; attamen cauſæ ſunt aliquæ, quæ ipſorum filiorum nomine peraguntur, & maximè criminales, cum Rei ſunt alicuius delicti. Non reperio in Bullis, & Conſtitutionibus Ordinum priuilegium de extenſione Fori, nec item conſuetudinem, aut praxim eis adfauentem.

Circa dicta *in hoc* §. duo ſunt aduertenda. 77
Primum, cum aſſeritur, priuilegia Equitum, & Fratrum Clericorum his, aut illis perſonis competere, intelligendum eſſe reſpectiuè, & proportione ſeruata, & non de priuilegiis, vt ita dicam, perſonaliſſimis, v.g. Si Equites priuilegium habeant, ne hac pœna, vel illa ob delictum mulctentur, aut ne ob hanc, vel illam cauſam cuſtodiæ publicæ tradantur, etiam à proprio Iudice, id priuilegium in ſpeciale in honorem perſonarum tendit, & ad famulos extendi non poteſt, quamvis Foro dominorum gauderent, nam in eis non eſt fundamentum, nec capacitas orta ex præeminentiis, & dignitate, vt eis competat idem priuilegium. Secundum ; Viduas Equitum Militarium, ſi ad alias nuptias tranſeant, illicò emittere priuilegia, quibus ratione primi coniugij gaudebant ; Etenim radicata in ipſis durabant, & per ſecundum matrimonium eradicantur, cum tunc in ſe illæ fœminæ non conſeruent primorum memoriam maritorum, nec poſſint iam iudicari perſonæ coniunctæ cum maritis demortuis, ſicut iudicabantur ante nuptias ſecundas, dum in viduitate honeſtè degebant. Hanc materiam exornaui *relato tomo de Iure Academico, lib.*1. *ex num.*348.

Inferunt quintò, quid dicendum ſit, ſi 78
Eques Militaris commiſit delictum, antequam Habitum ſuſciperet ; an dum nouitius eſt, poſſit eius cauſa criminalis incipi, aut incepta finiri apud Iudices ſæculares ? Supponunt, nouitios gaudere priuilegio Fori, & Canonis, quæ latè, & doctè exornat Carleual *vbi ſuprà, ex num.*439. Iam hic caſus ſatis ſuperque eſt ventilatus, annis elapſis, & de eo extant eruditæ Allegationes iuris, quas non ſemel *in hoc opere* referimus. Carleual *ſuprà* aſſerit, ſi delinquens in fraudem iuriſdictionis ſæcularis accipiat Habitum, non eximi à Iudicibus ſæcularibus in eodem delicto quoad bona, (nam quoad perſonam remanet exemptus) ne dolus, aut fraus ei patrocinetur ; ſi verò abſque dolo, & fraude Habitum ſuſcepit, cauſam pertinere ad proprium Forum Ordinum. Id ſuadet tum ex pluribus Authoribus ; tum ex paritate, cum quis poſt commiſſum delictum fit Clericus, aut Monachus, oſtenditque, non eſſe irritam Profeſſionem eius, qui in ſæculo fuit criminoſus ; nam, & ſi eam irritauerit Sixtus V. in

in Bulla expedita anno 1586. quæ eſt 71. inter eius Bullas, attamen Clemens VIII. in Bulla edita anno 1602. derogauit eam diſpoſitionem,& ad terminos Iuris communis reuocauit. Videatur P.Thom. Sanchez *in ſumm.lib.4.capit.19.n.7.& ex n.21.*

79 Inferunt ſextò, non poſſe Regulares Ordinum Militarium ſubtrahere ſe à iuriſdictione eorundem Ordinum, nec renuntiare ſuo Foro, quia huius priuilegium non eſt conceſſum in fauorem ſingulorum, ſed Ordinum, & hæc eſt regula generalis in Iure, *cap. ſi diligenti, cap. ſignificaſti, de Foro competenti.* Docent Valenzuela *conſ.* 95. Garcia *deciſ.* 58. *n.*25. *& ex n.* 28. Cochier *de iuriſdict. part.*2. *quæſt.*7. *ex num.*2.

80 Inferunt ſeptimò, Equites Militares abſque renuntiatione Fori conueniri, vt Reos, in cauſis ciuilibus apud Iudices ſæculares, propter dicta *ſuprà.* Nec præterea conueniendos eſſe iuxta praxim in proprio Foro propter delicta concernentia Officium publicum, quod ſuſceperunt, ſed ſubiacere Iudicibus ſæcularibus, non tamen ita vt poſſint puniri pœna capitali, aut corporali, ſed pecuniaria, aut ſuſpenſionis, vel priuationis ab officio; ita Bobadilla, Pereira, Marius Giurba, Villadiego, Voſaño, Carolus Tapia, Carauita, Amendola, & alij, quos refert, & ſequitur Carleual, *vbi ſuprà num.* 453. aſſerens, ſe in Commiſſionibus aliquibus hanc praxim, abſque reſiſtentia, fuiſſe ſequutum. Et quotidie cernimus, reſidentiæ lites Prætorum Equitum Militarium apud Senatum Regium Caſtellæ tractari. Imò & Clericos in ſimilibus cauſis ſubiacere ſæcularibus Iudicibus, docent P. Salas *de legibus diſp.*14. *ſec.*1. *num.*123. Bobadilla, Salcedo, Pereira, Borrellus, & alij relati ab eodem Carleual *vbi nuper.* Eſtò aſſerant, id non iure, ſed conſuetudine inductum. Idem in hoc caſu affirmant, ſcilicet Iure non licere Iudicibus ſæcularibus cognoſcere de eiuſmodi delictis, ſed conſuetudine, & conſenſu ipſorum Ordinum, ac Regis, vt Adminiſtratoris, necnon & Pontificum. Et hinc non contrariantur ſuæ ſententiæ *ſuperius* expenſæ tueri, non poſſe Iudices ſæculares de eis delictis cognoſcere, à qua ſunt Diana 1. *p. tractatu* 2. *reſol.* 19. *& par.*4. *tract.* 1. *reſol.* 39. Couarruuias, Belletus, Giurba, Riccius, Vincentius de Franchis, Marta, Narbona, & alij relati à Carleual *vbi ſuprà num.* 454. Eſt enim his Authoribus ſermo, loquendo de Iure, nam ipſi fatentur praxim contrariam. Similes Studioſorum cauſas, non in ipſorum foro, quantumvis priuilegiato, ſed apud Iudices ſæculares eſſe tractandas, docui *tomo de Iure Academico, lib.* 1*er*-*tio, num.*21.

81 Extenditur caſus prædictus ad violationem alicuius pragmaticæ, aut prohibitionis Regiæ ſub pœna amiſſionis rei, quæ prohibetur; nempè ſi prohibeantur talia armorum, aut veſtium genera, vel ne merces tales ex aliis Regnis, aut ex Indiis abſque manifeſtatione afferantur, tunc enim, ſi Eques in flagranti deprehendatur, etiam iuxta hos Authores, poteſt Iudex ſæcularis pœnam exequi. Id enim etiam reſpectu Clerici, aut Religioſi ei licet; cum non agat contra perſonam, ſed contra rem prohibitam. At, ſi pœna pragmaticæ non incurritur ipſo iure, nec Religioſus Militaris in flagranti deprehenditur, dicunt hi ipſi Authores, remittendum eſſe ad proprium Iudicem ob culpam violationis, vt remittendus eſſet Clericus. Ita Emanuel Rodriguez *tom.*2. *qq. reg. q.*61. *art.*16. Couarruuias, & Bobadilla, quos ſequitur Carleual *vbi ſuprà, num.* 457. & exemplaria *ibi* huius praxis adducit.

82 Inferunt octauò, etiam in crimine occiſionis Clerici, vel aſſaſſinatus, gaudere ſuo foro Equites Militares, & Regulares cæteros; nam eorum exemptio eſt ampliſſima, nec limitatur ex aliquo capite; & cum priuilegia eam concedant abſque reſtrictione in cauſis criminalibus, vniuerſim ſunt accipienda de quovis crimine; adduntque, ſic ſæpè iudicatum fuiſſe in Senatu Supremo Caſtellæ in cauſis competentiarum ſuper eiuſmodi delictis, teſte Carleual *vbi ſuprà, num.* 458. Indeque non eſſe audiendos Bobadilla, Villadiego, & Rodriguez relatos ab ipſo *num.*457. cenſentes, amittere priuilegium fori Regulares Militiarum ob id delictum. Etenim ob illud non deſinunt eſſe Religioſi, (inſiſtendo huic ſententiæ) ſicut Clerici non deſinunt ob ſimile crimen eſſe Clerici; &, ſicut hi non amittunt ſuum forum, ita nec illi. Nec obſtare, inquiunt *cap.*2. *de pœnit. & remiſ.* quod aduerſantes opponunt; Nam, præterquàm *ibi* non eſt ſermo de foro, de quo agitur in præſenti, ſed de foro pœnitentiali, vt explicant Innocentius, & Panormitanus; adhuc inibi ſolùm denotatur, poſſe Iudicem Eccleſiaſticum cognoſcere de laico ratione ſacrilegij, & militi occidenti Clericum infligere pœnam priuationis militiæ, vt interpretantur Salzedo *ad pract. crimin. cap.* 87. *lit. B.* & alij.

83 Inferunt nonò, ſi Actor in cauſis ciuilibus velit conuenire Equitem Militarem apud

Digitized by Google

apud Ordinum Iudices, nempè in Senatu Regio Ordinum, non poſſe illum declinare forum; nam forum illud solùm reſpectu Actoris eſt voluntarium, non verò reſpectu Equitis Rei; &, cum datur duplex forum reſpectu Rei, penes Actorem eſt electio vnius præ alio; Senatum autem Ordinum eſſe etiam forum in ciuilibus, intendunt, conſtare ex Bullis Pontificum Martini V. Sixti IV. Pij V. quas refert Mota *de confirm. Ordin. D. Iacobi, lib.1. cap.4. §. 29. 31. & 42.* & ex pluribus aliis Bullis Pontificum concedentium Ordinibus Militaribus iuriſdictionem in omnibus cauſis, ſiuè criminalibus, ſiuè ciuilibus; qua iuriſdictione non ſe abdicarunt, permittendo, Equites Militares Reos in cauſis ciuilibus conueniri poſſe apud Iudices ſæculares. Quin, ſi Actor, & Reus ſint Equites Ordinum Militarium, ſtatuta eſt pœna in ſtabilimentis Ordinum, contra Actorem, qui Reum ſui, vel alterius ex tribus Ordinibus, conuenit apud Iudices ſæculares, & non apud Senatum Ordinum. Sic ſtat in Statutis nouiſſimis Ordinis D. Iacobi *tit. 21. cap. 3. & in* Definitionibus Ordinis de Alcantara *tit. 32. cap. 7.* Imò ſic præcepit Alcantarenſibus Innocentius VIII. in Bulla, cuius fit mentio in præfatis Definitionibus, *tit. 37. pag. 332. ad finem.*

84 Reſpectu Equitum D. Ioannis praxis non eſt, vt in cauſis ciuilibus poſſint apud Iudices ſæculares conueniri, ſed tam in criminalibus, quàm in ciuilibus conueniendi ſunt in proprio foro, nempè in quadam Congregatione, nempè *Aſſemblaj*. Ita conſtat ex conſuetudine, & tradunt Maſtrillus *de Magiſtratibus lib. 2. cap. 6. num. 35.* Marta, Bobadilla, Emanuël Rodriguez, Mainardus, & alij apud Carleual *vbi ſuprà, num. 451.* De Confratribus Ordinis S. Ioannis, qui dimidiam Crucem albam geſtant, quæ vocatur *Tau*, dubitari poterat, an gauderent priuilegio fori in cauſis ciuilibus, & criminalibus; &, quamvis Riccius in *praxi part. 4. reſol. 177.* affirmauerit, gaudere; attamen in nullis cauſis fori priuilegium eis ſuffragari, tuentur Emanuël Rodriguez *tom. 2. qq. regul. quæſt. 62. art. 18.* Azeuedo, Giurba, Villadiego, Volaño, & Bobadilla, quos refert, & ſectatur Carleual *vbi ſuprà, num. 455.* Et hæc deciſio eſt conformis Bullæ Gregorij XIII. quæ eſt 67. *in tom. 2. Bullarij nouiſſimi*, edita die 25. Nouembris anno 1580. & quidem illi cenſentur merè ſæculares; neque enim emittunt vota, aut ſunt Oblati, aut Hoſpitalibus, vel Monaſteriis aſſiſtunt; atqueadeò, vtpotè non Religioſi, priuilegiis Religioſorum minimè gaudent.

Inferunt decimò, adeò à ſe reputari verum, iuriſdictionem in cauſis ciuilibus Equitum Militarium reſidere penes Ordines, ipſiſque annuentibus, Iudices ſæculares cognoſcere de illis, quarum *ſuperius* meminimus, vt Ordines ipſi reſeruauerint ſibi plures cauſas. Nam in primis hi Authores tradunt, iuxta iam dicta, Actorem poſſe conuenire Equitem Militarem Reum, adhuc in prima inſtantia, coram Senatu Regio Ordinum. Deindè eſt conſtans à ſententiis, quas pronuntiant in prima inſtantia Iudices Ordinarij ditionis Ordinum, poſſe appellari vel ad Cancellarias, vel ad ipſum Senatum; Prætereà à prima, & ſecunda ſententia iam pronuntiata ab ipſo Senatu in quacumque cauſa ciuili ſupplicari ad Conſeſſum Commiſſionum, quem diximus coaleſcere ex duobus Senatoribus Conſilij Supremi Caſtellæ, aliiſque duobus ipſius Conſilij Ordinum. Attamen aliæ ſunt cauſæ ciuiles, quæ coram Iudicibus ſæcularibus; aut Cancellariis, vel Audientiis neutiquam ſunt tractandæ, & continentur in diuerſis Schedulis Regiis, quæ tranſcriptæ reperiuntur in alia Regia Schedula poſt ipſas expedita Burgis die 24. Iunij, anno 1603. & affertur in Definitionibus Calatrauæ *tit. de iudiciis*, & in Definitionibus Alcantaræ *tit. 31. cap. 9.* 85

Iuxta quam Schedulam Regiam, poſtquam Conſeſſus Commiſſionum literas executorias in quavis cauſa expediuit, ſi ab executione appelletur, ad eundem Conſeſſum deferenda eſt querela; & appellatio, in eoque finienda. Rursùs appellationes in cauſis, quæ apud Viſitatores Ordinum ventilantur; & in cauſis peractis apud Iudices Ordinarios ipſorum Ordinum ſuper rebus ſpectantibus ad diſpoſitiones Commendatariorum; Equitum, ac Fratrum Clericorum; & appellationes à Mandatis, & ſententiis pronuntiatis in Reſidentiis publicis, & ſecretis aduerſus quoſlibet Iudices, vel Gubernatores ditionis Ordinum; Item appellationes à ſententiis, quas protulerint Iudices Commiſſionis, ſeu Iudices ſpeciales, vulgò *Peſquiſidores*, à Senatu Ordinum deſignati; omnes, inquam, has appellationes priuatiuè in ea Schedula decernitur eſſe deferendas ad ipſum Senatum Ordinum; quòd ſi in deſignatione aliquorum Iudicum ſpecialium partes conquerantur, querela ad prædictum ipſum Senatum, & non ad Conſeſſum deferri debere. 86

Adhuc appellationes à Iudicibus reſidentiæ, vel Ordinariis Ordinum ipſorum in cauſis pertinentibus ad redditus, iura, 87

præmi

præeminentias, & alia huiuſmodi ſpectantia ad menſas Magiſtrales trium Ordinum, & ad Commendas, Conuentus, Monaſteria, Hoſpitalia, Eremitoria, Confraternitates & alia, quæ ſecum annexum ſpiritua-le quidquam inuoluant, necnon in cauſis ſpectantibus ad impoſitiones, ac mercium ſingularia, & reſeruata commercia, vulgò *eſtancos*, (in quibus vltimis cauſis olim poterat appellari electiuè, vel ad Senatum Ordinum, vel ad Tribunalia Regia) ad Senatum ipſum Ordinum priuatiuè eſſe appellandum, in eadem Schedula Regia ſtatuitur; Nec poſſe has cauſas ad Tribunalia ſæcularia adduci per modum querelæ criminalis, vulgò *Caſo de Corte*, nec per vllam aliam viam.

88 Deindè *ibi* additur; querelas, aut accuſationes contra Gubernatores, eorumque ſubſtitutos, & quoſvis alios Iudices Ordinum, non poſſe ad vlla Tribunalia ferri, niſi ad Senatum Regium Ordinum. Quæ omnia in fauorem Ordinum Militarium in dicta Schedula noſtri Regis Philippi III. continentur.

89 Inferunt denique, penes quos reſideat iuriſdictio Ordinum Militarium reſpectiuè; nempè penes Reges noſtros, vt eorum perpetuos Adminiſtratores; penes Capitula Generalia; penes Senatum Regium Ordinum; ac penes Viſitatores, Priores, & Rectores. Quæ autem ad ſingulos iuriſdictio pertineat, in toto hoc Opere continetur. Hæ omnes illationes conſectariæ ſunt ad ſententiam propoſitam *ſuprà* §. 1. *ex num.* 28. quas ea parte, qua contrariantur ſententiæ oppoſitæ, ac expenſæ §. 3. *ex num.* 48. non admittent Authores ſententiæ huius, & eas fundamentis præiactis propulſabunt. Nec meum eſt, id decernere, vt *num.*61. pronuntiaui.

90 Obſeruare tamen iuxtà omnes oportet, nec Equites, nec Regulares Militares exemptos eſſe à iuriſdictione Tribunalium Sanctæ Fidei in cauſis ad ea priuatiuè pertinentibus. Conſtat id ex pluribus Bullis, & colligunt Authores *ex cap. Inquiſitores*, §. *denique, de hæret. lib.* 6. *ex extrauaganti*, *Matheus*, eodem titulo; ex Tridentino *ſeſſ.* 24. *cap.* 5. *de reform.* Docent Villadiego, Simancas, Emanuël Rodriguez, & innumeri apud Dianam *part.* 4. *tract.* 8. *reſolut.* 21. *&* 22. Veracrux, Ioannes Baptiſta, & alij apud Don Ioannem Solorzano *tom.*2. *de Iure Indiar. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 55. *& in Politica Indica*, *lib.* 4. *cap.*24. *pag.* 706. Vbi præſcribit, quàm attentè eum Regularibus Militaribus; & aliis non Militaribus; (ad quos omnes extenditur iuriſdictio eiuſmodi Tribunalium) ſe gerere debeant; & ità præſtant.

§. V.

Traditur, vt conſtans, ac manifeſtum, Clericos Fratres Ordinum Militarium eſſe propriè, abſolutè ac ſtrictè Religioſos, eorumque vota eſſe ſolemnia.

NOn tam eſt id probandum, quàm ſupponendum, ne in rebus certis immoremur. Etenim nec illi ipſi, qui de Equitibus Militaribus proferunt, non eſſe Religioſos; ad Fratres Militiarum ſuum extenderunt prolatum, nec erga hos militant fundamenta, quibus vtuntur. Quare; quotquot de illis differunt, docent, eos eſſe abſolutè, & ſtrictè Religioſos; inter quos; Emanuël Rodrig. *tom.*2. *qq. regular. quaſt.*1. *art.*6. Miranda *de Ordine Tertiariorum*, *cap.*6. Sayrus *in Claui Regia*, *lib.*6. *cap.*9. *n.*10. Nicolaus Garcia *in addit ad tom. de beneficiis*, *par.*7. *cap.*10. *num.*37. Barboſa *tom.*2. *de iure Eccleſiaſt. lib.*3. *cap.*7. *n.*15. Villalobos *tom.* 2. *ſum. tract.*12. *diffic.* 20. *in fine*, *& tract.*37. *diffic.*14. *num.*1. Sotus *de iuſtit. & iur. quaſt.*5. *art.*3. *pag.* 640. P. Azor *inſtit. mor. lib.*13. *cap.*3. *quaſt.* 2. *verſ. ſciendum* Pater Thom. Sanchez *de matrim. lib.*2. *diſp.* 18. *num.*7. P. Quintanadueñas *in Iubilao duplicis hebdomada*, *cap.*19. *n.*51. Et Ego id ſæpè libaui, & aſſerui *tom. ſuper Bull. Cruciat. & tomo de Iure Academico. Et in ſtatera opinionum benignarum diſſert.*14. *ex n.*44. 91

92 Etenim hi Fratres Profeſſionem coram Prælato emittunt, triaque vota ſubſtantialia abſolutè profitentur; & iuxta Inſtitutum; & Regulas ſuas degunt in Ordinibus à Sede Apoſtolica approbatis, & confirmatis, non ſecùs, ac cæteri Religioſi, de quibus, nefas eſſet, dubitare; an ſtrictè ſint Religioſi. Quæ omnia conſtant ex Bullis Pontificiis, ex Inſtituto, ac Regulis, ac ex Formula Profeſſionis. Nihil autem aliud deſideratur, vt ſint in omni rigore Religioſi. Nec obſtat; ſi dicatur, eos gaudere redditibus ſuorum Beneficiorum, & de bonis ſuis poſſe diſponere. Quippè in inferioribus oſtendemus, id non eſſe contra Paupertatis votum, eoſque de licentia Prælatorum operari, adeoque longè abeſſe à proprietatis periculo.

93 Hinc ſequitur, vota emiſſa à prædictis Fratribus eſſe ſolemnia, in eo ſenſu, quo ſumitur rigoroſè ſolemnitas votorum;

quæ conſiſtit in traditione, & acceptatione cum perpetuitate ex parte tradentis ſe, & acceptantis traditionem. Non enim eſt ſermo de ſolemnitate extrinſeca accidentali, quæ conſiſtit in aliquibus circunſtanciis extrinſecis, v. g. quòd vota emittantur publicè, in die feſto, aut ſimilibus.

94 Vt autem conſtet, ea vota eſſe ſolemnia, ſupponendum eſt, in ſola Religione Societatis Iesv, inter cæteras alias, ab Scholaribus approbatis poſt biennium, & à Coadiutoribus ſpiritualibus, & temporalibus tum poſt biennium Nouitiatus, tum poſtmodùm cum formantur, & incorporantur, non emitti vota ſolemnia, (poſtcà emittuntur ab his, qui Profeſſionem faciunt) ſed ſimplicia, quibus ipſi quidem Religioni obligantur, Religio verò eis obligata non remanet, ſed ſi cauſæ graues, ac ſufficientes intercedant, poſſunt à Præpoſito Generali, non ab alio, è Societate expelli; attamen, emiſſis votis ſimplicibus, verè, & propriè, ac arctiſſimè ſunt Religioſi, vt euidenter conſtat ex Bulla Gregorij XIII. quæ incipit; *Aſcendente Domino.* Hæc cæterùm diſpoſitio eſt ſpecialis in Societate Iesv iuxta ipſius Conſtitutiones, & Inſtitutum à Sanctiſſimo Parente Ignatio conditum, & à Sede Apoſtolica, ac à Concilio Tridentino iteratò approbatum.

95 Quo ſuppoſito, ſic oſtenditur ſuperius aſſumptum. In omnibus Religionibus approbatis (excepta Societate Iesv propter ſpecialem diſpoſitionem Pontificiam) Vota, quæ emittuntur, exacto Nouitiatu, ſunt ſolemnia, de quo nequit dubitari; ergo in Religionibus Militaribus approbatis à Sede Apoſtolica, in quibus nulla eſt diſpoſitio ſimilis ei, quæ in Societate Iesv datur, vota poſt Nouitiatum emiſſa ſunt ſolemnia; nec vllum diſcrimen poterit reperiri inter profeſſionem aliorum Regularium, & Fratrum huiuſmodi Ordinum Militarium. Scio, aliquem aſſeuerauiſſe, Moniales Iacobæas ſolùm emittere votum ſimplex Caſtitatis abſolutæ. Sed de hoc agemus latè *diſq.* 14. *quæſt.* 8.

96 Deindè Fratres Militiarum emittunt vota in manibus prælati, eorumque traditio ab eo acceptatur, cum ea perpetuitate, quæ in aliis Sacris Religionibus datur; igitur nihil ad votorum deſideratur ſolemnitatem. Demùm omnes effectus, & proprietates votorum ſolemnium reperiuntur in votis prædictis, vt cuilibet perpendenti patebit; ergo vota ſunt ſolemnia. Ex his etiam in ſententia aſſerente, adhuc Equites Militares eſſe ſtrictè, & propriè Religioſos, tenendum eſt, eos emittere vota ſolemnia, cum ſimiliter in eis vim habeant fundamenta præiacta. Nec obſtat, per ea vota non dirimi ſubſequens matrimonium; Etenim hi (exceptis Equitibus Ordinibus Sancti Ioannis) non emittunt, niſi votum Caſtitatis coniugalis; & ſemel poſito, quòd id votum cum duobus aliis paupertatis, & Obedientiæ, eſt ſufficiens, vt ſint propriè, ac ſtrictè Religioſi, conſequens eſt, vt vota ea ſint ſolemnia; imò poteſt ſolemnitas alicuius voti ſtare abſque Religione, vt in accipiente Ordinem ſacrum votum Caſtitatis ſolemne reperitur; non verò poteſt quis, abſque ſpeciali diſpoſitione Pontificia, eſſe Religioſus in Ordine approbato à Sede Apoſtolica, quin poſt Nouitiatum vota ſolemnia emittat, cum Religiones eo modo approbentur, vt in votorum emiſſione adſit mutua, & perpetua traditio, & acceptatio inter vouentem, & prælatum; &, vt aliter id eueniat, neceſſum eſt, quod ſpecialiter id Sedes Apoſtolica ſtatuat, vt præſtitit erga Societatem Iesv.

Dicat aliquis, vnum, vel alium ex Ordinibus Militaribus non fuiſſe approbatum, 97 ſaltem in ſui exordio à Sede Apoſtolica, ſed ab Epiſcopis; vt Ordo Alcantarenſis ab Epiſcopo Salmantino tunc fuit approbatus; ergo vota in illis emiſſa non ſunt ſolemnia; nam ſolemnizare vota, videtur excedere facultatem Epiſcoporum; maximè cum votum ſolemne Caſtitatis dirimat ſubſequens matrimonium; Epiſcopi autem quomodo valeant inducere impedimentum dirimens matrimonium? & prætereà per vota ſolemnia vinculum indiſſolubile contrahitur; Epiſcopus autem nequit reddere vinculum indiſſolubile id, quod ex ſe non eſt tale; ſicut, ſi matrimonium non eſſet indiſſolubile vinculum, non poſſet tale ab Epiſcopo reddi.

Sed in primis hoc argumentum ad ſummum poſſet contendere, vota ſolemnia 98 emiſſa in exordio eiuſmodi Ordinum non fuiſſe ſolemnia; non verò, nunc ſolemnia non eſſe, ſiquidem hi Ordines admiſſi, & approbati ſunt à Sede Apoſtolica, quare poſt hanc approbationem, & confirmationem omnino deſtituitur vi ea ratiocinatio, vt, ex ſe liquet.

Deindè nec ſuadet, non fuiſſe vota 99 ſolemnia in primo horum Ordinum exordio. Etenim ante Concilium Generale Lateranenſe

Lateranenſe ſufficiebat ad Confirmationem Religionum approbatio Epiſcoporum, vt conſtat de Religionibus Sancti Benedicti, Sancti Baſilij, & Sancti Auguſtini, quæ veræ, & propriæ Religiones extiterunt, etiam dum à ſolis Epiſcupis fuerunt approbatæ ante Pontificias Confirmationes, quas poſtmodùm obtinuerunt; vt docent M.Fr. Antonius Perez *in Comment. regul. Sancti Benedicti de titul. & inſcript. regula, num.*31. *fol.*12. Pater Suarez *tom.*3. *de Religion. lib.*2. *cap.*16. *num.*17. P.Vazquez *in* 1. 2. *diſp.* 165. *c.*4. *à num.*39.

100 Epiſcopi autem poſſunt in ſua Diœceſi, quod Summus Pontifex in tota Eccleſia, niſi ab illo prohibeantur; vndè valebant imponere impedimenta irritantia matrimonium, vt cum pluribus tradit P. Thom. Sanchez *lib.* 7. *de matrim. diſp.* 1. *in fin.* & per conſequens ſolemnizare vota; necnon inſtituere vinculum Religionis indiſſolubile, vt affirmat Pater Suarez *vbi nuper, capit.*17. *à num.* 18. poterant etiam Epiſcopi tunc non prohibiti à Pontifice reprobare nouam Religionem, atque adeò à contrario ſenſu poterant illam approbare; in qua approbatione concedebatur poteſtas Prælatis ad acceptandum vota ſubditorum cum perpetuitate, indeque ſolemnia reddebantur. Iam verò ab Epiſcopis ablata eſt eiuſmodi poteſtas, ſeu eius vſus. Solemnitatem autem votorum incepiſſe anno 1139. in Concilio Romano ſub Innocentio II. docet cum aliis Baſilius Legionenſis *lib.*7. *de matrim. cap.*14. *num.*3. *& cap.*12. *num.*4. Iuxta quam ſententiam, ex eo tempore Vota in Religionibus approbatis emiſſa ſunt ſolemnia.

QVÆSTIO III.

De priuilegiis in communi Ordinum Militarium, & hic de ſolutione decimarum.

101 OMnes Sacras Religiones pluribus priuilegiis, & gratiis Summi Pontifices, & Reges, ac Principes ſunt proſecuti, tum in animi grati ſignum ob eximia erga Fidem, & Eccleſiam cumulata obſequia, atque ob ingentes ſudores, & labores in vinea Domini, & animarum ſollicita cura tranſactos; tum vt ad eadem obſequia proſequenda, & promouenda Religioſi incitarentur, aliique eorum inhærerent veſtigiis, allecti à cumulo ingenti gratiarum, quò alacriùs, & faciliùs ſuo muneri ſatisfacerent, & copioſiora Beatitudinis præmia mererentur; tum demùm, vt Religionum regimen eſſet opportunius, nulliſque præpediretur obſtaculis, quominùs ad ſcopum in ſuis Inſtitutis propoſitum collimaret. Eadem ſanè extitere motiua, vt ipſi Summi Pontifices, ac Principes ſæculares ingentibus priuilegiis, exemptionibus, gratiis, & indulgentiis Ordines Militares ſtabilirent, firmarent, & munirent; ex quibus ſpecialis in eos affectus, beneuolentia, & deſiderium incrementi ipſorum dilucidè animaduertitur. Aliqua de his in Inſtitutione ipſorum Ordinum, & in ſuperioribus libauimus; nec in præſenti ſingula ſpeciatim priuilegia, & gratias intendimus recenſere; quippè ad id nec integrum volumen ſuppeteret; & prætereà in toto Operis decurſu, pro re nata priuilegia, & gratias, accuratè inſpectas, & rationis pondere libratas proferimus. Quare in præſenti Remiſſiones eiuſmodi priuilegiorum, & gratiarum attingemus, vt poſſit ea, quiſquis velit, adire, perlegere, addiſcere. Quin tomum integrum *de priuilegiis Regularium* nouiſſimè edidit in lucem Bruno Chaſaing; quæ proportionatè aptari queunt Ordinibus Militaribus, eorumque Regularibus. Et de ipſorum Ordinum priuilegiis in ſpeciali agit P. Peñafiel *de Ordinib. Militar. tract.* 5.

Igitur priuilegia Pontificum erga Ordinem Diui Iacobi referuntur in Statutis nouiſſimis eiuſdem Ordinis *ex fol.*23. *vſque ad* 32. *& capit.*6. Et in Bullario Ordinis de Alcantara *ex pagin.* 221. Priuilegia autem Regum Caſtellæ, & Legionis conceſſa ipſi Ordini recenſentur *ibidem capit.* 7. *ex fol.* 32. *vſque ad* 39. Prætereà ibi *ex fol.*1. *& ad finem fol.* 117. aliæ Bullæ, ac priuilegia tranſcribuntur. Plura alia affert Didacus de la Mota *lib. de Confirmation. Ordinis Diui Iacobi*; Et in alio libello. *De modo poſtulandi Habitum Ordinum Militarium.* Iſla *De Regula Ordinis Diui Iacobi*; Ioannes Ramirez *ſuper Bullam Confirmationis Ordinis*; Diana, Araujo, Pater Peñafiel, Carleual, Caro de Torres, Domin. Pizarro. Domin. Zambrana, Ocampo, Machado, & cæteri, quos *ſuprà quæſtion. prima, & ſecunda*, attulimus. Prætereà Ioſeph Micheli Marquez, & alij, quorum meminimus ſuprà *diſq.* 1. in Inſtitutione huius Ordinis. 102

Priuilegia Pontificum, & Regum conceſſa Ordini de Calatraua extant digeſta per Ordinem Alphabeti in Definitionibus eiuſdem Ordinis *à pagin.* 427. *vſquè ad paginam* 456. & prætereà *ibidem ex pagin.* 9. Plures Bullæ Pontificum expeditæ ſimul in eiuſdem fauorem, ac Ordinis 103

Alcantarenſis, imò & Ordinis Diui Iacobi afferuntur in Bullario Alcantaræ. Deindè in libro Actuum Capitularium edito anno 1568. extat *ex pagin.* 20. index Pontificum, qui Bullas erga Ordinem expediuerunt, quarum aliquæ typis excuſſæ fuerunt. Denique de eiuſmodi priuilegiis videndi ſunt Authores *numer. præcedent.* allati, & Illuſtriſſimus Domin. Don Hieronymus Maſcareñas *in ſua Apologia pro hoc Ordine; & in vita Raymundi Abbatis, Fundatoris Ordinis.* Don Barnabas de Rela *in Memoriali, aut allegat. Iuris pro Prioratu Sacri Conuentus de Calatraua*; & Illuſtriſſimus Dominus Don Fr. Angelus Manrique agens de hoc Ordine, & de aliis Militaribus Ciſtercienſibus, locis relatis, *ſuprà diſquiſit.* 1. circa ipſorum Inſtitutionem.

104 Bullæ continentes priuilegia, & gratias indultas Ordini de Alcantara tranſcriptæ afferuntur in ſpeciali Bullario eiuſdem Ordinis *ex pagina tertia, vſque ad* 172. Et, quia Ordo Alcantarenſis, ſicut & Calatrauenſis ſunt Ordines Ciſtercienſes, indeque Pontifices declararunt, Ciſtercienſium priuilegia eis competere, apponuntur in eodem Bullario *ex pag.* 181. *vſque ad* 222. priuilegia Ciſtercienſia; quibus gaudent. Deindè Paulus Tertius in Bulla, quæ adducitur in eodem Bullario *pagina* 153. conceſſit Ordinibus Calatrauæ, & Alcantaræ communicationem priuilegiorum Ordinis Diui Iacobi, & hæc priuilegia ibidem tranſcribuntur *ex pagina* 222. Præterea in Definitionibus Alcantaræ titulus 37. priuilegia, ac exemptiones continet à Pontificibus, & Regibus conceſſas. Plura circa ea attingit Don Gineſius Morote *in Patrocinio Ordinis de Alcantara*, necnon de ipſis agunt Authores *numer. præcedentibus* relati, & alij, quos attulimus *diſq.* 1. circa Inſtitutionem huius Ordinis.

105 Ordines Monteſæ, de Auis, & Chriſti gaudent priuilegiis Ciſtercienſium, vtpote Ordines Ciſtercienſes; inſuper participant priuilegia Ordinis de Calatraua, vtpotè ſub eius Inſtitutione erecti, vel in eius filiationem adoptati. Deindè ſpeciales Bullæ à Pontificibus in eorum fauorem emanarunt, quarum aliquas attigimus *diſquiſit. prima*, in Inſtitutione horum Ordinum. Aliæ afferuntur in Conſtitutionibus ipſorum, ſimulque plura priuilegia Regia. Non pauca ex his libat Illuſtriſſimus Dominus Don Hieronymus Maſcareñas *in ſua Apologia pro Ordine Calatraua ex fol.* 153. Videantur præterea de his tractantes Authores relati *ex diſquiſition. prima.* Et nouiſſimè doctiſſimus Don Laurentius Matheu *tom. de regimine Regni Valentiæ, capit.* 7. §. 4.

106 Ordo Sancti Ioannis ingentibus potitur immunitatibus, & priuilegiis. Extant plura in libello, cui titulus eſt, *Li Priuilegij della Sacra Religione di S. Gio Gieroſolimitano*; in quo Bullæ pontificum tranſcribuntur; præterea *in libr. Statutorum ipſius Ordinis*; Et in alio, in quo continentur Statuta, & Ordinationes in Capitulis Generalibus promulgatæ ab anno 1555. vſque ad annum 1574. Videantur Authores relati *diſquiſition. prima* circa huius Ordinis Inſtitutionem. Præterea Barboſa *in remiſſ. ad Concilium Tridentinum*, & Proſper Farinacius *in Deciſion. & declaration. ad idem Tridentinum*, afferunt plures Declarationes Sacræ Congregationis Concilij, & Deciſiones Rotæ, quibus confirmantur exemptiones, immunitates, & priuilegia Ordinis Sancti Ioannis; necnon etiam Ordinum Diui Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ, & aliorum Militarium. Extat etiam Allegatio Doctoris Pelines pro hoc Ordine, eius afferens priuilegia.

Cæterùm Ordines Militares Ciſtercienſes eadem priuilegia aliorum Ordinum communicant, quæ ipſe Ordo Ciſtercienſis, cum ex ipſo ſint. De quo vide *Mem ſtatera opinionum benignarum diſſ.* 13. *ex n.* 308. Erga Ordinem autem Ciſtercienſem expediuit Bullam Gregorius XIV. die 28. Iunij, anno 1591. allatam ab Emanuële Rodriguez *tom.* 1. *quæſtionib. regular. quæſt.* 55. *art.* 7. in qua concedit Congregationi Ciſtercienſi, vt potiatur, participet, & communicet Omnia, & ſingula priuilegia, prærogatiuas, conceſſiones, antelationes, fauores, facultates, declarationes, abſolutiones, relaxationes, diſpenſationes, Stationes, indulgentias, etiam plenarias, ac peccatorum remiſſiones, Conſeruatorias, immunitates, exemptiones, libertates, præeminentias, & indulta cuiuſvis generis exiſtentia, cæteraſque gratias ſpirituales, & temporales, tam eidem Ciſtercienſi, eiuſque Abbati, & Capitulo, etiam Generali, ac quibuſvis illorum Monaſteriorum Abbatibus, etiam quatuor primis de Firmitate, Pontiniaco, Claraualle, & Morimundo, quam etiam S. Benedicti, ac quibuſvis aliis ſimilium vel diſſimilium Ordinibus, & Religionibus ſub quibuſvis regulis, conſtitutionibus, aut ordinationibus degentibus, ſeu militantibus, & quibuſvis illorum reſpectiuè Congregationibus, Militiis, eorumque profeſſoribus, atque vtriuſque ſexus eorum Monaſteriis, Domibus

Domibus Eccleſiis, necnon Collegiis, Vniuerſitatibus, Confraternitatibus, piis, & charitatiuis locis, eorumque in quibuſvis Feſtiuitatibus, ac aliis diebus Eccleſias viſitantibus, ac eorundem Religionum Generalibus, Præſidentibus, & quibuſvis Superioribus, Prælatis, ac Capitulis etiam Generalibus, Prouincialibus, ſeu intermediis, eorumque Diffinitoriis, Abbatibus, Prioribus, Diffinitoribus, Conſiliariis, & quibuſvis Officialibus, Rectoribus, Miniſtris, Monachis, Nouitiis, monialibus, fratribus, conuerſis, confratribus, procuratoribus, benefactoribus, ac eorum, & earum vtriuſque ſexus quibuſvis Regularibus perſonis, tam in Vrbe, quam in quibuſcumque mundi partibus conſiſtentia, ſeu conſiſtentibus, etiam illarum intuitu, aut alias quomodolibet conceſſa, quibus de iure, vſu, & conſuetudine, vel priuilegio, ſeu conſtitutione Apoſtolica, vel Imperiali, Archiepiſcopali, Epiſcopali, in genere, vel in ſpecie, ac tam coniunctim, quam diuiſim, etiam per ſolam ſignaturam, vel viuæ vocis oraculo, aut per viam communicationis, & extenſionis, aut proprio motu, aut alias quomodolibet vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, frui, potiri, & gaudere quomodolibet poſſunt, quorum tenores haberi volumus pro expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis, etiam ſi talia eſſent, vel forent, quæ ſpecialem, & indiuiduam requirerent mentionem, ſeu particularem inſertionem, &c.]

108 Proſequitur Pontifex aſſerens, ſe ea omnia priuilegia concedere omnibus Regularibus Ciſtercienſibus, Profeſſis, ac Nouitiis vtriuſque ſexus, necnon Conuerſis, oblatis; familiaribus, confratribus, procuratoribus, aut negotiorum geſtoribus, & benefactoribus exiſtentibus, & extituris, tum quoad perſonas, tum quoad bona; eodem modo, ac ſi omnia illis, & eorum ſingulis principaliter, immediatè, & expreſsè, ac non ad inſtar, Apoſtolica Sedes conceſſiſſet; additque ingentes firmitates. Hinc Emanuël Rodriguez aſſeruit; *Hoc priuilegium vidi ſub ſigillo authentico; Et poſui hanc notabilem priuilegiorum communicationem, quia aliam ſimilem non inueni.* Ego quidem præfatas clauſulas tranſcripſi, vt ex ipſis meliùs res ipſa conſtaret. Nec ſolùm participant Ciſtercienſes omnia priuilegia conceſſa, ſed etiam concedenda à Pontificibus, vt ex Bullis Apoſtolicis in eorum fauorem expeditis; apertè conſtat. In præſenti autem obſeruandum eſt, quamvis non ſit idem, communicatio Indulgentiarum, ac communicatio priuilegiorum, nec hac conceſſa, illa intelligatur indultas attamen Ordines Militares communicare etiam indulgentias, quibus gaudent aliæ ſacræ Religiones, nam inter has ipſas dari communicationem indulgentiarum ex pluribus Bullis Pontificiis conſtat; De quibus videatur Pater Quintanaduenas *tom. 1. ſingular. in appendic. tractat. 4. ex dub.* 7. Vbi plures ex Indulgentiis recenſet. Nos de eis agemus *diſq. 12. quæſt. 6.*

Cæteri etiam Ordines Mendicantes 109 communicant priuilegia conceſſa Ordinibus Militaribus, vt latè oſtendit Emanuël Rodriguez *vbi ſuprà, tota quæſtion.* 55. & id ſupponit *articulo vigeſimo ſecundo.* Ibi etiam recenſet priuilegiorum communicationem, quæ Ordinibus non Mendicantibus eſt conceſſa; eaque omnia ex Bullis Pontificum liquent. Tractat etiam *ibidem*, quomodo ſit priuilegiorum communicatio? an, qui ea participant, poſſint eis vti aduerſus illos, à quibus participant? Et plura alia huiuſmodi, quæ non ſunt noſtri inſtituti ſpecialis, ſed omnibus Religionibus, & Religioſis communia; quæ autem ita ſe habent, ad Tractatus de ſtatu Religioſo, & de Regularibus ſpectant, & ſua proportione, ac reſpectu ſeruato, applicanda ſunt Ordinibus, & Religioſis Militaribus.

Id tamen præ oculis eſt habendum, nullam Religionem poſſe communicare priuilegia alterius, quæ proprio Inſtituto, & obſeruantiæ repugnant; cuiuſmodi ſunt plura conceſſa Ordinibus Militaribus, verbi gratia, poſſe Equites contrahere nuptias, teſtari, aliaque ſimilia; Quæ quis non videat opponi cæteris Sacris Religionibus? Quare, cum à Pontificibus communicatio priuilegiorum conceditur, ſubintelligi debet, dummodò obſeruantiæ propriæ regulari non contrarientur; & hæc limitatio, quamvis expreſsè non apponatur, implicitè appoſita eſt cenſenda; Quippè Pontifices concedunt priuilegia in fauorem ipſorum Ordinum, cui ſit conceſſio; non autem eſſet fauor, ſed odium, & diſpendium Religionum, quod in earum laxationem, & diſſipationem tenderet; quod autem ad fauorem eſt introductum, nequit ad odium retorqueri, contra ipſam rationem naturalem, & ſacrorum Canonum Decreta. 110

Inquires, an Ordines Militares communicent priuilegia Societatis Iesv; Hoc dubium excitat idem Emanuël Rodriguez *vbi ſuprà, articul.* 17. de omnibus Ordinibus Mendicantibus, & de eis, qui Mendicantium priuilegia communicant. Ratio dubitandi eſt, quia aliqua priuilegia conceſſa 111

ſunt Religioſis Societatis Iesv à Sede Apoſtolica, ea limitatione appoſita, vt aliis Sacrorum Ordinum Regularibus minimè communicentur, & de his eſt controuerſia; nam alia ſanè participantur, quamvis conceſſa fuerint poſt Bullas communicationis priuilegiorum expeditas in fauorem ſacrarum Religionum; in his enim conceditur communicatio priuilegiorum, tum eorum, quæ hactenùs conceſſa ſunt, tum illorum, quæ deinceps ſunt concedenda; præterquam quòd poſt conceſſa priuilegia Societatis Iesv, aliquæ Bullæ expeditæ ſunt à Pontificibus erga Sacros Ordines, in quibus eorum priuilegia confirmantur; vnum autem ex priuilegiis eſt prædicta communicatio. Affert eas Bullas Emanuël Rodriguez *vbi ſuprà.*

112 Ipſe verò Author fatetur, præfatum dubium ſibi, & aliis apparere difficile, & congruum fore, vt mens Sedis Apoſtolicæ circa id exprimenda poſtularetur. Quare nequit firma ſtabiliri deciſio. Etenim ex vno capite ea limitatio à Pontificibus præfixa, nempè quòd illa priuilegia aliis Religioſis non communicentur, ita exponi debet, vt non ſit inanis, ac fruſtranea, & vt aliquid operetur; Si autem eodem modo daretur communicatio eiuſmodi priuilegiorum, ac cæterorum, inquiro, quam vim, aut effectum ea clauſula limitationis haberet? Hoc mihi non exiguam vim ingerit. Ex alio capite, cum Succeſſores eorum Pontificum, qui illam limitationem præfixerunt, confirmauerint aliquibus Religionibus ſacris omnia ſua priuilegia, & communicationem gratiarum (quin & addendo, etiam Societatis Iesv) & rursùs hæ nouæ confirmationes ad omnes Religiones, quæ communicant priuilegia aliarum, extendantur, videtur, Pontifices voluiſſe, vt ea etiam priuilegia ſub limitatione expedita communicentur, dum contrarium expreſsè non conſtet; ſi quidem beneficium Principis latè eſt interpretandum. Sic ſentit Emanuël Rodriguez *ſuprà verſ. At circa.* Iuxta quem ſentiendi modum Ordines Militares priuilegia Societatis Iesv communicabunt.

113 Circa priuilegium non ſoluendi decimas poſſemus integrum Tractatum conficere. Iam diu id ſub contentione eſt. Quippè Equites Militares ad non ſoluendum decimas ex ſuis bonis oſtendunt plures Bullas Pontificum, qui id priuilegium ipſis conceſſerunt, ſeu declararunt, ab illis non eſſe ſoluendas; Et in ſententia tuentur, eos ſtrictè Religioſos, adhuc nouum indè ſibi patrocinium parant. Variæ Iuris allegationes ſuper hoc prodierunt; & in fauorem Ordinum Militarium doctiſſimo pro ſuo more, & genio ſcripſit Dom. D. Michaël de Luna & Arellano Regij Senatus Ordinum olim, & nunc ſupremi Tribunalis Indiarum Conſiliarius. Attamen nunc Equites Militares è ſuis bonis non ſecùs, ac alij laici, decimas perſoluunt. Hic ſtylus eſt; qui ſanè perſiſtet, dum aliud per Iudices ſupremos non declaretur. Vnde, cum ad hanc quæſtionem exornandam plura hinc indè non exiguo conatu pararem, fruſtraneum duxi laborem; nam his, quæ conſuetudo iam fert, & quæ ſub lite ſunt, nihil roboris ad deciſionem, ſeu ad praxim ſuperadditur, ſi approbentur ab vno, vel alio Authore, nec è contra mutantur, ſi reprobentur. Quare decreui inani labore paginas non adimplere, cum hoc opus concinnetur ad praxim; nec intendam iuris allegationem pro ſententia litis obtinendæ conficere, cum id non ſit inſtituti præſentis. Mota *in reg. Ord. D. Iacobi, lib. 2. capit.* 4. Bullas Pontificias affert, quibus Equites Iacobæi Monaſteriis Ordinis decimas ſoluere præcipiuntur.

Sed quid dicendum, ſi Frater Clericus ante Profeſſionem bonorum ſuorum proprietati renuntians ſibi vſumfructum reſeruet, an ex eo decimas ſit ſoluturus? Supponendumque eſt, de licentia Prælati poſſe Clericos Fratres vſumfructum ſibi reſeruare, quin Paupertatis votum violent; Dico ergo, in decimis perſoluendis à Religioſorum Monaſteriis eſſe varias conſuetudines, concordias, & lites pro ſingulis diœceſibus, & Prouinciis. Quare conſuetudini erit ſtandum; vnde, ſi Monaſterium non ſoluat decimas ex bonis, quæ de nouo adquirit per renuntiationem illorum factam à Religioſo in fauorem Monaſterij; nec debebunt ſolui decimæ ex illorum vſufructu, qui abſolutè eſt Monaſterij, ſeu Ordinis, de cuius licentia eo gaudet Clericus Frater. Si verò conſuetudo ſit, vt ex prædictis bonis de nouo adquiſitis decimæ ſoluantur, pariter ex illo vſufructu erunt ſoluendæ. 114

***

QVÆSTIO IV.

De poteſtate Ordinum Militarium ad eligendos Iudices Conſeruatores.

§. I.

Exponitur, & ſtabilitur poteſtas.

115 AD clariorem rei notitiam, breuiter ſuppono, Iudicem Conſeruatorem inſtitutum fuiſſe à Iure, vt aliquem, vel aliquos defendat à manifeſtis violentiis, & iniuriis. Ita *in cap. 1. & vltim. de Officio Iudic. deleg. lib. 6.* Cenſent aliqui, eius poteſtatem eſſe ordinariam, & inde ſequitur, poſſe eam delegare, iuxta *c. inter cætera, de offic. deleg. c. cum Epiſcopus, de offic. ordinar. lib. 6. leg. more, 5. ff. de iuriſdict. omn. iudic. leg. cognitis, §. cum proprium, ff. de officio eius, &c.* Receptior tamen ſententia tenet, eſſe iudicem delegatum, niſi expreſsè Ius, aut Pontifex eum conſtituerit Ordinarium; ſicut Pius Quintus, & Gregorius XIII. conſtituerunt Conſeruatores noſtræ Societatis IESV; de quo Pater Molina *de iuſt. tom. 6. diſputat. 29. num. 1.* Quare communiter Conſeruator ſuam iuriſdictionem delegare nequibit, niſi in caſibus in Iure permiſſis. Ampliſſima eſt iuriſdictio Conſeruatorum ex Iure, vt conſtat ex eo *capit. 1. & vltim. de officio delegat. lib. 6.* & tradunt Portel. *de dubiis Regular. verbo, Conſeruatores.* Barboſa *de poteſtat. Epiſcop. 3. part. allegation. 106. num. 2.* Sed Tridentinum eam reſtrinxit *ſeſſ. 14. cap. 1. de reform.* At declarauit, reſtrictionem non intelligi circa Conſeruatores Academiarum, Collegiorum, Religionum, & Hoſpitalium, quibus diſpoſitionem Iuris communis illibatam relinquit.

116 Iuxta prædictum Ius *in cap. vltim. de offic. delegat. lib. 6. & in cap. ſtatutum, de reſcript. lib. 6.* poſſunt eſſe Conſeruatores Epiſcopi, & eorum Superiores, Abbates, & Dignitates Eccleſiarum. Videatur Syluester *in ſumm. verbo, Conſeruatores, num. 2.* Canonicos Eccleſiarum Cathedralium poſſe eſſe Conſeruatores, negant aliqui Authores, ſed affirmant Speculum, Rodriguez, Gomez, & alij, quos refert, & ſequitur Barboſa *vbi ſuprà ex num. 10.* Machado *tom. 1. de perfect. Confeſſar. lib. 4. part. 3. tractat. 1. docum. 2. num. 2.* Imò & Canonicos Eccleſiarum Collegialium in Iudices Conſeruatores eligi poſſe, eo quòd in pluribus hæ Eccleſiæ æquiparentur Cathedralibus, contra aliquos defendunt Riccius *in praxi fori Eccleſiaſtic. deciſ. 637.* Seraphinus *deciſ. 22. part. 1.* Nec diſſentit Machado *vbi nuper num. 3.* Rurſus aliqui negant, Vicarios Generales Epiſcoporum, ſeu Capitulorum, Sede vacante, poſſe eſſe Conſeruatores, eo quòd non habeant Dignitatem Eccleſiaſticam, vt exigitur à Iure; at id affirmant Emanuel Rodriguez *tom. 1. qq. regular. quæſtion. 65. articul. 13.* Pauin. *de poteſt. Cap. p. 2. q. 10. n. 6. & alij.* Id communiter docetur, non poſſe quem eſſe Iudicem Conſeruatorem illius, in cuius territorio temporali, aut ſpirituali verſatur. Conſtat ex prædicto *cap. vlt. de Offic. deleg. lib. 6.* & cum communi tradit Petrus Gregorius *lib. 4. ſyntag. c. 22. num. 8.* Aliqua de Conſeruatorum electione deciſa à Pontifice Innocentio X. vide apud Me *in ſtatera opinionum benignarum, diſſ. 13. ex num. 291.*

117 Circa hæc aliqua obſeruanda ſunt. Primò, nomine Epiſcoporum, ac Prælatorum, qui poſſunt in Conſeruatores eligi, comprehendi etiam Priores Militares iuriſdictione quaſi Epiſcopali pro foro externo gaudentes. Secundò, etiam ſi quis nequeat eſſe Conſeruator illius, in cuius territorio verſatur, hanc tamen prohibitionem non extendi ad Conſeruatores Regum, cùm Reges non aliundè aduocare debeant Conſeruatores, quàm à ſuo Regno; & hinc pro iuriſdictione, qua Rex noſter, vt Adminiſtrator Ordinum Militarium gaudet, Conſeruator nunc temporis in Curia ab ipſo electus exiſtit.

118 Obſeruandum eſt tertiò, de Prælatis Regularibus eſſe contentionem, an poſſint eſſe Iudices Conſeruatores? Negat Diana *part. 9. tract. 9. reſol. 26.* afferens Breue Innocentij X. & prætereà Dom. Don Didacus Frances de Vrritigoyti Epiſcopus de Barbaſtro *in Paſtorali Regul. p. 1. clauſ. 2. num. 3. & clauſ. 3. ac 4.* addit, nec poſſe Religioſos eſſe Conſeruatores, quamvis ſint Canonici Eccleſiarum Cathedralium. *Ibidem* docet, Canonicos Eccleſiarum Collegiatarum non poſſe in Conſeruatores eligi. Attamen poſſe Prælatos Regulares eligi in Iudices Conſeruatores, tuentur Imola, Bonacina, P. Tomas Sanchez, quos refert Machado *vbi ſuprà num. 5.* necnon vterque Rodriguez, Moneta, Miranda, Armilla, Cochier, & Bartholomæus Fumus, apud Dom. Vrritigoyti, *vbi nuper*, P. Quintanadueñas *tom. 2. in Append. tract. 3. ſingul. 7. num. 7.* Et quidem praxis id ita fert; & in noſtra Salmanticenſi Ciuitate vidi Rectorem Collegij Alcantarenſis, qui ſolùm eſt Prælatus Regularis, pacificè gerentem

munus

munus Conſeruatoris. Videatur Bruno Conaing. *in priuileg. Regular.*

119 Obſeruandum eſt quartò, Coadiutores Canonicorum poſſe eligi in Conſeruatores, iuxta ſententiam Parris Caſtro Palao, Acoſta, & Machado apud eundem Dom. Vrritigoyti *ſuprà clauſul.* 5. *num.* 17. Qui tamen cum Nicolao Garcia, & aliis defendit oppoſitum. Ipſe autem *part.* 2. *quæſt.* 26. cum Dom. Salgado tuetur, ſi non dentur Viri in Dignitate Eccleſiaſtica conſtituti, & in Synodo deſignati (quæ eſt conditio requiſita) poſſe alios eligi in Conſeruatores; idque poſſe præſtari à Religioſis Societatis IESV, iuxta Bullam Gregorij XV. quæ incipit, *In ſupereminenti.*

120 Obſeruandum eſt quintò, Gregorium XV. in ſua Bulla expedita die 20. Septembris, anno 1621. præfixiſſe normam Conſeruatorum, & cauſarum, ac iudicij. In ea ergo præſcribit, coram Conſeruatoribus non poſſe Regulares eſſe Actores, ſed dumtaxàt Reos; Idque intelligi adhuc in cauſis ciuilibus, tenent Diana, Barboſa, Bordonus, Cochier, Ceſpedes, & P. Pellizarius, quos refert, & ſequitur Dom. Vrritigoyti *ſuprà*, *Clauſula* 8. *num.* 3. Rursùs *ibidem* ſtatuitur, ſi competentia oriatur inter Iudicem Conſeruatorem, & Ordinarium, iudicandam eſſe controuerſiam per arbitros in forma Iuris electos. Præterea Pontifex ſolùm permittit, eligi Conſeruatores ad manifeſtas violentias, & iniurias; Et hæc Gregorij Bulla eſt reuocatoria omnium Conſeruatoriarum. Plurimæ circa Conſeruatores quæſtiones ventilantur, quæ apud Authores relatos poſſunt recoli.

121 His prælibatis, cum olim Ordines Militares aliquibus vexarentur violentiis contra ſua priuilegia, immunitates, & ditiones, Pontifices id ægrè ferentes, diuerſis temporibus, ſpeciales literas Conſeruatorias expedierunt, committentes perſonis determinatis Eccleſiaſticis, vt Ordines, eorumque Regulares, ditiones, & loca ab omnibus inuaſionibus, iniuriis, & violentiis defenderent, armis Eccleſiaſticis vtendo, ac ſententias pronuntiando, à quibus ſolùm ad pontificiam Sedem appellatio daretur. Sic in fauorem Ordinis Alcantaræ literas expediuit Gregorius IX. quæ afferuntur in Bullario Alcantaræ *pag.* 17. *&* *pag.* 16. & Alexander IV. *pag.* 31. & alij pontifices. poſtmodùm verò in ampliori forma, abſque limitatione caſuum, & materiæ, & plures deſignando, qui Conſeruatores eſſe poſſent, ac reuocando alia priuilegia aliis indulta contra Iudices Conſeruatores, Bullas expedierunt ad eiuſmodi Conſeruatores eligendos, pleniſſima eis poteſtate, ac iuriſdictione commiſſa, & quamvis ſinguli Ordines Militares ſpecialibus ad id Bullis gaudeant, vnuſquiſque tamen fruitur extenſionibus, & indultis alteri conceſſis, ratione communicationis priuilegiorum; pontifices enim exprimunt, ita ad inuicem ea communicari, ac ſi ſpecialiter expreſsè, & de verbo ad verbum fuiſſent ſingulis conceſſa.

Igitur in fauorem Ordinis D. Iacobi ex- 122
pedierunt Bullas Conſeruatorias Leo X. anno 1514. Clemens VII. cuius, & Leonis X. mentionem exprimit in ſua Bulla Conſeruatoria ampliſſima Pius V. quæ affertur in Bullario Alcantaræ, *pag.* 229. In qua repetit Pontifex id ipſum, quod alij Pontifices reſpectu aliorum Ordinum Militarium in conceſſione priuilegiorum frequenter pronuntiant, nempè ea priuilegia eſſe remuneratoria, indeque nos non ſemel inferimus, ſubire naturam quaſi contractus oneroſi; Verba Pij V. ſunt; *Dum attentiùs inter mentis arcana recolimus egregiam operam, antiquitùs per eos, qui pro tempore fuerunt, Magiſtros, & Adminiſtratores, ac dilectos filios Conuentuum, Milites, & perſonas Militiæ S. Iacobi de Spatha, ſub regula S. Auguſtini, in Mauris, & aliis, qui magnam Hiſpaniæ partem occupauerant, Infidelibus, ab auitis ſedibus non ſolùm arcendis, ſed etiam poſt plures periculoſas pugnas, tandem cum Domini exercituum adiutorio profligandis, & à patria expellendis, Deo, & Eccleſiæ Sponſa ſua, patriaque, variis temporibus hactenùs impenſam, & quam impigrè, quoties ſeſe ad id offert occaſio, impendere conantur, dignum, quin potiùs debitum, exiſtimamus, vt exemptiones, & priuilegia, quæ illis, virtutum, laborumque ſuorum intuitu, per Sedem Apoſtolicam conceſſa ſunt, quò firmiùs illibata perſiſtant, authoritatis noſtræ præſidio roboremus, &c.* Plurima ſimilia poſſem afferre, niſi breuitati conſulerem.

In fauorem Ordinis de Calatraua expe- 123
diuit Bullam Innocentius VIII. anno 1488. die 1. Iulij, quæ incipit, *Venerabilibus Patribus.* In qua facultatem, & iuriſdictionem Conſeruatoriam indulget, grauiterque dolet, ac conqueritur de violentiis, & iniuriis illatis Ordini, contra ipſius exemptiones, & priuilegia. Eundem dolorem, acremque querelam grauiſſimis verbis manifeſtant Pontifices allati *ſuprà* ob violentias illatas Ordini Alcantaræ, eiuſque Regularibus.

In fauorem eiuſdem Ordinis de Alcan- 124
tara, præter Bullas *vbi nuper* relatas expedierunt Bullas Conſeruatorias in ampliſſima

forma

forma Clemens VII. cuius literæ afferuntur in Bullario Alcantaræ *pag.* 120. & Clemens VIII. die 11. Nouembris anno 1595. quæ incipit *Vniuerſis ſingulis*, & refertur ab Emanuële Rodriguez *tom.* 1. *qq. Reg. quaſt.* 17. *art.* 22. Deindè Ordinibus Militaribus Ciſtercienſibus competunt Bullæ Conſeruatoriæ expeditæ erga ipſum Ordinem Ciſtercienſem.

125 In fauorem Ordinis Sancti Ioannis extat inter alias celebris Bulla Pij V. quæ incipit, *Circumſpecta*, expedita anno 1560. & alia Vrbani VIII. expedita anno 1624. Idem anno 1629. confirmauit omnia priuilegia Ordinis, id ipſum præſtiterat Gregorius XV. anno 1621. & affertur in Bullario eiuſdem Ordinis, *ex pag.* 3. *vbi ex pag.* 40. poteſtas eligendi Conſeruatores continetur.

126 Optarunt enixè Pontifices, vt priuilegia conceſſa Religionibus omnibus inuiolata ſeruarentur, & ſimiliter priuilegia Ordinum Militarium; Indè Pius V. in Bulla *ſuprà* relata ait; *Nos igitur, qui ſalubrem Religionum quarumlibet, & maximè Militiarum, ac Catholicorum Regum preces, per Sedem eandem inſtitutarum, directionem, ac immunitatum, & priuilegiorum, ſibi, tanquam de Republica Chriſtiana benemeritis, per dictam Sedem conceſſionem, & præſeruationem ſincero deſideramus affectu, &c.* Hinc etiam in aliis Bullis conqueruntur acerbè Pontifices, quòd, cum Sedes Apoſtolica Ordinibus Militaribus maiora, quàm aliis, indulſerit priuilegia, ipſius Sedis votis, & animo reſiſtatur, dum ea violantur. An autem Equites trium Ordinum Militarium poſſint eligere Iudices Conſeruatores, philoſophandum eſt iuxta ſententias *ſuperiùs* appoſitas, quæ præ oculis ſunt habendæ; Nec enim Senatus Regius Caſtellæ admittit in pluribus caſibus electionem Conſeruatorum ob fundamenta, *ſuprà* allata; quod præſuppoſitum volo ad dicenda *inferiùs*.

127 Hi autem Iudices deſignantur ad propulſandas iniurias, aut violentias, quæ contra priuilegia, & exemptiones Ordinum Militarium intenduntur ab his, qui conueniri non poſſunt coram Iudicibus propriis Ordinum, nec coram ipſorum Senatu, eo quòd in illos non detur, iuriſdictio. Vnde, ſi litem moueat aliquis Epiſcopus, aut Eccleſia Cathedralis, vel Monaſterium, & intendant quidquam contra priuilegia Ordinum, aut Concordias cum eis peractas, v.g. ſuper decimis, viſitatione Eccleſiarum, iuriſdictione, redditum perceptione, & ſimilibus aliis, quæcumque ſint, nec defenſio liceat ipſi Adminiſtratori, vel Ordini, aut ſuis Prioribus, Vicariis, Conuentibus, Collegiis, ſeu Commendatariis, coram propriis Ordinis Iudicibus; Conſeruator, aut Conſeruatores deſignantur virtute tot Bullarum, & Indultorum Sedis Apoſtolicæ, qui per iuriſdictionem ab ipſa dimanantem eos omnino tueantur. Audi Pium V. *Et inſuper ſtatuimus, & ordinamus, quòd deinceps in perpetuum Philippus Rex, & pro tempore exiſtens Magiſter, ſeu Adminiſtrator, ac Priores, Præceptores, Fratres, Officiales, familiares, ſeruitores, vaſſalli, & alij, vt præfertur, expreſſi, vbicumque ſint, vel degant, aut permaneant, ratione præmiſſorum, aut quorumcumque aliorum in ipſis literis contentorum, coram aliis, quàm ſupradictis ſuis Conſeruatoribus, aut ad alios conueniendos compelli; nec ab eis, aut eorum geſtis, præterquam à diffinitiuis ſententiis, ſeu vim diffinitiuæ habentibus appellari; & tunc appellationum cauſæ, tam in perſonalibus, quàm realibus, ex mixtis cauſis, tam actiuè, quàm paſsiuè interponendarum, non niſi ad Sedem præfatam immediatè, & non alibi referri; ac inibi dumtaxat audiri, & terminari poſſint, &c.*

Ecce exprimuntur perſonæ, pro quibus eligi queunt, & debent Conſeruatores, & ab horum geſtis, ac ſententiis nulla datur appellatio; à definitiuis autem, ſiuè Actores, ſiuè Rei appellent, immediatè ad ſummum Pontificem, & non ad alium, eſt appellandum. Hinc, cum Nuntius Summi Pontificis cæpiſſet agnoſcere de cauſis ſpectantibus ad Vicarios ditionum Ordinis D. Iacobi, requiſitus per literas Conſeruatorias ſe inhibuit, & à cognitione deſtitit, vt videre eſt apud Don Franciſcum de Ocampo in *Allegatione, Iuris, ſeu Memoriali pro Vicariis de Aledo, & Totana, & Campi de Montiel*, vbi hanc materiam latè exornat, & argumentis, ac authoritatibus Pontificum firmat. 128

Ibidem Pius V. ſub excommunicatione latæ ſententiæ, ac ſub aliis grauiſſimis pœnis prohibet, ne vlli alij Iudices quicumque ſint, quouis prætextu præſumant ad ſuum Tribunal trahere quenquam ex his, pro quibus Conſeruatores eligendi poteſtas Ordinibus indulgetur; & denegat, ac reuocat quælibet priuilegia contraria, ſub quolibet tenore conceſſa, ac ea pro expreſſis habet, non ſecùs ac ſi de verbo ad verbum exprimerentur; nullamque firmitatem, aut robur omittit, vt ſuus animus, voluntas, & conceſſio intelligantur, vt integrè, ac inuiolabiliter obſeruentur. Idem continetur in Bullis Conſeruatoriis Ordinum Calatrauæ, & Alcantaræ. 129

Materia autem, circa quam Conſeruatores 130

res eligi poſſunt, eſt latiſſima, ſcilicet ſi violentia, aut iniuria, aut violatio à quoquam fiat, *Tam ratione perſonarum, quàm Magiſtratus Præceptoriarum, ſeu Baiuliuarum, Conuentuum, Prioratuum, Eccleſiarum, & locorum quorumcumque, necnon bonorum, fructuum, prouentuum, emolumentorum, priuilegiorum, exemptionum, rerum, & iurium, ac iuriſdictionum, necnon præeminentiarum omnium, & ſingulorum, &c.* Ita Pius V. Idem ait Innocentius VIII. reſpectu Calatràuenſium; *Super reſtitutione huiuſmodi caſtrorum, villarum, terrarum, & aliorum locorum, iuriſdictionum, iurium, & bonorum mobilium, & immobilium, redditnum quoque, & prouentuum, & aliorum quorumcumque bonorum, necnon de quibuſlibet moleſtiis, atque damnis præſentibus, & futuris, &c.* Latiùs eadem habet Clemens VII. reſpectu Ordinis Alcantaræ; *Super reſtitutione huiuſmodi caſtrorum, villarum, oppidorum, & aliorum locorum, terrarum, domorum, poſſeſſionum, legatorum, decimarum, donationum, iurium, iuriſdictionum, feudorum, dominiorum & bonorum mobilium, & immobilium, fructuum quoque, redditnum, prouentuum, & aliorum bonorum, necnon reſponſionum, & pecuniarum ſummarum, ac rerum aliarum eis pro tempore debitarum huiuſmodi ſolutionem, ac priuilegiorum, exemptionum, & indultorum prædictorum, nunc, & pro tempore eis conceſſorum obſeruatione, nec non de quibuſlibet moleſtiis, iniuriis, atque damnis præſentibus, & futuris, &c.* Hæc ipſa pronuntiat Pius IV. reſpectu Ordinis D. Ioannis. Nihil ergo, quo Ordines Militares, eiuſque Regulares, vaſſalli, capellani, famuli, loca, bona, iura, & Eccleſiæ moleſtari poſſunt, ſubterfugit poteſtatem, & iuriſdictionem Conſeruatorum.

131 Hi autem omnibus remediis Iuris, pœnis, & Eccleſiaſticis cenſuris vti valent contra *Occupatores, ſeu detentores, præſumptores, moleſtatores, & iniuriatores huiuſmodi, necnon contradictores quoſlibet, & rebelles, cuiuſcumque Dignitatis, ſtatus, gradus, Ordinis, vel conditionis extiterint, quandocumque, & quotieſcumque expedierit, authoritate noſtra, per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, inuocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis.* Similia habentur in Bullis Conſeruatoriis aliorum Ordinum Militarium *ſuprà* relatis. Vnde conſpicuum eſt, nullam perſonam Eccleſiaſticam, aut ſæcularem, in quacumque Dignitate, Prælatura, aut munere conſtitutam à Conſeruatoribus Militiarum eximi poſſe, hoſque in omnes abſque vlla diſtinctione poſſe procedere.

132 Facultas autem eligendi, ac deſignandi Iudices Conſeruatores, aliundè habiles, & capaces conceditur, tum Ordini, tum Communitatibus, tum demùm perſonis. Hinc loquens Clemens VII. in Bulla Alcantarenſibus indulta cum Conſeruatoribus deſignandis, eis præcipit, vt à quolibet requiſiti ſuum munus obeant; *Facturi dicto Carolo, & pro tempore exiſtenti Adminiſtratori, ſeu Magiſtro, Prioribus, Præceptoribus, Militibus, Fratribus, perſonis, capellanis, familiaribus, ſeruitoribus, & vaſſallis prædictis, cum ab eis, vel procuratoribus ſuis, vel eorum aliquo fueritis requiſiti, &c.* Itaque, cum initio Bullæ Pontifex poteſtatem, & iuriſdictionem Conſeruatoriam reſpectu Ordinis Alcantarenſis commiſerit *Archiepiſcopis, & Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, & aliis perſonis in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis necnon Metropolitanarum, & aliarum, Eccleſiarum Canonicis, ac eorumdem Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum Officialibus, ſeu Vicariis, in ſpiritualibus, generalibus, vbilibet conſtitutis;* In inferioribus ſubjicit, quòd ſtatim, ac requirantur, exerceant iuriſdictionem Conſeruatoriam. Quare illi omnes, & illorum ſinguli à Pontifice deſignantur Conſeruatores *in potentia*; &, vt ſint Conſeruatores *actu*, nulla alia electio, ſeu deſignatio requiritur, niſi quòd ex illis quilibet, cum omnes ſint habiles, requiratur ab eis, vel ab eo, qui ad ſui defenſionem indiguerit Conſeruatoria iuriſdictione; eò quòd nequeat coram Iudicibus propriis Ordinis ſua iura tueri, & moleſtias, aut iniurias propulſare. Similia extant in Bullis Conſeruatoriis cæterarum Militiarum.

§. II.

Obſeruationes circa Iudices Conſeruatores Ordinum Militarium.

133 OBſerua primò, ex dictis liquidò inferri, à quibus poſſint in Ordinibus eligi Conſeruatores, ſeu potiùs determinari perſonæ ex habilibus ad id munus exercendum. Et in primis Rex noſter pluribus titulis Conſeruatores Ordinum deſignare poteſt; tum quia Magiſtri, Adminiſtratores, Rex Hiſpaniarum, & Succeſſores exprimuntur in Bullis Conſeruatoriis, ad eoſque præcipuè immediatè diriguntur; tum quia, præterquàm quod eſt Adminiſtrator, Caput, & Prælatus Supremus Militiarum, quæ intra Hiſpaniam fuerunt inſtitutæ, eſt Patronus, & Protector earum, cui incumbit eorum vtilitati, priuilegiis, & exemptionibus ſedulò proſpicere. De quo *diſq. 1.* Hinc de facto Iudices Conſer

Conſeruatores ſolet deſignare, & nunc temporis pro litibus Vicariorum Ordinis D. Iacobi Senatores, & Viros eruditiſſimos, & integerrimos, aliàs Eccleſiaſticos, & habiles deſignauit. Capitula etiam Generalia, Senatus Regius Ordinum, Monaſteria, & Collegia Militaria, ſeu eorum Superiores, Priores quilibet, Commendatarij, & cæteræ aliæ perſonæ in verbis Pontificis *ſuprà* relatis contentæ, poſſunt determinare perſonas, eaſque Bullis ipſis requirere, vt Conſeruatorum munus exerceant. At verò, vt obſeruaui, electio Conſeruatorum in pluribus euentibus non admittitur à Senatu Regio Caſtellæ, ne iuriſdictioni Regiæ præiudicetur; cum per viam violentiæ cauſa ad illum adducitur. Videnda ſunt, & ſupponenda dicta *ſuperius*, iuxta quæ ſunt intelligenda, quæ *in hac quæſtione* proferimus.

134 Obſerua ſecundò, in verbis Pontificiis adductis *ſuprà* contineri, quinam ſint habiles, vt Conſeruatoriam iuriſdictionem exerceant. Attamen, cum in nullis literis Conſeruatoriis plures exprimantur perſonæ, quàm in illis, & adhuc ſub opinionibus ſit, an ſub eis alij non expreſſi includantur implicitè, vel per æquiparationem, vt libauimus *n.*83. fit, quòd opiniones tutæ, & probabiles circa Conſeruatores in communi, pariter aptentur Conſeruatoribus Militiarum. Hinc poterunt eſſe Conſeruatores illarum Canonici Eccleſiarum Collegialium iuxta dicta *ſuprà*. Et id firmatur, quia in literis Conſeruatoriis, de quibus *ſuprà* aſſeritur: *Necnon Metropolitanarum, & aliarum Eccleſiarum Canonicis*; vbi vox *aliarum* non debet reſtringi ad Cathedrales, cum in ſenſu proprio, & rigoroſo etiam includat Collegiales Eccleſias; imò & ſi exprimerentur Cathedrales, per æquiparationem poſſet ampliari, & extendi (cum non ſit odium, ſed fauor) ad Collegiales, vt ampliatur ab Authoribus *ſuprà* relatis; cum autem non exprimantur, multò vrgentior eſt ratio, vt etiam Eccleſiæ Collegiales comprehenſæ iudicentur. Id etiam mihi ſuadeo, nam Bullæ Conſeruatoriæ Ordinum Militarium ampliores ſunt, quàm aliquæ aliæ literæ Conſeruatoriæ, vnde plures etiam perſonas expreſsè Pontifices reddunt habiles ad munus Conſeruatorium; Hoc cernitur adhuc, nam, vt attigimus *ſuperiùs*, etiam eſt controuerſia de Vicariis Generalibus Epiſcoporum, an poſſint eſſe Conſeruatores; & tamen ea controuerſia locum non habet reſpectu Ordinum Militarium cum exprimantur in ipſis literis Conſeruatoriis, *vbi ſuprà*.

Præterea iuxta aſſerta *ſuperius* poterunt Superiores locales Monaſteriorum eſſe Conſeruatores Ordinum Militarium, & à fortiori Prælati mediati, qui ſunt ipſorum Superiores. Vndè obiter obſeruaueris, Priores, & Rectores Monaſteriorum, & Collegiorum Militarium poſſe eſſe Iudices Conſeruatores reſpectu eorum, qui in eorum territorio, aut poteſtate ſpirituali, vel temporali non degunt; nempè Prior, aut Rector Iacobæus poteſt eligi in Conſeruatorem alterius Ordinis Militaris, vel Religionis, & ſic ad inuicem; Etenim Superiores locales Regularium ſunt. Quin & aliqui Priores, ſcilicèt de Veles, S. Marci, Alcantaræ, de Magacela, de Rollan, & ſimiles in Dignitate Eccleſiaſtica ſunt conſtituti. Quare in praxi ita obſeruatur, & nunc temporis, cum hæc elaboro, Fr. Don Martinus de Aponte, & Zuñiga, Vir, præter ſanguinis ſtemmata, literis, & prudentia conſpicuus, & in rebus Ordinum Militarium apprimè verſatus, Rector Collegij Alcantarenſis Salmantini, munus Conſeruatoris reſpectu duorum Ordinum exercet. Et, quamvis iuxta dicta *num.* 83. plures ſint Conſtitutiones Pontificiæ, quæ prohibent, Regulares eſſe Conſeruatores, & in Iure ſunt præfixi hi, qui id munus gerere poſſunt, cum aliorum excluſione, & præfati Regulares ibi non præfiguntur, attamen pro eis ſtant Authores *ibi* relati, & in Indiis, ac in Hiſpania munus Conſeruatorum gerunt. Et opinio ea vim accipit ex eo, quod docet Emanuël Rodriguez *tom.* 1. *qq. regular. quæſt.*65. *art.* 3. Superiores locales Regulares poſſe eſſe Conſeruatores, quia ſunt in Dignitate Eccleſiaſtica conſtituti; quod eſt requiſitum præfixum in Iure. Demùm per Bullas, & priuilegia conceſſa Ordinibus Mendicantibus, quæ ipſi omnes, & Militares participant, poſſe Superiores Regulares eligi in Conſeruatores, docet, pluribus allatis, nouiſſimè Fr. Ioannes de S. Sacramento, *de officio, & poteſt. Prioris Clauſtralis, parte* 3. *num.* 310.

Ex prælibatis etiam infertur, Iudices 136
Conſeruatores non fore eligendos ex his, qui in territorio ſpirituali, aut temporali verſantur; excepto territorio Regum reſpectu ipſorum; nam, ſi Rex, vt Adminiſtrator Ordinis, velit eligere Conſeruatorem ſuæ iuriſdictionis, aut bonorum menſæ Magiſtralis, vel ſimilium, quem eligat, qui in eius territorio non degat? At,

ſi Capitulum Generale v. g. Ordinis D. Iacobi velit deſignare Conſeruatorem ſuæ iuriſdictionis, nequit deſignare Priorem de Vcles, aut S. Marci, & ſic de cæteris. Attamen introſpiciendum eſt, ad quid deſignetur Conſeruator; Nam Commendatarius v. g. Ordinis Alcantarenſis poteſt Conſeruatorem eligere, vel vt decimas ſibi debitas defendat, vel in ſententia tuente, Equites eſſe ſtrictè Religioſos, vt iniuriam perſonalem iuridicè vendicet. Si ad primum ſit deſignandus Conſeruator, cenſeo, non poſſe deſignare Priorem, aut Rectorem Alcantarenſem, nam tunc defenditur ius, & iuriſdictio Ordinis, (eſtò Commendarius pro tunc eis iuribus gaudeat) ſub Ordine autem ſunt, & ei omnino ſubiecti Rector, & quilibet Prior; id autem in Conſeruatoribus non permittitur, & meritò, quia nemo debet, nec poteſt eſſe Iudex in cauſa propria contra alium alienum, & quaſi extremum; cauſas autem Ordinis, vt ſuas, & proprias, habet quilibet ex Ordine, vnde ſuſpectus indicaretur. Ad ſecundum verò euentum, arbitror, poſſe deſignari eum Priorem, aut Rectorem in Conſeruatores; nam ea non eſt cauſa Ordinis, vt Ordo eſt, ſed perſonalis cuiuſdam ex Ordine, nec militat ratio *nuper* adducta, nec ille Prior, aut Rector verſatur in territorio ſpirituali, vel temporali eiuſmodi Commendatarij.

137 Obſerua tertiò, ad eligendos communiter Iudices Conſeruatores, opus eſſe manifeſtis iniuriis, & violentiis, & licèt id requiſitum ſubintelligendum eſſe videatur in literis Conſeruatoriis Ordinum Militarium; at Conſeruatores Ordinum eiuſmodi, ac perſonarum, aliquis contendat, poſſe eligi, quamvis violentiæ, aut iniuriæ non ſint manifeſtæ; Hinc ait Pius V. in Bulla *ſuprà* relata, Conſeruatores debere procedere *Contra inferentes iniurias, ſeu grauamina, vel damna ſuper bonis, iuribus, priuilegiis, & indultis, &c.* Et Innocentius VIII. erga Calatrauenſes, iubet Conſeruatoribus, ne permittant, eos, aut eorum famulos ſuper ſuis bonis, & iuribus *indebitè moleſtari, vel eis grauamina, ſeu damna, vel iniurias irrogari*; Et notanda eſt ratio motiua concedendi iuriſdictionem Conſeruatoriam, quam ibi Clemens affert, nempè moleſtantibus iura, & priuilegia Ordinis reſiſtere, & Ordini *remedio ſubuenire, per quod ipſorum compeſcatur temeritas, & aliis aditus committendi ſimilia præcludatur.* Eadem prorſùs verba repetuntur in Bulla Clementis VII. erga Alcantarenſes.

Itaque iuxta Ius commune *in cap. 1. &* 138
cap. fin. de officio delegati, lib. 6. exemptis ſolitum eſt, deſiguari Conſeruatores ad defendendos eos contra manifeſtas iniurias. At Pontifices Ordinibus Militaribus eos concedunt ſimpliciter, & abſque addito, ad quaſvis iniurias, & moleſtias, imò ad quaſcumque cauſas contra Archiepiſcopos, Epiſcopos, & ſimiles, de quibus nequeunt cognoſcere Senatus Ordinum, nec alij ipſorum Ordinum proprij Iudices. Hincque non eſſe neceſſum, vt iniuriæ ſint manifeſtæ, poteſt aliquis conari. Quantum autem ſe exendat ea dictio *Pro quibuſcumque cauſis* contenta in literis Conſeruatoriis, videatur apud Barboſam *in dictionar. tract. dict.* 317. *num.* 3. eſt enim vniuerſalis, comprehendens omnia, & caſus etiam improprios, ac omnem litem, & quæſtionem. Hinc probat Ocampo *vbi ſuprà litera K.* à Pontificibus fuiſſe conceſſos Militiis non meros Conſeruatores (prout in Iure ſumuntur) ſed Iudices ſuarum cauſarum Pontifici immediatos. Quod *lit. S.* etiam probat, quia meri Conſeruatores, iuxta Ius commune, nequeunt ſe ingerere in his, quæ requirunt iudicialem indaginem, nec poſſunt defendere, niſi Reos; At Conſeruatores Ordinum poſſunt iuridicè procedere, & ſententias definitiuas pronuntiare, vt in literis Conſeruatoriis continetur; Et deindè etiam poſſunt ſuum munus exercere, cum defendendi ab illis ſunt Actores, & trahunt Reos ad ipſorum Tribunal, vt expreſsè *ibidem* aſſeritur.

Obſerua quartò conſequenter ad *nuper* 139
dicta, Ordinibus Militaribus, vtpotè à ſui prima fundatione, & inſtitutione exemptis, competiuiſſe poteſtatem eligendi Conſeruatores ex Iure communi, adhuc antequam Bullæ *ſuperiùs* relatæ fuiſſent in ipſorum fauorem expeditæ. Quare de facto, priſcis illis temporibus, Iudices Conſeruatores erga Ordinem de Alcantara extitiſſe, mihi conſtitit ex variis Inſtrumentis antiquiſſimis, quorum tranſcripta fideliter extracta vidi, ac perlegi.

Obſerua quintò, Pium V. in Bulla, de qua 140
ſuprà, præmittere ante conceſſionem ampliſſimæ iuriſdictionis Conſeruatoriæ; *Saluis tamen decretis Concilij Tridentini de Conſeruatoribus, & exemptis loquentibus*; Verùm in primis limitationes in Tridentino appoſitæ Conſeruatoribus, vt *ſuprà* præmiſſi, non apponuntur ab eo reſpectu Conſeruatorum Ordinum, & Monaſteriorum.

Deindè

Deindè Ocampo *vbi ſuprà*, *litera Q*, contendit, eam clauſulam appoſitam fuiſſe ex ſtylo Notariorum Curiæ Romanæ, & non eſſe limitatiuam conceſſionis. Etenim immediatè poſt illam concedit Pontifex ampliſſimam, & omnimodam iuriſdictionem Conſeruatoribus Ordinis Iacobæi, & Commendatariorum, Equitum, Fratrum, vaſſallorum, & aliarum eiuſmodi perſonarum; Quæ conceſſio locum non haberet, ſi per eam clauſulam limitaretur. Omnino autem abſurdum eſt, exiſtimare, in vna, eademque Bulla Pontificem conceſſiſſe indultum, & ei ipſi impedimentum appoſuiſſe, ne ad effectum poſſet perduci; & inſuper geminaſſe clauſulas fauorabiles, & ingens, priuilegium ſignificantes, ac has nihil operari; cum in priuilegiis exemptionum nec vna ſyllaba vacare debeat, & quælibet minima dictio ſuum debeat effectum operari, iuxta *cap. ſi Papa, verſu, cum enim, de priuileg. lib. 6.* Videatur Riccius *in praxi tom. 1. part. 2. reſol. 169.*

141 Nec priuilegiis ampliſſimis Conſeruatoriis Militiarum quidquam detrahunt Conſtitutio Clementis VIII. expedita annò 1592. quæ incipit *Sanctiſſimus*, nec alia Gregorij XV. quæ eadem voce, *Sanctiſſimus* incipit, data anno 1621. quas affert Barboſa *de poteſt. Epiſc. 3. part. allegat.* 106. *ex num.* 54. Quippe in eis continentur derogationes generales, per quas exemptionibus non cenſetur derogatum, cum obſtet regula de Iure quæſito, vt tradunt Tamburinus *de Iure Abbat. diſp.* 17. *quæſt.* 4. Idem Barboſa *ibidem*, *allegat.* 123. *n.*40. Seraphinus *deciſ.* 182. *num.* 4. Loterus *de re Beneficiar. lib.* 1. *quæſt.* 24. *num.* 157. & ei regulæ per huiuſmodi Conſtitutiones non derogatur; maximè cum Pius V. in Bulla Conſeruatoria afferat, indultum à ſe, & à Prædeceſſoribus præſtitum nullis aliis priuilegiorum conceſſionibus, reuocationibus, ſuſpenſionibus, modificationibus, derogationibus, aliiſque contrariis diſpoſitionibus, etiam motu proprio, ex certa ſcientia, de plenitudine poteſtatis, conſiſtorialiter, ad inſtantiam Imperatorum, & Regum, ſeu eorum contemplatione, ex quibuſvis quamcumque vrgentiſſimis cauſis, & iuſtiſſimis quomodolibet, & ſub quibuſcumque clauſulis, formis, tenoribus, etiam vim contractus, legis, aut ſtatuti perpetui retinentibus, editis, ac edendis, *Aliquatenùs comprehendi, neque illis vllo vnquam tempore, etiam per Sedem præfatam, derogari poſſe, nec derogatum cenſeri, niſi de toto tenore, & datis præſentium expreſſa mentio habita, & derogatio ſuſpenſio, limitatio, reuocatio, aliaque præfata de Militia huiuſmodi Adminiſtratoris expreſſo conſenſu* (qui conſenſus, nec expreſſus, nec tacitus interfuit, quin ipſe Adminiſtrator vſus eſt poteſtate ſibi conceſſa à Pio V. adhuc poſt illas Conſtitutiones) *factæ fuerint; Et, ſi aliter derogari, reuocari, ſuſpendi, & limitari contigerit, derogationem, reuocationem, ſuſpenſionem, & limitationes præfatas nullius eſſe roboris, vel momenti, & quoties ille emanabunt, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtituta, & de nouo etiam ſub quacumque data per ipſum Adminiſtratorem eligenda conceſſa eſſe, & cenſeri, ac vim validi, & ſtipulati contractus inter Sedem, & Militias præfatas habere, &c.* Quid firmius, clarius, & fauorabilius?

Ex his vltimis verbis ampliùs ſtabilitur id ipſum, quod Nos *diſq.* 1. & non ſemel in hoc Opere premimus, & *nuper* libauimus, hoc priuilegium Conſeruatorium, & alia conceſſa Ordinibus Militaribus habet vim *validi, & ſtipulati contractus*, ſeu quaſi contractus oneroſi, ac remuneratorij; Priuilegia autem conceſſa ob benemerita, ac obſequia, & beneficia in Eccleſiam collata, communiter abſque ingenti cauſa, & ſeruatis aliquibus conditionibus, reuocari nequeunt, vt docent Tiraquellus *in leg. ſi vnquam, num.* 24. *Cod. de reuocand. donat.* Menochius *cauſæ Ferrarienſ. reſponſ.* 2. *art.* 1. Fragoſus, Oldradus, Azeuedo, Afflictis, & alij relati ab Ocampo *vbi ſuprà litera B.* & à Me *dicta diſq.* 1. & probari poteſt *ex cap. cæterum, de reſcriptis; cap. ex parte, de priuilegiis, cap.* 2. *de dolo, & contumacia.* Videatur Federicus de Senis *conſ.* 233. 142

Ex dictis deducitur, Ordines Militares poſſe Iudices Conſeruatores deſignare omnes eos, quos retulimus ad quamlibet cauſam, ſiuè poſſeſſionis, ſiuè proprietatis, circa Eccleſiarum viſitationem, iuriſdictionem, decimas, & quæcumque alia pertinentia ad menſam Magiſtralem, Adminiſtratorem, Conuentus, Collegia, Prioratus, Commendas, Beneficia, Vicarias, Capellanias, & perſonas Eccleſiaſticas Ordinis; & non poſſe Nuntium Pontificis, nec vllum Archiepiſcopum, vel Epiſcopum compellere, aut trahere ad ſuum Tribunal quempiam ex illis propter vllam cauſam, litem, querelam, aut contentionem; Et à Conſeruatoribus fore ſententias definitiuas pronuntiandas, à quibus ad ſolùm Romanum Pontificem immediatè, & non ad Nuntium Apoſtolicum, poteſt appellari; & hæc priuilegia eſſe ampliſſima, & neutiquam reſtrin- 143

reſtringenda, nec reuocata vllatenùs eſſe, nec reuocanda. Hæc eſt ſumma totius rei, ſatis ex ſolidis fundamentis Bullarum ſtabilitæ, quæ ſunt obſeruandæ, vt votis animo, & deſiderio Pontificum indulgeatur, eorumque ſtrictis mandatis obtemperetur. Hæc in communi, & ex vi Bullarum ſunt certa. In ſpeciali autem, quid tenendum ſit in litibus exortis cum Ordinariis, pendet ex ſpeciali iure, quod eſt expendendum; & introſpicienda conſuetudo, poſſeſſio, & alia eiuſmodi. Cæterùm competentiæ in Ordinibus Militaribus eodem modo ſunt ſequendæ, ac cum Iudicibus Eccleſiaſticis; Eligitur Conſeruator, & ipſe ſe Iudicem declarat, cauſaſque ventilatur apud ipſum; Ita docent Carleual *de iudic. lib.* 1. *tit.* 1. *quæſt.* 6. *diſp.* 2. Zeballos *de las fuerzas*, 2. *part. quæſt.* 149. Morote *in patrocinio Ordinis de Alcantara*, *fol.* 27. & Thomas del Bene apud ipſum *n.* 117.

144 Circa Conſeruatores plurimæ, ac variæ ſolent quæſtiones ventilari, ſed non ſunt ſpecialis noſtri inſtituti, verùm communes omnibus Conſeruatoribus, quæ longos ſibi vendicant tractatus, à quibus in præſenti ſuperſedendum eſt. Videantur Moneta *de Conſeruatoribus*; Emanuel Rodriguez *tom.* 1. *qq. Regul. q.* 65. *per viginti articulos.* Omnes Summiſtæ *verbo, Conſeruatores*, Barboſa, Machado, Riccius, & alij in locis *in hac q.* relatis; Carleual, Zeballos, Thomas del Bene allati à Gineſio Morote *in Patrocinio Ordinis de Alcantara*, *n.* 117. & Ego latè egi de Conſeruatoribus *tom. de Iure Academico lib.* 1. *ex n.* 516. *& num.* 557. *&* 684. *& lib.* 3. *n.* 9. Vbi plures retuli Authores. Tractatum de eis exornauit P. Ioſephus Aldrete in libello, cui titulus *Dicæologia.*

DISQVISITIO III.

De ingreſſu Nouitiatu, & Profeſſione in Ordinibus Militaribus.

QVÆSTIO I.

Quis admittat ad Ordines Militares? Et de Informationibus ante ingreſſum peragendis.

1 GRATIA admiſſionis Equitum ad quemvis ex Ordinibus Militaribus in Hiſpania inſtitutis ſit à Rege noſtro, vt Adminiſtratore perpetuo eorum, ſicut olim fiebat à Magiſtris. Poſt gratiam præſtitam, Præſes Senatus Regij Ordinum deſignat Equitem, & Fratrem Clericum, (vel duos Equites in Regnis longinquis, vbi Fratres Clerici non adſunt) qui informationes de qualitatibus, & requiſitis peragant; quæ deindè à Senatu ipſo leguntur, ac examinantur, & poſt earum approbationem, ſolutis his, quæ ab admittendis ad Ordines debentur, Rex noſter committit perſonis determinatis, vt Habitum concedant; vel is in Monaſteriis ipſorum Ordinum, iuxta Definitiones, & Statuta præſtatur; de quo agemus *infrà q.* 6. Vbi etiam de admiſſione Fratrum Clericorum, quorum admiſſio iuxta Definitiones, & Statuta eſt ſpecialis.

Ad Ordinem S. Ioannis gratia admiſſionis pertinet ad Magnum Magiſtrum, vel de eius commiſſione ad Aſſembleam. Quin Summos Pontifices ſolere admittere aliquos, ſupponitur in ipſius Ordinis Statutis anni 1574. *tit.* 2. *n.* 44. ibi; *Quicumque authoritate Summorum Pontificum Ordinem noſtrum profeſſi fuerint, intelligant ſe legibus noſtris eſſe adſtrictos.* Præterea, cum in aliqua Eccleſia Commendæ Ordinis deficit Parochus, aut Capellanus, (qui ſolet vocari Prior) Commendatarius, ad quem Eccleſia pertinet, poteſt recipere Clericum Sacerdotem, qui Eccleſiæ inſeruiat, præſentans illum Capitulo Prouinciali, ſeu Aſſembleæ, ex cuius commiſſione examinatur, & poſtmodum informationes requiſitæ fiunt, quibus approbatis, ex eadem commiſſione ad Ordinem admittitur. Ita extat *vbi ſuprà n.* 25. *&* 26. Hi autem Clerici Fratres deſignati à Commendatariis non degunt in Monaſterio, tempore nouitiatus; ſed ab ipſo Capitulo Prouinciali, vel Aſſemblea, deputatur illis pro Nouitiatu obſequium Eccleſiæ, cuius ſeruitio deſtinantur; atque adeò ibi exercentes munus ſuum tranſigunt annum nouitiatus, & eo tranſacto, Profeſſionem emittunt coram Religioſo Ordinis ab ipſa Aſſemblea deputato. Quod ita eſſe in praxi, mihi conſtat. 2

Præter Equites, & Fratres Clericos in Ordine S. Ioannis ſunt Confratres, ſeu Donati, qui pro ſigno afferunt in veſtis parte ſiniſtra tria tantum brachia Crucis, dempta parte ſuperiori; Hi vota Religionis non emittunt, ſed tantum ſpondent amorem erga omnes Regulares ipſius Ordinis, eoſque ac eorum bona defendere, & quæque nociua manifeſtare. Sed nec iſti poſſunt ad Ordinem admitti abſque licentia, ſeu commiſſione Magiſtri. Ita in Statutis *tit.* 2. *n.* 30. 31. *&* 32. Præterea *ibidem tit. n.* 11. ſtabilitur, nullum admitti in 3

in Ordinem, ſiuè Militem, ſiuè Fratrem Clericum, qui non attigerit decimum octauum ætatis annum; (in quo non difficilè diſpenſari video) Magiſter tamen poteſt ad ſuum domeſticum obſequium admittere in Ordinem ſex pueros quatuordecim annos natos. De Monialibus tam huius, quàm aliorum Ordinum Militarium, quoad admiſſionem, informationes, Profeſſionem, & cætera ad ipſas ſpectantia, agemus *diſq.* 14.

4 Ad Ordines Militares nullus admitti valet, qui ex vtroque parente ſanguinis puritate non vigeat. Et Sixtus IV. in Bulla, quæ incipit, *Ad tutamen*, expedita anno 1483. quæ affertur in Bullario Alcantaræ, *pag.* 50. prohibet ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, aliquem in Ordinem Alcantarenſem admitti, qui ſanguine infecto laboret, eo quòd ad finem Ordinis, nempè ad impugnandum Infideles, & orthodoxam Fidem tutandam non ſint adeò idonei, qui ſanguine inquinato fœdantur; Quo motiuo præfixo, ait Pontifex; *Nos igitur, qui Militiam ipſam, eiuſque honorem, & incrementum noſtris gerimus viſceribus charitatis, ac continuè agitamus, qualiter Fides Catholica vigere, & augeri poßit, quod eiuſdem Militiæ, & illius perſonarum, auxilio, & induſtria fieri poſſe confidimus, &c. Motu proprio, non ad alicuius ſuper hoc nobis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex noſtra mera deliberatione, & ex certa ſcientia, tenore præſentium ſtatuimus, & ordinamus, quòd deinceps nullus in Fratrem, vel Militem dictæ Militiæ aſſumatur, niſi de antiquo Chriſtianorum genere ex vtroque parente fuerit procreatus. Diſtrictiùs inhibentes Magiſtro, ſeu Adminiſtratori pro tempore exiſtenti dictæ Militiæ, ac illius Fratribus, ſub excommunicationis pæna, quam, ſi ſecùs fecerint, eorum quemlibet ipſo facto incurriſſe, harum ſerie decernimus, ne aliquem contra tenorem ſtatuti, & ordinationis huiuſmodi in Fratrem, vel Militem dictæ Militiæ recipere quoquo modo præſumant; Ac decernentes, quaſcumque receptiones, quas contra tenorem ipſum fieri contigerit, & quæcumque pro tempore inde ſecuta, irrita, & inania, nulliuſque fore roboris, & momenti.* Hæc excommunicatio eſt latæ ſententiæ, vt ex ipſius verbis manifeſtè conſtat. Verùm circa illam aliqua dubitari queunt.

5 Primò, quas perſonas comprehendat? Reſpondeo, comprehendere eos, qui ad admiſſionem alicuius infecti ſanguinis cooperantur ex munere; ſcilicèt Senatores Ordinum, quibus examen informationum Rex noſter committit, &, cum eas approbant, effectiuè, & principaliter in admiſſionem cooperantur. Deindè ipſum Regem, vt Adminiſtratorem, ſi monitus de informationibus, & de ſanguinis defectu, iuberet, nihilominùs, aliquem ad Ordinem admitti (quod neutiquam vnquam contigit, nec continget) vel ſi gratiam Habitus præſtaret ei, quem prænoſceret ſanguine infectum. Demùm Priorem Monaſterij de Alcantara, & eos, qui cum ipſo Fratribus gratiam admiſſionis conferunt, ſi ipſis adhuc ante Informationes (quæ peractæ ad Senatum Regium Ordinum mittuntur) conſtaret, illos ſanguinis nota laborare. Quin & ſuſcipientes Informationes, ſi notam ſanguinis a teſtibus acceptam occultarent, in hac excommunicationem incidere, arbitror, quia eis à Rege & Senatu Regio Ordinum fiditur, vt hanc qualitatem explorent, atque adeò ſunt cauſæ principales admiſſionis. Verùm, ſi aliud requiſitum occultarent, in eam cenſurã non inciderent, quia illa ſolùm eſt circa ſanguinis puritatem, nec poteſt ampliari.

Secundò dubitari poteſt, an hæc cenſura 6
Sixti IV. ad alios Ordines Militares extendatur? Ratio dubitandi eſt, quia in fauorem Ordinis fuit præuxa, indeque videtur eſſe priuilegium, & conſequenter fore ab illis Ordinibus communicandum. Nihilominùs cenſeo, non communicari. Quippè ipſorum Ordinum eſt proprium Statutum, quòd admittendi ad illos puritatem ſanguinis foueant; hæc autem cenſura dirigitur ad firmitatem eius Statuti, quare ſecundùm ſe non eſt iudicandum ſpeciale priuilegium, ſed ſpecialis pœna inducta ad firmiorem Statuti obſeruantiam. Attamen motiuum Pontificis æquè omnes Ordines Militares reſpicit in ordine ad puritatem ſanguinis.

Tertiò dubitari valet, quomodo intelli- 7
gatur ea irritatio, & inualiditas eorum, quæ ſecùs fuerint peracta, à Pontifice præfixa? Reſpondeo in primis, ſi conſtaret Ordini poſt admiſſionem, imò poſt Profeſſionem expreſſam, aliquem eſſe infecti ſanguinis, poſſe, & debere iuxta Statuta, Habitum ab ipſo tollere; indeque interrogantur in admiſſione omnes, an hoc pacto velint Habitum ſuſcipere, ipſique reſpondent, velle. Sic extat in Statutis D. Iacobi *tit.* 4. *pag.* 86. In Definitionibus Calatrauæ *tit.* 6. *cap.* 13. *pag.* 217. In Definitionibus Alcantaræ *tit.* 13. *c.* 9. *pag.* 144. In Ordine D. Ioannis intra quinquennium poteſt circa ſtatutum quæſtio contra Regularem moueri, & is, qui mouet, ſi non probauerit, talionis pœnam ſubit, & poſt quinquennium nulli poteſt ſuper ſtatu, & gradu quæſtio moueri. Quòd ſi quis receptus contra ſtatutorũ formã reperiatur, ſi ſit Miles, redigitur

in Fratrem ſeruientem armorum; Si Capellanus, in Fratrem obedientiæ; Si Frater ſeruiens armorum, in Fratrem officij; & redduntur inhabiles ad Commendas, & bona Ordinis. Ita in Statutis Ordinis *tit.2. n.18. & 19.* Reſpondeo deindè, ipſum, qui aduiſſus fuit ad Ordinem, ſi maculæ ſui ſanguinis ſit conſcius, non tamen denuntietur, minimè teneri ad dimittendum Habitum; nemo enim tenetur ſe ipſum prudere, accuſare, & ignominiæ ſuæ, ac ruinæ ſui honoris cauſa eſſe; maximè cum non ſequatur inde pernicies Reipublicæ, Ordinis, aut Communitatis, ſiquidem ea macula ſanguinis nec publicè conſtat, nec in aliorum detrimentum graue redundat, omnibus rectè inſpectis. Quin nec Pontifex excommunicationem præfatam voluit extendere ad ipſos admittendos in Ordinem, quaſi præcanens, durum eſſe, nec obligatorium, quemquam ſe ipſum dehonorare, niſi in aliquo raro euentu, qualis in præſenti nun adeſt. Quæ doctrina ex principiis communibus moralibus apertè infertur.

8 Iam igitur, vt ad Informationes omnium Ordinum accedamus, ſi ſermo ſit de Militibus, ſeu Equitibus, debet probari per teſtes, eos ex vtroque parente, & quatuor auis eſſe omnino puro ſanguine procreatus, nec ab aliquo ex Iudæis, Saracenis, Conuerſis, aut quoquo modo à S.Fidei Tribunalibus punitis; Et præterea eos eſſe nobiles, non quidem ex priuilegio, ſed ſanguine aui, & auiæ paternæ, ac maternæ, ita vt ex quatuor, vt dicunt, lateribus, ſint ſanguine nobiles; Hiſpanè *hyos dalgo de ſangre de quatro coſtados* & quamvis in Ordine D. Iacobi permitteretur olim, vt auia materna, dum puritate ſanguinis eſſet prædita, non eſſet nobilis, id reformatum eſt in Capitulo Generali anni 1653. & redactum ad terminos, & requiſita aliorum Ordinum, indeque id expreſſum in interrogatorio ad Informationes, quod extat in Statutis noniſſimis *tit.2. c.1. n.5. pag.60.* Potuit autem Capitulum innouare id circa Informationes, ita vt ſtatim vim legis in Ordine retineret, cum Capitulo, iuxta dicenda *inferiùs* ſit poteſtas condendi de nouo ſtatuta, ac leges, aut eas immutandi, dummodò non opponantur Sacris Canonibus, & Decretis Pontificiis; ac ſemel conditæ illicò authoritate Pontificia roboratæ eſſe cenſentur. Id autem ſtatutum non eſt oppoſitum Sacris Canonibus, nec Bullis Pontificum, nec demùm Regulæ ipſius Ordinis Iacobæi; ſed eſt quid ſuper additum ad Statuta primæua. In Interrogatorio Ordinis de Alcantara, vt conſtat ex Definitionibus *tit.13. c.6. n.5.* nullus gradus etiam remotus, qui non ſit nobilis admittitur; at, ſi nobilis extra quartam generationem fuerit à Tribunali S.Fidei punitus, non officit deſcendentium admiſſioni; Sic enim interrogatur; *Que no les toca raza, ni mezcla de Iudio, Moro, ni conuerſo, ni herege, ni villano en ningun grado, por remoto que ſea, ni de penitenciado por el S.Officio por coſas de Fe, haſta la quarta generacion.* Idem quæritur de admittendis ad Ordinem D.Iacobi, vt conſtat ex *tit.2. c.1. n.10.* quoad punitionem à Tribunalibus Fidei inflictam.

Requiritur etiam, vt conſtat ex interrogatoriis trium Ordinum, vt admittendi ſint ex legitimo matrimonio procreati; vt nullam infamiam ex delicto contraxerint; vt nec ipſe, nec patres, aut aui (in Ordine Alcantaræ de ipſo, & de patribus interrogatio fit, vt conſtat ex *loco relat. n.6.*) mercimoniam exercuerint nec aliud ſimile officium, & multò minùs vile aliquod, aut mechanicum; nec lucris, aut cambiis fuerint addicti; vt corporis ſanitate ſint præditi, ad hoc vt militiæ valeant inſeruire; & in Ordinibus Calatrauæ, & Alcantaræ additur, & interrogatur, an alicuius Optimatis fuerint œconomi, aut miniſtri hi, qui admittendi ſunt, vnde rationem facultatum reddere teneantur. Alia ſimilia in prædictis Interrogatoriis inquiruntur. 9

Iu Ordine D.Ioannis nobilitas etiam auita requiritur; nec admitti poſſunt illegitimi, *præter Comitum, aut maioris gradus, & tituli Dominorum filios, dummodò ſint ex ingenua matre nati*; Ita aſſeritur in Statutis *tit.8. n.5. & 6.* & additur *n.38.* hos debere eſſe progenitos *patre, auo, & proauo paterno ſecularibus, iiſque illuſtri genere natis.* Inſuper qui matrimonium contraxerint, & conſummauerint, nequeunt admitti; Ita, *ibidem num.9.* vnde, cum exceptio firmet regulam in contrarium, poterit admitti quis poſt matrimonium ratum, & non conſummatum; dummodò aliundè non ſit impeditus. Nec admitti valet, qui homicidium patrauerit, vt extat *ibi n.10.* Aliæque conditiones, & qualitates admittendorum *toto eo titulo 2.* continentur. 10

Vt verò quis admittatur in Fratrem Clericum in Ordine Diui Iacobi præcedunt informationes de puritate ſanguinis in quatuor auis requiſita; de legitimitate, & de officiis, ita vt nec admittendus, nec patres, aut aui fuerint inſtitores, nec cambia exercuerint, per ſe, aut per alios, nec alij vili, vel mechanico officio operam dederint; Prætereà inquiritur, an aui vſque 11

ad quartam generationem incluſiuè fuerint à Tribunali S. Inquiſitionis puniti; & an admittendus aliam Religionem priùs fuerit ingreſſus? Ita in Statutis *tit. 3. c. 2.*

12 Eadem inquiruntur de Fratribus Clericis admittendis ad Ordinem Calatrauæ; Additur autem, debere eſſe nobiles ſanguine, ſicut Equites ex linea paterna, quæ tamen nobilitas ſuppletur, ſi admittendus receperit iam Gradum Bacchalaureatus in Facultate Canonum, Theologiæ, aut Artium in Academia aliqua ex approbatis, & ſunt deſignatæ Academiæ in Capitulo Generali anni 1653. Præterea non limitatur, quòd vſque ad quartum gradum incluſiuè non ſit punitus à Tribunali S. Fidei quiſquam ex aſcendentibus, vnde etiam in remoto gradu eam qualitatem inquiri, aliquis contendat. Verùm ſi in Equitibus non requiritur ea qualitas, nec in Clericis Fratribus requiri, videtur rationi conformius; idque forſan eſt omiſſum, quia ſupponebatur. Demùm, ſi pater admittendi benemeritus eſſet ita, vt officium aliquod ab auo exercitum, par eſſet, diſſimulari, id permittitur. Ita in Definitionibus *tit. 6. c. 8. pag. 210.*

13 Ad Fratrum Clericorum admiſſionem in Ordinem Alcantaræ requiritur legitimitas, puritas ſanguinis; & quòd aſcendentes vſque ad quartam generationem incluſiuè non fuerint à S. Fidei Tribunali puniti; Quòd ſint nobiles ſanguine ex linea paterna, ſicut Equites; quæ nobilitas ſupplebatur, ſi Gradum Licentiatus in Theologia, aut Iure Canonico ſuſcepiſſent in Academia approbata. Olim non admittebatur hoc ſupplementum; Appoſitum autem fuit in Capitulo Generali anno 1600. & iam fuit ablatum in Capitulo generali anni 1653. & res redacta ad primam, & antiquam conſuetudinem. Nec illis quinquaginta tribus annis quiſquam Habitum Clerici Fratris, qui non eſſet ex linea paterna nobilis, accepit. Decem & octo anni requiruntur in admittendo; ſufficit autem, eſſe inceptos, cum ſit fauor admiſſio, indeque ampliandus; hæc autem Definitio de ætate non eſt in praxi. In Capitulo autem anni 1653. additum eſt Statutum, quòd vſque ad quatuor auos incluſiuè nullus aſcendens exercuerit vile officium; quod requiſitum ſimul cum indiſpenſabili paterna nobilitate in nulla alia Communitate Hiſpaniæ reperitur, niſi in Monaſterio Alcantaræ. Aliæ ſimiles qualitates exiguntur, quæ extant in Definitionibus *tit. 4. c. 1. & c. 3.* His autem, qui admittuntur in præfatos Ordines, ſuggeritur, fore ex illis expellendos, ſi puritatis ſanguinis defectus, aut ſupplicium inflictum à S. Inquiſitionis Tribunali exploretur, etiam poſtquam Profeſſionem emiſerint, vt conſtat ex locis relatis. Aduerte ſi legitimitas deſit, opus eſſe diſpenſatione Pontificis ad admiſſionem; eaque fuit impetrata, vt filius naturalis Comitis de Peñaflorida admitteretur in Fratrem Clericum Alcantarenſem.

Qui admittuntur in Fratres Capellanos, 14
aut Fratres ſeruientes armorum in Ordine D. Ioannis, puritate omnimoda ſanguinis debent eſſe præditi, honeſtis parentibus nati, in liberalibus verſati officiis; Requiritur etiam, quòd nec ipſi, nec patres, aut matres exercitio vili, aut ſordido, & mechanico officio miniſtrauerint. Quod parentum requiſitum ſuppletur, ſi admittendus ſit Doctor, Licentiatus, aut Bacchalaureus in Theologia, Iure Cæſareo, vel Pontificio, aut Magiſter in Artibus. Vel ſi in Fratrem ſeruientem Armorum admittatur, dum eius virtus in re militari, aut in præclaris ipſius Ordinis obſequiis enituerit. Cæterùm, vt quis in Donatum, vel Confratrem eiuſdem Ordinis admittatur, debet priùs conſtare, eum eſſe honeſtis natalibus procreatum, & à Iudæis, Saracenis, ſeu Mahometanis non ducere originem; probè, ac non flagitiosè ſemper vixiſſe, nullam per ſe ipſum exercuiſſe artem ſordidam, aut mechanicam. Præterea tenetur aliquam partem bonorum ſuorum ipſi Ordini offerre; & admiſſus ſignum Donatorum veſtibus inſutum publicè deferre, aliàs in numero eorum non habendus, nec ipſorum priuilegiis potiturus. Ab hoc vltimo excipiuntur Confratres Commendæ de Modica, qui ex antiquiſſima conſuetudine aliud obſeruant. Ita in Statutis *tit. 2. n. 40. & 41.*

QVÆSTIO II.

Exponuntur aliqua circa Informationes admittendorum ad Ordines Militares, Vbi de duellis.

ILlud in primis difficultatem ingerit, 15
quòd in Interrogatorio Informationum Equitum Diui Iacobi *num. 8.* extat, nempè; *Item, ſi ſaben, que el dicho N. ha ſido retado, y ſi los teſtigos dixeren, que lo ha ſido, declaren, ſi ſaben como, y de que manera ſe ſaluo del reto, &c.* Id enim legi Euangelicæ aduerſari videtur, in qua iubemur inimicos diligere, benefacere perſequentibus nos, orare pro

calumniantibus, iniurias remittere, vindictam non ſumere de offenſis, percutienti vnam maxillam præbere alteram percutiendam, & aliis innumeris præceptis, & conſiliis Dominicis; Deinde etiam directè opponitur Statutis Canonicis, Eccleſiaſticis, & Pontificiis prohibentibus duella publica, & priuata, etiam ſub anathematis cenſura. Quomodo ergo poteſt eſſe obſtaculum, vt quis recipiatur in Religionem, vbi vota emittuntur, perfectio Euangelica proponitur obtinenda, & ſeuerioris Chriſtianæ diſciplinæ vigor ſeruatur, quòd quis prouocatus noluerit ad duellum conuenire, aut remittere iniuriam, ſeu non ſumere vindictam? Id ſanè durum ex terminis apparet.

16 Idcircò vt hæc durities emolliatur, aliquibus poſſe viis occurri, exiſtimaui. Primò, non futurum eſſe obſtaculum, ſi quis prouocatus, remiſerit vindictam, aut iniuriam, propter Deum; examinari tamen, an propter ignauiam omiſerit duellum, vnde dignoſcatur, an ſit aptus Ordini, cuius Inſtitutum eſt, militare, & præliari, ad quod animi robur, & virtus requiritur, & ignauus non eſt militiæ idoneus. Itaque ex ea interrogatione intenditur dignoſci, an admittendus ſit animo ignauus, non verò intenditur, quòd obſtet ei, ſi propter Deum iniuriam, vindictam, aut duellum omiſerit, id enim digniſſimum eſſet præmio. Et, quamvis non interceſſiſſet culpa in ignauia, attamen abſque culpa propria poteſt quis eſſe ineptus ad Ordinem, vt videre eſt in illegitimo, in infirmo, in filio mercatoris, & in aliis.

17 Vel dicito ſecundò, in ea interrogatiune non explorari cauſam, ſed effectum; ſiuè cauſam inquiri, vt de effectu conſtet. Etenim ea iam apud huius ſæculi homines ſuaſio iniuſtiſſimè inualuit, vt reputetur infamis, qui prouocatus non iniuit duellum, aut in his, vel illis caſibus non prouocauit, aut vindictam non ſumpſit. O cæcam, & indignam Chriſtianis animis perſuaſionem! Verùm id iam apud illos vim præfefert. Quare interrogatur, an quis ex omiſſione duelli, aut vindictæ infamia ſit notatus; nam, & ſi abſque eius culpa infamis exiſtimetur, poſita iam infamia, vndecumque proceſſerit, non iudicatur aptus ad Ordinem, qui non vult infames à iure, aut ex facto, etiam inculpabili, fouere. Sicut in Ordinibus Calatrauenſi, Alcantarenſi, & aliis, inquiritur in informationibus, an admittendus ex aliquo euentu, vel facto, quodcumque illud ſit, infamis remanſerit? Attamen, ſi quis propter Deum omiſiſſet duellum, vel vindictam, non eſſet attendendum ad opinionem homunncionum reputantium illum infamem; Exulent hi ab hominibus, & ab orbe Chriſtiano. Ille non infamis, ſed clariſſima famæ, egregioque nomine dignus eſt habendus à viris prudentibus, timoratis, & Chriſtianis; & ſic à Senatu Regio Ordinum, cum Informationes legantur, omnino, & indubiè, & abſque vlla tergiuerſatione eſt iudicandum; aliter diuinæ leges conculcabuntur, quod longiſſimè abeſt a iuſtitia, pietate, ac Chriſtiana integritate, & zelo illuſtriſſimi illius Senatus. Hæc ſcripſeram, cum hanc ſecundam ſolutionem reperi apud P. Quintanadueñas *tom. 2. ſingular. tract. 3. ſingulari 12.* Tertiò aliter poteſt occurri. Quippè prouocare, aut acceptare duellum ob grauiſſimæ repulſionem iniuriæ, eſſe licitum, tenent Diana, Azor, Valentia, Filiucius, Vaſquez, Layman, Hurtado de Mendoza apud eundem Quintanadueñas *ſingulari 11.* indeque infert, non eſſe in ſtatu peccati, qui eo animo eſt, vt ad duellum concurrat, ea cauſa grauiſſima exiſtente. Hinc ergo poteſt inquiri in Informationibus, an admittendus ad Ordinem duellum prædictum recuſauerit, vtpotè licitum. Et quidem de aliis duellis non eſſe ſermonem, conſtat, nam à piiſſimis Regibus, & Capitulis Generalibus fuerunt conditæ, & confirmatæ interrogationes; & ipſe Philippus II. qui eas confirmauit, prohibuit duella *leg. 10. tit. 8. lib. 9. Recop.* Et, quamvis plures leges Partitarum duella permittant, illas abrogatas eſſe per Tridentinum, cenſent communiter Authores Iuriſperiti apud eundem Quintanadueñas *ſingulari 12.* Qui tamen rectè oſtendit, cenſuras ſuper huc inflictas ſolùm extendi ad duella illicita. Deindè demonſtrat ex ipſis Orationibus, quæ recitantur, in admiſſione ad Ordinem D. Iacobi, longè ab eiuſdem Ordinis intentione eſſe, de duellis iniuſtis, & vindictam ſapientibus interrogare. Demùm *ſingulari 13.* vias indicat, quibus poſſit quis abſque infamiæ nota duellum fugere, adhuc prouocatus. De duellis tractaui *tomo de Iure Academico, lib. 3. à num. 306.* Solutionem etiam, aut expuſitionem *ſuprà* poſitam de infamia, quæ ex duello non accepto ſequitur, & intenditur vitari, ne ad illuſtrem adeò Ordinem infamis vllus admittatur, libatam reperio (eſto alia via obſcuriori) à Ioanne Ramirez, *de confirmat. Ord. D. Iacobi pag. 79. ex n. 40.* probante ex *leg. 4. tit. 3. part. 7.* non poſſe quem ad duellum prouocari niſi ob cauſam proditionis, aut alleuoſiæ, quæ infa

infamiam inuoluit, niſi per duellum purgetur; et de hoc duello eſſe ſermonem, nàm ex illo, ſi quis non ſe purgauerit, dignoſcitur, an ſit proditor, aut alleuoſus; quòd ſi id probetur, meritò ad Ordinem non admittitur. Aliqui Authores cenſuerunt, hanc inſtitutam fuiſſe interrogationem in Ordinis exordio de duello cum Mauris, quod inire licebat prouocato, aliàs ignauiæ, & infamiæ reus cenſebatur. Videantur P. Granado, & P. Hurtado de Mendoza, *de Charit. diſp.* 170. §. 92. Latiùs hanc materiem proſequor *in ſtatera opinionum benignarum, diſſertat.* 1. *ex n.* 237. Et circa equites Iacobæos *ibi n.* 246. Et aliqua libabo *infrà diſquiſ.* 18. *ex n.* 1.

18 Rurſùs circa Informationes id eſt dubium practicum, an peccent, & reſtituere teneantur hi, qui eas peragunt, ſi, præter ſtipendia pro labore deſignata, quidquam ab admittendis accipiant? Supponiturque emitti ab ipſis iuramentum, quòd ſe fideliter, & integrè gerent, cui integritati, & fidelitati munera, ac pecuniæ opponuntur, vtpotè quæ animum corrumpunt. In primis, ſi poſt peractas Informationes & Senatui Regio Ordinum traditas, ac relatione de illis facta, aliquod munus (de quo non extiterat promiſſio, aut pactum) Informantibus præbeatur in ſymbolum gratitudinis, poteſt licitè accipi, cum non ſit vllum caput, ex quo prohibitio acceptionis emanet, nec id opponatur præſtito iuramento.

19 At, ſi ante Informationes accipiatur, lethalis culpa in acceptione intercedit; nam directè id iuramento aduerſatur; deinde nullus eſt titulus acceptionis; Et demùm indè plura damna ſequuntur; fit venalis nobilitas; via paratur eo prauo exemplo aliis, qui idem præſtent; minùs accuratè Informationes peraguntur cum ingenti Ordinis detrimento; oſtenditur non zelus conſulendi bono, & ſplendori Ordinis, ſed cupiditas quæſtus, & lucri inordinata, aliaque plura damna ſequuntur. Nec obeſt, quòd ipſe Candidatus Ordinis non exoratus, ſpontè illum quæſtum offerat; Etenim ita præſtat, vel vt ſuam redimat vexationem, cenſens non aliter expediendas, & peragendas fore ſuas Informationes ea breuitate temporis, quæ par eſt, ſed ei plures moleſtias fore inferendas, vel in prolixitate temporis protendendi, vel in aliis; Aut munera confert, dubius de requiſitis ad Habitum, aut conſcius, aliquod ſibi deficere, & intendit ſibi ſuppleri. In primo caſu abſolutè eſt inuitus circa ſubſtantiam quantitatis, & vellet illam non donare, eamque non accipi; quare accipit quis ab eo rem alienam, inuito domino. In ſecundo caſu, intenditur, vt Informantes muneri ſuo non ſatisfaciant, violent iuramentum, & Ordini detrimentum inferant, quæ actiones ſunt grauiter iniuſtæ, atque adeò intentio eas exequendi, quæ in acceptione munerum inuoluitur, peccatum graue eſt. Nec friuolè quis dicat, iam in vſu, & praxi eſſe, vt Candidati præbeant Informantibus, præter ſtipendia, ſumptus ad itinera, ac alia ſimilia. Id enim perperam, & inſcitè nuncupatur praxis, & vſus, cum ſit abuſus, corruptela, detrimentum, pernicies, & vexatio, quæ (ſi fortè eueniant) acerbè eſſent punienda, & penitùs eradicanda. Iudices ſanè, qui munera accipiunt, denunciantur, plectuntur, & deponuntur; & liceat Equitibus, qui contendunt, ſe eſſe ſtrictè Religioſos, examinantibus qualitatem admittendorum ad Ordinis tyrocinium, vt, eo examine præcedente, de eis iudicium feratur, munera accipere, & inde corruptos cenſeri? Hæc in nobiles, & Religioſos animos non cadunt.

Exindè cenſeo, Clericos Fratres Milites, ſi quidquam accipiant, peccare contra votum Paupertatis; nam contra id delinquitur, quoties haberi, aut accipi aliquid expreſsè prohibetur à Prælatis, eorumque non datur nec expreſſus, nec tacitus, aut implicitus conſenſus non ſolùm circa modum, ſed nec circa ſubſtantiam. Quod in præſenti reſpectu Clericorum Fratrum contingere, exploratum habeo, eamque eſſe mentem Prælatorum, nemo ibit infitias, qui prænouerit Ordinum regimen, & Statuta. Equites autem, eſtò grauiter etiam peccent, non tamen contra Votum Paupertatis, nam Ordines illis permiſerunt liberam omnium bonorum diſpoſitionem, quin curent de his, quæ accipiunt, donant, amittunt, aut diſſipant; Quare, & ſi Eques Profeſſus iniuſtitiam in aliquo contractu committeret, vel rem alienam vſurparet, non peccaret contra Votum Paupertatis, ſed contra virtutem Iuſtitiæ. Pariter ergo res ſe habet in euentu propoſito, vt inſpicienti conſtabit. Alia ſanè eſt ratio de Fratribus Clericis, vt toto hoc Opere fiet manifeſtum, quibus ſtrictior iniungitur paupertas, & ſubordinatione maiori in ordine ad diſpoſitionem bonorum, quàm Equites, ſunt obſtricti. 20

Circa reſtitutionis obligationem præſciendum eſt, an acceperit quis pecuniam ob aliquid iniuſtè exercendum, an ob ſuum munus rectè peragendum? In primo caſu non tenetur quidquam reſtituere Informa- 21

mans

mans ipſis concedentibus; nam actiones ipſæ, pro quibus pretium accipit, induſtria in illis, diſcrimina, quibus obijcitur, & ſimiles circumſtantiæ, ſunt æſtimabiles pretio, vnde non operatur contra iuſtitiam. Deindè in his Informationibus non datur alius litigans, cui præiudicium inferatur, ſicut datur, cum Iudex pretio accepto, ſententiam iniuſtam pro aliquo contra alium pronuntiat; vnde ex eo capite non debetur reſtitutio. Imò quando in ſimilibus caſibus reſtituendum eſt, non reſtituitur pretium acceptum pro iniuſtitia, ſed damnum illatum alteri, ſiuè ſit ingens, ſiuè exiguum. Cæterùm Fratres Clerici Militares tenentur reſtituere ipſis Ordinibus id, quod acceperint; Etenim, vt *ſuprà* aſſeruimus, id retinent contra Paupertatis votum, renuentibus quoad ſubſtantiam Prælatis; id autem, quod quilibet Religioſus habet contra voluntatem Superioris, ſi alteri non debeatur, vt in præſenti non debetur, proprium eſt Religionis; quare illi tenebuntur reſtituere id Monaſteriis, aut Collegiis, in quibus degunt, vel Eccleſiis Ordinum, ita vt in eorum cedat vtilitatem. Reſolutionem traditam latè firmaui, contra aliquos cenſentes, acceptum ob turpem cauſam debere reſtitui, *tom. in Bullam Cruciat. diſp.* 34. *cap.* 6. Vbi ſpecialiter *num.* 73. in ſimili valdè caſu attuli pro deciſione Cardinalem Lugo, P. Thom. Sanchez, Molinam, Rebellum, Machado, Bonacinam, & alios.

22 Ibidem *num.* 80. docui, (vt ſecundo caſui faciamus ſatis) dari obligationem reſtituendi id, quod accipitur pro munere rectè gerendo, quin iniuſtitia, aut turpitudo intercedat. Quæ eſt ſententia communior, eſtò aliqui oppoſitum arbitrentur. Nam ſupponimus, accipientem iam aliundè ſuo potiri ſtipendio propter laborem, & ex officio ille tenetur rectè ſuum munus gerere; non ergo eſt titulus ad eam acceptionem, cum pro eodem actu non debeat duplicari ſtipendium, ſiquidem congruum iam, & ſufficiens eſt deſignatum; neque quis, quod aliundè exequi debet, exigere poteſt, vt diuerſo ſtipendio ſibi compenſetur, quod non ſpontè datur, & ſi appareat, vltroneo concedi; quare illud, nec gratuitò, nec ex debito, nec ob rem indebitam conceditur; quo ergo titulo quis accipit, vſurpat, & retinet? Videnda ſunt pluta, quæ *loco relato* congeſſi.

23 Non tamen adeò ſcrupuloſè hæc doctrina eſt capienda, vt culpæ damnetur, & reſtitutioni obnoxius cenſeatur is, qui quæcumque, & in quavis circunſtantia acceperit; quippè poſſunt occurrere circunſtantiæ, in quibus poſſunt aliqua accipi abſque reatu; v.g. ſi Informantes (ita eos communiter vocamus) accedant ad loca incommoda, in quibus nec hoſpitia, nec cibi ſuperſunt; & Candidatus curet, eis hoſpitia parari, ciboſque deferri; ſanè id vrbanitati, ac neceſſitati eſt tribuendum, nec ſcrupulum injiciam accipientibus eiuſmodi victum, & hoſpitium. Deindè ſi aliquod munuſculum cibarium eis offeratur, adhuc dum ſunt in locis abundantibus, ſemel, aut iterum, non multum de eo eſt curandum; Quippè rectè animaduertitur, rebus adhuc exiguis animos nobiles non corrumpi, nec flecti; nec ex minuunt communes ſumptus ab Informantibus peragendos, ita vt videatur, eos duplicatum reportare ſtipendium. In his equidem prudens quiſque poteſt arbitrari.

Circa Informationes Equitum, & Fratrum Clericorum obſerua, inductum extitiſſe ex ſanctione Regia, ſubſcribentibus Ordinibus, vt Informationes peragi poſſent per actus poſitiuos (vt aiunt) & etiam aliquando in Curia, vt patria communi. Vtrumque autem reuocatum eſt quoad tres Ordines Militares, D. Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ, à Rege noſtro Philippo IV. & Capitulis Generalibus eorundem Ordinum celebratis anno 1653. Et à Rege reuocata eſt pragmatica ſanctio de Actibus poſitiuis admittendis, quæ extat *in l.* 35. 36. *&* 37. *tit.* 7. *lib.* 1. *Recop.* Legatur in ſtatutis nouiſſimis Ordinis D. Iacobi *caput* 7. *tit.* 2. Idem in Definitionibus Ordinum Calatrauæ, & Alcantaræ, quæ nunc in lucem prodibunt, exarabitur; ſed adhuc Typis excuſſæ non prodierunt, nec mihi eas videre licuit. 24

Plura circa Informationes decernuntur in ſtatutis, & Definitionibus Ordinum, circa eos, qui in teſtes ſunt aſſumendi; circa loca, quæ ſunt adeunda; circa ea, quæ teſtes poſſunt deponere; circa ſecundas Informationes nullatenùs peragendas; in quo diſpenſari ſolet; de poteſtate compellendi teſtes ad deponendum; de forma, qua Informationes ſunt inſpiciendæ; de mittendis ipſis ad Monaſteria Ordinum, vt in ſcriniis aſſeruentur, aliaque plura huiuſmodi, quæ *in titulis Statutorum, & Definitionum ſuperiùs relatis* videri poſſunt; Nec etenim quidquam eſt ſpeciali exagitatione opus habens, cum ſint omnia dilucida, & per frequentem praxim conſtantia; ideoque ab illis transſcribendis ſuperſedeo. De congruentia Statutorum puritatis ſanguinis in Ordinibus, Collegiis, & Eccleſiis 25

videantur

videantur cum pluribus à ſe allatis Cenedo, Barboſa, Didacus Velazquez. F. Hieronymus à Cruze, D. Ioannes de Eſcobar del Corro, Bobadilla, Valenzuela, quos refert D. Ioannes de Solorzano, *tom.2. de Iure Indiar. lib.3. cap.19. n.4. & in Politica Indica lib.4. cap.19.* Præterà quomodo ſumenda ſit nobilitas ſanguinis; quæ officia vilia excludantur; quænam legitimitas requiratur, latè tractant Otalora, & Ioannes Garcia *de Nobilitate*; Tiraquellus, alij communiter, qui ſcripſerunt ſuper leges Regni, in quibus de his diſſeritur. Iidem etiam exagitant modum iuridicum, quo Senatus, & Informantes ſe debent gerere in his Informationibus ſummariis. Et quidem, quia ſummariæ ſunt, acceptæque abſque parte, & Fiſcali, iudicatum fortè fuit, quòd per Actus poſitiuos Habitus non concederentur, cum poſſit in Informationibus aliquid deeſſe, ob defectum accuſationis, & partis, indeque non cenſetur quoad alios res iudicata. Hic obiter nota, ex Decreto Regio eſſe in praxi, vt Inſtrumenta originaria, quæ ſint neceſſaria ad probationem nobilitatis, ad Senatum ab Informantibus deferantur, extrahendo illa à quavis Eccleſia, etiam Cathedrali, ab Vrbibus, & Communitatibus. Hæc materia de puritate, nobilitate, ac Informationibus integrum Volumen expoſceret, ſed à pluribus eſt apprimè diſcuſſa, nec à nobis repetenda. Alia de Informantibus *inferiùs* expediemus; Et de iudicio ferendo à Senatoribus Ordinum circa Informationes agemus *diſq.17. quæſt.3.*

QVÆSTIO III.

Quo pacto teſtes deponere debeant in Informationibus Candidatorum Ordinum Militarium.

26 Pietatis aliqui ſpeciem præferunt, dum parati ſunt de omnibus indiſcriminatim honorificè teſtificari, quamvis labe aliqua, aut defectu inquinentur, id proclamantes, ſe nolle cauſam miniſtrare, vt quiſquam amittat ſplendoris, & honoris incrementa. Alij è contrà, vel nimium ſcrupuloſi, vel fortaſſè odio, inuidia, aut genio ſiniſtro ducti, obſtaculo ſunt ſua teſtificatione, quominùs liquido, & expeditè Informationes peragantur. Vterque ſcopulus eſt vitandus, vt nec Ordinum Militarium ſplendori, nec Candidatorum famæ detrahant, nec demùm teſtium conſcientiæ onerentur. Quare rem aliquibus propoſitionibus elucidabo.

Supponendum eſt, nobilitatem, & puritatem ſanguinis in Statutis Ordinum requiſitas ex communi hominum exiſtimatione, voce, fama, ac opinione eſſe deſumendas; cum id ſit, quod ſplendorem Ordinum conſeruat, ac promouet; nec illis accreſcit aliquod dedecus, vel ignominia ex labe, quæ re ipſa detur, ſed ignoretur à populo; ſicut è contrà, quamvis nulla labes re ipſa ſit, ſi in communi exiſtimatione eſſe cenſeatur, ſufficit ad rejiciendum Candidatum, cum ea labes communiter credita cederet in Ordinum dedecus, ac ignominiam. 27

Id conſtat ex Definitione nobilitatis tradita à Bartolo *tract. de nobilit. in leg. ſi vt propoſitis, Cod. de dignit. lib.12.* qui ſic eam definit; *Nobilitas eſt qualitas, qua quis, vltra honeſtos plebeios, acceptus oſtenditur.* Vnde aſſeruit Pater Molina *de Iuſtitia, & Iure tract.2. diſp. 614.* In rebus honoris, dum res eſt occulta, nec infamia ex ea oritur, perindè rem ſe habere, ac ſi non eſſet. Huc tendit commune axioma, *Quòd error publicus facit ius*, iuxta vulgatiſſimam *leg. Barbarius Philippus, ff. de offic. Prætor.* & Baldus, ac Doctores omnes docent *in leg. arbiter, Cod. de ſentent. interlocut.* Nobilitas autem requiſita ad Ordines Militares eſt nobilitas, non ex priuilegio, vt aiunt, ſed nobilitas ſanguinis ex genere, iuxta Hiſpaniæ morem, de qua latè Authores de nobilitate tractantes, *ſuprà* à Me relati. 28

Igitur teſtis ſub iuramento ab Informantibus interrogatus (qui ex commiſſione ſibi tradita poſſunt compellere quoſlibet capaces ad teſtificandum) de qualitate ſanguinis Candidati, ſi iuxta communem populi exiſtimationem, & opinionem, aliquam ille labem, aut defectum ſuſtineat, tenetur ſub peccato graui periurij deponere de labe, aut defectu. Etenim aliàs iuramentum eſſet falſum, & conſequenter periurium, nec amphibologiæ eſt locus, aut æquiuocationi; nam hæ locum non habent, vbi quis iuridicè, ſeu legitimè interrogatur; & non tenetur aliundè rem occultare; quod in præſenti contingit, cum legitima ſit interrogatio, & non detur obligatio occultandi labem, ſeu defectum, quin potiùs detur manifeſtandi, ne indignus admittatur ad Ordinem Militarem, cum huius dedecore. Non autem eſt licita æquiuocatio, ſeu amphibologia, niſi adſit iuſta cauſa defenſionis propriæ vitæ, honoris, aut bonorum, vt tradit cum communi P. Thomas Sanchez *lib.3. ſum. cap.7. num.1.* 29

*num.*1. Imò ſi licere amphibologiam abſque peccato mortali ſine iuſta cauſa concedamus cum Bonacina, P. Leſſio, Filiucio, & aliquibus apud Dianam 2. *part. tit.* 25. *reſ.* 25. tamen ipſi excipiunt, quando iuramentum emittitur in iudicio, & quando vergit in præiudicium alterius; quod vtrumque in præſenti concurrit, nempè interrogatio in iudicio legitimo, & præiudicium inferendum Ordinibus Militaribus. Nec cenſenda eſt iuſta cauſa, nolle damnum inferre proximo; nam, etſi interueniat cauſa pietatis, aut ſubleuationis pauperum, aut alia ſimilis, iuramentum falſum non honeſtatur, ſed eſt graue peccatum, vt docet P. Fagundez *in* 2. *præceptum Decalogi*, *lib.*2. *cap.* 6. *num.* 18. cum Caietano, Nauarro, Sayro, Soto, Cardinali Toleto, Suario, & communi.

30 Hinc multò minùs licet, corrumpi pecunia teſtem, vt falſum deponat. Quippè tunc duo peccata grauia teſtis committit; tum accipiendo pretium pro re iniuſta; tum falſum iurando. An autem reſtituere teneatur acceptum, latè diſcuſſi, & non teneri, tradidi, iuxta tutam, ac probabilem ſententiam, *tom. in Bullam Cruciat. diſp.* 34. *cap* 6. Et ibidem *cap.* 9. *ex num.* 114. propoſui varios caſus, in quibus teſtis iniquè operatur, qui ſunt videndi, ne eadem repetantur.

31 Deindè, ſi quis in exiſtimatione communi, voce, ac opinione populi, puri ſanguinis, aut etiam nobilis qualitate affectus cenſeatur, quamvis teſtis ſciat oppoſitum ex aliqua notitia ſingulari, aut Inſtrumento occulto, poteſt, & tenetur iurare, eius genus, & ſanguinem purum eſſe, vel etiam nobilem. Poſſe probatur. Etenim non tenetur quis deponere, quando iuridicè, aut legitimè non interrogatur; ſed non interrogatur iuridicè, nec legitimè de labe, aut defectu occulto; ſiquidem is, iuxta dicta, eſt, quaſi non eſſet, & non officit ingreſſui in Ordines Militares, nec ad eos requiritur niſi puritas, & nobilitas, provt in communi exiſtimatione, opinione, & voce; ergo non tenetur teſtis reſpondere, & deponere occultam labem, & defectum. Hæc doctrina eſt expreſſa D. Thomæ 2. 2. *quæſt.* 70. *art.* 1. ibi: *Si autem exigatur ab eo teſtimonium in aliis, puta in occultis, de quibus infamia non præceſſit, non tenetur ad teſtificandum.* Inſtituerat autem quæſtionem de teſte interrogato ſecundùm ordinem iuris, & præmiſerat, teneri eum ad teſtificandum verum in manifeſtis, & in his, de quibus infamia præceſſit; quod nos iuxta hanc doctrinam ſuperiori etiam aſſerto tradidimus.

32 Confirmant noſtram deciſionem Sylueſter, Sotus, Nauarra, Ledeſma, quos refert, & ſequitur Pater Thom. Sanchez *tom.* 2. *ſumm. cap.* 28. *num.* 18. 13. & 25. P. Leſſius *de Iuſtit. lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 3. *num.* 109. Qui ait, teſtem in hoc caſu, rectè iurare, ſe neſcire quidquam, intelligendo tacitè, ſe neſcire eo modo, vt teneatur patefacere. Nec obſtat, quod informationum formula in interrogationibus ea eſt, *Si ſaben, creen, y oyeron dezir*, &c. Nam hæc non appellant ſupra ſcientiam priuatam, & occultam, nec ſupra ſingularem credibilitatem, & exiſtimationem, ſed ſupra publicam; vnde additur, *Que el padre, y la madre, &c. ſon auidos, y tenidos, y communmente reputados, &c.* Vndè interrogatio ad publicam opinionem, & vocem collimat; nam ſcientia vnius eſt ſcientia nullius, iuxta commune proloquium.

33 Tunc autem labes, aut defectus eſt occultus, & celari poteſt à teſte, tum, ſi idoneis teſtibus moraliter probari nequit; tum quando pauci illum nouerunt, & tergiuerſatione aliqua poteſt celari, ita vt communis vox, & exiſtimatio oppoſitum cenſeat, & proferat, vt tradunt Sylueſter, & Angelus *verbo, occultum.* Abbas Panormitanus, & alij quippè *publica opinio ponit quaſi in poſſeſſione*, iuxta Decium *in leg. ſi emancipati, Cod. de collat. num.* 4. Si verò defectus aut labes iam laboret infamia in exiſtimatione hominum, eſtò non ſit penitùs notoria, non poteſt à teſte occultari, ſed tenetur eum defectum, aut labem deponere. Etenim ſi ſimilia non deberent à teſte declarari, omnino impedirentur iudicia, nec crimina, & defectus poſſent explorari, & dignoſci, ſiquidem notoria vt plurimùm non inueſtigantur; Informationeſque communiter de qualibet re tunc fiunt, quando res diffamari cœpit, eſto non ſit notoria. Ita cum communi docet Nauarra *de reſtit. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 11. *n.* 249. Hinc P. Thom. Sanchez *de matrimonio, lib.* 8. *diſp.* 34. *num.* 55. loquens de impedimentis occultis matrimonij docet, tunc non eſſe occultum impedimentum, quando, licèt in ciuitate non ſit notorium, aut publicum, eſt tamen in maiori parte viciniæ, Parochiæ, vel Collegij manifeſtum.

34 Redeo ad ſecundam partem aſſerti propoſiti *ſuprà num.* 126. nempè teſtem teneri ſub culpa mortali ad non manifeſtandum labem, aut defectum occultum. Ita docent Alcozer *in ſumm. verbo, teſtis*; Nauarra *ubi ſuprà* Pater Leſſius *ſuprà num.* 111. Nauarrus, & plures alij. Probatur; quia teſtis nullum ius habet patefaciendi illam

labem

labem occultam, grauemque iniuriam infert Candidato, qui eſt in ſui bonoris poſſeſſione per communem opinionem, & vocem; & nec Iudex, nec Informantes habent vllum ius ad interrogandum de labe occulta; At manifeſtans labem alterius occultam, cum nec in interrogante, nec in ipſo datur ius ad manifeſtationem, peccat grauiter contra virtutem iuſtitiæ, auferens ab illo, quod ſuum eſt, nempè honorem, quem, vt ſuum, poſſidet; ergo teſtis nequit eam labem, ſeu defectum aperire, ſed tenetur celare. Hinc, ſi manifeſtet, tenetur reſtituere honorem, non ſecùs ac ſi falsò illum abſtuliſſet, cum enim in vtroque caſu contra virtutem iuſtitiæ delinquat, debet compenſare vſque ad æqualitatem, vt inæqualitas reſarciatur. De forma autem reſtitutionis honoris, & detrimentorum videantur paſſim Authores, id enim non eſt noſtri inſtituti.

35 Præterea, ſi teſtis audiuit rumores aliquos abſque fundamento contra qualitatem ſanguinis Candidati à perſonis, quibus prudenter non poteſt adhiberi fides, ſi communis exiſtimatio prudentum, ac timoratorum ſit contraria, poterit iuuare, ſe nibil ſcire contra illius opinionem, & famam; Etenim ea, quæ ſciuit, & audiuit, falſa eſſe cognoſcit; quæ autem falſa ſunt, aut inani fundamento innituntur, perindè debent exiſtimari, ac ſi non eſſent cognita, aut audita, ſiquidem illa non extenuant, nec infirmant veritatem, quæ ex communi prudentem opinione conſurgit, cuius opinionis indagatio eſt Informationum ſcopus. Vnde cum Soto, & aliis tenet P. Thom. Sanchez *lib.3. ſumm. cap.7. num.5.* teſtem in boc caſu non opus habere amphibologia ad iuramentum, quia ille verè neſcit, quæ ſic noſcit. Et poteſt ſumi argumentum ex *leg. Paulus, ff. de verbor. ſignific.* ibi, *Nullum teſtimonium dicitur, quod falſum eſt.*

36 Rursùs, ſi teſtis nullam notitiam de qualitate baberet Candidati, & is ipſe inſtrumenta illi oſtenderet, ac Viros prudentes, & timoratos adduceret, qui ipſum certiorem redderent de puritate, ac nobilitate ſanguinis, poterit in eius fauorem iurare. Quippè ſufficiens eſt ea rei cognitio, vt verè, ac honeſtè iuret, cum ſatis prudens ſit ea perſuaſio, quin adſit vlla ratio probabiliter dubitandi. Sic docent P. Hurtado de Mendoza *in 2.2. diſp.173. §.200.* & alij, quos ſequitur Diana *part.5. tit.7. reſol.10.*

37 Candidatus autem, vel alius pro eo agens, poteſt inducere teſtes ad deponendum eo modo, quo diximus, illos poſſe deponere; nam, quæ licita ſunt teſtibus, non eſt, cur ipſis nequeat ſuaderi, vt exequantur. Sed inquiris, an ſi teſtis ignoret defectum Candidati, & is noſcat, ſe habere defectum, poſſit inducere illum, vt iuret in fauorem ipſius? Baſilius Legionenſis, P. Suarez, & Azor allati à Diana *part.5. tit.7. reſol.14.* cenſuerunt, non poſſe; quia nequit vllus induci ad actum etiam materialiter prauum, quale eſſet illud iuramentum, quod re ipſa eſſet falſum, quamvis teſtis ob ſuam ignorantiam illius defectus cenſeret, eſſe verum. Attamen poſſe, tenent Diana *ibidem*, & P. Hurtado de Mendoza *vbi ſuprà §.199.* Etenim ille actus, ſeu iuramentum nec materialiter eſt malum; Ratio eſt, quia teſtis non interrogatur de re ſecundùm ſe, ſed de ſua exiſtimatioue, dictamine, & iudicio; &, cum iurat, id ſolum iurat, nempè ita rem eſſe, prout ipſe exiſtimat; at, prout ipſe exiſtimat, res ita eſt; ergo illud iuramentum non ſolùm formaliter, ſed materialiter eſt verum. Idque diſcrimen eſt inter rem iuratam, & alias res prauas, quod hæ, ſeu earum exercitia, vt materialiter ſint mala, non pendet ab exiſtimatione, ita vt reſtringantur, *prout quis exiſtimat*; Sic crapula eſt mala, & quamvis quis per inuincibilem ignorantiam cenſeat, eſſe licitam, vel non aduertat ad malitiam, ſeu non præueniat illam, ſi inebrietur, formaliter actus non erit malus, ſic verò materialiter, & ideò non poteſt quis induci ad crapulam. At verò, vt res iuretur cum veritate, ſatis eſt, ſi id, quod exprimitur, correſpoudeat conceptui interno, &, dum ſic correſpondet, nec materialiter falsò iuratur; Iurans autem in noſtro caſu exprimit, ſe exiſtimare Candidatum nobilem v. g. ſi ergo ſic eum exiſtimat, correſpondet res iurata conceptui, & nec mendacium materiale datur. Nec tenetur Candidatus aperire teſti veritatem; Si enim cum graui damno proprio non tenetur quis (cui ex officio non incumbit) vitare alterius peccatum, multò minùs tenebitur vitare, & tollere eius ignorantiam.

Aduerte, in aliquibus Ordinibus Militaribus requiri, quòd aſcendentes vſque ad determinatum gradum non fuerint à Sancto Inquiſitionis Tribunali puniti; & quòd vſque ad talem gadum aliqua Officia non exercuerint. Hinc, ſi fortè Informantes interrogarent id ipſum de progenitoribus in vlteriori gradu, quamvis ea in illis 38

reperirentur, non teneretur teſtis ea deponere, ſed etiam ſciens illa poſſet negare, vtendo reſtrictione mentali *ſuperiùs* appoſita. Quippè tunc legitimè non interrogatur, nec de requiſito neceſſario ad finem Informationum, nec ad ingreſſum in eos Ordines; Informanteſque tunc excederent ius, quod habent ad examen accipiendum; Non autem tenetur quis reſpondere, quod noſcit, cum legitimè non interrogatur. Et quidem ex ea interrogatione nihil oritur conducens ad finem, qui intenditur; & aliundè indè ſequeretur Candidati ignominia, quæ vitari omnino debet.

39 Miror, Patrem Quintanaduenãs *tom.* 2. *ſing. tract.* 3. *ſing.* 17. *n.* 4. doctrinæ traditæ adhærentem, ſic eam expoſuiſſe; *Tunc, ſi ad eiuſmodi admiſſionem Informationes fiant, poterit teſtis iurare, illum, de quo fiunt, & quem ſcit deſcendere ex progenitoribus Iudæis, vel Mauris, aut à S. Inquiſitione punitis ante quartam generationem, eſſe Chriſtianum veterem, & à Iudæis, Mauris, vel Hæreticis non deſcendere, &c.* Audiſti aliquando, non eſſe Iudæum, ſed Chriſtianum veterem eum, cuius atavus fuit Iudæus; aut non eſſe ex genere Maurorum eum, cuius omnes progenitores vſque ad quartam generationem fuerunt Mauri? Sanguis, & genus per omnes deſcendentes deriuatur, & is, cuius progenitores vſque ad quartam generationem fuerunt Iudæi, aut Mauri, ex genere Iudæorum, aut Maurorum eſt, & neceſſariò etiam eius progenitores immediati fuerunt ex eodem genere. Itaque res confundit hic Author. Poteſt quis puniri à S. Tribunali Inquiſitionis, eum ſit ex puro, vel etiam ex nobili ſanguine, v. g. Si duas ſimul vxores habeat; ſi fauorem hæreticis dederit, & plures ob alias culpas; Illa punitio non mutat eius genus, & ſanguinem; attamen macula eſt, quæ velut abſtergi, obliterari, & obliuione damnari per quatuor generationes debet, vt deſcendentes admittantur in eos Ordines; Et de hac macula fit interrogatio, an intra quartam generationem detur? At, ſi progenitores ſint Iudæi ex genere, macula eſt in ipſo genere, & ſanguine, quæ, dum ſanguis propagatus durat, nequit abſtergi, nec obliterari, nec ſiſtit in aliquo, cum ab infectò ſanguine nequeat purus deriuari; Quod verum eſt, etiam ſi per plures generationes progenitores non iudaïzauerint, nec vnquam puniti fuerint à Sancto Inquiſitionis Tribunali; nam eſſe Iudæum, eſt macula, & infamia, non culpa; ea autem macula, dum genus illud fuerit propagatum, in ipſa ſanguinis propagatione extenditur. Quare non interrogatur, an macula ſanguinis Iudæi intra quartam generationem non inueniatur, licèt extra illam in progenitoribus inuenta fuerit? eſſet enim ſtulta interrogatio: Sed abſolutè inquiritur, an ſit ex genere, & ſanguine Iudæorum, vel purus ab illo?

QVÆSTIO IV.

An is, qui ſcit, ſe impuro ſanguine eſſe infectum, poſſit licitè Profeſſionem emittere in Ordinibus Militaribus, ac alimenta, & Commendas percipere?

SVppoſitis Statutis Nobilitatis, & puritatis ſanguinis, quæ in Ordinibus Militaribus dantur, & à Sede Apoſtolica ſunt confirmata; & etiam ſuppoſita ea interrogatione, quæ fit, quando quis ad Ordinem admittitur, nempè an ei conſtet de Statu, & ratum habeat, fore expellendum, quoties liqueat defectus puritatis, aut nobilitatis; hæc quæſtio eſt agitanda. 40

Dicendum eſt primò, ſi communiter quis reputetur puritate, & nobilitate ſanguinis præditus, quamvis ipſe aliquam in ſe labem, ſeu defectum dignoſcat, poſſe poſcere Habitum, emittere Profeſſionem, & gaudere ſtipendiis, ac Commendis. Etenim habet eam puritatem, aut nobilitatem, quæ ſufficit, requiritur, & intenditur ab Ordine, nempè quæ ſecundùm populi communem conſenſum exiſtimatur, nec legitimo famæ rumore inficitur. Quare ſolùm in Statutis iniungitur, non fore admittendum eum, de quo noſcatur, eſſe impuri ſanguinis, aut minimè nobilis, & expellendum, ſi quando noſcatur, eos in illo defectus dari; ergo, quando non noſcitur, ſed oppoſitum exiſtimatur apud populum, nihil eſt in eo, quod Statutis contrarietur; ſed datur, quod ab eis requiritur. 41

Quin, ſi contra ipſum rumuſculi ferantur, tamen eius labes, aut defectus nobilitatis non credatur, nec affirmetur certitudine morali, ipſe, quantum eſt ex ſe, poteſt intendere admitti in Ordinem, & approbatis Informationibus, ſuſcipere Habitum, & Profiteri. Etenim ante admiſſionem non eſt, cur ipſe ſe condemnet, eſtò res eſſet ſub dubio; nam quoad ipſum, & quoad poſcendum Habitum, meliorem debet reputare conditionem ſui ipſius poſſidentis, contra quem aliquid adhuc non eſt probatum; Et prætereà dubitari 42

dubitari de genere alicuius, idem ferè eſt, ac ignorari, iuxta *leg. manifeſte, §. ſi autem, Codic. de furt.* Docent Gamma *in Luſitan. Deciſion.* 91. *num.* 1. Surdus *Deciſion.* 265. *num.* 17. Et quidem ignorantia præſumitur, niſi ſcientia probetur, vt traditur *in leg. verius, ff. de probation. cap. præſumitur* 47. *de regul. iuris, lib.* 6. Exornat Antonius Gabriël, Menochius, Maſcardus, Sayrus, Azeuedo, Sanchez, Tuſchus, Simon Barboſa, & alij, quos refert Pater Quintanadueñas *tom.* 2. *ſingul. tract.* 3. *ſingul.* 18. *num.* 5. Et poſtquam informationes à Senatu approbatæ ſunt, habet ille pro ſe id iudicium grauiſſimi Senatus cum poſſeſſione bonæ opinionis externæ, nec adſtringendus eſt ad ſe ipſum diffamandum, atque adeò poteſt accipere Habitum, profiteri, & gaudere Commendis.

43 Nec Statutorum, ac Definitionum verba irritant profeſſionem emiſſam ab illo, qui noſcit ſe infectum, aut nobilitate orbatum; ſolùm enim iniungunt, non admitti eum, qui non ſit ſanguine puro, aut etiam nobili, & expelli illum, de quo hi defectus noſcantur. Hæc autem verba tendunt ad ſplendorem Ordinis conſeruandum, per admiſſionem, & profeſſionem eorum, qui in communi exiſtimatione puri, & nobiles ſint; Nam in his, & ſimilibus materiis exiſtimatio communis totum momentum continet. Indè, etiam ſi quis re ipſa puro ſanguine ſit prædictus, ſi communi exiſtimatione infectus cenſeatur, nequibit in Ordines admitti; ergo è conuerſo, quamvis infectus reipſa ſit, ſi communis exiſtimatio contrarium iudicet, admitti valebit; Nam hæc exiſtimatio eſt, quæ conducit ad finem, qui intenditur; nempè vt nullum accreſcat Ordini dedecus.

44 Adhuc addo, ſi quis admiſſus eſt in Ordinem Militarem, cum eſſet publicus eius defectus ſanguinis (quod nunquam prorsùs continget) vel poſt admiſſionem defectus publicatus eſt, poſſe eum perſeuerare, & omnia Ordinis emolumenta percipere. Nam, eſtò poſſit ab Ordine expelli, ipſe verò non tenetur defectus ſuos denuntiare Senatui Ordinum, aut Capitulo Generali, vel Regi noſtro, vt expellatur; nullus enim tenetur manifeſtare ſe ipſum, aut ſuos defectus, cum graue indè nocumentum ei ſit inferendum, vt concors fert Doctorum ſententia, & pluribus poſſet exemplis comprobari; Et non ſolùm ipſi, ſed toti familiæ ex expulſione grauiſſima nota eſſet inurenda, eo authentico teſtimonio dedecoris propalato. Nec nobis in præſenti ſermo eſt de criminibus ad fidei nocumentum, & grauiſſimum Reipublicæ damnum ſpectantibus, in quibus, quomodo ſit philoſophandum, non eſt noſtri Inſtituti proferre; ſed loquimur de præfatis defectibus, ex quibus non hæc nocumenta exoriuntur.

An verò interrogatus quis de defectibus publicis à Superiore, & Iudice legitimo, poſſit amphibologicè iurando negare, huc non attinet diſquirere; quia in Ordinibus Militaribus, ſi ageretur de aliquo expellendo, non ſtaretur eius dicto, nec ab eo id interrogaretur. Videantur Abbas, Angel. Syluester, Armill. Alcozer, Nauarrus, Vega, Nauarra, P. Leſſius, Filiucius, & alij apud P. Fagundez *in* 8. *præcept. Decalog. lib.* 8. *cap.* 31. *ex n.* 11. qui adhuc crimen publicum poſſe negari à Reo per iuramentum amphibologicum tuentur. 45

Dicendum eſt ſecundò contra P. Quintanadueñas *vbi ſuprà n.* 4. eum, cuius defectus ſanguinis eſſent publici, ſi tamen ab Ordine non expellatur, poſſe gaudere Commendis, Beneficiis, ac emolumentis propriis Ordinis, abſque onere reſtitutionis. Quippè eius profeſſio de facto non fuit irrita, cum expectetur Ordinis voluntas, vt irrita cenſeatur, & ab eo ille expellatur; nec amplius Statuta iniungunt, quàm quòd Ordo poſſit eum expellere, non verò indicunt, quòd ipſe debeat exire; ergo, dum non expellitur vnus è Religione eſt, & iudicatur; ac conſequenter poteſt percipere omnia emolumenta. Deinde etiam ſibi, & familiæ conciliaret grauem infamiam, ſi Commendam obtentam repelleret, aut ſibi conceſſam, vel oblatam repudiaret; ad quod non tenetur, ſiquidem iuxta doctrinam ipſius Authoris, non tenetur ille ad deſiſtendum à Religione, nec ad denuntiandos ſuos defectus publicos Prælato, etiam ſi interrogetur; ergo nec ad dimittendam Commendam; igitur illam licitè obtinet; ſi autem licitè poſſidet, conſequens eſt, vt fructus valeat percipere. 46

Ait ille, eum non eſſe verè Religioſum, atque adeò non poſſe frui his, quæ vero Religioſo deputantur. Sanè credam, cum ſupponere (quod ſatis innuit *ſingular.* 19. *numer.* 4. quamvis oppoſitum videatur docere *ſingular.* 18. *numer.* 6.) dari in Statutis, ac Definitionibus Ordinum clauſulam, quæ de facto irritet profeſſionem, adhuc ante ſententiam Ordinis ipſius; ex qua ſuppoſitione rectè eius doctrina dimanat. Sed ſuppoſitio à nobis negatur, & 47

inficiamur, eos non eſſe veros Religionis alumnos. Nec Pontifex, qui excommunicationis cenſuram tulit aduerſus admittentes in Ordinem Alcantaræ (de quo alibi) eum, qui ſanguine infecto laborauit, ibi irritauit Profeſſionem ab eo emiſſam, ante ſententiam declarantem eius nullitatem. Fatetur tamen Pater Quintanaduenas, poſſe illum abſque reſtitutionis onere percipere Commendas, ſi hæ illi à Rege conceſſæ ſint propter merita, & obſequia propria, aut parentum in bello; & probat, quia Rex has Commendas propter ea obſequia ſolet conferre aliquibus, qui non ſunt ex Ordine. Sanè non rectè calluit hanc materiam. Quippè Rex non confert, nec conferre poteſt eas Commendas aliis, qui ex Ordine non ſunt, abſque diſpenſatione Pontificia; At in præſenti caſu ea diſpenſatio non datur, ergo, vt conſequenter loqueretur hic Author, debebat affirmare, neque in hoc caſu poſſe percipi fructus Commendarum, cum ſupponat, non eſſe Religioni alumnum, eum, qui illis gaudet. Vel è conuerſo ſic contra illum arguo; poteſt is percipere fructus Commendarum, ergo vnus è Religione eſt; nec eius profeſſio irrita eſt ipſo iure; nam percipere illos non poſſet abſque diſpenſatione, ſi non eſſet Regularis ex eo Ordine, cuius eſt Commenda.

48 Sed quid dicendum, ſi quis ſciens defectus ſui ſanguinis, qui eſſent publici, compuliſſet per vim, fraudem, dolum, aut per munera, teſtes, vt eum purum, & nobilem eſſe, teſtificarentur, & obtinuiſſet Habitum? Supponitur culpa grauis in his actionibus, & dubium eſt, an poſſit percipere Commendas? In non diſſimili caſu Pater Thomas Sanchez *tom. 1. conſil. lib. 2. dub. 46. ex num. 4.* aſſerit, eum, qui per vim, aut fraudem probauit ſuam nobilitatem, & exemit ſe à ſolutione collectarum, quas non nobiles ſoluunt, indeque collectæ creſcunt reſpectu aliorum, teneri reſtituere eam partem, quam ipſe erat ſoluturus, ſi fraus non interceſſiſſet. Hinc à paritate videtur dicendum in caſu propoſito, prædictum teneri reſtituere fructus Commendæ, & eam non acceptare, quamvis indè ſequeretur ei aliqua nota, quam ſibi imputare debet, cum cauſam adeò culpabilem præſtiterit. Quia tamen præiudicium non fit perſonæ determinatæ, cui fiat reſtitutio, (niſi in Ordine Sancti Ioannis, in quo fit præiudicium ſucceſſuro in Commendam) ea Ordini, debebitur; ſi quidem ille poſſidet malo titulo, & fide, nec poteſt retinere, & Ordini præiudicat.

Aliquis huic doctrinæ aſſentiatur. Sed mihi adhuc difficilis apparet; Nam ille, ſuſcepto Habitu, & emiſſa profeſſione, iam quidem vnus è Religione eſt, vt *ſuprà* aſſerebamus in caſu, quo abſque vi, & fraude, occultata fuiſſet labes publica; ſi enim profeſſio non irritatur in eo caſu, nec in hoc; cum idem ſit fundamentum ad irritationem, nempè defectus publicus nobilitatis, aut puritatis. Quod autem intercedat fraus, aut vis, addit culpam, non impedimentum; quia Habitus non confertur per vim, aut fraudem, ſed ſuppoſita vi, aut fraude; & hæc quidem ſupponitur eodem modo in vtroque caſu quoad ſubſtantiam, eſtò quoad accidentia non ſe res habeat eodem modo. Nam demus, conſpiraſſe populum ſpontaneè in teſtificandum honorificè de Viro ſanguinis infecti; Senatus Ordinum approbat Informationes; Habitus conceditur; qui tamen non concederetur, ſi veritas fuiſſet propalata, & conſtitiſſet de labe; ergo quoad ſubſtantiam eadem eſt deceptio in hoc caſu, ac ſi vis illata eſſet ei populo ad teſtificandum honorificè. Iam igitur, ſi ille verè Religionis alumnus eſt, poterit retinere Commendam, & fructus, vt *ſuperius* aſſeruimus. Tota hæc doctrina firmatur ex his, quæ latè docui *tom. de Iure Academico, lib. 2. quæſt. 21.* tradens enim, qui admiſſus eſt in Collegium, cum ei deficeret aliquod ex requiſitis in Statutis à Fundatore appoſitis, nihil teneri reſtituere Collegio, ob alimenta, quæ ab illo percipit, dum in ipſo verſatur. 49

QVÆSTIO V.

Decernitur de aliquibus, an poſſint admitti ad Ordines Militares.

NEqueunt in illos admitti Expoſiti. Ita loquendo generaliter de Communitatibus, in quibus viget Statutum ſanguinis, tuentur Garcias Gironda *priuileg. ex numer.* 143. Lara *de Capellan. lib. 2. cap. 4. ex numer.* 37. Ludouicus Brocherus *tractat. de Expoſitis num. 6. fol.* 16. Barboſa *de poteſtat. Epiſcop. allegat.* 51. *num.* 151. Etenim, licet in dubio Expoſiti præſumendi ſint puri, & nobiles, at qualitas præſumpta nihil operatur, quando requiritur qualitas poſitiua, vt docent Otalora, Marſilius, Ayron, Rolandus, Brunorus à Sole, Dacianus, Matienzo. 50

&

& Baptiſta Laderchus, quos refert, & ſequitur Lara *ſuprà num.* 38. & probat *ex leg. Lucius, ff. de condit. & demonſtr.* Statuta autem Ordinum Militarium qualitatem poſitiuam requirunt. Deindè neceſſum eſt iuxta illa, Candidati parentes agnoſci, nam interrogatur, an à parentibus puris, ſeu nobilibus deſcendat; ſi autem illi ignorentur, nullus poterit iuramento affirmare, à talibus deſcendere. Rursùs fit informatio de puritate, aut nobilitate, quæ per publicam famam, Inſtrumenta, & Munera conſtet; quæ de Expoſitis nequeunt conſtare; Neque præſumptio poteſt ſtabilire nobilitatem. Adde, quod Expoſiti non reputantur filij legitimi, & legitimitas etiam eſt requiſitum ad ingrediendum Ordines Militares; niſi in Ordine Diui Iacobi, qui non excludit filios naturales, ſic verò ſpurios. Hinc vt quis admittatur in Miniſtrum Tribunalium Sanctæ Fidei, dum ſuos parentes, & auos declarat, debet ex præſcripto enuntiare, ſe non eſſe expoſitum. Scio, pro expoſito quodam admittendo in Almam Eccleſiam Ouetenſem, in qua Informationes ſanguinis peraguntur, aliquos contendiſſe, debere admitti, & pro eo doctam allegationem fuiſſe exaratam à D. Don Roderico de Mandiaa & Parga, Epiſcopo Syriæ, Magiſtro Scholæ, & Cancellario Salmantino. Verùm tradita doctrina eſt communior.

51 Hinc credam, nec diſpenſandum vnquam fore cum Expoſitis, vt admittantur in Ordines Militares; nam licèt poſſit Pontifex de plenitudine poteſtatis in eo Statuto ſanguinis diſpenſare, ſicut poteſt in omnibus legibus Apoſtolica authoritate conditis, vt tradunt P. Azor *tom. 1. lib. 5. cap. 15. quæſt. 5.* Pater Salas *de legib. diſput. 20. ſect. 3. n. 16.* Bonacina, & alij communiter, tamen cum Expoſitorum parentes, omnino ignorentur, nec de eorum qualitate vllo modo conſtet, duriſſimum eſſet eos admittere in Ordines, qui qualitatem poſitiuam quatuor auorum requirunt. Nec Pontifex diſpenſat in aliquo ex requiſitis, niſi poſcente Rege, aut Senatu Ordinum, quos non fore petituros eam diſpenſationem, certiſſimum apparet. Et prætereà nunquam petita eſt, nec conceſſa diſpenſatio circa defectum puritatis ſanguinis, (imò nec circa nobilitatem auorum) qui autem diſpenſaret cum Expoſitis, ibi implicitè diſpenſaret in defectu puritatis ſanguinis, ſi fortè reipſa daretur.

52 P. Quintanadueñas *tom. 2. ſingul. tr. 16. ſingul. 10.* alium caſum notabilem proponit. Ait enim, ſi quis probaret, ſe ex ea familia Hebræorum deſcendere, quæ nullo modo morti Chriſti D. aſſenſum præbuiſſet, ſed contradixiſſet, nec incidiſſet in Iudaïſmum poſt legem gratiæ promulgatam, poſſe admitti ad Ordines Militares, & ad Dignitates Eccleſiaſticas, & ad alias Religiones, quæ exigunt ſanguinis puritatem. Probat; nam genus Hebræorum ex ſe nobiliſſimum eſt, cum nobiliſſimum fuiſſe Chriſtum D. eiuſque Sacratiſſimam Matrem, & Progenitores, de fide ſit *ex c. 1. Matthæi.* Macula autem, & nota inuſta eſt Hebræis, eo quòd Chriſto D. necem intulerint, & poſtmodùm in Iudaïſmo perſeuerauerint; nulla autem nota inuſta eſt his, qui nec neci conſenſerunt, nec legem Iudaïcam deinceps profeſſi ſunt. Fuiſſe autem in Hiſpania aliquos ex his, affirmat Flauius Dexter *in anno Chriſti* 37. his verbis; *Iudæi Hiſpani, maximè Carpetani (qui literas Solymorum Pontificum petentium ab eis aſſenſum in mortem Chriſti, miſſis literis, execrati erant) libentiſſimè prædicationem Sancti Iacobi percipientes conuertuntur.* Id ipſum affirmat Iulianus Petrus, Archipresbyter Sanctæ Iuſtæ Toletanæ *in hiſtoria Alphonſi VI.* Addit P. Quintanadueñas ſe audiuiſſe, Nobiles Equites Vrbis Voletanæ, & Zamorenſis potuiſſe probare, ſe deſcendere ex Hebræis, qui reſtiterunt morti Chriſti, & ſtatim, ac lex gratiæ in Hiſpania fuit promulgata, fuerunt eam amplexi, quin deſcendentes vnquam iudaïzarent, indeque aſſecutos fuiſſe Habitus Ordinis Diui Iacobi. Profectò mihi probatio moraliter impoſſibilis videtur. Nam ex quibus Inſtrumentis poſt mille ſexcentos, & ampliùs annos id conſtet? Quænam vox, fama, aut opinio per tot ſæcula fuerit conſtanter deriuata, cum Hiſpania ſpatio adeò longo temporum fuerit ſub poteſtate Imperatorum Romæ, aliorum Regum, Gothorum, Saracenorum, & poſtmodùm reſtaurata à Gothis; nihilque fixum remanſerit, ſed omnia inuerſa, mutataque fuerint, & vel ipſæ Vrbes, & Oppida plurima fuerint exciſa, aut collapſa? Sanè id mirabile eſt, quòd, cum nullus adhuc probare potuerit ſe deſcendere ab illis Chriſtianis non Iudæis, qui Diui Iacobi prædicationem ſuſceperunt, aliqui potuerint probare, ſe deſcendere ab Hebræis, qui eam ſuſceperunt, & per literas miſſas ad Vrbem Hieroſolymitanam necem Chriſto D. illatam execrati ſunt. Non tamen ideò aliquid intendo detrahere eis, qui id fœliciter probarunt, quos ſaltem nullus Chriſtianos nouos nuncupabit, cum habeant mille ſexcentos, & ampliùs annos Chriſtianitatis continuatæ.

QVÆSTIO VI.

A quo debeant accipere Equites, & Clerici Fratres Habitum Militarem, & coram quo Profeſſionem emittere?

53 AD Hiſpaniarum Reges, vt dicebamus *quaſt.* 1. ſpectat priuatiuè, deſignare viros, qui ſint admittendi ad Ordines Militares, Regnorum Hiſpaniæ proprios; quare ea gratia, ac beneficium conceſſionis, vt quis poſſit ad illos admitti, præuiis informationibus de ſanguinis puritate, ſeu etiam nobilitate, & aliis requiſitis, non ab alio niſi à Regibus noſtris præſtari valet; Quippè id ab exordio ipſis Ordinibus, vt ex Bullis Pontificiis conſtat, & deindè ex eorum conſenſu Magiſtris Ordinum competebat, & à Pontificibus indultum eſt Hiſpaniæ Regibus, cum eos in Adminiſtratores perpetuos Ordinum Militarium conſtituerunt, & deſignarunt, concedentes, vt exequi valeant, quidquid Magiſtri valebant, ea ſolùm limitatione, vt per Religioſos earundem Militiarum ab ipſis deputandos præſtent ea, quæ ad ſpiritualia concernunt. Gratia autem admiſſionis ad Ordines Equites non eſt quid ſpirituale vt *diſq.* 1. *q.* 14. ſtatuimus, atque àdeò immediatè per ſe ipſos à Regibus conceditur, vt à Magiſtris Ordinum concedebatur, quibus Alexander III. & Lucius III. indulſerunt in Ordine Alcantaræ, vt poſſent ad illum admittere, quos vellent, laïcos, aut Clericos; Extant eorum Bullæ in Ordinis ipſius Bullario, *pag.* 4. *&* 6. & ſimiles Bullæ reſpectu aliorum Ordinum Militarium expeditæ fuerunt à variis Pontificibus.

54 Cæterùm poſt Informationes peractas Habitus Equitum concedendus eſt à Regularibus ipſorum Ordinum deſignatis à Senatu Regio Ordinum (ad quem poſt gratiam à Rege factam, cætera ſpectant) Quod ita executioni mandatur; quippè id committitur Equiti Profeſſo Ordinis, cuius eſt Habitus, & ſimul Fratri Profeſſo. Nam cum actualis admiſſio in Ordinem poſt gratiam factam ſit quid ſpirituale, non ab aliis præſtanda eſt, niſi ab eo, qui eſt capax poteſtatis ſpiritualis, hæcque ei traditur. Quod vim habet in ſententia aſſerente, Equites eſſe ſtrictè Religioſos. Accedit, opportere, Fratrem aſſiſtentem admiſſioni Equitis, eſſe Presbyterum, cum enim in admiſſione benedictiones Habitus præcedant, hæ non niſi à Presbytero ſunt impertiendæ; indeque cernitur, rem ibi ſpiritualem exerceri, ſaltem quoad benedictiones. Cæterùm iuxta Statuta Ordinum Habitus concedendus eſt in Monaſteriis à Prioribus; in quo communiter iam diſpenſatur, & in diſpenſatione ſubſidium pecuniarium Equitibus imponitur. Quod ſubſidium impenditur in opera pia intra Ordinem, ſicut ſubſidium, quod ob diſpenſationem in Profeſſione extra Monaſterium erogatur.

Ob rationem nuper poſitam Equitum Profeſſio facienda eſt coram Religioſo Profeſſo ipſius Ordinis deſignato à Regio Ordinum Senatu, qui nomine Magiſtri Ordinis vota acceptet, eique vt locum, ac vices Magiſtri gerenti, Eques promittat Obedientiam, ac cætera, quæ in Profeſſione continentur, iuxta formulam in vnoquoque Ordine præſcriptam. 55

Scio, Bartholomæum de Bechis *in praxi nouit. diſputation.* 12. *dub. prima, num.* 17. Villalobos *in ſumm. tom. ſecundo, tractat.* 35. *difficul.* 20. *à num. quinto* & alios, quos refert, & ſequitur Diana *part. tertia, tractat.* 2. *de dub. Regular. reſolution.* 70. aſſerere, ex commiſſione Prælati poſſe quemvis Religioſum, aut Clericum, aut etiam laïcum, admittere Profeſſionem, ac eam acceptare, tunc enim ille nihil ſpirituale exercet, ſed quaſi teſtis, vel Procurator eſt, coram quo Religioſus promittit Deo, & Prælato Obedientiam, aliaque emittit vota; illeque ſe habet, quaſi merè paſſiuè, & nomine alieno agit, ac ſi interlocutor foret, qui Prælato referret, Religioſum promiſiſſe ipſi Obedientiam iuxta Ordinis Statuta cum cæteris votis, & poſtmodùm referre Equiti, Prælatum ea vota acceptaſſe: Sic enim res, veluti craſſa Minerua, exponitur. 56

Iuxta hanc ſententiam poterit in aliquo raro euentu (nempè diſtantiæ, ægritudinis, aut occupationis Equitis) diſpenſari, vt nomine, & commiſſione Magiſtri Ordinis aliquis alius, qui non ſit Regularis ipſius Ordinis, Profeſſionem concedat, & acceptet. Et à fortiori in ſimili raro euentu, valebit diſpenſari in eo, quòd Habitum concedat, & in Ordinem admittat Equitem aliquis, qui non ſit ex ipſo Ordine. Profeſſio enim quid maius eſt, & proximius ad ipſam Religionem, quàm admiſſio in Nouitiatum, vt ex terminis conſtat; vnde ſi valet diſpenſari, vt aliquis extra Ordinem ex commiſſione, & nomine Magiſtri acceptet Profeſſionem, etiam valebit diſpenſari, vt ex eadem commiſſione, & nomine Prælati admittat in Ordinem. Cum 57

tamen

tamen benedictiones ſint impertiendæ Habitui, curandum erit in eo caſu, vt aſſiſtat Presbyter, qui eum benedicat, aut ſaltem antecedenter ſint præſtitæ benedictiones à Presbytero, ſi hic aſſiſtere nequeat admiſſioni Equitis in Ordinem Militarem.

58 In Ordine Diui Iacobi poteſtas admittendi Fratres Clericos ad Ordinem Prioribus ſimul cum Capitulis Monaſteriorum commiſſa videtur à Regibus, & ab Ordine ipſo, ſiquidem à Capitulo generali limitatur, ne ex eodem loco poſſint admitti pluſquam tres Fratres, in vnoquoque Monaſterio. Sic extat in Statutis *titul.* 12. *capit.* 12. *pagin.* 131. In Ordine Calatrauæ Prior, ſeu Adminiſtrator Monaſterij, ſimul cum Senioribus ex commiſſione Regis, & ipſius Ordinis debet admittere Fratres Clericos, vt innuitur in Definitionibus *titul. ſecundo, capit.* 25. Vbi iniungitur, veſtes, quibus ornabatur Eques, aut Frater Clericus, cum in Monaſterio Habitum accipit, Sacriſtiæ maiori fore applicandas. Quòd ſi ex diſpenſatione Regis Eques extra Monaſterium Habitum accipiat, (quæ diſpenſatio neceſſaria eſt Equitibus Ordinum, qui in eos admittuntur) debet ſoluere viginti ducata, &c, ſi ſimul accipiat Commendam, quadraginta pro redemptione veſtium, quæ applicantur ornatui Sacriſtiæ, & Reliquiarum. In Ordine autem Alcantaræ, vt conſtat ex Definitionibus *titul.* 4. *Capit. ſecundo.* Prior Monaſterij facultatem habet acceptam ab Ordine, vt ſimul cum Senioribus examinet Fratres Clericos admittendos, & poſt informationes peractas à Fratre quodam Presbytero, ſeniore, & timorato, eos in Ordinem admittat; priùs tamen Informationes mittendæ ſunt ad Senatum Regium Ordinum, & ab illo approbandæ; & admittendi etiam de conſilio Prioris, & Seniorum mittendi ſunt ad eum Senatum, vt de idoneitate ante admiſſionem examinentur. Prætereà *cap.* 4. ſtatuitur, quinam debeant in admiſſionis gratia alios præcedere, cæteris paribus. Itaque Prioribus ſimul cum ſuis Capitulis, aut Senioribus competit facultas admittendi Fratres Clericos, ex ipſorum Ordinum Statutis: nec à Rege ſolo poteſt abſque diſpenſatione pontificia ea poteſtas tolli. Et Fratres quidem ſemper intra Monaſteria admittuntur; Vndè, cum in Curia hoc ſæculo petiiſſet Vir quidam in Regis obſequio detentus admitti in Ordinem Calatrauenſem, vt Frater Clericus, quin ad Monaſterium pergeret, conſultus Rex ſententiam à Monaſterio poſci impetrauit, àquo omnino res fuit impedita. Cæterùm ſoli Priores admittere poſſunt, & non Superiores, illis deficientibus, nam his non conceditur expreſsè hæc poteſtas in Statutis, & Definitionibus. Et hæc in his Ordinibus norma ſeruatur, vt Superiorum poteſtas, deficientibus Prioribus, exprimatur.

Attentis Statutis, ac Definitionibus Ordinum Militarium, omnes Equites tenentur profeſſionem emittere in Monaſterio coram Magiſtro, aut Priore, vel eo deficiente, coram Subpriore, & Equitum probatio ibidem præcedit, per deſignatos dies, informatioque meritorum cuiuſque conficitur à Prioribus, ad quæ omnia adhuc Definitiones nunc vigentes vrgent; Verùm ob varias cauſas non difficulter diſpenſatur in his à Senatu Regio Ordinum, eaque opera commutantur in ſubſidium pecuniarium. Videantur tum circa hæc, tum circa alia, quæ profeſſionem Equitum, & Fratrum comitantur in Statutis Ordinis Diui Iacobi *titul.* 5. In Definitionibus Calatrauæ *titul.* 7. *capit.* 2. *&* 6. In Definitionibus Alcantaræ *tit.* 15. *per totum.* Clerici Fratres profeſſionem emittunt coram prælato Monaſterij, Regis, prout Magiſtri, vices gerenti. Nec tibi diſſonet, etiam Clericos Fratres emittere profeſſionem Regi, aut alteri ex eius nomine, de quò redibit ſermo *diſquiſit.* 9. Etenim Fratres Hoſpitalis Regij Burgenſis emittunt profeſſionem Abbatiſſæ Monaſterij *de las Huelgas*; & olim erant quidam Capellani Religioſi Ciſtercienſes deputati Monialibus, qui Abbatiſſis profeſſionem emittebant, vt teſtatur Illuſtriſſimus Fr. Angelus Manrique *in Memoriali pro Prioratu Calatraua, pag.* 31. *num.* 8. Itaque laicis perſonis poteſt emitti profeſſio, atque adeò & Regi. 59

QVÆSTIO VII.

Ad quid teneantur Nouitij Ordinum Militarium tempore nouitiatus?

IN primis certum eſt, non obſtringi votis, cum ea adhuc non emiſerint. Deindè aſſero, non teneri illos ad obſeruationem Regularum, & Definitionum. Sic cum pluribus docet Pater Thomas Sanchez *tomo tertio ſum. lib.* 6. *cap.* 10. *numer. ſeptimo*, & Ego plures Authores referens tradidi *tomo in Bull. Cruciata diſputat. quarta, num.* 22. ex eo quòd nomine Religioſorum nouitij non comprehenduntur; Vndè non cenſetur Apoſtata nouitius à Religione recedens. Prætereà Regulæ, & Definitiones 60

Religi-num non obligant, niſi eos, qui ratione Profeſſionis ſunt veri Religioſi, atque ſe ipſos illis ſubiecerunt; Nouitij autem nondum in ſodalitium, & contubernium Religioſorum ſunt admiſſi, ſed in probatione verſantur, ad experiendum, vtrum admittendi ſint. Confirmatur; nam Cathecumeni non tenentur legibus Eccleſiæ, donec perfectè per Baptiſmum admittantur in Eccleſiæ gremium; ſimiliter ergo nec Nouitij legibus Ordinum adſtringuntur, donec per Profeſſionem in eos admittantur.

61 Deindè iuxta Tridentinum ante Profeſſionem integer annus probationis debet omnino præcedere, nec ante decimum ſextum ætatis annum completum poteſt vllus Profeſſionem emittere, quod commune eſt omnibus Religioſis. Rursùs in Ordinibus Diui Iacobi, & Calatrauæ renentur Nouitij per ſex menſes in triremibus militare, vt Inſtitutum Ordinum militandi contra hoſtes Fidei experiantur, & deinceps in Monaſteriis per integrum menſem debent verſari, vt ceremonias, & Regulas addiſcant, ac norma diſciplinæ Religioſæ eis innoreſcat, & aſſuefiant indè regulari viuendi tenori. Quod, ſi cum Equitibus Calatrauenſibus diſpenſetur in militia triremium, per tres menſes tenentur in Monaſterio Calatrauæ verſari, niſi adhuc ob vrgentes cauſas à Rege noſtro eximantur ab hac obligatione. Ita hæc extant in Statutis Diui Iacobi *tit.5. cap.8.* & in Definitionibus Calatrauæ *tit.7. cap.1.*

62 In Ordine Alcantaræ, vt conſtat ex Definitionibus *tit.15. cap.1. & 2.* Nouitij Equites tenentur degere in probatione in Monaſterio Alcantaræ per triginta dies, ibique modeſtis veſtibus, & abſque vllis armis incedere, obedientiæque Prioris omnino ſubeſſe. Ibidem alia ſtabiliuntur ab eis obſeruanda, & pœna infligitur violatoribus, & ſimul Priori, & Subpriori, aut Præſidi conſentienti violationem, & non punienti Equites, qui in primo Capitulo ipſius Monaſterij monendi ſunt de his, quæ in probatione tenentur obſeruare. In triremibus etiam militare debent, ex Ordinis præſcripto, ſicut Nouitij Iacobæi, & Calatrauenſes, quamvis id in Definitionibus non contineatur.

63 Cæterùm Fratres Clerici in ipſo Monaſterio per integrum annum Nouitiatus tenentur verſari, Choro aſſiſtere, & cæteris Communitatis Actibus, qui non ſunt proprij Profeſſorum; Atque hoc tempore probantur, & exercentur; & ſanè per omnia humilitatis, obedientiæ, & aſperæ vitæ media, vt peracto anno, poſſint ad Profeſſionem admitti, præcedentibus omnibus requiſitis in vnoquoque Ordine, & Monaſterio deſignatis; maximè approbatione Prioris, & Seniorum, nam abſque illa nequeunt Profeſſionem emittere, & duplici menſe ante illius emiſſionem, renunriationem tenentur facere bonorum ſuorum.

Frequentiſſimè iam cum Equitibus diſpenſatur in aſſiſtentia ad triremes, & in probatione peragenda in Monaſteriis, quæ in ſubſidium pecuniarium commutantur, exigentibus id circunſtantiis occurrentibus, & indigentia eiuſmodi ſubſidij ad Bellum contra Infideles peragendum, ac ad alia opera pia propria ipſorum Ordinum præſtanda; &, cum iuſtæ cauſæ interueniant, poreſt Rex, vt Adminiſtrator, ac de eius Commiſſione Senatus Regius Ordinum in his diſpenſare. Cæterùm differre Profeſſionem poſt annum peractum Nouitiatus, non eſt peccatum lethale; Ita P. Peñafiel *de Ordinibus Militaribus tit.2. cap.2.* Qui rectè ibi probat, Tridentinum non obligare ad emittendam Profeſſionem, finito Nouitiatu, & declarationem Cardinalium ad id affert; nec Statuta, & Definitiones Ordinum Militarium obligant ſub lethali ad profeſſionem faciendam; ſed ſub pœna. Praxis etiam Virorum timoratorum id ſuadet. Expedit tamen omnino, Profeſſionem emitti, Nouitiatu peracto. Sed iam laxius, quàm par erat, in hoc, & in aliis non paucis Equites Militares ſe habent, & à primæua diſciplina deſciſcunt; Quod dolens expendit P. Peñafiel *ſuprà tract. 5. cap. 7.* 64

QVÆSTIO VIII.

De priuilegiis, quibus gaudent Nouitij Ordinum Militarium. Vbi de priuilegio Canonis.

Fruuntur Nouitij fauoribus Religionum. Ita habetur *in Clementina 1. de priuilegiis; cap. Religioſo de ſentent. excomm. in 6.* Docent Tiraquellus, Mandoſius, Nauarrus, Sarmiento, Corduba, & alij, quos retuli *tom. in Bullam Cruciat. diſp.4. num.22.* Hinc Nouitios Ordinum Militarium, horum fauoribus gaudere, tenendum eſt, vt expreſsè tradit P. Peñafiel Araujo *de obligat. Ordinum Militar. tract.6. cap.3.* Exindè Ego *alii* intuli cum Rodriguez, Trullench, Ledeſma, Fernandez, Diana, P. Henriquez, Suarez, & aliis, Nouitios vti poſſe Bulla 65

Bulla Cruciatæ, vtpotè fauorabili, etiam renuente Prælato, adhuc quoad abſolutionem à caſibus reſeruatis, ſi in proprio Ordine dentur, (nulli autem dantur in Ordinibus Militaribus) Etenim reſeruatio in Religionibus non ſe extendit ad Nouitios, cum ſit odioſa, & in odioſis Nouitij non comprehendantur nomine Religioſorum; Quapropter Pontificum diſpoſitio, qua Regularibus interdicitur vſus Bullæ Cruciatæ, ad hoc vt abſoluantur à caſibus in Religione reſeruatis, non eſt ad Nouitios extendenda. Id *loco relato, diſputatione* 14. *à num.* 171. latè tradidi cum præfatis Authoribus, & cum Acoſta, Villalobos, Ludouico à Cruce, Ludouico Lopez, Emanuële Rodriguez; Leandro de Sacramento, Vega, P. Sa, Azor, & aliis. Et, quamvis Priores ob iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem poſſint reſeruare peccata ſubditorum, ſiuè laici ſint, ſiuè Nouitij, tamen nequeunt reſeruare caſus Nouitiorum, prout præcisè Prælati regulares ſunt, independenter à prædicta iuriſdictione. A caſibus autem Epiſcopo reſeruatis, & conſequenter à reſeruatis ei, qui iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudet, poſſe virtute Bullæ abſolutionem præſtari, docui *ibidem diſp.* 23. *cap.* 4 *& diſp.* 25. *num.* 40.

66 Gaudere prætereà Nouitios, etiam Equites Ordinum Militarium priuilegio fori, docent P. Peñafiel *vbi ſupra num.* 12. D. Laurentius Mattheu *de regimine Regni Valentiæ, cap.* 7. §. 4. *num.* 47. Vbi etiam eos gaudere priuilegio Canonis tuetur; de quo *infrà*. Prætereà Mota, Sylueſter, Nauarrus, Valenzuela Velazquez, Diana, Riccius, Carleval, Eſcaria, Ioannes Andreas, Hoſtienſis, Donatus de Marinis, Grafis, Maceratenſis, P. Filiucius, Barboſa ſenior, & iunior, Viuianus, P. Henriquez, Marius Antonius, Ambroſius Machinus, Thomas del Bene, Capicius Latro, Coſta, Dom. Pizarro, Cochier, Octauius Caracius, Dom. Larrea, & alij propè centum Authores, quos refert, & ſequitur D. Gineſius Morote *in defenſione Ordinis de Alcantara, concluſ.* 2. *à fol.* 34. probant, nam is eſt fauor Ordinum, & fauoribus potiuntur Nouitij, qui, quamvis ſtatum perfectum Religionis non ſint adepti, intra eam tamen ſunt, & corpus myſticum illius componunt, veluti partes, eſtò imperfectæ. Quomodo autem hæc quæſtio circa forum Nouitiis adaptetur, recolenda ſunt ea, quæ diximus *diſq.* 2. *quæſt.* 2.

67 Rursùs gaudere etiam Equites priuilegio Canonis, *Si quis ſuadente diabolo*, ex principio præiacto deducitur in ſententia aſſerente, Equites eſſe ſtrictè Religioſos; & colligitur ex præfato *cap. Religioſo de ſentent. excommun. in* 6. Et quidem ſatis vulgatum eſt in Iure, adhærentia Religioſis eſſe religioſa, *leg. quæ Religioſis, ff. de rei vendicat.* Et, cum Nouitij Religioſis adhæreant, Religioſi in fauorabilibus ſunt iudicandi; Quam doctrinam latè firmant Archidiaconus, Panormitanus, Nauarrus, P. Leſſius, & innumeri alij, ac Gloſſa *in cap. beneficium, de Regularibus lib.* 6. Hinc percuſſor Equitis, aut Fratris Militaris Nouitij, incurret ſententiam excommunicationis, ſicut incurrit quilibet violentas manus injiciens in Equites profeſſos, vt Alexander IV. declarauit in Bulla, quæ incipit, *Paci, & quieti*, & affertur in Bullario Ordinis de Alcantara, *pag.* 223. expedita in fauorem Ordinis S. Iacobi, cuius priuilegia participant Ordines Calatrauæ, & Alcantaræ.

Id priuilegium Canonis etiam Calatrauenſibus, & Alcantarenſibus competere, declararunt Innocentius III. & Gregorius IX. in Bullis allatis in eodem Bullario, *pag.* 17. *&* 98. Id ipſum roborat Mota reſpectu Iacobæorum *in reg. Ordin. D. Iacobi, lib.* 2. *cap.* 48. *& de confirmat. Ordin. ex* §. 20. Vbi affert Bullas Vrbani IV. Sixti IV. Alexandri IV. & aliorum Pontificum. Bonacina *tom.* 1. *diſp.* 2. *de excommun. quæſt.* 4. *punct.* 3. *ex num.* 8. docet, Equites Ordinis S. Ioannis, vtpotè ſtrictè Religioſos, & Equites Iacobæos ob priuilegium Bullæ Alexandri IV. gaudere priuilegio Canonis; non verò alios Equites Militares, eo quòd non ſint ſtrictè Religioſi. Sed tamen ob communicationem priuilegiorum, quamvis aſſeratur, eos Religioſos ſimpliciter non eſſe, videtur eis competere id priuilegium. Verùm recolenda ſunt, quæ diſcuſſimus *dicta diſq.* 2. *quæſt.* 2. Denique dicendum eſt, Nouitios gaudere omnibus Indulgentiis, gratiis, ac priuilegiis conceſſis in fauorem ſuorum Ordinum, quæ non ſunt annexa profeſſioni, aut hanc expreſsè non requirunt. Et quidem, vt tam profeſſi, qui ſtrictè Religioſi ſunt, quàm Nouitij, Indulgentias lucrentur ſuis Ordinibus conceſſas, aut per communicationem participatas, non indigent Bulla Cruciatæ, vt docet P. Quintanaduenas *tom.* 1. *ſingular. in appendit. tract.* 4. *dubio* 12. *num.* 9. & Ego tradidi *tom. in Bullam Cruciatæ diſp.* 39. *cap.* 37.

QVÆST. IX.

QVÆSTIO IX.

Exponuntur verba Profeſſionis, quam emittunt Militares.

69 EXponemus *quæſt. ſequenti* verba quædam ſpecialia, quæ in profeſſione Alcantarenſium proferuntur; Nunc alia verba communiora elucidabimus, quæ formaliter, aut æquiparenter in omnium Militarium profeſſione pronuntiantur. Vota quidem paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ tribus ſequentibus diſquiſitionibus exponemus; Votum verò quartum, quòd in Profeſſione emittunt Regulares trium Ordinum Militarium, explicabimus *diſq.*12. *quæſt.*9.

70 Igitur in Ordine D.Iacobi in profeſſione emittuntur Vota *ſecundùm Regulam Ordinis*; In Ordine autem Calatrauæ, & Alcantaræ, *ſecundùm Regulam S.Benedicti*. Quæ formula reſpectiuè in pluribus Sacris Ordinibus vſitatur, vt videre eſt apud P. Suarez *lib.* 10. *de Relig. cap.*7. *num.*5. *tom.*3. Vbi diuerſas affert formulas profeſſionis; Et in profeſſione Religioſorum illuſtris Familiæ prædicatorum promitti Obedientiam ſecundùm Regulam, refert D. Thomas 2. 2. *quæſt.*186. *art.*6. Significatur autem his verbis, Profitentem ſe obligari ad ſeruanda vota iuxta præſcripta in ea ſpeciali Regula, & Inſtituto, & non aliter. Sic Equites Iacobæi vouent Caſtitatem coniugalem, & Paupertatem iuxta Regulam, & priuilegia ſui Ordinis; quare ex vi profeſſionis non tenentur ſeruare Caſtitatem abſolutam, nec paupertatem, eo modo quo ſeruatur in Ordine S. Dominici, S. Franciſci, & in aliis Religionibus. Calatrauenſes, & Alcantarenſes *ſecundùm Regulam S. Benedicti* profitentur, & ea verba cadunt ſupra Obedientiam promiſſam, ita vt non aliter obedire obſtringantur, niſi mandata ſecundùm Regulam ſint.

71 Optimè id expoſuit Diuus Bernardus *de præcept. & diſpenſ. cap.*7. inquiens; *Non parùm Prælati præſcribitur voluntati, quòd is, qui profitetur, ſpondet quidem Obedientiam, non tamen omnimodam, ſed determinatè ſecundùm Regulã; nec aliam, quàm S.Benedicti; vt oporteat, eum, qui præeſt, non frænâ ſua laxare voluntati ſuper ſubditos, ſed præfixam ex Regula ſibi ſcire menſuram; & ſic demùm ſua imperia moderari circa id ſolum, quod rectum eſſe conſtiterit. Proinde ſi Profeſſo ſecundùm illam Regulam Abbas meus mihi aliud forte imponere tentauerit, quod non ſit ſecundùm Regulam, aut etiam quod non ſit ſecundùm iſta Inſtituta, verbi causâ, Baſilij, Auguſtini, Pachomij; quanam mihi, quæſo, in hac re neceſſitas imminet obſequendi? Solùm quippè id à me poſſe exigi arbitror, quod promiſi. Videtis iam ergo Obedientiæ limites, quos requiritis; ſi modus eſt Obeditionis, tenor Profeſſionis; nec ſe valeat extendere poteſtas imperantis, niſi quatenùs attigerit votum Profitentis.* Nihil poteſt ſuperaddi.

Hinc cernitur, quomodo ſint intelligendæ diuerſæ formulæ profeſſionum, nempè, *Promitto conuerſionem morum ſecundum Regulam.* Quæ verba explicat D. Thomas *quodlib.* 1. *art.* 20. loquens de profeſſione ſtatuta à S. Benedicto; *Hoc eſt dictum, vt ſecundum Regulam dirigat mores ſuos. Contra quod facit, ſi vel ea, quæ præcepta ſunt in Regula, transgrediatur, vel etiam contemnat Regulam, ſecundum eam dirigere actus ſuos omnino recuſans.* Deindè, *Promitto Obedientiam ſecundum Regulam*, iam nuper expoſitum eſt; & D. Thomas docet, id eſſe, ita vouere, vt profeſſioni non contrarietur, nec ſit peccatum graue, niſi quod eſt contra præceptum Regulæ. Rursùs, *Promitto ſeruare Regulam*; Quæ verba exponit ipſe Diuus Thomas 2. 2. *quæſt.* 186. *art.* 9. *ad primum*, inquiens, *Ille, qui profitetur Regulam, non vouet ſeruare omnia, quæ ſunt in Regula; ſed vouet Regularem vitam, quæ eſſentialiter conſiſtit in tribus votis.* Demùm, *Promitto Obedientiam ſub Regula*, idem eſt, ac *ſecundum Regulam*, nam, qui ſub aliqua Regula viuunt, & non ſecundùm illam, ſanè materialiter, & non formaliter ſub ea degunt, vt rectè tradit, varias expoſitiones huiuſmodi formularum proponens, Benedictus Haeftenius, *in diſquiſitionibus Monaſticis, lib* 4. *tract.* 6. *diſquiſ.*2. 72

73 A Regularibus Militiarum Calatrauæ, & Alcantaræ interrogatis, qui profeſſionem nomine Ordinis ab eis acceptat, Quid promittant? Ipſi verò reſpondent; *Eſtabilidad, y Firmeza.* Etenim olim aliqui Monachorum habitum geſtantes ſemper vagi, & nunquam ſtabiles per diuerſas prouincias, & diuerſorum cellas hoſpitabantur; Alij verò in Monaſterio degentes, etiam poſt profeſſionem, impunè de cœnobio ad cœnobium tranſmeabant, vt refert Haefte-nus *vbi nuper*, *diſquiſ.*4. Vtrumque multis erat damnis, & incommodis obnoxium, quibus occurrere cupiens S. Benedictus, eam promiſſionem ſtabilitatis ſuis Monachis indixit, indeque de Nouitio agens *cap.* 58. ait; *Suſcipiatur in Congregatione ſciens, lege Regulæ conſtitutum, quòd ei ex illa*

illa die non liceat de monaſterio egredi, nec collum excutere de ſub iugo Regulæ, quam ſub tam moroſa deliberatione licuit recuſare, aut ſuſcipere. In idem tendit S. Bernardus *epiſt.* 7. inquiens; *Sic te ſtabilem in loco exhibeas, vt Abbati ſubiectus non contemnas, & ſic obedias ſubiectus Abbati, vt ſtabilitatem loci non amittas.* Itaque ſtabilitas eſt perſeuerantia in loco Profeſſionis, quandiu ea non obeſt perfectiori vitæ, aut repugnat obedientiæ; vt explicat Seruatius Laïruelz *in Catecheſi Nouitior. tom.1. lect.*112.

74 Nec tamen huic ſtabilitatis promiſſioni contrariatur migratio ad vitam perfectiorem: nec egreſſio ad ſtudia literarum addiſcenda; nec ad alia Monaſteria, ſeu loca, de licentia Superioris; nec alia huiuſmodi, quæ latè proſequitur Benedictus Haëftenus *vbi ſuprà diſquiſ.* 4. Cæterùm ſtabilitas rectè à pluribus Authoribus ſumitur pro perſeuerantia in ſtatu Religioſo; nam vt ait Panormitanus *in cap. ex reſcripto, de iureiurando, ex num.*3. & apud eum Innocentius, *Vbicumque fuerit Monachus, dummodò ſit ſub obedientia Abbatis, ſemper fingitur eſſe in clauſtro. Atque id colligitur argumento textus in cap. inſinuante, qui Clerici, vel vouentes; cap. cum illorum, de ſentent. excommun.*

75 Hinc Militares Equites non promittunt ſtabilitatem in loco, cum non ſit inſtituti ipſorum, in Monaſteriis permanere; ſed ſtabilitatem in ſtatu Religioſo. Clerici autem Fratres & eandem promittunt ſtabilitatem, & prætereà eam in Monaſteriis, dum Prælati ipſis licentiam exeundi non concedant, ſeu in his Muneribus occupent, quæ extra Monaſteria ſunt exequenda; aliàs debent intra ipſa degere. Vnde, ſi abſque licentia è Monaſteriis exirent, vt vagarentur, aut rebus temporalibus intenderent, aliisvè, abſque Ordinis præſcripto, ſtabilitatis promiſſionem violarent, non ſecùs ac Monachi ſub Regula S. Benedicti militantes; multoque magis, ſi habitu dimiſſo, redirent ad ſæculum. De quibus videndi ſunt D. Baſilius *in Conſtitut. Monaſt. cap.*20. Bernardus Caſſinenſis *in ſpeculo, p.1. cap.*2. Turrecremata *in Regula S. Benedicti tr.*128. Dionyſius Carthuſianus *de Profeſſ. Monaſt. art.*5. Beda *in hiſtor. Angliæ, lib.*4. *cap.*5. D. Bernardus *epiſt.*7. *& ex* 65. *vſque ad* 68. *&* 293. præclarè de ſtabilitate, atque eius oppoſitis diſſerentes. An autem violetur ſtabilitás, ſi Militaris abſque licentia Superioris ad perfectiorem vitam in ſtrictiori Religione tranſeat, diſcutiemus *infrà, quæſt.*12.

76 In Ordine S. Benedicti non fit mentio Caſtitatis, & Paupertatis in Profeſſione, ſed ſolùm Obedientiæ ſecundùm Regulam. Idem euenit in Ordinibus Carthuſienſium, Cluniacenſium, Camaldulenſium, & aliorum, quorum mentionem faciunt Petrus Dorlandus *ſerm. de ſignific. habit. Carthuſ.* Seruatius Laïtuelz *vbi ſuprà, lect.* 123. Ioannes Soreth. *part.6. Conſtit. Prædic. diſt.* 1. *cap.* 15. Benedictus Haëftenus *vbi ſuprà diſquiſ.*6. Verùm in Ordinibus D. Iacobi, & Calatrauæ tria vota exprimuntur, voto Paupertatis explicato ſub voce *viuendi ſine proprio*; At in Ordine Alcantaræ expreſsè non promittitur Paupertas, nec viuere ſine proprio, ſed Obedientia, Caſtitas, & Conuerſio morum ſecundùm Regulam S. Benedicti. Nullus addubitauit, in eiuſmodi formulis Profeſſionis emitti tria vota Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ, quamvis non omnia exprimantur, contineríque in verbis, quibus fit Profeſſio. Sicut, cum quis Sacrum Ordinem Subdiaconatus recipit, conſtans eſt, emittere votum ſolemne Caſtitatis per ipſam Ordinis receptionem, quamvis expreſsè illud non emittat.

Bernardus Caſſinenſis *in Specul. part.*1. 77
*cap.*10. quem ſequitur Boërius, docet, in Conuerſione morum includi Paupertatem, & Caſtitatem, nam per eam Conuerſionem abdicat quis à ſe poteſtatem proprij corporis, & rerum omnium; quia cum hac poteſtate non ſtaret morum Conuerſio; Nam, qui renunciat vni, renunciat omnibus, quæ ex illo ſequuntur; & qui veteres mores perfectè conuertit, nec luxuriæ ſeruit, nec auaritiæ, quæ duo vitia ad veterem hominem pertinent. Hinc *lib.*3. *Decretal.* titulus 32. eſt, *de Conuerſione coniugatorum*; quo titulo agitur de Religioſa coniugatorum Profeſſione, & de eorum Paupertate, ac Continentia, quæ ſub illa Conuerſione includuntur. Hunc dicendi modum ſectantur Dorlandus *vbi ſuprà*, & Carolus Fernandus *in Specul. lib.*1. *cap.* 27. Sed non videntur rem exponere; nam eiſdem rationibus poterant ſuadere, ſub Conuerſione morum includi humilitatem, temperantiam, manſuetudinem, & alias virtutes; ſiquidem vitia capitalia ſuperbiæ, gulæ, iræ, & ſimilia ad veterem hominem ſpectant, nec is, qui illis inſeruit, poteſt perfectè conuerti; ac proportionatè aptantur omnes rationes factæ pro Paupertate, & Caſtitate incluſis in Conuerſione morum.

Rectiùs ergo eſt dicendum, vota, quæ 78
non exprimuntur, contineri ſub voto Obedientiæ, quod ſemper exprimitur. Ita S. Thomas 2.2. *quæſtione* 186. *art.*8, *in corpore*, aſſerens;

aſſerens ; *Votum Obedientiæ continet ſub ſe alia vota ; Nam Religioſus, etſi teneatur ex voto Continentiam ſeruare, & Paupertatem, tamen hæc etiam ſub Obedientia cadunt.* Sequuntur hunc dicendi modum Turrecremata *in Regula S. Benedicti* ; Seruatius *vbi ſuprà lect.* 121. Petrus Sutor *lib.*1. *de vita Carthuſ. tract.*3. *cap.*11. Haëftenus *vbi ſuprà*, Qui ſimul ſpecialem rationem tradit, cur S.Benedictus ſolùm appoſuerit in forma Profeſſionis ſtabilitatem, Conuerſionem morum, & Obedientiam ; ſcilicet quia voluit diſtinguere ſuos Monachos à tribus aliis Monachorum generibus, qui olim dabantur ; *Gyrouagi*, qui huc inde abſque certa ſede vagabantur, à quibus per ſtabilitatem diſtinctio dignoſcitur ; *Anachoretæ*, qui in ſolitudine degebant ſub nullius Prælati regimine ; à quibus per Obedientiam diuerſitas apparet ; *Sarabaitæ*, quibus opponitur Conuerſio morum. Quippè de his S.Benedictus *cap.*1. *Regul.* fatur ; *Tertium Monachorum teterrimum genus eſt Sarabaitarum, qui nulla Regula approbati, experientia magiſtra, ſicut aurum fornacis ; ſed in plumbi natura molliti, adhuc operibus ſeruantes ſæculo fidem mentiri Deo per tonſuram noſcuntur.* Alia de his addit, eoſque valdè vituperant Caſſianus, D. Hieronymus, D. Iſidorus Hiſpalenſis, Beda, Cælius Rhodiginus, Maurinus Victorius, S.Odo, Abbas Cluniacenſis, allati à Benedicto Haëfteno *in diſquiſition. Monaſt. lib. tract.*2. *diſq.*2.

79 Reſtat, vt de Conuerſione Morum in Profeſſione Ordinis S.Benedicti præfixa, & ab Alcantarenſibus etiam in Profeſſione expreſſa, aliqua proponamus, alia circa idem exornaturi *quaſt. ſequenti.* D. Anſelmus *de mundi contemptu, & Monachorum vita*, piis carminibus monet Monachos, qui vouerunt conuerſionem morum, indè iam nunquam fore peccaturos ; ſed priùs ſuperbos humilitatem, luxurioſos Caſtitatem, auaros Paupertatem, ambitioſos ſui deſpectum, gulæ deditos parcitatem debere ſectari. Dionyſius Carthuſianus *de profeſſ. Monach. art.*6. in idem tendit, aſſerens, vitia antiqua in virtutes fore mutanda, vt homo ſe totum animo, & corpore ad Dei cultum, amorem, & honorem conuertat, quin aliquid ſui ſibi relinquat, cum ab ipſo Deo, quod eſt ; & quod habet, acceperit. Collimat in id ipſum Vualloncapellius *in inſtitution. Monaſt. lib.* 3. *cap.*7. aſſerens, mores conuertere eum, qui ſtudet odio habere, quod fuit ; & incipit amare, quod eſſe debet ; & exteriori vetuſtate depoſita, in Domini ſeruitute nouus homo iuueneſcit ; de tepore animi ad feruorem tranſiens, ac de voluptate ad continentiam, fertur que totus ad anteriora, poſteriora relinquens.

80 B. Aëlredus *in ſpecul. charitat. lib.*3. *cap.* 35. ſentit, conuerſionem morum prædictam valdè generalem eſſe, & in Euangelio omnibus Chriſtianis indictam ; quare conuerſionem morum, ait, conſiſtere in parſimonia cibi, veſtium aſperitate, in ieiuniis, vigiliis, & aliis, quæ in Regula S. Benedicti præſcribuntur. Vnde generaliter qui conuerſionem morum profitetur, offert ſeruare vota eſſentialia, vtendo his mediis, quæ in Regula, & Inſtituto, quod ſequitur, continentur, & ad votorum obſeruantiam conducunt ; nec peccat contra votum ex eo, quòd ex fragilitate Regulas violet, niſi contemnat Regulam, aut præcepta ſub culpa graui in illa tranſgrediatur, quæ eſt doctrina D.Thomæ allati *ſuprà num.*138.

81 Petrus Sutor *vbi ſuprà lib.*2. *tract.*5. *cap.*1. Turrecremata *in regula S. Benedicti tract.* 129. ferè id ipſum aſſerunt ; nempè promittentes conuerſionem morum teneri ad agendum vitam regularem ſub habitu Regulari, eamque inſtituendam ſecundùm regularem diſciplinam, ſuos mores iuxta eam componendo. Rigoroſè autem loquendo, iuxta D.Thomam, ex vi prædictæ promiſſionis ſolum tenetur quis ad ſeruanda ea, quæ ſunt Religionis ſubſtantialia, & ea, quæ in Regula præcipiuntur, tanquam neceſſaria media, ſine quibus ſubſtantialia ſeruari nequeunt. Addit Vualloncapellius *vbi ſuprà* ex S. Bernardo *de precept. & diſcip. cap.*20. eam morum conuerſionem ſolùm obligare ad ea, quæ tempore Profeſſionis in Religione obſeruantur ; *Quiſquis ergo tenet, quod teneri inuenerit bonum, profectò viuit, ſicut promittit.*

82 Nec in his verbis promittitur conuerſio morum quaſi iam peracta, ſed ſtudium illius. Quod tamen ſtudium ſi ceſſet, non quomodocumque grauiter peccatur. Hinc docet P.Thomas Sanchez *lib.*6. *ſum. cap.*5. Religioſum, qui proponeret ſeruare vota, & Regulas continentes præceptum, & non ſeruare alias, ſolùm venialiter peccare, niſi indè immineret periculum violandi vota, aut præcepta ; Peccaret autem grauiter, ſi Regulas contemneret, aut nollet amplecti tanquam inutiles, & vanas ; aut ſi intenderet non attingere perfectionem vitæ Religioſæ, & finem illius ; nam, eſtò grauiter non teneatur attingere perfectionem, & finem, tenetur non habere intentionem poſitiuam contrariam, vt tradit Corduba *in Regul. S. Franciſci cap.*2. *quaſt.*3. Longè ab ea intentione debet eſſe Religioſus,

ne

ne conuerſionem morum offerens vacuam virtute gerat ſpeciem pietatis, vt monet S. Bernardus *ſerm. in cap. ieiunij.*

QVÆSTIO X.

Quomodo intelligatur promiſſio conuerſionis morum à bono in melius emiſſa in Profeſſione Alcantarenſium?

83 IN formula Profeſſionis Alcantarenſium, quæ affertur in Definitionibus *tit.* 15. *cap.* 5. proferuntur hæc verba dicenda ab eo, qui Profeſſionem emittit; *Hago profeſſion à Dios, y al ſeñor Maeſtre, y à Vos, que eſtais en ſu nombre, y os prometo Obediencia, Caſtidad* (*coniugal*, additur ab Equitibus) *y conuertimiento de mis coſtumbres de bien en mejor por todos los dias de mi vida haſta la muerte, ſegun la regla de S. Benito, y manera de viuir concedida a eſta Orden de Alcantara.* Meminit huius formulæ Profeſſionis P. Maximilianus Sandæus *tom.* 4. *Militiæ Chriſtianæ, lib.* 2. *commentatione* 4. *membro* 3. Quem nouiſſimè ſcribentem vidi, cum hæc quæſtio Typis mandabatur. Vnde non valui eum referre in Inſtitutionibus Ordinum Militarium *diſquiſ.* 1. appoſitis, Quos omnes ipſe breuiter, ſed diſtinctè, recenſet *eo lib.* 2. *ex commentatione* 2. Igitur ad præfatam formulam rectè capiendam, Votum Obedientiæ, & Caſtitatis exponetur *diſquiſ.* 5. *&* 6. Promiſſio eiuſmodi conuerſionis morum aliquibus iniecit ſcrupulos, quare ea verba operæpretium erit, elucidare. Aliqua de illa præfiximus *quæſt. præcedenti*; ad cætera deueniamus.

84 Cenſeo, nullam obligationem ſpecialem in prædictis verbis includi, quæ non contineatur in voto Obedientiæ iuxta Regulam S. Benedicti, ſed eam ipſam exprimi. Et in primis in Ordine Ciſtercienſi non ſic emittitur Profeſſio, vt verba præfata includat, ſed hiſce verbis; *Ego frater N.* (*laicus, vel Clericus*) *promitto ſtabilitatem meam, & conuerſionem morum meorum, & Obedientiam tibi Reuerendo Patri Fratri N. Abbati, & ſucceſſoribus tuis ſecundum regulam S. Benedicti Abbatis coram Deo, & Sanctis eius, &c.* Ita in Definitionibus Ordinis anni 1635. *cap.* 27. *pag.* 65. Ea autem conuerſio eſt morum ſæculi, qui in Religione mediis votis emendantur, & perficiuntur: Et ſanè hac eadem formula Alcantarenſes vti deberent, cum eorum Ordo ſit Ciſtercienſis; Ac crederem, id ipſum, quod in hac includitur formula, voluiſſe in Alcantarenſium Profeſſione ſignificari, eos, qui illam adſtruxerunt, quamvis ſuperaddiderint eas voces *de bien en mejor*, quaſi æquiualentia, vel expreſſiora, quin intenderent aliam maiorem obligationem inducere. Quis enim ſibi perſuadeat in Ordine Militari, ex ſe minùs ſtricto, quàm Monachali, ſtrictiorem per Profeſſionem concipi obligationem? ergo non alia ſpecialis obligatio per verba prædicta inducitur, quàm in ipſo Ordine Monachali Ciſtercienſi, & quàm ea, quæ per Votorum emiſſionem contrahitur.

Deindè id ſuadetur, quia intelligibilis 85 non eſt alia obligatio; primò, nam, cum non præſcribatur, in qua materia de bono in melius eſſet procedendum, nec quomodo illud melius ſit capiendum, res eſſet omnino lubrica, ſcrupulis obnoxia, & anxietatibus opportuna. Nec, ſi à Profeſſis inquiras, quid ſpecialiter per ea verba vouerint, tibi reſpondere valebunt. Quomodo igitur obligatio contrahatur ignorando, quid voueatur, aut quam obligationem quis ſibi imponat, cum de eſſentia voti ſit deliberatio, quæ imbibit libertatem, ad quæ cognitio requiritur? Secundò, nam, ſi fortè contenderet aliquis, voueri conuerſionem morum de bono in melius in omnibus virtutum materiis, cum hoc ſit votum non ad tempus, ſed perpetuum, ſanè eſſet votum, vel non obligans, vel moraliter impoſſibile. Sicut enim non obligat ad mortale votum non peccandi vnquam venialiter, nec votum rei leuis, etiam quotidie adimplendæ, vt cum Diana, Caramuël, Patre Tannero, & aliis docui *tom. in Bull. Cruciat. diſput.* 16. *num.* 9. Et non eſt validum votum de nunquam peccando, etiam ex ſubreptione venialiter, vt cum communi tuetur Eligius Baſſæus *in ſum. verbo, Votum* 2. *num.* 4. Ita votum operandi ſemper melius, & de bono in melius procedendi, aut non obligat ſub mortali, aut nullo modo, ſed eſt inualidum, eo quòd ſit moraliter impoſſibile. Patet, quia in eo voto includitur votum non peccandi venialiter, quod ad mortale non obligat; & votum non peccandi venialiter adhuc ex ſubreptione, quod eſt inualidum; quippè ſi quis committat peccatum veniale quomodocumque, ſanè de bono in melius tunc non procederet, ſed à bono tantiſper deuiaret, ſeu in bono tepidè ſe haberet. Non ergo in præfatis verbis continetur votum procedendi abſolutè de bono in melius in omnibus actionibus; præterquàm quòd etiam in ſtrictioribus Religionibus Votum eiuſmodi,

nec ſimile emittitur, nec datur adeò ſtri-ſta obligatio, multò igitur minùs in Ordine Militari, qui ex ſe benignior eſt, poteſt admitti.

86 Suadetur ampliùs, quia formula emittendi Profeſſionem in Ordine Calatrauæ, vt extat in Definitionibus *tit. 7. cap. 6.* hæc eſt; *Señor, yo N. hago Profeſſion à Dios, y al ſeñor Maeſtre, y à Vos, que eſtais en ſu nombre, y prometo Obediencia, y caſtidad (coniugal,* addunt Equites.) *y viuir ſin proprio, ſegun la regula del ſeñor San Benito, eſtatutos, y priuilegios de la Orden, y Caualleria de Calatraua, de la Orden del Ciſter.* Vbi nihil additur circa conuerſionem morum de bono in melius; Cum ergo Ordo Alcantaræ ſub eodem Inſtituto, & Regula, ac Ordo Calatrauæ militet, & vterque ſit Ciſtercienſis, nec in ſubſtantialibus quidquam differant, imò & in accidentalibus plurimùm conueniant, fit, vt nullam maiorem obligationem Profeſſi in vno, quàm in alio contrahant ex vi Votorum; aliàs magnum inter vtrumque verſaretur diſcrimen, ſi ſpecialis obligatio, & quidem ſtrictiſſima, in Profeſſione contraheretur ab Alcantarenſibus, à qua Calatrauenſes ſunt immunes. Quid autem ſignificetur per conuerſionem morum, ſatis expoſuimus *q. præced.* ſcilicèt ſtudium emendandi vitam, corrigendi, & perficiendi mores; quod per votorum adimpletionem præſtatur.

QVÆSTIO XI.

An Equites, & Fratres Clerici Militares ex vi Profeſſionis ita ligentur, vt nequeant de ſeipſis diſponere, abſque licentia Ordinis?

87 SVbijciuntur per Profeſſionem Ordinibus Militaribus, eorumque Prælatis tam Equites, quàm Clerici Fratres, cum Obedientiam voueant, & membra Ordinum fiant. Indè dubium præfixum exoritur. Et quidem variè poſſunt de ſeipſis diſponere Regulares Militares, vel in aliam Religionem ingrediendo, (de quo ſeorſim agemus *q. 12.*) vel ſi Equites ſint cœlibes, & nuptias intendant contrahere; vel ſi ad exteras Prouincias migrent, vt in Italiam, Germaniam, Galliam, & ſimiles, ibi ratione Muneris, Militiæ, Dignitatis, Matrimonij, aut alterius cauſæ verſaturi, quod reſpectu Equitum, & Clericorum Fratrum eſt contingens.

88 Equites D. Iacobi nequeunt nuptias contrahere abſque Regis licentia, vt Adminiſtratoris, in ſcriptis habita; aliàs annus pœnitentiæ eis iniungitur. Id in Tredecim viris ſpeciali exigitur ratione, nam informationes priùs peragendæ ſunt de fœminis, cum quibus ſunt matrimonium contracturi. Quæ informationes de qualitate fœminarum peraguntur etiam reſpectu omnium Senatorum Regij Tribunalis Ordinum. Tredecim viri autem, qui abſque licentia nuptias contrahunt, munus Tredecim virorum amittunt. Ita in Statutis, *tit. 2. cap. 6. & tit. 5. c. 6.*

Calatrauæ Equites etiam tenentur licentiam in ſcriptis habere, vt matrimonio copulentur; aliter dimidium pœnitentiæ annum in Monaſterio Calatrauæ ſubituri; & decernitur in Definitionibus *tit. 29. cap. 2.* quòd informationes fiant de puritate ſanguinis fœminarum; Si verò Eques, aut Commendatarius fœminæ copuletur impuri ſanguinis, obnoxius remanet admiſſioni Commendæ, quam habet; aut, ſi non habet, ſpes habendi ei tollitur. Munus autem Procuratoris Generalis, aut Fiſcalis Ordinis nullus poteſt habere, quin vxoris (ſi vxoratus ſit) qualitas priùs per Informationes conſtet, peragendas eo modo, quo de Senatorum vxoribus peraguntur. 89

In Definitionibus Alcantaræ ſolùm exigitur, quod Fiſcalis, & Eques Procurator Generalis, ſubſtitutus Procuratorum Generalium, licentiam modo iam præfato poſcant, vt matrimonium ineant; & informationes de puritate ſanguinis vxorum fiant; ſicut de vxoribus Senatorum eſt ſtabilitum, eo quòd illi ſint membra Senatus Ordinum. Ita *tit. 29. c. 4.* 90

Certum eſt, prædictas prohibitiones non reddere inualida matrimonia, imò nec illicita, ſunt enim ſolummodò pœnales; &, vt non ſemel *in hoc Opere* defendimus, Statuta, & Definitiones Ordinis non obligant ad culpam, ſed ad pœnam, vbi in ipſis non exprimitur obligatio ad culpam, ratione præcepti in virtute ſanctæ obedientiæ, aut cenſuræ inflictæ à legitima poteſtate. 91

Dices, Calatrauenſibus, & Alcantarenſibus conceſſiſſe Paulum III. facultatem, vt poſſint nuptias contrahere; qua facultate à Supremo Superiore obtenta, non eſt neceſſaria alia facultas, nec poteſt prohiberi, quod Pontifex conceſſit. Reſpondeo, ante indultum Pontificium non potuiſſe eos Equites Profeſſos nuptias contrahere nec licitè, nec validè, cum emitterent votum ſolemne Caſtitatis abſolutæ, quod eſt impedimentum impediens, & dirimens matrimonium. Pontifex ergo abſtulit hoc impedi- 92

impedimentum, ſeu indulſit, ne votum Caſtitatis abſolutæ emitterent Equites, vt liberi ab eo impedimento manerent, non ſecùs ac cæteri laïci; quare eos conſtituit in eo ſtatu, in quo ſemper extiterunt Equites Iacobæi, qui dumtaxat ab Ordinis exordio Votum Caſtitatis coniugalis emittunt. Sicut igitur Equitibus Iacobæis poteſt Ordo prohibere nuptias, pœna appoſita, niſi licentiam poſcant; ita & Calatrauenſibus, ac Alcantarenſibus, adhuc poſt Bullam præfatam, in qua exprimitur, eos permanere in eodem ſtatu, ac Iacobæos. Quin Rex prohibet omnibus Senatoribus, & Conſiliariis, ne abſque ipſius licentia nuptias contrahant, quamvis illi aliundè nulla prohibitione ligentur; ſic etiam poteſt eas prohibere Equitibus, eſto ratione Voti non prohibeantur. Vndè prohibitio non tendit ſolùm ad Profeſſos, ſed etiam ad Nouitios.

93 Ratio autem eſt, quia ea prohibitio in primis non reddit inualida matrimonia, vnde non opponitur diſpoſitioni Pontificiæ, quæ ea valida reliquit, & ſolùm tendit ad politicam, ac rectam Ordinum gubernationem; ſcilicèt ne Equites, ſi fœminis impuri ſanguinis copulentur, Ordinis ſplendori detrimentum inferant, & filios procreent, qui indigni ſint in eundem Ordinem admitti, ac alia Munera obire. Quod maximè vim habet in Senatoribus, Tredecim viris, & aliis huiuſmodi, quibus incumbit, in Capitulo, vel in Senatu Ordinum Regio promouere puritatem ſanguinis requiſitam in admittendis ad Ordinem; is enim, qui in propriis filiis ſanguinis maculam inſpicit, non videtur zelaturus in aliis maculæ defectus, nec in eos toto animo Inuehendus. Itaque ex dictis liquet, Pontificem indulſiſſe, vt Equites ita Profeſſionem emitterent, quòd non impedirentur ratione illius nuptias contrahere; non verò abſtuliſſe quominùs ipſi Ordines præſcriberent circunſtantias extrinſecas requiſitas ad contrahendum, quæ ad ſubſtantiam matrimonij non ſpectarent; nam, quæ ad eam pertinent, ſub Ordinum poteſtate non cadunt.

94. Circa abſentiam, ſupponendum eſt, Fratres Clericos, dum in Monaſteriis, & Collegiis degunt, non poſſe ab aliis ad alia loca pergere abſque licentia Senatus Ordinum; niſi ex Collegiis ad Monaſteria redeant, vel ad peragendas Informationes ex præſcripto Præſidis Senatus Ordinnm proficiſcantur. Quod ex Statutis, & Definitionibus expreſsè conſtat. Nec Communitatem licet deſerere, niſi ratione alicuius Beneficij, Capellaniæ honorariæ, Adminiſtrationis, aut Muneris, à Rege noſtro, vel ab ipſo Senatu conceſſi; Nec licet Beneficia, aut prædicta munera relinquere, abſque eiuſdem Regis, vel Senatus licentia. Vnde nullus eſt euentus, in quo Clerici Fratres poſſint de ſe ipſis diſponere, ad alia Regna tranſmeando abſque Prælatorum venia, ſiuè intra Communitatem exiſtant, ſiuè extra illam.

De Equitibus ergo Militiarum poterat hoc dubium ventilari. In quo cenſeo primò, attento rigore Iuris Statutorum, Definitionum, & Inſtituti, non poſſe illos abſque licentia Regis noſtri, aut ſaltem Senatus Ordinum, qui eius vices gerit, ad exteras Prouincias proficiſci, nec longinquas expeditiones inire, vt ad Indias, vel Flandriam. Etenim ratione Obedientiæ, quam profitentur, parati ſemper eſſe debent, vt Rex noſter ipſos ad bellum contra Infideles conuocet, quod eſt eorum proprium Inſtitutum; quomodo ergo accinctos, promptoſque ad militiam eos reperiat, ſi in Germania, vel in Indiis verſentur? Deindè poteſt Rex, vt Adminiſtrator, ſingulorum miniſterio vti ad res Ordinibus ipſis congruentes, vt ad Capitula, ad Viſitationes, Informationes, & ſimilia; qui vſus ab eo tollitur, ſi adeò peregrè proficiſcantur. Demùm ex terminis liquet, ſubditum non poſſe ſe ad eam redigere diſpoſitionem, in qua nequeat Prælatis obedire, eorumque mandata omnino ſubterfugiat, nec ſuo Inſtituto ſatisfacere valeat. 95

Attamen conſuetudine inductum eſt, ſcientibus noſtris Regibus, & non reſiſtentibus, indeque licentiam tacitam, ac beneplacitum præſtantibus, vt Equites Militares, quò velint, pergant, non ſecùs ac alij laïci; ita vt, ſi laïci non poſcant licentiam ad commeandum ad hanc, vel illam Prouinciam, ſeu Regnum, nec illi eam poſcant, ſecùs vero, ſi etiam laïci non poſſint ad aliquod Regnum pergere, abſque licentia obtenta à Rege noſtro, vel à Supremo Senatu Indiarum, vel ab alio. Quæ tamen conſuetudo non extat circa eos Equites Militiarum, qui in ſpeciali Munere Regio, ſeu ipſorum Ordinum ſunt occupati, quod abſque expreſſa licentia nequeunt omittere; vt ſunt Præſides, Senatores, Viſitatores, Fiſcales, Procuratores generales, Prætores, Gubernatores, & alij eiuſmodi, qui ex Ordinibus Militaribus ſint; ſicut etiam alij eiuſmodi, vel ſimilia Munera gerentes, qui non ſunt ex Militiis Equeſtribus, nequeunt ea relinquere abſque expreſſa licentia. 96

Ex dictis colligitur, Equites Militares, 97

attento Inſtituto, non poſſe ſine licentia Sacris Ordinibus initiari, nam hoc ipſo redduntur inhabiles ad militandum contra Infideles, nec poteſt Rex eorum miniſterio ad præliandum vti. Cæterùm *in inferioribus* agemus, an Equites prædicti poſſint de facto, abſque diſpenſatione Pontificia obtinere Beneficia Eccleſiaſtica; nam ſi poſſint, pariter valebunt Sacros Ordines ſuſcipere; Qui enim concedit antecedens, concedit, & conſequens ei annexum; Beneficium autem habens Sacris Ordinibus debet initiari, ſeu paratus eſſe ad eos ſuſcipiendos.

QVÆSTIO XII.

An Regularis Militaris Profeſſus, ſi ad aliam Religionem ſtrictiorem tranſeat abſque licentia ſuorum Prælatorum, valide in illa Profeſſionem emittat?

§. I.

Supponuntur aliqua ad quæſtionis deciſionem.

98 CElebris fuit hæc quæſtio anno 1656. circa Equitem Profeſſum Ordinis S. Ioannis, qui in Indiis in Ciuitate Limenſi abſque licentia ſui Ordinis ſacram Religionem Minorum fuit ingreſſus, ac in ea Profeſſionem emiſit. Pro eius nullitate allegationem edidit doctus Iuriſperitus Hiſpalenſis, cui Thomas Hurtado è Sacro Clericorum Regularium Minorum Ordine ſubſcripſit, & poſt illum aliqui Salmantini DD. Pro eius validitate rem longius diſcuſſit Fr. Ioannes de Quiros ex Religione Seraphica; Cuius deciſioni ſubſcripſerunt plures Magiſtri, ac Doctores Salmanticenſes; & conſultus Ego de eo caſu meum etiam aſſenſum præſtiti, ac ſententiam exornaui. Nunc vtriuſque partis fundamenta proponam; ſed vt *infrà* oſtendam, eadem eſt difficultas, (in ſententia aſſerente, Equites aliorum Ordinum eſſe ſtrictè Religioſos; iuxta quam philoſophabimur in hac quæſtione) de quovis Equite Profeſſo aliorum Ordinum Militarium; imò de quovis Clerico Fratre ipſorum Ordinum, & Ordinis S. Ioannis, ideóque quæſtionem, vt omnibus communem, propoſui.

99 At, vt clariùs ad aſſertum deueniamus, ſupponendum eſt, alios Sacros Ordines non Militares vt plurimum eſſe ſtrictiores, quàm Militares; cum ſemper in illis intra Clauſtra viuatur, Habitus ſit aſperior, paupertas rigidior, obedientia immediatior, oratio frequentior, maceratio corporis durior; cura minor de rebus temporalibus, & non adeò familiaris inter ſæculares conuerſatio. Nec loquimur de Monialibus Militaribus, eas cum aliis conferendo; quippè Moniales Militiarum non parum ſtrictam vitæ normam profitentur. Ex his fit, nobis agendum in præſenti non eſſe de tranſitu à Religione ſtrictiori ad laxiorem, nec æquali ad æqualem, ſiquidem ſermo inſtituitur de tranſitu Ordinum Militarium ad alios; & ſupponimus, Ordines Militares reſpectu Virorum non eſſe ſtrictiores, quàm alios, nec æquales illis in auſteritate, ſed ſuauiores ac mitiores. Ac in præſenti præoculis habendum eſt (ne odioſam quæſtionem reddamus) eſſe difficile, probare quænam Religio ſit perfectior? vnaquæque enim contendet, ſuam perfectionem eſſe æqualem, aut maiorem cæteris. Indè attendit Eccleſia ad maiorem aſperitatem, vt tranſitum concedat, & ideo ad Ordinem Carthuſienſem patet Religioſis tranſitus (cum limitationibus in vnoquoque Ordine ſeruandis) quia aſperior eſt in abſtinentia, cilicio, clauſura, & ſimilibus. Hinc ego, quin aliquid detraham de eximia perfectione Ordinum Militarium, ſolùm loquor in hac quæſtione de maiori perfectione, quæ ex ſe comitatur vitam arctiorem, & aſperiorem.

Igitur dubium ſolùm eſt de tranſitu ad Religionem ſtrictiorem; In primis ex ſe tranſitus hic ad Religionem ſtrictiorem, maioris perfectionis obtinendæ cauſa, licitus eſt, & honeſtus, vt docet D. Thom. 2. 2. *q.* 189. *art.* 8. Et traditur *in c. licèt de Regularib.* Apponuntur autem quatuor conditiones in Iure; Prima, ne quis ex temeritate, vel leuitate, nec fictè, ſed verè ad frugem melioris vitæ velit tranſmigrare; Quare tranſitus ob leuitatem, temeritatem, aut ob fugienda ſupplicia debita ob culpas patratas prohibetur à Pio V. in Bulla, quæ incipit, *Quæcumque ſacrum*, & extat *in tom.* 2. *Bullary fol.* 288. & ab Eugenio IV. in Bulla, quæ incipit, *Regularem vitam*, & affertur *tom.* 1. *Bullary* atque ita etiam intelligendum eſt Decretum Sacræ Congregationis Concilij ſub Vrbano VIII. allatum *tom.* 4. *fol.* 63. Quando autem tranſitus præſumatur peragi ob aliquod ex præfatis motiuis, facilè colligitur ex circunſtantiis, de quibus agunt Bonacina *tom.* 1. *q. punct.* 6. *Et in tr. ad var. q. tit. de clauſ. & in reſpon. p.* 2. *caſ.* 10. P. Thom. Sanch. *tom.* 2. *ſum. lib.* 6. *c.* 7. & notat Bonacina, in dubio præſumendum eſſe pro eo, qui ad ſtrictiorem tranſit Religionem. Igitur ad noſtram quæſtionem ſupponi debet, tranſitum non fieri ob vllum ex præfatis motiuis prauis, cum ſolummodò 100

ſolummodò licentiæ defectum ventilemus, & cætera requiſita adeſſe ponamus.

101 Secunda conditio eſt, quod tranſitus ad aliam Religionem fiat, ſine notabili damno, vel infamia prioris Religionis. Id enim exigit ratio iuſtitiæ; quare Gregorius XIII. in Bulla, quæ incipit, *In ſpecula*, affertur que *in Bullar. fol.*417. prohibet, ne Regulares Congregationis Clericorum S. Pauli ad aliam Religionem tranſeant, etiam ſtrictiorem, eo quod hic Ordo in ſuis ſubditis alendis, & variis ſcientiis exornandis, plurimum laborem, & ſumptus impendat, indeque damnificetur, ſi poſtmodùm à ſua Religione ad aliam tranſeant. Hinc F. Ioannes de Quiros *vbi ſuprà n.*7. exiſtimat, Paulum III. in Bulla, quæ incipit, *Licèt debitum Paſtoralis*, & affertur *tom.*1. *Bullar. fol.* 774. iniunxiſſe, ne Religioſi Societatis Iesv ad aliam Religionem ſtrictiorem, excepta Carthuſienſi tranſeant, *Porque eſta Religion, que mas ſe eſmera en criar ſugetos, no padeceiſſe detrimento alguno perdiendolos.* Poſtmodùm Gregorius Decimus tertius in Bulla, quæ incipit, *Cum aliàs*, iniungit, etiam ad tranſitum in Carthuſienſem Ordinem eſſe neceſſariam licentiam Præpoſiti Generalis Societatis, & ſufficere hanc etiam ad tranſitum in alias Religiones. Extat ea Bulla *tom.*2. *Bull. fol.*459. Ipſe Pontifex in Bulla, quæ incipit, *Exponi nobis*, ſub pœna excommunicationis latæ, & reſeruatæ Sedi Apoſtolicæ, aut ipſi Præpoſito Generali, prohibet, ne Religioſi Societatis, qui obtenta licentia, ad Carthuſiam tranſierunt, ſi non perſeuerent, aut ſi intra tres menſes eis præſcriptos ad tranſitum non admittantur, poſſint iterum tranſire, ſed teneantur in Societate perſeuerare. Videatur P. Franciſcus Pellizarius *in Manuali Regularium*, *tom.*2. *tract.*7. *cap.*2. *ſect.* 2. *ex n.*126. & apud ipſum P. Suarez, & P. Thom. Sanchez. In præſenti autem quæſtione, ſupponimus, Ordinibus Militaribus detrimentum graue, aut infamiam non accreſcere ex tranſitu ad Religionem ſtrictiorem; quod videtur ſatis manifeſtum.

102 Tertia conditio eſt ipſa ſuppoſitio in terminis quæſtionis contenta, nempè quòd tranſitus fiat ad ſtrictiorem Religionem; Quæ autem ſit ſtrictior iudicanda, Authores diſcutiunt. Ad præſens dubium in opportuna eſt hæc diſcuſſio, cum iam *ſuprà* attigerim, hanc conditionem in præſenti caſu reperiri.

103 Quarta conditio (& quæ diſputationi anſam miniſtrat) eſt, quòd tranſitus fiat, licentia petita à Prælato, licèt non obtineatur. Hùc tendit quæſtio, an hæc petitio licentiæ ſit requiſita pro forma, & eſſentialiter, ita vt iuualida reddatur Profeſſio in alia Religione, ad quam ſine licentia fit tranſitus; an ſolùm requiratur, vt ſit licitus tranſitus, ita vt valida ſit Profeſſio in alia Religione, eſtò peccetur in tranſitu ad illam abſque licentia; Id §.2. in deciſione quæſtionis expedietur.

Addunt Authores quintam conditionem, ſcilicèt quòd in tranſitu non violetur priuilegium aliquod conceſſum à Sede Apoſtolica Religioni, à qua quis ad aliam tranſire conatur. Ex hoc etiam capite deciſio quæſtionis pendet, cum intendi poſſit ex priuilegio ſpeciali Pontificio conceſſo alicui Ordini Militari, aut eis omnibus, vel aliis Religionibus, quarum priuilegia Ordines Militares communicent, tranſitum prædictum nec licitè, nec validè peragi. Quod in ſequentibus diſcutiemus. Huic conditioni addenda eſt alia, ſcilicèt quòd Religio, ad quam tranſitus faciendus eſt, poſſit recipere tranſeuntem; nam in aliquibus Sacris Ordinibus, vt in noſtra Societate Iesv, eſt impedimentum dirimens, ſeu irritans, quod quis fuerit in alia Religione Nouitius, vel Profeſſus, in quo ſolus Pontifex valet diſpenſare; Id tamen non intelligitur, ſi fuerint Equites Militares, & etiam S. Ioannis; ſic verò, ſi fuerint Clerici Fratres Militiarum. 104

105 Supponendum prætereà eſt, licentiam in quarta conditione requiſitam poſſe multipliciter ſumi, ſcilicèt ſcriptam, aut verbalem; deindè expreſſam, tacitam, aut præſumptam. De quibus conſuli poſſunt D. Thomas 2.2. *quæſt.*32. *art.*8. *in ſolut. ad primum*; Portel *in reſponſ. moral. part.* 3. *caſu* 45. *num.* 5. Diana *tom.*1. *tract. de paupertat. Religioſ. reſol.*31. P. Suarez, & alij ab ipſo Diana relati. Et quidem licentiam tacitam, aut præſumptam ſæpè ſufficere, vt licitè aliquid peragatur, non pauci Authores tuentur, ſuis appoſitis limitationibus. De quo redibit *infrà* ſermo.

§. II.

Deciditur quæſtio de tranſitu Regularium Militarium ad aliam Religionem ſtrictiorem.

106 Aſero igitur, validè Religioſos Militares profeſſos tranſire ad aliam Religionem ſtrictiorem, & in ea Profeſſionem validam emittere, quamvis licentiam à ſuis Prælatis non obtinuerint. Hæc concluſio ſatis ſtabilitur authoritate, & ratione. In primis extat expreſſa Deciſio Rotæ pro illa, quam affert Ludouicus Poſtius *tr. de*

*manutenendo, deciſ.*164. Cum enim Regularis Profeſſus Ordinis S. Ioannis abſque licentia Prælatorum tranſiſſet ad Religionem Barnabitarum, & in illa emiſiſſet Profeſſionem, & lis exorta fuiſſet, Sacra Rota declarauit, Profeſſionem eſſe validam, & manutenendos eſſe PP. Barnabitas. Addit præterea *n.* 33. (quod valdè roborat noſtrum aſſertum) *Omiſſio petitionis veniæ à primo Prælato nequaquam inobedientiæ, ſeu tumeſcentiæ adſcribi debuit, ſed potiùs conſuetudini, cum paſſim Milites Hieroſolymitani in hoc, non ſecùs ac ſæculares, nulla petita venia à magno Magiſtro, vel alio Superiore, ſe conferant, & recipiantur in Ordinibus Clauſtralibus, & ſignanter PP. Theatinorum, Carmelitarum, D ſcalceatorum, Capucinorum, & aliorum ſedulò humilitatis,* & *obedientiæ virtuti incumbentium.*

107 Ex his firma deſumitur ſecunda probatio aſſerti. Quippè conſuetudo eſt optima legum interpres; conſuetudo autem, & praxis frequens eſt, vt Regulares Profeſſi Militiarum abſque licentia ingrediantur Religionem ſtrictiorem, atque in ea quietè Profeſſionem emittant. Quod conſtat ex verbis *nuper* allatis, vbi *paſſim* id fieri, exprimitur; & in noſtra Hiſpania multi Equites Profeſſi Militares, quin licentiam petierint, (non quidem ob contumaciam, vel contemptum, ſed quia ſimpliciter neceſſaria non cenſetur in ſtatutis) in aliis Religionibus Profeſſionem emiſerunt. Et, ne quis iuxta opinionem, quòd Equites Ordinum Militarium (exceptis Equitibus Ordinis Sancti Ioannis) non ſunt ſtrictè, & rigorosè Religioſi, diſparitatem indè, & ſolutionem huic probationi paret; Contrà eſt primò, nam eos Equites eſſe ſtrictè Religioſos, plurimi tuentur. Contrà ſecundò, nam nullus negat Equites Ordinis S. Ioannis eſſe ſtrictè Religioſos; de his autem Rota decidit, poſſe tranſire validè ad Religionem ſtrictiorem, & vidimus, eos *paſſim* id præſtare abſque vlla licentia. Contrà tertiò, nam nemo dubitauit, nec dubitare poteſt, Clericos Fratres Militiarum eſſe ſtrictè, ac propriè Religioſos; & etiam hi abſque licentia ad alias Religiones tranſeunt ſtrictiores, in eiſque Profeſſionem emittunt, quin de eius valore controuertatur; Mihique conſtat, paucis abhinc annis duos Clericos Fratres Profeſſos è Monaſterio Calatrauæ, & alios à Collegio Alcantarenſi Salmantino, abſque vlla licentia ad alias ſtrictiores Religiones tranſiſſe. Indè iam conſtat conſuetudo approbata, quæ interpretatur, aut petitionem licentiæ requiſitam, vel in Iure, vel in Bullis, non eſſe neceſſariam reſpectu Regularium Militiarum; aut eam licentiam (ſaltem quoad ſubſtantiam) dari præſumptam, vel tacitam, & hanc ſufficere ad tranſitum in aliam Religionem arctiorem.

108 Et quidem iuſtè præſumitur de pietate Prælatorum Ordinum Militarium, quod velint, quod ſui ſubditi, in ſtatu quidem perfectionis conſtitutos, ſed valdè rebus temporalibus immixtos, & diſciplinæ regularis laxioris obſeruantes, frugem melioris, & ſtrictioris vitæ ſequantur, vt perfectiùs virtuti incumbant; eiſque aptari poſſunt verba Innocentij III. *in cap. licet, de Regularibus*, vbi ait; *Cum ergo R. Monachus veſter ad Fratres Ciſtercienſis Ordinis tranſmigrauerit, non, vt Ordini veſtro aliquatenùs derogaret, ſed, vt apud eos vitam duceret arctiorem, mandamus, quatenùs ſuper eo, quod de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, feciſſe dignoſcitur, eum nullatenùs moleſtetis, quia charitas eſt fons proprius, cui non communicat alienus.*

109 Tertiò probatur concluſio. Etenim, quamvis in prædicto *c. licet*, requiratur, vt licentia ſit petenda ad tranſitum in Religionem ſtrictiorem, tamen in eo prohibetur moleſtari, vt nuper vidimus, is, qui bona fide tranſit, neque irritatur Profeſſio facta abſque licentia, neque iniungitur, vt aliam Profeſſionem faciat is, qui tranſit, ob inualiditatem prioris; ergo licentia non requiritur pro forma, & eſſentialiter, ad valorem tranſitus, & Profeſſionis; aliàs irritaretur Profeſſio, & diſpenſaretur in eo, quod ille perſeueraret in Religione, ad quam tranſit; nam cum impedimenta ſunt eſſentialia, & dirimentia (vt cernitur in impedimentis dirimentibus matrimonij) non ſufficit bona fides, vt actus ſit validus, ſed requiritur impedimenti ablatio per diſpenſationem, & actus inualidè factus iterùm reualidandus eſt. Pontifex autem Innocentius *in eo c. licet*, non concedit licentiam, quæ defuerat, ad tranſitum, neque inualidum ſignificat, neque iniungit, reiterari Profeſſionem, ſed ex eo, quod bona fide ille tranſit, præcipit, quod non moleſtetur. Expendatur attentè hæc Pontificia deciſio, & fallor, niſi rem conuincit.

110 Et ſanè, dum alia requiſita in Iure adſint; defectus licentiæ eſt ſolùm quædam quaſi circumſtantia extrinſeca, quæ reddet illicitum tranſitum (niſi concurrant dicenda *inferiùs*) non autem inualidum; ſicut plura in Iure prohibentur, quæ tamen facta tenent; vt matrimonia contracta cum impedimento impediente ſunt prohibita, & tamen ſunt valida. Quod etiam ex Statutis,

tutis, & Definitionibus trium Ordinum Militarium roboratur; quæ quidem, ſtatim ac à Capitulo Generali ſtabiliuntur, ab Apoſtolica Sede approbata, & confirmata eſſe cenſentur, & quaſi ab ipſo Pontifice emanantia, vt *ſuperius* libauimus, & *inferius* exponemus. In illis ergo prohibetur, Equites nuptias abſque licentia contrahere, eo modo, quem *in hac diſquiſ.* exponimus; non tamen ideò inualidæ ſunt nuptiæ, ſi abſque licentia fiant. Hinc etiam, quamvis in Statutis eorundem Ordinum, necnon Ordinis S.Ioannis, iniungatur, ne tranſitus ad aliam Religionem, etiam arctiorem, fiat abſque licentia, non propterea erit tranſitus, & Profeſſio inualida in alia Religione; Vtrunque enim eodem modo prohibetur, ergo, ſi matrimonium aliunde validum,non ſit inualidum ratione prohibitionis, ita nec Profeſſio, aliunde valida, ratione prohibitionis erit inualida. Hinc non ſunt cenſendi contrarij noſtræ ſententiæ Didacus Mota, & Diana illum referens *part.* 3. *tract.* 2. *reſol.* 30. dum aſſerunt, Religioſos Milites non poſſe tranſire ad aliam Religionem abſque licentia magni Magiſtri; loquuntur enim de impotentia relata ad Definitiones, & Statuta prohibentia, quæ tamen non reddunt inualidum tranſitum, ac Profeſſionem. Quòd ſi aliud intendant, manifeſtè rejiciuntur ex dictis, & dicendis.

111 Demùm probatur, nam extat alia deciſio Bononienſis ante D. Merlinum, quæ Religioſos Militares abſque licentia ſuorum Superiorum validè in alia Religione ſtrictiori emittere Profeſſionem ſtatuit; Eam adducit Barboſa *de vniuerſo Iure Eccleſiaſtic. cap.* 41. *n.* 64. *lib.* 1. Et ipſe ait; *Quoad Religiones verò Militares in Clauſtris vitam communem non degentes, certum eſt, quòd abſque licentia ſuorum Superiorum tranſire poſſint ad Ordines Clauſtrales.* Vbi illa verba *in Clauſtris vitam, &c.* non limitant aſſertum, ita vt Clerici Fratres nequeant ad aliam Religionem tranſire abſque licentia; nam hi non ſemper communem vitam in Clauſtris degunt; vnde, ſi ipſi, dum extra Clauſtra Monaſterij, vel Collegij verſantur, poſſunt abſque licentia ad Religionem arctiorem tranſire, quare id non poſſint, dum intra Clauſtra verſantur, cum non mutetur eſſentia, & ſubſtantia Religionis, & vtrobique Regem vt Adminiſtratorem, & Senatum Ordinum, pro Superioribus habeant? Itaque ea verba non limitatiuè,ſed appoſitiuè intelligenda ſunt; nempè Religioſos Militares, qui non ſemper intra Clauſtra vitam communem degunt,quin potiùs ex Inſtituto ad Beneficia, ad quæ parantur, & ad Dignitates, ac Munera,extra Clauſtra maius vitæ curriculum tranſigunt, poſſe abſque licentia ad aliam Religionem tranſire. Quid autem operentur prohibitiones Definitionum, ſeu Statutorum, ne ad alium Ordinem fiat tranſitus, *infrà* dicemus.

Authoritate roboratur noſtra deciſio. 112 Eam docent Barboſa *vbi nuper* afferens pro ſe Bartholomæum de Becchis; item Gofredus, Antonius de Butrio, Abbas, Innocentius *in cap. ſanè de regularib.* Et ibi Gloſſa; necnon Gloſſa *in dicto cap. licet, verbo, licentiam*; Archidiaconus *in cap.* 2. *in princip. quæſt.* 3. Turrecremata *in cap.* 1. *&* 19. *quæſt.* 3. Carolus de Tapia *in Authentica, ingreſſi, Cod. de Sacroſanct. Eccleſ. cap.* 9. *num.* 21. D. Antonius *in ſumm.* 2. *part. tit.* 11. *cap.* 2. *§. Hæc autem.* Richardus *in* 4. *diſt.* 88. *art.* 4. *quæſt.* 1. *ad* 3. *argum.* Paludanus *in* 4. *quæſt.* 4. *art.* 4. *num.* 43. Sylueſter *in ſumm. verbo, Religio* 4. *quæſt.* 1. *notab.* 4. Tabiena *verbo, Religio, quæſt.* 24. *num.* 25. Leſſius *de iuſt. & iur. lib.* 2. *cap.* 41. *dubit.* 15. *num.* 101. Nauarrus, P.Azor, Sa, allati à Portel *in dub. Regular. verbo, Religionis tranſitus, num.* 10. Euſebius apud Ioannem Henriquez *in ſumm. ſect.* 73. *quæſt.* 29. Monaldus *in ſumm. de Regularibus, §. ſi regularis, circa principium*; Ludouicus Poſtius, & Bonacina *locis ſuprà relatis*; ac plures alij, necnon Magiſtri, & Doctores Salmanticenſes, de quibus *ſuprà*; cum Fratre Ioanne de Quiros, & Antonio Perez Iuriſconſulto Hiſpalenſi in caſu iam relato.

§. III.

Solutio obiectionum, quibus contenditur, non poſſe Regulares Militiarum tranſire ad alias Religiones ſtrictiores.

Obijciunt quidam primo D. Paulum 113 1. *Corinth. cap.* 7. *verſ.* 22. aientem; *Vnuſquiſque, in quo vocatus eſt (Fratres) in hoc permaneat apud Deum.* Quibus addunt verba Iob, *cap.* 17. *verſ.* 9. ibi; *Et tenebit iuſtus vitam ſuam.* Reſpondeo, in ſenſu literali loqui D.Paulum de eo, qui poſt matrimonium ſuſcepit Bapriſmum, & denotat, per Baptiſmum non annullari matrimonium; & de eo, qui, cum eſſet ſeruus, baptizatur, innuitque cum ratione baptiſmi non conſequi libertatem, ſed adhuc in ſeruitute permanere. Sic exponunt D. Thomas *in prædictum cap. lect.* 3. *&* 4. & etiam ibi D.Anſelmus, Hieronymus, Chryſoſtomus, ac alij Patres. Prætereà Iob verba

ſolùm ſignificant, viam iuſtitiæ non fore deferendam; neutiquam autem eam deſerit, qui ad maiorem virtutem, & perfectionem conatur, vt exponit ibidem Lyra, & ex terminis conſtat.

114 Obiiciunt ſecundò textum *in cap. ſtatuimus* 3. 29. *quæſt.* 3. & ſimiles alios, in quibus prohibetur tranſitus ex vna ad aliam Religionem, abſque licentia Superiorum in ſcriptis. Reſpondet clarè Cardinalis Caietanus; *Textus ille antiquus declaratus eſt per Innocentium III. in cap. licet, de Regularibus.* Idem docet Barboſa *in Collectan. ad Concilium Tridentin. ſeſſ.* 25. *cap.* 19. *num.* 32. vbi affert pro eodem ſenſu expreſſam Declarationem Cardinalium. Illum autem textum *in cap. licet*, non obſtare noſtræ deciſioni, ſtatuimus §. *præcedenti.* Licentiam autem tacitam (ſaltem quoad ſubſtantiam) dari in tranſitu Religioſorum Militarium ad aliam Religionem, & hanc ſufficere reſpectu ipſorum, vt ſatisfiat ordinationi factæ *in cap. licet*, conſtat ex dictis *ſuprà*, & ex conſuetudine ſic interpretante illam, ac ex verbis Deciſionis Rotæ, quam iam retulimus, vbi aſſeritur; *Videtur poſſe dici, quòd necdum petita, ſed & conceſſa fuerit quæcumque neceſſaria licentia, à Superioribus Hieroſolymitanis.* Vbi Sacra Rota duo indicat; aliud, in tranſitu Religioſi Militaris dari licentiam tacitam Superiorum; aliud, hanc ſufficere, vt non obſiſtatur decreto præfixo *in cap. licet, de regularibus.*

115 Obiiciunt tertiò ſpecialiter pro Religioſis Ordinis D. Ioannis, eos in profeſſione ſic promittere; *Alteriuſque Religionis, niſi Hieroſolymitani Ordinis Profeſſionem non faciam*; ergo ex vi profeſſionis factæ nequeunt in alia Religione profeſſionem emittere. Reſpondeo in primis, votum non ingrediendi Religionem perfectiorem non eſſe obligatorium, cum non ſit de meliori bono; Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 10. *& quæſt.* 189. *art.* 2. Portel *in dub. Regular. verbo, Religionis tranſitus, num.* 18. & cum pluribus Emanuel Rodriguez *tom.* 3. *quæſt.* 52. *art.* 24. Vbi ait; *Ex quo infertur, quòd emittens poteſt tranſire ad Religionem, quæ ſecundùm ſuas conditiones, & diplomata Apoſtolica, eſt ſtrictior.* Dices, indè ſequi, eſſe fruſtraneum illud votum; quod videtur eſſe abſurdum. Reſpondeo non eſſe fruſtraneum; tum quia ex vi illius non poteſt quis ad Religionem laxiorem tranſire; tum quia votum poteſt tendere ad circunſtantias, nempè ad petendum licentiam, & abſque illa non tranſeundum ad aliam Religionem; cui obligationi, vel ſatisfit per licentiam tacitam; aut præſumptam; vel, ſi violetur, non petendo licentiam, non tamen proptereà annullatur profeſſio facta in Religione ſtrictiori; ſicut per votum non nubendi à ſæculari emiſſum non irritatur matrimonium poſteà contractum.

Vrgent ex Bulla Anaſtaſij IV. quæ incipit, *Chriſtianæ fidei*, & extat *tom.* 1. *Bullary fol.* 66. vbi prohibet Pontifex Regularibus Ordinis Sancti Ioannis, ne tranſire poſſint ad Religionem etiam ſtrictiorem; quod, vt gratiam, ac priuilegium in fauorem ipſius Ordinis indulget. Reſpondeo ex verbis Ludouici Poſtij *vbi ſuprà, num.* 24. aientis; *Quia huiuſmodi priuilegia conceſſa Hoſpitalariis, quales ſunt Hieroſolymitani, fuerunt poſteà declarata ab Innocentio III. in dicto cap. licet, quod non comprehendant caſum, quo quis ad arctiorem tranſit Religionem, functioris vitæ deſiderio, & ita notant Canoniſtæ.* Itaque Innocentius III. poſterior fuit Anaſtaſio IV. eiuſque decretum declarauit, & ad terminos Iuris communis, in quo Innocentij ordinatio continetur, reduxit. Prætereà validè id confirmatur, quia, non obſtante Anaſtaſij priuilegio, paſſim Regulares Ordinis S. Ioannis ad alias Religiones tranſeunt; ergo id priuilegium in ſua vi non permanet. Confirmatur ſecundò, quia Ordines Militares Hiſpani communicant priuilegia aliorum Ordinum, & ſimul Ordinis S. Ioannis; vnde & priuilegium Anaſtaſij IV. ſi vigeret, communicarent; & nihilominùs tam Equites, quàm Clerici Fratres profeſſi validè ad alias Religiones ſtrictiores tranſeunt, vt præmiſimus; ergo, cum in hoc priuilegio æquales ſint omnes Ordines Militares, vel priuilegium reſpectu nullius vim iam retinet; vel eo non obſtante, æqualiter omnium eorum Ordinum, etiam Sancti Ioannis, Religioſi valent ad arctiorem Ordinem tranſire. Ex his etiam diluitur alia obiectio, nempè quòd Sedes Apoſtolica confirmauerit Ordinem S. Ioannis ſimul cum eo voto non tranſeundi ad aliam Religionem. Etenim confirmatio ex ſe tendit ad Inſtitutum, & ſubſtantialia Ordinis; cætera verò, quæ per Definitiones, & Statuta ſtabiliuntur, habent ex Confirmatione id robur, cuius ſunt capacia, & quo indigent ad ſuam maiorem firmitatem, iuxta interpretationem, & acceptionem receptam. Oſtendimus autem praxim, deciſiones, & fundamenta ei voto penitùs oppoſita, quin illa confirmatio, quæ obiicitur, praxi, & deciſionibus contrariis fuerit obex. Quin adde, vt dixi *num.* 114. plures Authores cenſere, votum non tranſeundi ad Religionem ſtrictiorem non eſſe obligatorium. 116

Vrgent

117 Vrgent adhuc ex Bulla Pauli III. in fauorem Societatis Iesv expedita, de qua *ſuprà*, §.1. quam aiunt communicare omnes Religiones, in qua irritatur profeſſio facta in alia Religione, præter Carthuſienſem, à Religioſo Societatis abſque licentia. Reſpondeo, id priuilegium non communicari ab aliis Sacris Religionibus participantibus priuilegia aliorum Ordinum, vt Gregorius XIII.ſtabiliuit,& notarunt *vbi ſuprà*, P.Suarez, Thomas Sanchez, & Pellizarius. Deindè reſpondeo, non minùs cæteros Ordines Militares communicare priuilegia aliarum Religionum, quàm Ordinem S.Ioannis, & nihilominùs, vt *nuper* repetebam, plures ex illis ad alias Religiones tranſeunt, quin irritetur profeſſio, idemque paſſim contingere vidimus in Religioſis Ordinis S.Ioannis; ergo priuilegium Pauli III. ab eis non participatur.

118 Adhæc, iuxta plures Authores, communicatio priuilegiorum non operatur, cum in praxi non eſt. Sat autem oſtendimus, non eſſe in praxi, quòd Regulares Militiarum, etiam S.Ioannis, nequeant abſque licentia tranſire validè ad arctiorem Religionem. Quin admittamus, opùs eſſe illis licentia, iam hæc datur generalis expreſſa, cum in iudicio contradictorio fuerit obtenta, vt conſtat *ex num.64.* Et ſic poſſunt P. Thomas Sanchez, & alij Authores cum noſtra ſententia conciliari. Et quidem in caſu Equitis Ordinis D. Ioannis, qui in Indiis Habitum arctioris Religionis ſuſcepit, præter eam licentiam generalem, alia ſpecialis tacita reperitur. Etenim Ordo, qui ſe illius miniſterio priuauit, indulgens, quòd ad remotiſſimas regiones pergeret, ipſum quaſi ſuo arbitrio permiſit. Nec eredibile eſt, Ordinem permittere, quòd ille diſtantiſſimus ab eius obſequiis in procurandis commodis temporalibus totam vitam tranſigeret, & non permittere, quòd commodo ſuo ſpirituali conſuleret, maiorem vitæ perfectionem ſectando.

119 Deindè reſpondeo, in ea Bulla Vrbani contineri priuilegium *ad inſtar*; priuilegium autem *ad inſtar*, quæ in re graui valdè difficulter concedi ſolet, vtpote reuocatio Iuris communis, non communicatur aliis, quamvis priuilegio communicationis gaudeant; Ita obſeruant Doctores *in leg.1. ff.de leg.1.* Butrius *conſil.19. num.9.* Pacianus *de probationib. lib.1. cap. 27. num. 28.* Rota *deciſ. 55. num. 14. diuerſorum*; Caualerius *deciſ.161.n.3.* Noguerol *tom.1. allegat. iur. allegat.39. num.16.* Id ſatis denotat ipſe Vrbanus in eis verbis Bullæ præfatæ; *Quibus omnibus, & ſingulis, illorum omnium tenore præſentibus pro planè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus.* Vbi aduerto, permanere in ſuo robore diſpoſitionem Iuris communis quoad alias Religiones; aliter ſi omnes aliæ Religiones id Vrbani priuilegium communicarent, abſolutè, & penitùs illud Ius commune derogaretur, & non ſuppeteret vllus, reſpectu cuius in ſuo robore permaneret. Et quidem, dum per aliquod priuilegium ſpeciale reuocatur Ius commune, aut diſpoſitio Concilij Tridentini, non extendenda eſt ad alios reuocatio, niſi ad eos, quibus conceditur; aliàs abſolutè reuocaretur, ſi omnes, quibus competere poteſt, includerentur, & iam illud Ius commune non vigeret, ſed eſſet antiquatum per nouum Ius commune, tale enim eſſet cenſendum, & non priuilegium ſpeciale, id, quod omnibus competeret. Hinc Gregorius VIII. vt §.1. libauimus, declarauit, priuilegia *ibi* appoſita, in fauorem Societatis Iesv expedita, non fore extendenda ad alias Religiones, quantumvis communicantes priuilegia; Quæ declaratio implicitè continetur in ſimilibus ſpecialibus priuilegiis derogantibus Ius commune, aut aliquam Tridentini diſpoſitionem. Demùm, cum conſtans ſit, alios Ordines Militares non communicare illud Vrbani priuilegium, ſiquidem validè profeſſionem Regulares Militiarum in aliis Religionibus emittunt, vellem ſcire, quid ſpeciale quoad hoc habeat Ordo S.Ioannis; nam ego non reperio.

Objiciunt quartò Bullam Pij V. quæ incipit, *Quacumque ſacrarum*, allata *tom. 2. Bullary fol.288.* in qua annullantur profeſſiones factæ in aliis Religionibus, abſque licentia prioris Prælati. Accedit Decretum Sacræ Congregationis ſub Vrbano VIII. allatum *tom. 4. Bullar. fol.65. anno. 1624.* ſtatuens, vt apoſtatandi oportunitas præripiatur Regularibus, nullum permittendum ad aliam Religionem tranſire, niſi Superiori conſtiterit legitimè, eam Religionem eſſe paratam ad eum admittendum. Reſpondeo cum P.Thoma Sanchez *lib.6. ſum. cap.7. num.2.* Pium V. ſolùm irritaſſe profeſſiones factas vigore priuilegiorum, & præter Iuris communis diſpoſitionem, quod exprimit ipſe Pius V. in Bulla §.2. vt ſic licentia vagandi, & periculum apoſtatandi è medio tollerentur; profeſſiones autem, quæ in ſtrictiori Religione fiunt, ſeruatis requiſitis eſſentialibus in Iuris diſpoſitione præfixis minimè irritauit. Congregationis autem Decretum nihil nouum conſtituit 120

conſtituit, cum id ipſum, quod continet, vel ſit requiſitum licentiæ repetitò iam expoſitum, vel potiùs nihil circa licentiam ſtabiliat, ſed in fauorem Religionis, quæ admiſſura eſt Regularem tranſeuntem ad illam, ne ſcilicèt hæc damnificetur admittendo aliquem, de quo ei non conſtet, an ſit inobediens, incorrigibilis, aut nequam; vt autem id dignoſcar, alterius Superioris notitia depoſcitur, qui poſſit de eo informationem præbere, ac non patiatur, Religioſum abire, & vagari, donec ſciat, illam aliam Religionem paratam eſſe ad illum admittendum. Quæ omnia in Religioſis Militaribus locum non habet, cum hi ferè omnes extra Clauſtra viuant, nec detur illud periculum vagandi, & apoſtatandi; nec informatio de illis à Superioribus ſit poſcenda, cum ab aliis poſſit vt plurimùm exactior haberi; nec demum ſit opus, eos intra Clauſtra contineri, dum Religio alia parata eſt ipſos admittere. Prætereà nihil in eo Decreto Congregationis includitur circa annullationem Profeſſionis, de quo eſt noſtra præcipua diſputatio.

§. IV.

Illationes ex doctrina tradita circa tranſitum Religioſorum Militarium ad alias Religiones ſtrictiores.

121 INfero primò ex dictis, (quidquid ſit de aliis Religioſis non Militaribus, reſpectu quorum diuerſæ dantur circunſtantiæ, vt *num. præced.* libauimus) in tranſitu Religioſi Militaris ad aliam Religionem, concurrentibus requiſitis appoſitis §. 1. etiam abſque licentia expreſſa, non interuenire peccatum. Etenim, vt *ſuperiùs* annotaui, licentia tacita, aut præſumpta datur reſpectu Regularium Militarium; eſtò non detur reſpectu aliorum non Militarium ob rationes libatas; eam autem licentiam ſufficere, iam attigimus. Et quidem, cum reſpectu aliorum Regularium licentiam petitam, & non obtentam ſufficere, teneant Caietanus *in 2. 2. quæſt. 32. art. 8.* Barboſa *in Collectan. ad Tridentinum, fol. 431. n. 32.* & alij; quantò magis ſufficiet licentia tacita, aut præſumpta? ſiquidem ibi datur negatio licentiæ, cum non obtinetur; hic licentiæ conceſſio, quamvis non petatur; & magis præponderat conceſſio licentiæ, quàm petitio; nam ſi Superior concederet licentiam ſubdito, quem videret propenſum ad Ordinem ſtrictiorem, vt ad eum tranſiret, quamvis ſubditus eam non poſceret, ſufficeret ad tranſitum ea conceſſio abſque petitione, ergo ſi datur conceſſio licentiæ tacita, aut præſumpta, eſtò non poſcatur, ſufficiet, & magis, vel æquè præponderabit petitioni abſque obtentione.

Hæc licentia indè etiam præſumitur, 122 quòd cum adeò frequens ſit, Regulares Militiarum, Equites, atque etiam Clericos Fratres aliis Religionibus ſuum nomen dare, nihil de hoc Ordines Militares ſollicitantur, nec id ſpecialiter præcauent; quin potiùs laudatur is, qui deſiderio maiòris perfectionis, ad vitam arctiorem Religioſam tranſit. Quòd ſi opponas caſum, quem attigimus initio quæſtionis, ſanè credam, non reclamaſſe ſua ſponte Ordinem S. Ioannis, ſed Religioſum, qui ex illo ad Minorum ſacram Familiam tranſierat, à feruore vocationis deſciuiſſe, & vnius, vel alterius opinione protectum, Ordinis Hieroſolymitani patrocinium inuocaſſe, huncque eius precibus motum, eique opinioni innixum, forſan illius ſuſcepiſſe tutamen. Id equidem patet; tum quia Ordo Sancti Ioannis non reclamat reſpectu aliorum, cum *paſſim*, non ſecùs ac ſæculares, ad alias Religiones tranſeant, vt aiebat ex Rotæ Deciſione Ludouicus Poſtius *vbi ſuprà*; tum quia ille Religioſus iam bis ex Peruano Regno ad Hiſpaniam aduentauerat, & diu in Curia Matritenſi verſatus fuerat, conſciis omnibus ex Ordine S. Ioannis, & illius virtutem laudantibus; igitur, ſi poſt plures annos reclamatum eſt, ipſe ſanè effecit, vt reclamaretur.

Sed ais, in Statutis, & Definitionibus 123 prohiberi tranſitum ex Ordinibus Militaribus ad alias Religiones; ergo peccatur in tranſitu. Reſpondeo, ſi ſemel ponatur, non reperiri culpam ob alios reſpectus, profectò nec reperietur ob oppoſitionem ad Statuta, & Definitiones; tum à paritate rationis; tum quia, vt *in inferioribus* declarabimus, Statuta, & Definitiones non obligant ad culpam, ſed ſolùm ſunt directiua, aut pœnalia, dum in eis non contineatur præceptum Sanctæ Obedientiæ, aut cenſura; quæ circa præſentem materiam minimè continentur. Quare ex Ordinationes illuc tendunt, vt Religioſi Militares tutiùs, ac attentiùs operentur, dum ſuos Superiores conſulunt, ac ab eis licentiam depoſcunt; indè etiam, ſi quis Religioſus Militaris deprehenderetur à ſuo Ordine, cum iam vltimò parat ſe ad tranſitum in aliam Religionem, forſan aliqua pœna mulctaretur, eo quòd non petiiſſet licentiam, & ad petendam cogeretur; eaque petita, quamvis non obtenta, poſſet tranſire ad aliam arctiorem Religionem, iuxta dicta.

Per

124 Per accidens tamen poſſet in eo tranſitu peccatum reperiri; nempè ſi Eques Militaris deſereret bellum eo tempore, quo eius ſtrenua virtus, experientia, & regimen aliorum maximè deſiderarentur, cum tamen poſſet vſque ad belli finem ſua pia deſideria differre; Vel ſi Clericus Frater Beneficium Parochiale repentè relinqueret, non monito Ordine, vt ſubſtitueret alium, eius loco, vnde animæ detrimentum caperent ob paſtoris vigilantis defectum; Vel ſi Clericus etiam Frater è Monaſterio, aut Collegio exiret, cum actu aliquod munus gereret, cui alius ſubſtituendus præſtò non eſſet, indeque Communitas damnum ſpirituale, vel temporale foret expertura; Vel ſi intempeſta nocte violans clauſuram, paranſque offendiculum, à Domo fugeret; Et ſimiles alij caſus poſſunt excogitari, in quibus ob damnum illatum, vel tumultum, moleſtiam, aut offendiculum ortum, peccatum daretur, & quidem graue, aut leue iuxta qualitatem effectus indè ſecuti, præuiſi in cauſa morali, nempè in eo tranſitu ad aliam Religionem. Hinc aliquando moleſtè ferrent Ordines, aliquem abſque licentia tranſire ad aliam Religionem; vel quia eo opus haberent ad aliquod Munus: vel quia non oſtendiſſet in modo, & circunſtantiis debitam ſubiectionem; vel demùm quia ſignificaſſet imprudentet minorem, quàm par eſt, de perfectione, quæ obtineri poteſt in Ordinibus Militaribus, exiſtimationem. Quare ob aliquam extrinſecam circunſtantiam euenire poteſt, vt à prædictis Ordinibus tranſitus impediri curetur, ſeu vt examinetur, an adſint conditiones, quas §. 1. ſuppoſuimus.

125 Infero ſecundò, Religioſum Militarem, qui in alio Ordine ſtrictiori Profeſſionem emiſit, non poſſe illum deſerere, & ad ſuum primum Ordinem redire. Etenim in Tridentino *ſeſſ.* 25. *cap.* 19. cauetur, nullum poſſe poſt quinquennium reclamare ad Habitum dimittendum; intra quinquennium autem à die Profeſſionis poſſe reclamare allegando cauſas coram ſuo Superiore, & Ordinario; Quòd ſi Habitum ſpontè dimittat, decernit Tridentinum, non admitti ad allegandas cauſas, ſed cogi ad Monaſterium redire, & puniri, vt apoſtatam. Nec contra id decretum poteſt quidquam ab Ordinibus Militaribus, nec à Hieroſolymitano, intendi; cum Vrbanus VIII. in Bulla, quæ incipit, *Vniuerſalis Eccleſiæ* allata *tom.* 4. *Bullary*, declaret, dum priuilegia Ordinis Hieroſolymitani confirmat, nullum ei fore ſuffragaturum in his, quæ diſpoſitionibus Tridentini obſiſtant. Idem declarat Innocentius X. in Bulla, quæ incipit etiam, *Vniuerſalis Eccleſiæ regimini*, allata *tom.* 4. *Bullary*, *fol.* 268.

Probatur deindè ex Clemente VIII. in 126 Bulla, quæ incipit, *Pro noſtro Paſtorali munere*, allata *tom.* 2. *Bullary*, *fol.* 153. Vbi decernit, Ciſtercienſes Religioſos, qui ad aliam Religionem tranſeuntes in ea Profeſſionem emiſerint, non poſſe abſque licentia Apoſtolicæ Sedis ad Ciſtercium regredi, nec Capitulum ipſum Generale Ciſtercienſe poſſe illos admittere, & irritat ſecùs facta. Hoc autem Bullæ priuilegium, quod eſt fauorabile Religionibus, nec Iuri communi contrariatur, participatur ab eis omnibus, quæ priuilegiorum communicatione gaudent. Et obſerua, hanc Bullam directè comprehendere Religioſos ex Ordinibus Militaribus Ciſtercienſibus, qui ad alias Religiones tranſierunt, & neutiquam poſſunt adhuc à ſuis Capitulis Generalibus iterùm admitti, facto regreſſu, abſque licentia Romani Pontificis.

Et quidem illatio præfixa apud Autho- 127 res eſt valdè communis, atque eam ex P. Thoma Sanchez, Abbate, Hoſtienſi, & aliis comprobat Bonacina *ſuperius* allatus, ac *num.* 8. ait; *Reſpondeo, lite pendente, debere in poſteriori Religione remanere. Ratio eſt, quia, ſicut prædo in poſſeſſione tenendus eſt, donec de ipſius delicto conſtet, ita à fortiori danda eſt manutentio Religioni, donec conſtet, Religioſum ad priorem Religionem pertinere.* Nec ius priori Religioni, quaſi primò adquiſitum, ei fauet; non enim datur ius, quando per aliud diuinum, aut poſitiuum fortius extinguitur, aut impeditur; in præſenti autem iuxta ius diuinum, ac poſitiuum valida fuit Profeſſio in ſecunda Religione emiſſa, vt ſatis ſtabiliuimus, cum maior perfectio in Religione arctiori inquiri, & obtineri ex Iure diuino, ac poſitiuo liceat; & aliundè emiſſa Profeſſione, ius poſitiuum impediat, ad priorem Religionem regredi, quare huic nihil ſuum ius ſuffragatur. Quod maiorem vim adhuc retinet, ſi prior Religio diu tacuit, quippè tunc, vt docet Bonacina, propter omiſſionem, quidquid poterat prætendere iuris, amiſit. Idipſum pluribus Authoribus confirmat Ludouicus Poſtius *tractat. de manutenendo*, *deciſ.* 164. *ex num.* 1. Vbi rectè oſtendit, omne ius penes ſecundam Religionem reſidere circa Religioſum, quamvis ille ſub aliquo prætextu clàm reſilierit, ſeu ad priorem Ordinem fuerit regreſſus.

Exindè ſequitur, ſi is regrediatur ad 128 priorem Religionem, aut reſiliat abſque licentia

licentia, aut non allegatis cauſis coram Superioribus legitimis, ac ſententia pro regreſſu pronuntiata, eum eſſe apoſtatam, & incidere in pœnas contra apoſtatas inflictas. Et primò loquens D. Bernardus de eo, qui à perfectiori ad laxiorem Religionem regreditur, *tom.1. epiſtol.* 1. ait; *Hoc proculdubiò retrò aſpicere eſt, præuaricari eſt, apoſtatare eſt*, Conſonant D. Thomas 2.2. *quæſt.*12. *art.*2. & Caietanus *ibi*; Innocentius *in cap. fin. de renunt. & in cap. intelleximus, de ætat. & qualit. Ordinand.* ac plures alij. Etenim ille non ſolùm fugitivus eſt cenſendus, nec ei fauet, quòd in priori Religione degat ſub illis Prælatorum obedientia; Fugitivus namque ille dicitur, qui vagatur extra Religionem abſque animo annullandi Profeſſionem; quod in euentu propoſito non contingit; deindè, quòd in priori Religione verſetur, non tollit, quòd ab Ordine perfectiori non reſilierit abſque licentia, hoc autem præuaricari eſt, apoſtatare eſt. Rurſùs à Tridentino *ſuprà* allato damnatùr vt apoſtata; qui Habitum ſpontè dimiſerit, & ad Monaſterium redire cogitur. Id ipſum ſtatuit Paulus IV. in Bulla, quæ incipit, *Poſtquam diuina bonitas*, allata *tom.*1. *Bullarij*, *fol.*822.

129 Quin addo, ex ea Bulla Pauli IV. ſententiam excommunicationis ipſo facto incurrere omnes eos, cuiuſcumque ſtatus, gradus, Ordinis, conditionis, & præeminentiæ exiſtant, etiam ſi Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi ſint, aut alia quavis dignitate præfulgeant, vel ſint Duces, Marchiones, ſiue maiori honore inſigniantur, qui eiuſmodi apoſtatam receperint, vel nutrierint, ſeu ei fauorem, auxilium, vel conſilium præſtare præſumpſerint, ſeu moniti ab Ordinario loci, à præmiſſis non deſtiterint, ita vt exindè Apoſtata non illicò ad Religionem redeat. Ita exprimitur in ea Bulla §.3. Ex his obiter obſerua, Clericum Fratrem non poſſe tranſire ad ſtatum Equitum intra ipſos Ordines Militares abſque diſpenſatione Pontificia, cum laxior ſit ille ſtatus, & Caſtitatis Votum ſit coniugalis continentiæ, & Paupertas dominio coniungatur; Vota autem Clerici Fratris ſtrictiora ſunt; & ſolus Pontifex poteſt ea commutare. Econtrà non eſt neceſſaria diſpenſatio, vt Eques tranſeat ad ſtatum Fratrum Clericorum, qui ſanè eſt ſtrictior.

130 Audiat, quicumque ad Religionem arctiorem tranſiens, & in ea Profeſſus, ad laxiorem tendit, ſeu regreditur, vel quomodocumque mutationem Habitus parat, aut peragit, aurea verba Diui Bernardi *epiſtol.*1. *ad Robertum*, qui Ordinem priorem deſeruerat; *Attende cor tuum, diſcute intentionem, conſule veritatem. Tua tibi conſcientia reſpondeat, cur abieris? cur Ordinem tuum, cur Fratres, cur locum, cur me, qui & tibi propinquus carne, & propinquior ſpiritu ſum, deſerueris? Si, vt arctiùs, vt rectiùs viueres, ſecurus eſto, quia non retrò aſpexiſti, ſed & gloriare cum Apoſtolo dicens; Quæ retrò oblitus, & ad ea, quæ antè ſunt, extentus, ſequor ad palmam gloriæ. Sin altiùs, noli altum ſapere, ſed time, quoniam (vt cum venia tui dixerim) quidquid tibi ampliùs indulges in victu, veſtituque ſuperfluo, in verbis otioſis, in vagatione licentioſa, & curioſa, quam videlicet promiſiſti, quam apud nos tenuiſti; hoc proculdubio retrò aſpicere eſt, præuaricari eſt, apoſtatare eſt*. Quid pulchrius, & opportunius?

Omnem doctrinam traditam hæc verba 131
amplectuntur. Primò conditio in Iure apposita, de qua §.1. in eis includitur, nempè quòd quis ab vna ad aliam Religionem non tranſeat, leuitate animi, aut alio fine pravo ductus, niſi ob amplectendam vitam perfectiorem. Deindè, ſi quis ob finem maioris perfectionis ad Religionem aliam tranſeat, ſecurum poſſe in ea eſſe, & gloriari cum Apoſtolo, à Divo Bernardo docetur. Demùm ſi is finis non adſit, & laxior vita quæratur, ſiuè tranſeundo, ſiuè regrediendo ad aliam Religionem, præuaricatio, & apoſtaſia contrahitur. Vbi etiam includitur conditio, & ſuppoſitio facta in hac quæſtione, nempè quòd tranſitus debet ad Religionem arctiorem peragi, vt validè fiat, ac licitè.

Cæterùm caſus euenire poteſt, in quo 132
tranſitus ad laxiorem Religionem ſit licitus, & conſulendus. Nempè, ſi fugitivus, aut apoſtata à Religione arctiori reperiatur in Prouinciis remotis, vbi nullum ſit ſui Ordinis Monaſterium, nec ſpes ei ſit redeundi longo tempore ad ſuum Ordinem, poterit ad Religionem, quæ ibidem ſit, etiam laxiorem tranſire, & in illa admitti. Nam Bullæ, & Decreta interdicentia tranſitum ad Religionem laxiorem, & præcipientia reditum ad proprium Ordinem, intelligenda ſunt regulariter, & quando poſſibilitas datur; quæ moraliter non adeſt in euentu dicto; & quidem melius eſt, tunc, in Religione adhuc laxiori diſciplinam regularem ſectari, quàm in ſæculo degere fugitivum, vel apoſtatam; rectéque interpretamur, id non opponi Decretis Iuris communis, & Pontificij, quin potiùs eſſe iuxta eorum mentem; cum eo tendant, vt Religioſos intra debitos obſeruantiæ terminos contineant; qui finis ab eo Religioſo meliùs

meliùs obtinebitur intra clauſtra Religionis adhuc laxioris, quàm inter ſæculi illecebras, & pericula. Reſolutionem hanc docent Rodriguez *tom.3.qq. regul.q.52.art.14.* vbi pro ſe affert Gregorium Lopez; Portel *in dubiis regular.* & alij.

133 Hinc infertur quaſi à fortiori, Religioſum Militarem, qui in remotis Prouinciis degeret, longè à ſuis prælatis, optimo iure ſupponere, ac præſumere eorum licentiam, vt Ordinem arctiorem tranſeat; (adhuc caſu negato, quòd Religioſi Militares potentes facilè petere, & obtinere licentiam, debeant eam expreſsè poſcere) etenim faciunt pro eo rationes *ſuperiùs* expenſæ, & prætereà difficultas in licentia impetranda, & periculum cadendi à propoſito ſectandæ maioris perfectionis, ſi diu licentiam expectet, interimque ſæcularibus immixtus negotiis, & extra clauſtra degens longiùs ſit à perfectione maiori ſectanda. Quare tunc licentia prælatorum rectè præſumitur, de eiſque ſuadere ſibi nullus poterit, fore inuitos, & non potiùs ſpontaneos aſſentientes. Etenim ſi ibi Religioſus exiſtens fugitiuus à Religione ſtrictiori valet in arctiorem ingredi, & licentia præſumitur, eo fine vt ille frugem maioris perfectionis ſectetur, cum aliundè difficultas ſit in redeundo ad ſuum Ordinem, & petendo licentiam; cur, ſeruata proportione (eſtò non detur ea circunſtantia fugæ, aut apoſtaſiæ) idem non dicatur de Religioſo Militari maiorem perfectionem ſectari cupiente, cum cæteræ circunſtantiæ concurrant? Adde, Ordinem tunc iam priuaſſe ſeipſum obſequio, & miniſterio illius cum adeò longè à ſe, etiam per totam vitam, ire permiſerit; ergo ei facultatem hoc ipſo conceſſit, vt ſi vellet, perfectiorem vitæ tenorem ſectaretur. Nam quo pacto præſumi poteſt, Ordinem ratihabere, quod ille rebus temporalibus per totam vitam longè ab ipſo Ordine incumbat, & ſe totum in his inſumat, & ſimul non ratihabere, quòd ſe ille Deo ſacret in perfectiori vitæ ſtatu?

134 Infertur rursùs ex dictis peccare prælatum, qui abſque cauſa negaret licentiam ſubdito petenti ad tranſeundum in Religionem arctiorem; quippè tenetur eam concedere, iuxta dictum *cap. licet, de Regularibus,* vt eum aliis notat Portel *in dub. regular, verbo, Religionis tranſitus, num. 11.* E conuerſo nequit prælatus concedere licentiam ſubdito, (niſi detur ſpeciale priuilegium) vt tranſeat ad Religionem laxiorem, vt cauetur in Tridentino *ſeſſion. 25. de Regularibus, capit. 19.* & obſeruat R.P. Andreas Mendo de Ordin. Milit. Portel *vbi nuper, num. 12.* Quare ad hunc tranſitum pontificis diſpenſatio requiritur. Et, quamvis Emanuël Rodriguez *tom. 3. quæſtion. Regular. quæſtion. 52. articul. 9.* aſſerat ex Nauarro, poſſe prælatum ex iuſta cauſa diſpenſare, attamen ipſe *in addition. ad ſumm. tom. 4. capit. 113. num. 7.* id dictum retractauit. Quòd ſi Religiones iudicentur æquales, & neutra ſtrictior, declarauit Congregatio Cardinalium, quam afferunt Rodriguez, & Portel *vbi ſuprà, num. 14.* tranſitum de vna ad aliam non poſſe fieri abſque licentia Capituli Generalis; quod hanc nequit concedere licentiam, niſi ob iuſtam, ac legitimam cauſam, vt docet Pater Azor *tom. 1. inſtitution. moral. lib. 12. capit. 14. quæſtion. 9.* vbi adſtruit, quænam ſint cenſendæ cauſæ iuſtæ ad conceſſionem eiuſmodi licentiæ. In Religionibus autem, in quibus per ſpeciale indultum Apoſtolicum id prohibetur, non licebit Capitulo, licentiam tribuere. Denique, cum ſubditus petit facultatem tranſeundi ad aliam Religionem vt ſtrictiorem, & prælatus negat, illam ſtrictiorem eſſe, reſque ſub dubio verſatur, neutrius iudicio ſtandum eſt, ſed aliorum virorum prudentum arbitrio, vt aduertunt Pater Azor *ſupra, quæſtion. 5.* Portel *ſuprà num. 13.*

QVÆSTIO XIII.

An Eques Profeſſus Ordinis Diui Ioannis poſſit ex diſpenſatione Pontificia tranſire ad ſtatum Equitum aliorum Ordinum Militarium?

NOn eſt dubium, poſſe pontificem diſpenſare cum quovis Religioſo, qui 135
tria Vota abſoluta emiſit, vel ſolemnia, vel ſimplicia (vt in noſtra Societate IESV, conſtituentia verum, & ſtrictum ſtatum Religioſum emittuntur ante profeſſionem. De quo videndus ſum *in ſtatera opinionum benignarum, diſſert. 3. n. 11.*) vt ad aliam Religionem, in qua eadem vota abſoluta fiunt, tranſeat. Verùm, cum in Ordinibus Militaribus, ſaltem in noſtra Hiſpania inſtitutis (& idem in cæteris vt plurimùm contingere, ex *diſquiſition. prima,* conſtat) Equites poſt Bullam pontificiam diſpenſantem, & Iacobæi à fundationis initio, ſolùm vouent Caſtitatem coniugalem, non abſolutam; & prætereà cum Voto paupertatis proprietatem bonorum, & licentiam teſtandi retineant, dubium exoritur,

an Pontifex poſſit diſpenſare cum Equitibus Ordinis Diui Ioannis, (qui Votum ſolemne Caſtitatis abſolutæ emittunt, & item Paupertatis, quin proprium retineant, nec licentiam teſtandi habeant, nec in eorum bona hæredes ex conſanguinitate legitimi ſuccedant) vt Equeſtrem ſtatum aliorum Ordinum ſuſcipiant, & nuptias contrahere queant, ac de ſuis bonis teſtari, vel ab inteſtato decedentibus ſui, aut legitimi hæredes in eorum bona ſuccedant; Etenim id eſt, diſpenſare in Voto ſolemni emiſſo Caſtitatis abſolutæ, & Paupertatis abſque proprio, ac tollere obligationem adimpletionis, retenta dumtaxat obligatione, quæ cæteros Equites Militares ex vi Votorum vrget.

136 Hoc dubium facilè diluitur, ſi ſupponamus, ſolemnitatem votorum fuiſſe iure Eccleſiaſtico inductam, quod latè exornat, & probat Baſilius Legionenſis *in qq. Scholaſticis part.1.q.3. Scholaſtica.* Vbi oſtendit, quo tempore ſolemnitas habuerit exordium; Videantur Interpretes *in cap. vnico de voto, lib.6. & in Extrauaganti, Aſcendente Domino in nauiculam*; Et ego *in ſtatera opinionum benignarum diſſ.12.n.12. & diſſ.3.n.11.* Ex quibus Iuribus conſtat, ſolemnitatem Votorum eſſe de Iure poſitiuo; quæ doctrina fuſæ diſquiſitioni campum aperiret, ſi noſtri eſſet inſtituti. Deindè Pontificem poſſe diſpenſare in cæteris Votis non ſolemnibus, & in non conſtituentibus ſtatum Religioſum, conſtans eſt Doctorum opinio, à quibus aſſeritur, Pontificem diſpenſantem remittere nomine Dei obligationem Voti; Nec maior obligatio reſultat ex voto ſolemni, quàm ex ſimplici, ex parte vouentis, iuxta *cap. rurſus, Qui Clerici, vel vouentes*; eodemque modo tenetur illud adimplere, qui ſimpliciter, ac qui ſolemniter illud emiſit, quin in hoc ſit controuerſia.

137 Quibus poſitis, deducitur quæſtionis deciſio, nempè poſſe Pontificem diſpenſare cum Equite Profeſſo Ordinis S. Ioannis, vt tranſeat ad ſtatum Religioſum Equitis S. Iacobi, Calatrauæ, Alcantaræ, Monteſæ, & ſimilium Ordinum Militarium. Ita cum aliis à ſe allatis docet Diana *part.10. tract. 11. reſol.1.* Etenim poteſt Pontifex diſpenſare in Iure poſitiuo; at ſolemnitas votorum eſt de iure poſitiuo; ergo poteſt in ſolemnitate Voti Caſtitatis abſolutæ, & Paupertatis abſque proprio diſpenſare, ita vt Eques S. Ioannis non obſtringatur eiuſmodi Votis ſolemniter à ſe emiſſis, ſed aliis laxioribus de nuouo emittendis. Hinc *in ſtatera opinionum benignarum, diſſ.12. ex n.37.* tradidi, poſſe Pontificem diſpenſare vt Religioſus profeſſus contrahat matrimonium.

Neque obſtat textus *in cap. cum ad Monaſterium, de ſtatu Monachor.* Vbi videtur doceri, non poſſe Pontificem in votis ſolemnibus diſpenſare. Etenim rectè reſpondet Baſilius Legionenſis *de matrimonio lib. 8. cap.2. num.13.* ſenſum eius textus eſſe; Statum Religioſum conſtare eſſentialiter tribus Votis Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ. (Caſtitas autem coniugalis, & Paupertas cum proprio, ſub lite eſſe, an ſufficiant, oſtendimus *ſuperiùs diſquiſit.2. quæſtion.2.*) ex inſtitutione Christi, & ita non poſſe Pontificem efficere, vt ille ſtatus permaneat, aliquo ex illis Votis ablato. At in noſtro caſu nihil huiuſmodi contingit. 138

Doctrina tradita tenet, quamvis afferatur, Equites Iacobæus, Calatrauenſes, Alcantarenſes, & ſimiles non eſſe propriè, & ſtrictè Religioſos. Nam ſemel poſito, valere Pontificem diſpenſare in Votis ſolemnibus, & eorum obligationem remittere, ſequitur, poſſe diſpenſare, vt Eques Profeſſus Ordinis S. Ioannis tranſeat ad aliam Militiam Equeſtrem, quamvis non ſit aſſumpturus ſtatum ſtrictè, & propriè Religioſum. Quin & pariter ſequitur, poſſe diſpenſare, vt in ſæculo permaneat liber ab omnium votorum obligatione, abſque eo quòd ad alium Ordinem Militarem tranſeat. Id confirmatur; nam in ſuſceptione Ordinis Sacri Subdiaconatus emittitur Votum ſolemne Caſtitatis; Pontifices autem poſſunt diſpenſare, & de facto id præſtiterunt, vt Subdiaconus nuptias contrahat, quin eo Voto maneat obſtrictus. Vnde hinc depromitur pro noſtro aſſerto fundamentum, ſcilicet poteſt Pontifex diſpenſare, vt, qui votum ſolemne Caſtitatis emiſit, nuptias contrahat, abſque eo quòd aliis Votis ſe obſtringat; poteſt item diſpenſare, vt Religioſus profeſſus à votis ſolemnibus liber in ſæculo permaneat; & ex Monacho fiat non Monachus, vt tradit Baſilius Legionenſis *vbi ſuprà.* Ergo à fortiori diſpenſare valet in eo, quòd Eques Militiæ Diui Ioannis profeſſus, tranſeat ad Militiam aliam Equeſtrem, in qua profeſſionem etiam emittat, quamvis non adeò ſint ſtricta Vota ſolemnia. 139

Roboratur doctrinæ fundamentum. Materia Voti Obedientiæ eſt promiſſio facta homini, hoc eſt, Ordinis prælato, & ipſi pontifici, qui eſt Generaliſſimus omnium Religionum, indéque erga omnes Religioſos habet poteſtatem dominatiuā, qua ergo cæteros fideles non gaudet, licèt omniū ſit Paſtor, 140

Paſtor, Superior, & Prælatus ſupremus; Ea autem promiſſio confirmatur voto in profeſſione. Tunc ſic; poteſt pontifex non acceptare promiſſionem; &. poſtquam acceptauit, poteſt eam rejicere; in hoc enim nulla eſt repugnantia, cum ab eius conſenſu, & beneplacito pendeat, & aliundè ipſe ſit ſupra ius poſitiuum Eccleſiaſticum, quod poteſt tollere, ac relaxare; reiectâ autem illa promiſſione, ceſſat obligatio Voti Obedientiæ; Sed ceſſante obligatione Voti Obedientiæ, ceſſat etiam obligatio Voti Caſtitatis, & paupertatis; nam hæc duo ſolùm promiſſa ſuut in eo ſtatu Obedientiæ; Ergo valet pontifex remittere ea Vota, eorumque obligationem, rejiciendo, aut non acceptando promiſſionem ei factam, & in Iure Eccleſiaſtico ſolemnitatis diſpenſando. Cæterùm requiri cauſas iuſtas ad diſpenſandum validè, & quænam ſint iuſtæ cauſæ, latiſſimè docetur ab Authoribus paſſim, dum agunt de diſpenſationibus, & de diſpenſandi poteſtate.

QVÆSTIO XIV.

An, qui emiſit Votum Religionis, ei ſatiſfaciat aſſumendo Habitum Equeſtrem; aut Clericorum Fratrum Ordinum Militarium? Vbi alia dubia deciduntur.

141 Aſſero primò, eum, qui vouit Religionem, non ſatisfacere Voto, ſi fiat Eques Ordinum Diui Iacobi, Calatrauæ, Alcantaræ, Monteſæ, Auis, & Chriſti. Etenim, quamvis aſſeratur, Equites horum Ordinum eſſe ſtrictè Religioſos, tamen (proh dolor!) iam non optantur hi Ordines in Equeſtri ſtatu, ad perfectionem ſectandam, ſed ambiuntur ad honorem conſequendum, vt nullus inficiabitur. Is autem, qui vouit Religionem, ex animo adquirendi perfectionem, & vitandi ſæculi illecebras, ac pericula, Votum emiſit, & ad id ſe intendit obligare; quæ obligatio non relaxatur, ſi Eques Militaris fiat in Ordinibus, in quibus poteſt inire matrimonium, proprium retinere, & inter ſæculi delicias irretiri, familiam retinendo, filios procreando, pro quibus dictandis ſollicitetur. Hæc, crediderim, introſpicienti terminos erunt manifeſta.

142 Non tamen negauerim, poſſe emitti Votum validum aſſumendi ſtatum Religioſum Equeſtrem prædictorum Ordinum, dum motiuum, & finis non ſit conſecutio honoris, & ſplendoris, & ſpes adipiſcendi diuitias ex Commendis; nam hoc motiuum eſt impeditiuum maioris boni ſpiritualis, & conducentis ad perfectionem, nempè humilitatis Chriſtianæ, & Paupertatis Euangelicæ. Si verò hæc motiua ſecludantur, Vota, quæ ab Equitibus Militaribus emittuntur in Profeſſione, ſanctiſſima ſunt, Deo grata, & approbata ab Eccleſia; quare melius eſt, ea emittere, quàm ea præcisè non emittere; ſeu melior eſt materia eiuſmodi Votorum, quàm eius oppoſitum; in quo ſenſu eſt maius bonum, atque adeò Votum ingrediendi, & aſſumendi eum ſtatum, atque emitteudi ea Vota, eſt Votum, ſeu promiſſio Deo facta & aliundè eſt de meliori bono, hoc eſt, non impeditiuo maioris boni. Etenim, quamvis Votum nubendi (niſi in aliquo caſu ſpeciali) non ſit validum, quia impedit maius bonum, nempè ſtatum cœlibatus, & Caſtitatis; tamen Equites Militiarum, eſto poſſint contrahere matrimouium, tamen ad id non tenentur, & poſſunt cœlibes permanere, & Caſtitatem ſeruare, ac prætereà ad Religiones ſtrictiores tranſire, modo appoſito *ſuprà quæſt.* 12. Quare, qui vouet aſſumere ſtatum Religioſum Equeſtrem, non vouet quidquam impeditiuum maioris boni, ſcilicet Caſtitatis abſolutæ, & Religionis auſterioris, indeque Votum validum euadit.

Dubitabis verò, an id votum aſſumendi Habitum Equeſtrem ſit reſeruatum? Ego quidem *tom. in Bull. Cruciat. diſputation.* 26. *num.* 27. aſſerui, non eſſe reſeruatum, ſupponens ad id opinionem, quòd Equites Militares ſimpliciter, & in omni rigore, nou ſint Religioſi; iuxta quam opinionem ea deciſio eſt certa; nam reſeruatio, vtpotè odioſa, ſtrictè eſt interpretanda, atque adeò reſeruatio Voti Religionis debet intelligi de ſtatu Religioſo ſtrictè, & ſimpliciter ſumpto. Cenſeo ergo, in praxi vix poſſe contingere euentum, in quo vel id Votum non ſit inualidum, ex eo quod emittatur non ex fine perfectionis, vel, ſi validum ſit, non poſſit quis ſequi eam opinionem, & iuxta eam iudicium ferre de qualitate eius Voti, iudicando non eſſe reſeruatum. Quin quòd non facilè poteſt obtineri eius conſecutio, ſed pluribus mediis appoſitis, quæ ambitionis ſpeciem, anxietatem animi, & ſollicitudinem temporalem ſecum afferunt, ad quæ ex virtute Religionis, & ex fine perfectionis, quis dicat, quempiam teneri? 143

Quòd ſi caſus apponatur, quo aliquis voueat ſtatum Religioſum Equeſtrem ex animo perfectionis ſectandæ, ac virtutis ample 144

ampleċtendæ; & quòd facilè illum ſit adepturus, quin ambitionis ſpecie alliciatur; nec anxie de illo ſollicitetur, aut media apponat, quæ nullam temporalis curæ vmbram præſeferant, ſed ex virtute Religionis valeant executioni mandari; Profectò aſſeram, caſum eſſe ſpeculativum, non practicum; & tunc reſeruatum eſſe Votum, ſi quis aſſentiatur ſententiæ affirmanti, Equites Militares eſſe ſtrictè, ac ſimpliciter Religioſos, & nolit, aut non poſſit authoritati extrinſecè opinionis oppoſitæ cum iudicio practico probabili conformari. Etenim in hoc euentu metaphyſico nihil vndique deſideratur ad reſeruationem eiuſmodi Voti, vt perpendenti conſtabit.

145 Aſſero ſecundò, eum; qui vouit Religionem, ſatisfacere Voto, ſi ingrediatur in Religionem Militarem, aſſumendo ſtatum Clericorum Fratrum. Ita docent Corduba *in ſumm. quaeſtion.*148. Portel *de dub. Regular. verbo, Religioſus, in addit. num.*4. Pater Thomas Sanchez *lib.*3. *in Decalog. cap.*16. *num.*12. Probatur. Etenim iam ſtabiliuimus *diſquiſit.*2. *quaeſtion.*2. Clericos Fratres Militares eſſe ſtrictè, & in omni rigore Religioſos, quin circa hoc vnquam fuerit vlla controuerſia; ergo, qui eorum ſtatum aſſumit, ſatisfacit Voto Religionis à ſe emiſſo. Et quidem, vt decurſu huius Operis oſtendimus, illi perfectionem Euangelicam ſectantur; Caſtitatem abſolutam vouent; proprium non retinent; diu intra Communitatem degunt, tunc quidem diſciplinæ regularis exactè obſeruatores; in proximorum ſalutem ſpiritualem incumbunt, dum Parochi, & Priores, aut Vicarij ſunt. Cur ergo Voto Religionis non faciat ſatis, qui eorum aſſumit ſtatum? Et, quamvis is ſtatus non ſit adeò auſterus, ac eſt ſtatus aliorum Regularium non Militarium, attamen qui vouit Religionem, non obſtrinxit ſe ad auſteriorem ampleċtendam, & ſic deſignauerit in Voto Religionem auſteram, poſſe cum diſpenſatione Epiſcopi, aut alterius habentis priuilegium ad diſpenſandum, aut per commutationem qualitatis adiunctæ, factam virtute Bullæ Cruciatæ, laxiorem ingredi Religionem; eo quòd qualitas Religionis non cadat ſub reſeruatione, docui *tom. in Bull. Cruciat. diſput.*26. *num.*134. cum Emanuële Rodriguez, Sayro, Bartholomæo à S Fauſto, Patre Henriquez, Azor, & aliis. Ibi etiam plures caſus appoſui, qui poſſunt in præſenti adaptari.

146 Addo, etiam ſatisfieri voto Religionis per ingreſſum, & aſſumptionem Status Equeſtris Ordinis Diui Ioannis. Quippè Equites huius Ordinis in omnium ſententia ſunt ſtrictè, & ſimpliciter Religioſi; Caſtitatem abſolutam vouent; proprium non retinent, nec teſtari valent. Vnde votum ingrediendi in Ordinem D. Ioannis eſſe reſeruatum Pontifici, (ſicut, iuxta dicta, tenendum etiam eſt de Voto aſſumendi ſtatum Religioſum Clericorum Fratrum Militarium;) tradidi *tom. in Bull. Cruciat. diſputation.*26. *num.*27. Et conſequenter non poſſe Epiſcopum in eo diſpenſare, nec valere commutari per Bullam Cruciatæ; quod idem eſt aſſerendum de voto ſtatus Religioſi eiuſmodi Clericorum Fratrum aſſumendi.

Inſuper addo, etiam ſatisfieri Voto Religionis per ſuſceptionem Habitus Hoſpitalis Regij, addicti Monaſterio *de las Huelgas* iuxta Burgos; quia ibi tria Vota emittuntur, etiam Caſtitatis abſolutæ; & eſtque ipſe Ordo Ciſtercienſis, ſub quo militant; qui eo Habitu ornantur, & ſubjiciuntur Abbatiſſæ Ciſtercienſi prædicti Monaſterij *de las Huelgas*. 147

Cordova *vbi ſuprà* videtur innuere, rationem, ob quam ſatisfit voto Religionis aſſumendo ſtatum Clericorum Fratrum, ſaltem partialem eſſe, quia hi in Communitate degunt. Sed eſtò hæc ratio deficeret, aſſertio noſtra eſſet tenenda, quæ innititur in eo, quòd Clerici Fratres ſint ſtrictè Religioſi, voueantque Caſtitatem abſolutam, & Paupertatem abſque proprio. Quare aſſeruimus, etiam ſatisfieri voto Religionis aſſumendo ſtatum Equeſtrem Ordinis Divi Ioannis, quamvis Equites in Communitate non degant. Præterea plures Clerici Fratres ex ipſo D. Ioannis Ordine nunquam intra Communitatem verſantur; illi nempè, quos Commendatarij deſignant ad ſuas Eccleſias regendas, nam, ſi Clerici ſæculares ſint, à Commendatariis præſentantur coram Aſſemblea Ordinis, vt eos examinari, præcipiat, atque de puritate ſanguinis ipſorum Informationes peragi, quibus peractis, & approbatis, illi Habitum aſſumunt, & illicò Parochiæ inſeruiunt, quod ſeruitium loco Nouitiatus ſubſtituitur, & anno tranſacto, emittunt Profeſſionem, quin vnquam intra Monaſterium, aut Communitatem verſentur. Rursùs omnes alij Clerici Fratres, adhuc poſtquam è Communitate exeunt, nunquam ad illam redituri, ſed reſidentiam in ſuis Beneficiis ex debito, & obligatione ſtrictiſſima habituri, non minùs ſtrictè Religioſi ſunt, & ad votorum ſubſtantiam adſtricti, quàm dum in Communitate degunt. 148

Hic

149 Hic obſerua, ante illud tempus, quo pontifices diſpenſarunt in Voto Caſtitatis abſolutæ cum Ordinibus Calatrauæ, Alcantaræ, Monteſæ, & ſimilium, Voto religionis ſatisfieri potuiſſe aſſumendo tunc ſtatum Equeſtrem eorum Ordinum, cum eodem modo ſe haberent, ac nunc Ordo S. Ioannis, nec tunc vllus dubitauit, Equites eorum Ordinum fuiſſe in omni rigore religioſos. Et quidem eis temporibus non adeò tepuerat feruor militandi contra Eccleſiæ hoſtes, & frequentior erat occaſio præliandi, vitamque fundendi pro Eccleſiæ defenſione; eaque exercitamenta bellica eo fine religionis Catholicæ propagandæ ardua ſanè erant, auſtera, atque perfecta; quare & perfectum erat Votum ſequendi id Inſtitutum.

QVÆSTIO XV.

An Profeßio poßit emitti à Regularibus Militiarum in articulo mortis ante expletum annum Nouitiatus? Et an Nouitij Fratres Clerici poßint minoribus Ordinibus initiari à ſuo Priore?

150 SÆpè in Iure reperitur, & in Tridentino ſtabilitur, Nouitios in religione non poſſe emittere profeſſionem, niſi peracto omnino Nouitiatus anno. At, ſi eo labente, Nouitius in periculum incidat mortis, cõceſſit Pius V. in Motu proprio expedito die 23. Auguſti, anno 15/0. quòd poſſit in articulo mortis profeſſionem emittere, vt ſic lucretur indulgentias, & gratias, quæ in profeſſione obtinentur, & eas, quas obtinent profeſſi in articulo mortis; licèt enim Nouitij, in valdè probabili opinione, etiam gaudeant priuilegiis, ac gratiis religioſorum, qui profeſſi ſunt; tutius tamen & extra opinionis contentionem, ſi Nouitius tunc profiteatur, eis gaudebit. Et, quamvis aliqui opponant huic conceſſioni Pij V. Bullam Gregorij XIII. quæ incipit, *In tanta negotiorum*; Attamen non fuiſſe eiuſmodi conceſſionem reuocatam per hanc Bullam tuentur Emanuël Rodriguez, Henriquez, Bartholomæus à S. Fauſto, Ludouicus Beja, & alij, quos refert, & ſequitur Barboſa *in collectan. ad cap. ad Apoſtolicam*, 16. *de Regularib.* Cæterùm, ſi Nouitius, qui in mortis periculo proximo profeſſionem emiſit, mortem euadat, & conualeſcat, debet annum integrum probationis explere, & iterùm profiteri, vt præfati Authores obſeruant; qui etiam aduertunt, ſi ille Nouitius, profeſſione emiſſa, decedat è viuis, quin de ſuis bonis legitime diſpoſuerit, Monaſterium non ſuccedere in illa, ſed eos conſanguineos, qui habent ius ſuccedendi ab inteſtato in bonis illius; quia ea anticipata profeſſio non habet alium effectum externum, niſi eum, ad quem fuit conceſſa, nempè participationem priuilegiorum, & gratiarum in ordine ad ipſum profitentem.

Hæc omnia prorsùs congruunt Clericis 151
Fratribus Nouitiis Militiæ Iacobææ Equitibus tamen Militaribus, & Fratribus Clericis Calatrauæ, & Alcantaræ, ita competunt, vt tamen nequeant abſque licentia ipſius Regis, profeſſionem emittere. Etenim profeſſio à Pio V. conceſſa, nequit propria authoritate emitti, ſiquidem debet à prælato acceptari, quod eſt ipſi profeſſioni ſolemni eſſentiale, quatenùs ſolemnis eſt, quare nequit emitti, niſi prælatus acceptet per ſe, aut per alium à ſe deſignatum, & conſequenter præbeat facultatem ad eam emittendam. Quòd latè cum communi explicat Emanuël Rodriguez *tom.* 1. *quæſtion. regul. q.* 1. *art.* 2. Vnde Clerici Fratres Iacobæi de licentia ſuorum priorum poterunt profeſſionem in articulo mortis emittere; nam, licèt profeſſio Regi noſtro, vt Magiſtro, ſeu Adminiſtratori perpetuo emittatur, tamen Priores Monaſteriorum eius nomine acceptant profeſſionem, eiſque commiſſæ ſunt ſubditorum profeſſiones. Attamen in Definitionibus Calatrauæ *tit.* 7. *cap.* 2. ſtatuitur, vt nec Fratres Clerici Profeſſionem emittant, quin Rex noſter de eorum meritis, ac ſufficientia moneatur, & licentiam præbeat. Idem eſt de Fratribus Clericis Alcantarenſibus. Vnde hæc ſit regula generalis; Ille ſolus poteſt licentiam concedere ad emittendum profeſſionem in articulo mortis, qui poteſt eam concedere ad emittendum ipſam, peracto anno Nouitiatus, nam quoad hoc nihil Pius V. innotauit, aut conceſſit.

Vt autem ad ſecundam quæſtionem in 152
titulo præfixam accedamus, duplicem reperio ſententiam. Prima eſt eorum, qui arbitrantur, Nouitios non poſſe tempore Nouitiatus nec prima Tonſura initiari. Ita Syluester, Lambertinus, P. Azor, & alij, quos refert Barboſa *in Collectanea ad cap. poſtulaſti, de Regularibus*, & Angelus, *verbo Nouitiatus*, *num.* 2. Oppoſitum docent ipſe Barboſa, P. Henriquez, Pater Suarez, quos refert, & ſequitur Pater Thomas Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 10. *n.* 19. Emanuël Rodriguez *tom.* 1. *qq. regular. quæſt.* 13. *art.* 4. P. Pellizarius, & alij;

qui non ſolùm prima tonſura, ſed omnibus Ordinibus Nouitios poſſe initiari tuentur. Quorum ſententiam veram iudico, & in primis de prima Tonſura extat deciſio Bonifacij VIII. *in cap. nullus de tempor. ordin. lib. 6.* Vbi ait, nullum Epiſcopum, aut quemvis alium poſſe Clericalem Tonſuram conferre infanti, niſi Religionem ingrediatur; ergo, ſi ingreditur, poterit, cum adhuc ſit Nouitius, ſiquidem infans nequit emittere Profeſſionem. Quam doctrinam tradit ibi Gloſſa, *verbo, infanti, & verbo, intrare.* Deinde nullo Iure prohibetur, Nouitios ad quoſlibet Ordines promoueri, ergo poſſunt promoueri ad illos. Opponunt textum *in cap. Monaſtery 19. quæſt. 3.* Verùm Emanuel Rodriguez ait, diſpoſitionem huius textus per contrariam conſuetudinem fuiſſe abrogatam. Alij verò Authores aiunt, ibi non eſſe ſermonem de Ordinibus, ſed de Monachali Tonſura, & ritibus, qui ſunt proprij eorum, qui iam Profeſſionem emiſerunt, & ſunt abſolutè Religioſi.

153 In Ordinibus autem Religioſis ſua ſpecialia dantur Statuta circa tempus, in quo Religioſi poſſunt ad Ordines promoueri. Sic in Ordine D. Iacobi, vt Clericus Frater Subdiaconatus Ordinem ſuſcipiat, poſt acceptionem Habitus duo anni tranſacti requiruntur; tres verò, antequam Diaconus fiat; & quatuor ante Presbyteratus Ordinem. Ita extat in Statutis *tit. 12. cap. 12. pag. 132.* In Ordine Calatrauæ duo anni poſt Habitum ſuſceptum ante Subdiaconatum, quatuor ante Diaconatum, ſex ante Presbyteratum requiruntur; nec attentis præcisè Statutis, Prior, aut Adminiſtrator poteſt licentiam, & Dimiſſorias ante id tempus præbere, cum ita ei præcipiatur à Capitulo Generali; quòd ſi expediat, aliquem ante id tempus Ordines præfatos ſuſcipere, monendus eſt Senatus Ordinum, vt licentiam concedat. Ita in Definitionibus *tit. 2. cap. 10.* Vbi maximè commendatur, vt cum Senioribus Monaſterij priùs inſpiciantur, & examinentur mores, & ſufficientia eius, qui ad Ordines eſt promouendus. In Ordine Alcantaræ tempus non reſtringitur; verùm iniungitur Priori, vt licentiam non præbeat ad Ordines ſuſcipiendos, niſi priùs examinet promouendum, & is per ſuffragia ſecreta Seniorum aptus iudicetur; Cum autem ad presbyteratum ſuffragia præſtanda ſunt, omnes ſuffragatnri priùs eo die Sacrum celebrare tenentur. Promouendi autem ad Ordines, ſi ſuffragia ad promotionem directè, aut indirectè illicitis mediis ambiant, per duos annos prohibentur ad Ordines promoueri; Et Prior, ſi ſciat, & non impediat, per menſem vnum ab Officio ſuſpenditur. Ita in Definitionibus, *pag. 78.* Aduerte in præſenti, licentiam, vt ante tempus præfixum Clerici Fratres ſuſcipiant Ordines Sacros, de facto à Superioribus Monaſteriorum, cauſa iuſta interueniente, concedi, nec à Senatu Ordinum poſci; Quod conſuetudine inductum non ægrè ferri à Senatu, iudicandum eſt.

Sed à quo Epiſcopo promouendus ſit ad Ordines Nouitius, dubitatur. Ordinandum fore ab Epiſcopo proprio, non ſecùs, ac ſi Religionem non fuiſſet ingreſſus, tradit P. Henriquez *lib. 10. de Sacram. Ordin. cap. 15. num. 3. lit. G.* Cui ſententiæ fauent Luppus, Paulus Francus Dominicus, Cardinalis, P. Suarez, & alij apud P. Thomam Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 10.* qui tuentur, ratione Nouitiatus non acquiri domicilium, atque adeò, ſi Epiſcopus proprius non ſit Epiſcopus loci, in quo Nouitius verſatur, non poſſe ab Epiſcopo loci Ordinibus initiari, ſed à proprio Epiſcopo. Verùm poſſe Nouitium ab Epiſcopo loci ordinari, quamvis non eſſet Epiſcopus proprius reſpectu ipſius, ſi non eſſet ingreſſus Religionem, abſolutè docet P. Thom. Sanchez *loco relato*, cum Ancharano, Henrico, Antonio Cuco, & aliis; Cui ſententiæ adſtipulantur hi, qui docent, ratione Nouitiatus adquiri domicilium, cum quis poſſit ordinari ab Epiſcopo domicilij; Illi autem ſunt Gofredus, Hoſtienſis, Ioannes Andreas, & alij apud eundem Thomam Sanchez. Etenim, quamvis Nouitius probet anno Nouitiatus, an ſibi expediat, & congruat ille ſtatus Religioſus, & de eo ipſa Religio experimentum capiat, tamen præſumitur Nouitius animum habere permanendi, qui animus habitus ab ipſo tempore ingreſſus in Religionem ſufficit ad conſtituendum domicilium, iuxta tradita à me *tom. de Iure Academico, lib. 3. ex num. 445.* Vbi plura circa domicilium diſcuſſi. 154

Exindè obſeruant prædicti Authores, quorum ſententia eſt probabiliſſima, non indigere Nouitios licentia, nec literis dimiſſoriis Prælati Regularis, vt Ordinibus initientur; cum enim ordinandi ſint à proprio Epiſcopo ratione domicilij, ad illum ſpectat, eis Ordines conferre; aut dimiſſorias tribuere, vt ab alio Epiſcopo non proprio ordinentur; &, cum aliunde Nouitij non adhuc ſint Religioſi quoad onera, non tenentur eam licentiam, & dimiſſorias poſcere, quatenùs grauamen adducit ſuprà id, quod ipſi haberent, ſi Nouitij non forent, 155

forent, cum tunc ab Epiſcopo domicilij, abſque alia licentia poſſent Ordines ſuſcipere.

156 Hæc tamen omnia procedunt independenter à priuilegiis, & facultatibus, quibus Religioſi Prælati gaudent, concedendi dimiſſorias ſuis ſubditis, vt Ordinibus initientur à quolibet Epiſcopo, quin attendatur ad id, quòd ſit Epiſcopus proprius ratione originis, aut domicilij; quod praxis communis oſtendit. Hinc, eum Nouitij gaudeant priuilegiis Religioſorum, vt tradidimus *ſuprà*, *quæſt.*5. ſit, Prælatos Regulares poſſe eis concedere dimiſſorias, vt à quocumque Epiſcopo ordinentur; Quod etiam docet P. Thomas Sanchez *vbi ſuprà*, *cap.* 10. *in fin.* Id tamen intellege, ſecluſis ſpecialibus Statutis cuiuſque Religionis circa tempus, in quo poſſunt Religioſi Ordiues ſuſcipere, nam prælati nequibunt aliter dimiſſorias concedere, niſi diſpenſet intra ipſam Religionem is, cui diſpenſandi in eius Statutis poteſtas competit; vt in Ordinibus Militaribus D. Iacobi, & Calatrauæ, Senatui Ordinum ea poteſtas eſt tradita.

157 Ex dictis ſequitur, priores Militares iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentes poſſe primam Tonſuram, & quatuor Minores Ordines conferre ſubditis Nouitiis. Etenim in Statutis, & Definitionibus Ordinum non reſtringitur tempus circa primam Tonſuram, & quatuor Minores Ordines; aliundè priores poſſunt eos conferre ſubditis profeſſis, ergo & Nouitiis, qui priuilegiis profeſſorum quoad hoc gaudent. Deindè Prior Monaſterij S. Iacobi Hiſpalenſis, & Adminiſtrator Monaſterij Calatrauæ poſſunt literas dimiſſorias Nouitiis ſubditis concedere, vt à quolibet Epiſcopo prima Tonſura, & quatuor minoribus Ordinibus initientur; Idem præſtare poſſunt ipſi priores, qui iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudent, ſi nolint ipſi ſuos Nouitios ordinare, ſicut etiam poſſunt eas dimiſſorias profeſſis concedere. Demùm Prior Alcantaræ valet concedere dimiſſorias Nouitiis ſubditis etiam ad ſacros Ordines, præcedentibus requiſitis *ſuprà* appoſitis, cum reſpectu Alcantarenſium non ſit requiſitum tempus determinatum Habitus ſuſcepti ad receptionem Sacrorum Ordinum, & aliundè Nouitij ſecundùm ſe eos valeant ſuſcipere. Communiter tamen non expedit, Nouitios ad Sacros Ordines promoueri; tum, ne Nouitiatus tempore extra Monaſteria vagentur, vt ad eos ſuſcipiendos accedant ad Epiſcopos; tum, ne, ſi fortè ab Ordine reſipiſcant, aut ejiciantur, Ordinum ſuſceptorum eos pœniteat; & alias ob cauſas, propter quas prudenter in Religionibus fere omnibus ſtatutum eſt, ne Religioſi Ordines Sacros ſuſcipiant, niſi poſt tempus præfixum; quod etiam, vt aſſeruimus, ſancitum eſt in Ordine D. Iacobi, & Calatrauæ. Alias quæſtiones circa Ordines ſuſcipiendos à Religioſis, & de irregularitatibus, quæ per ingreſſum in Religionem tolluntur, & de his, in quibus prælati Regulares poſſunt diſpenſare, aliaque huiuſmodi, omnibus Religioſis ſunt communia, quin aliquid ſpeciale circa Regulares Militiarum ſit obſeruatione dignum; quare ea non diſcutimus; Videantur Emanuel Rodriguez *tom.*1. *qq. Regular. quæſt.*13. *ex art.*3. Euſebius de Herrera *de ſtatu Religioſo*; Miranda, Lezana, Marchinus, Suarez, Thom. Sanchez, Caſtro Palao, Leander de Sacramento, Layman, Bonacina, Henriquez, Gaſpar Hurtado, Pellizarius, & alij plures paſſim *de Sacramento Ordinis*, *& de Religione* tractantes.

Inquires, an Equites Militares, dum 158
ſunt Nouitij, prohibeantur Ordinibus initiari? Ex Iure nulla extat prohibitio, vt iam attigimus loquendo de omnibus Nouitiis. Nec prohibitio vlla datur, nec temporis coarctatio in Statutis, & Definitionibus Ordinum, in quibus de ſolis Clericis Fratribus ſermo eſt, cum de Ordinibus agitur. Verùm Statuta, & Definitiones ideò de Equitibus nihil ſtabiliunt, quia, cùm eorum Inſtitutum ſit militia pro Fidei, & Eccleſiæ defenſione, cui Inſtituto opponuntur Ordines Sacri, ſiquidem Sacerdotium non eſt, milites adſcribi, ideò de Equitibus ordinandis nihil cautum eſt in ſtatutis, & Definitionibus. Hinc cenſeo, ex ſe non poſſe Equites ſuſcipere Ordines Sacros abſque licentia Regis, aut Senatus Regij Ordinum. Quippè non poſſunt in eo ſe conſtituere ſtatu, in quo nequeant aut inſeruire ſuo Ordini, & ſatisfacere ſuo muneri, fini, & inſtituto; in eo autem conſtituuntur, ſi Ordinibus Sacris initientur, cum non poſſint ſic militare; Quare vel ipſum nomen Ordinibus Sacris repugnat, *Milites* enim ſunt; Sic à Pontificibus appellantur; Sic in acceptione Habitus, & profeſſione eis indicitur obligatio militiæ ſequendæ; quomodo ergo ſtat, Sacerdotium ſuſcipere, & inhabiles ſe reddere ad obediendum ſuis prælatis circa ipſa munera, ad quæ ex Inſtituto tenentur?

Hinc ex ſe ea licentia ad Ordines ſuſci- 159
piendos non eſſet concedenda, niſi ex iuſta cauſa, & veteranis, ac in Militia emeritis, aut debilibus. Nec ob eaſdem rationes

Habitus Equeſtris ex ſe foret concedendus his; qui Sacris ſunt initiati, aut Beneficiis Eccleſiaſticis gaudent; nam nec ipſum nomen Militum Equeſtrium eis aptatur. Iam quidem ex conſuetudine, vſu, & praxi, cum Equites Militares pecuniis redimant obſequia militaria ab ipſis præſtanda, & iudicetur, non minùs opportunum eſſe bello ſubſidium pecuniarium, quàm perſonale, Habitus Equeſtres conferuntur his, qui ſtatui Eccleſiaſtico addicuntur, aut literas profitentur. Vnde ob hanc praxim, cenſeo, non peccare Equitem, qui abſque licentia Ordines Sacros ſuſcipit; poterit autem aliqua pœna mulctari a Senatu Regio Ordiuum, eo quòd actum debitum, iuxta diſciplinam regularem, obedientiæ omiſerit, & de ſe ipſo abſque licentia in perpetuum diſpoſuerit. Vide dicta *ſuprà quæſt.* 11. Cæterum *diſquiſ. 7. quæſt. 9.* docebimus, Equitem ad Ordines quoſvis ſuſcipiendos fore obtenturum literas dimiſſorias à Priore Monaſterij ſui Ordinis; (ſi ſubſcribatur ſententiæ aſſerenti, eos eſſe ſtrictè Religioſos) nam, iuxta præſcripta in Iure, nullus Religioſus poteſt ordinari abſque literis dimiſſoriis ſui Prælati Regularis, indeque tenentur illi eas à ſuo prælato poſcere; Rex autem, qui eſt prælatus, & nequit per ſe ſpiritualia exercere, deſignat, iuxta Bullam Adriani VI. perſonam Ordinis, per quam merè ſpiritualia exerceantur; Ij autem ſunt priores Monaſteriorum. Hinc, ſi Eques de licentia prælatorum ordinetur, & ei congrua deficiat, non tenetur Epiſcopus, qui Ordines miniſtrauit, ei congruam præſtare, ſed ipſe Ordo Militaris, eiuſque prælati; ſicut reſpectu aliorum Regularium contingit. Aduerte tamen, Equites Militares, qui ab Epiſcopo dimiſſorias ad Ordines ſuſcipiendos impetrant; & abſque dimiſſoriis proprij Prælati Regularis ordinantur, excuſati, ſi ſequantur ſententiam, quòd non ſunt propriè Religioſi. Aduerte ſecundo, dum ſunt Nouitij, non indigere dimiſſoriis prioris, vt à proprio Epiſcopo ordinentur, ſic verò, vt ab Epiſcopo non proprio, iuxta tradita *ſup. ex n.* 13.

160 Inquiris, an Clerici Fratres Calatrauæ, & Alcantaræ, & alij ſub Inſtituto Ciſtercij degentes poſſint initiari minoribus Ordinibus ab Abbatibus Ciſtercienſibus? Id dubium paucis abhinc annis conſultum fuit Salmanticæ cum Viris ſapientiſſimis, qui reſponderunt, poſſe. Cum enim illi Inſtitutum Ciſtercienſium ſequantur, inter ipſus Monachos Ciſtercienſes quoad id ſunt recenſendi; Et Abbatum poteſtas ad eos afferentes literas dimiſſorias ſuorum prælatorum æquo iure extendi iudicatur, maximè cum Bullæ Pontificiæ non exiguum ad id præbeant fundamentum.

QVÆSTIO XVI.

An Equites coniugati indigeant licentia vxorum, vt ingrediantur Ordines Militares, & in eis Profeſſionem emittant?

IN formula præſcripta concedendi Habi- 161
tus Militares (de Ordine S. Ioannis non eſt ſermo in præſenti) ea continetur interrogatio, an ſuſcepturus illum ab vxore licentiam petierit? Vnde conſtat, licentiam vxoris deſiderari. Et quidem rectè; cum enim ingrediens Ordinem Militarem obſequio Dei, & Ordinis ſe mancipet, & ſub obedientia Magiſtri ſe conſtituat, vt de ipſo quidquid ei libuerit iuxta Statuta Religionis, diſponat, neceſſum eſt, vt vxor conſentiat, & cedat iuri, quod in maritum habet, non ſanè omnino, ſed quoad opus ſit, vt ille oneri, quod in ſe ſuſcipit, faciat ſatis, quin poſtmodùm illa conqueri, aut reclamare valeat. Hinc Didacus Mota *de confirmat. Ordin. D. Iacobi, lib. 2. cap. 2. §. 2. num.* 13. exponit verba D. Pauli docentis, Virum non habere poteſtatem ſui corporis, ſed mulierem; hæc enim ſuæ poteſtati, ſeu iuri cedit, dum licentiam præbet marito aſſumendi Habitum Militarem. Indè etiam *ex num.* 5. *ibidem* tradit, Equitem, poſtquam Deo, Ordini, & Magiſtro eſt deuinctus, non habere ſe vt liberum, ſed tanquam ſub aliena poteſtate exiſtentem, & hinc vxorem non poſſe eo vti pro libito, ſed dependenter ab aliena voluntate, cum ei licentiam conceſſerit ad tradendum ſe obedientiæ ſub diſciplina regulari.

Nec inuoluit repugnantiam, vt obſer- 162
uat ipſe Mota *vbi ſuprà, cap. 2. §. 19. ex num.* 4. quòd Ordo habeat ius in Equitem, & ſimul vxor ius etiam conſeruet ad matrimonij vſum. Etenim hoc vxoris ius eſt alteri iuri ſubordinatum, hoc ipſo quòd illa ei ceſſerit; atque adeò eſt limitatum, & non abſolutum extenſiuè ad vtendum toties quoties matrimonio, ſed ad vtendum, quoties Eques ex obedientia inſta non fuerit legitimè occupatus in adimplendo ſui Ordinis Inſtituto, Regula, & diſciplina. Hinc latè oſtendit ipſe Author, rectè inter ſe cohærere, Equites eſſe propriè Religioſos, & ſimul eſſe coniugatos, ac habere

familias, & bona, quæ in hæredes transferantur, cum & ipſi, & eorum bona ſubordinata ſint Ordini, ac Magiſtro, ſeu Adminiſtratori, & aliundè ſic à Pontificibus Ordines Militares, aut ex inſtitutione, aut ex diſpenſatione confirmentur, & approbentur, tanquam veræ, & propriæ Religiones, quin ſit contra earum eſſentiam, quòd ſolummodò Caſtitatis votum ſit coniugalis, & quòd votum paupertatis cum facultate teſtandi, & diſponendi de bonis coniungatur. Sed de vi huius ratiocinationis videatur dicta *diſquiſ.2.quæſt.2.*

163 Dices primò, eſtò doctrina tradita ſit vera de Equite, qui iam coniugatus ſuſcepit Habitum Militarem, at nequit eſſe vera de eo, qui poſt profeſſionem duxit vxorem; cum enim iam tunc traditus ſit Deo, & Ordini, nequit ſe tradere vxori, ita vt vera ſit illa prolatio, *Do me tibi in ſponſum*, quæ ſignificat traditionem omnimodam corporis ad matrimonij vſum. Reſpondeo, certum eſſe, matrimonij vinculum conſtare ex mutuo conſenſu, quo coniuges ad inuicem ſibi tradunt ius, & poteſtatem in ſua corpora, iuxta *cap.ſufficiat,27.quæſt.2.* Vſus autem actualis matrimonij non eſt de eſſentia illius, cum ante hunc vſum ſtet verum matrimonium, vt liquet ex *Concil. Florentino in inſtruct. Armenorum*, ex Tridentino *ſeſſ.24. & ex cap. ex parte; cap. veniens; cap. cum locum; cap. cum apud, de ſponſalibus.* Quin poteſt quis animum habere contrahendi matrimonium; & non conſummandi, iuxta *cap. commiſſum, de ſponſalib.* Iam ergo, cum per profeſſionem ſolemnem detur traditio actualis perſonæ, vt docet D. Thomas 2.2. *quæſt.189. art.2. ad primum, & art.5. necnon quodlib. 3. art.18.* fit, vt per matrimonium Eques tradat ius, & poteſtatem in ſuum corpus in ordine ad vſum, qui poſſit ſtare cum ea actuali traditione primaria, ſeu iuxta Regulam, quam profitetur, iuxta quam de licentia Magiſtri contrahit matrimonium; iſque vſus limitari poteſt, cum vſus non ſit de eſſentia matrimonij; Et id aſſeruit Mota *ſuprà §.19.n.11.* eſſe, dari vxori traditionem potentialem corporis, non actualem abſolutam; nempè dari poteſtatem vtendi matrimonio iuxta Regulam, quam Eques profeſſus eſt, & dependenter à voluntate Magiſtri, ſeu dum ipſe iuſtè Equitem in bello, aut in obſequio Ordinis non detinet abſentem ab vxore.

164 Nec vxor poteſt conqueri de iniuria ſuo iuri illata; cum enim Equiti Profeſſio maritatur, cedit voluntariè iuri ſuo, & conſentit in dominium corporis mariti cum limitatione quoad vſum; nam hoc ipſo quòd conſentiat coniugio cum Viro tradito ſolemniter Deo, Obedientiæ, ac Religioni, & eam traditionem nequeat ipſa reuocare, aut impedire, conſequenter non aliam poteſtatem vult circa maritum, niſi eam, quæ ſtat cum Religione, & Obedientia; vnde, cum voluntaria ſit in ipſo matrimonij contractu, & conſentiat, nulla deindè ſcienti, & conſentienti fit iniuria.

165 Dices ſecundò, ſi quis contrahat matrimonium cum ancilla, ea appoſita conditione, vt ei reddat debitum ſolummodò, quando eius dominus voluerit, matrimonium erit irritum, & nullum iure naturali; ſed hæc conditio virtualiter apponitur in coniugio cum Equite Profeſſo, nempè vſum matrimonij non fore habendum, niſi cum Ordo illum permittat, aut non impediat; ergo irritum erit hoc matrimonium. Maior probatur *ex cap. propoſuit, de coniugio ſeruor.* Vbi error ſeruitutis annullat matrimonium, non autem ſupponitur ibi, eſſe nullum ex lege Eccleſiaſtica, igitur ex lege naturali.

166 Reſpondeo, negando maiorem; ea enim conditio & ſemper includitur in coniugio ſeruorum, cum non tollatur à domino poteſtas in illos, & eorum vſus, ratione cuius ſæpè nequeant matrimonio vti; & aliundè hæc conditio non tollit mutuum *ſuprà* dictum conſenſum, in quo ſtat eſſentia matrimonij, & dumtaxat ea traditio corporum ad inuicem eſt limitata quoad vſum; matrimonium autem poteſt verè conſiſtere, tum abſque vſu, tum cum vſu limitato, & reſtricto, in quem voluntariè conſentit ſeruus, aut ancilla, dum matrimonium contrahunt, ſiquidem ſuæ ſeruitutis naturam agnoſcunt, quæ non patitur vſum expeditum matrimonij, nec eo vti poſſunt toties, quoties voluerint. Sic etiam validum eſt matrimonium leproſi, & ſenis, quamvis ipſi nequeant reddere debitum ſemper, ſed aliquando, ob ægritudinem, aut imbecillitatem naturæ, quod vxores ſupponunt. In noſtro etiam caſu, & in coniugiis ſeruorum poteſt aſſeri, nullam, nec implicitam, conditionem inuolui, ſed ſupponi in contractu matrimonij id, quod eſt annexum perſonæ, cum qua contrahitur, nempè ſtatum Religionis, aut ſeruitutis, qui ſtatus non permittunt vſum matrimonij, quoties libuerit; pluribuſque id ipſum poſſet exemplis confirmari.

167 Ad probationem reſpondet Mota *ſuprà num.24.* illud coniugium eſſe nullum non ex lege naturali, ſed ex lege Eccleſiaſtica prolata *in cap. ſi quis liber, 29. quæſt.2.* Verùm independenter ab hoc, eneruis eſt probatio,

probatio, quæ ſupponit, interceſſiſſe ſeruitutis errorem; nam hic error, cum ſit circa ſubſtantialia, tollit voluntarium, indeque laborans eo errore cenſetur rectè non conſenſiſſe in coniugio cum ea fœmina, quam alterius conditionis ſubſtantialis exiſtimabat; ſicut non cenſetur conſentire is, qui laborat errore perſonæ, & contrahit matrimonium cum fœmina, quam omnino aliam eſſe exiſtimabat; ſine conſenſu autem non poteſt eſſentia matrimonij reperiri. Id autem in noſtro caſu non datur; nam fœmina, quæ init matrimonium cum Equite Profeſſo; nullo errore laborat circa ſubſtantialia, nec circa perſonam; quare exindè nequit matrimonium irritum reddi. Quin addo, quamvis fœmina ignoraret, maritum, quem ſuſcipit, eſſe Equitem Militarem, matrimonium fore validum. Ratio eſt, quia indè nequit præſumi, aut coniectari, illam, ſi ſciret, non fuiſſe conſenſuram; ſed potiùs iudicaturam, id ſibi adhuc expedire magis, vtpotè quid ſplendori, & decori familiæ validè conducens; quare nullus error ibi poteſt circa ſubſtantialia excogitari; cum id, quod ignoraret fœmina, in ipſius æſtimatione potiùs ſpectaret ad perſonæ augmentum, quàm ad decrementum; & Habitus Militares in Viris potiùs alliciunt, quàm retrahunt fœminas à coniugiis, vt per ſe eſt notum, & conſtans.

168 Hinc cenſeo, licentiam, quam ab vxore poſcendam eſſe diximus, vt maritus ſuſcipiat Habitum Militarem, ſufficere tacitam, & interpretativam, imò potiùs ſemper ſupponi; nunquam enim vxores inuitæ ſunt circa hunc ſplendorem, & ornamentum Viris, & familiæ additum; quin illud exoptant, & communiter ambiunt. Vnde, ſi fœmina v.g. exiſtente in Indiis, & rem ignorante, Vir in Hiſpania degens ſuſciperet Habitum Militarem, nihil contra eius ius fieret; cum deberet ſupponi, eam præbere licentiam, ac ratihabere, & iuri ſuo, modo *ſuprà* dicto voluntariè, & libenter cedere; & indè, cum rem noſceret, non conqueſturam de iniuria ſibi illata, ſed ſibi gratulaturam de honoris adquiſito incremento. Hæc quiſque expendat, & diſſentire non poterit, ſi res in praxi expendantur, & non aliter, quàm regulariter contingunt, penſentur.

169 Nec noua licentia eſt neceſſaria ab vxore impetranda, vt Eques Profeſſionem emittat; nam licentia ad ſuſcipiendum Habitum Militarem conceſſa extenditur conſequenter ad Profeſſionem emittendam, cum ſupponatur, peracto anno Nouitiatus eſſe obligationem profitendi; Et pariter, ſi fœmina ineat matrimonium cum Equite Nouitio, dum conſentit in contractum cum illo, vt Ordinem iam ingreſſo, conſequenter in eius Profeſſionem præſtat conſenſum. Quin huc adducenda ſunt *nuper* libata; ſcilicèt, etſi opus eſſet noua licentia ad emittendam Profeſſionem, hanc ſemper fore præſumendam. Etenim per Profeſſionem Eques redditur habilis ad obſequia, & Munera, quæ vtilitatem, & ſplendorem ei, ac familiæ adjiciant; nempè ad Commendas, & alia Munera Ordinis; ad Informationes de aliis Candidatis Habitus peragendas, & ad ſimilia, quorum non eſt capax Nouitius Eques. Prætereà ipſi vxori maritale, vt ita dicam, emolumentum accreſcit, cum Vir per votum Caſtitatis coniugalis nouo vinculo obſtringatur non appetendi aliam fœminam, niſi vxorem propriam; Et ſanè id à culpa valdè retrahit, cum præter legem diuinam, quæ vrget, votum etiam peccata luxuriæ longè amandari, iure ſuo poſcat; ne Eques tranſgrediens illud, præter adulterium, etiam ſacrilegium patret. Cum ergo hinc firmetur debita vxoribus fidelitas, quam illæ anxiè deſiderant, fit, libentiſſimas, etiam hoc titulo, fore circa Profeſſionem. In his equidem caſibus practicè philoſophandum eſt, vt non aberretur à vero.

QVÆSTIO XVII.

De diſpoſitione requiſita, & fine intendendo in ſuſceptione Habitus Militaris, ac in Profeſſione.

NE, cum in ſuperioribus ſplendorem, & ornamentum, quod in ſuſceptione Habitus Militaris, & in Profeſſione accreſcit, ingeminauimus, aliquis ſuſpicetur, id eſſe præcipuum, quod in Ordinibus Militaribus intenditur, (& dolendum eſt, forſan nihil aliud ab aliquibus intendi) oportet, rem hanc præ oculis objicere, vt ſplendor ille, qui ſanè maximus datur, & quem animo moderato exoptare, non eſt vitioſum, vt finis præcipuus neutiquam habeatur, ſed ad eum collimetur ſcopum, ad quem reſpiciunt ipſi Ordines, Inſtitutores, & Pontifices confirmantes. De hac materia integrum libellum Hiſpanè edidit Didacus Mota, quem inſcripſit; *Tratado ſobre vn Problema, como ſe ha de pretender el Habito de las Ordenes Militares, &c.* 170

Igitur, cum Ordines Militares ſint propriæ, 171

propriæ, & veræ Religiones à Pontificibus approbatæ, in eis, ſicut in cæteris Religionibus, perfectio Euangelica intenditur per ea media, quæ ſunt opportuna Inſtituto; nec ſolum præcepta diuina debent adimpleri, id enim omnibus eſt commune, ſed & conſilia ſalutaria, & ſpecialia ſtatuta, ac regulæ, cum hæc ſint media, quibus ad perfectionem tenditur. Qui ergo in Ordinem Militarem admitti exoptat, neceſſe eſt, attendat, à ſe aſſumi ſtatum, in quo perfectio virtutum intenditur comparari; quare eo animo ſit, vt ſe expeditum, & promptum reddat ad præcepta diuina adimplenda, conſilia Euangelica iuxta Regulam ſectanda, & ſpeciales Ordinis obſeruandas Regulas. Quippè hæc diſpoſitio, & animus ineſſe debet omnibus, qui ſtatum Religioſum amplectuntur. De quo videndi ſunt D. Thum. & Caietan. 2. 2. *q.* 184. *art.* 5. *ad* 2. *& q.* 186. *art.* 9. Didacus Mutillo *in Scala perfectionis Euangelicæ, lib.* 1. *cap.* 19. *& lib.* 2. *cap.* 10. P. Hieronymus Plati *de bono ſtatus Religioſi, ferè per totum*; Venerabilis P. Ludouicus de la Puente *tom.* 3. *de perfectione in ſtatibus, per totum*, & alij paſſim. Vnde Equites, qui Ordines Militares ambiunt, honoris, & lucri cauſa dumtaxat, ſi ſequantur ſententiam tuentem, Equites eſſe ſtrictè Religioſos, abutuntur eorum fine, & inſtituto; quod ſanè eis proponitur, dum admittuntur, & profeſſionem emittunt; indéque illicitè operantur, ſi nihil de perfectione cogitent, & in animo habeant, ad eam non tendere.

172 Huc tendunt Vota ſolemnia, quibus in Ordinibus Militaribus Equites, & Fratres Clerici Dei obſequio mancipantur, & ipſi, ac Ordini ſe tradunt; per ea etenim conſtituuntur in ſententia plurium veri Religioſi, in eoque ſtatu remanent, qui exigit eos ſollicitos de virtutibus, & perfectione ſectandis. Et, cum quilibet ſacer Ordo media ad ſuum finem opportuna exequatur, ſiuè ſoli vitæ contemplatiuæ incumbendo, ſiuè actiuæ, ſeu vtrique, diuerſaque exercendo miniſteria ad ſalutem propriarum animarum, ſiuè ad vtilitatem ſpiritualem, aut corporalem proximorum, & Eccleſiæ, ac Fidei exaltationem; Ita in Ordinibus Militaribus media adſunt opportuna, nempè militia ad defenſionem Eccleſiæ, & Fidei, labores belli ſuſtinendo, & vſque ad ſanguinis effuſionem pugnando; necnon orationes ſpeciales, ieiunia, ac cætera, quæ in Statutis, & Definitionibus continentur; ac reſpectu Clericorum Fratrum, Cura animarum; De quibus aliqua attigimus *diſq.* 1. *q.* 1. & plura libabimus *diſq.* 11. *& Operu decurſu.* Huc etiam reſpicit annus pro Nouitiatu deſignatus, in quo quis experiatur, vtrùm velit Inſtitutum ſequi, & ad perfectionem conari, & Ordo ipſe obſeruet, an ille ſit aptus ad diſciplinam regularem. Quatenon ſecùs ac in aliis Religionibus, probantur per annum integrum Nouitij Militiarum. Et hinc ille annus non vt quædam ſimplex ceremonia, eſt tranſigendus, (quod, neſcio, an ſit frequens Equitibus) ſed Statuta Ordinis euoluendo, obſeruationi eorum inſtando, obligationes ſtatus expendendo, vt in eo profiteantur accincti, ac diſpoſiti ad munus ſuum exactè adimplendum.

Fit hinc, & ſi Habitus Militares non facilè obtineantur, nec ſufficiat petitio eorum, nec hi ſoli conatus, quibus habitus Religionum non Militarium obtinetur, tamen Candidati eorum his mediis vti debent ad ipſos obtinendos, quæ immoderatam ambitionem, & animi intemperantiam non inuoluant. Sanè res eo deuenerunt, vt potiùs, videatur appeti honor, lucrum, & ſplendor in Equeſtri Habitu, quam alius finis; & qui eum obtinent, ferè non meminerint, ſe religioſos vllo modo eſſe, niſi fortè ad priuilegia obtinenda; & indè communiter docent Authores, eum qui vouit ingredi in Religionem, non ſatisfacere Voto per ſuſceptionem Habitus Equeſtris, etiam in ſententia tuente, Equites eſſe ſtrictè Religioſos. Etenim, cum in Ordinibus Militaribus coniugatur cum eo ſtatu eximius honor, decus, ac ornamentum, homines pro affectuum deprauatione, & innata honorum cupiditate, ſplendore alliciuntur, lucro mouentur, & non, pro debito, ad præcipuum Religioſi ſtatus finem reſpiciunt. Id præcaueri damnum oportet; nam quo pacto ſe Religioſos dicant, qui de ſtatus Religioſi obſeruantia non curant? 173

Iam ergo, poſtquam quis Ordinem Militarem profitetur, ita ſe gerere debet, vt Religioſus dignoſcatur. Vnde à iuramentis, & ludo immoderato abſtineat; quod cauetur ſpecialiter in Statutis, & Definitionibus ipſorum Ordinum, pœnis inflictis contra iurantes, & immoderatè ludentes; & contra hos inuehitur Mota *vbi ſup. ex pag.* 29. ſed quoad obligationem conſcientiæ nimis rigidè; Nos rem diſcutiemus *diſq. ſeq.* Veſtes etiam honeſtæ afferendæ in Statutis præfiguntur; ſed facilè licentia ad quaſcumque veſtes geſtandas poſcitur, & obtinetur ab Equitibus. Profeſſi autem ſua vota ſeruare tenentur, vt Deo ſint fideles; nec ſacrilegij ſe culpa deturpent. Animo ſint prompto ad bellum contra Fidei, ac 174

Eccleſiæ hoſtes gerendum, ne deficiant in fine præcipuo, ad quem Ordines ſunt erecti. Cætera verò, quæ Equitibus incumbunt, (necnon Clericis Fratribus, ac Monialibus Militiarum, à quibus ſeuerior eſt diſciplinæ norma tenenda) *toto Operis decurſu* exponimus. Hæc nunc in communi attigiſſe ſufficiat.

DISQVISITIO IV.

De Voto Paupertatis Ordinum Militarium.

QVÆSTIO I.

Ad quid teneantur Equites Militares ratione Voti Paupertatis?

1 CVM de Votis in communi ratiocinamur, non comprehendimus Equites Sancti Ioannis, in his, quæ cæteris Equitibus Militaribus licent, eo quòd horum diſciplina regularis non adeo ſit rigida, ac illorum, ob ſpeciales diſpenſationes, ac indulta Pontificum, quæ de facto obtenta ſunt; Nec etenim nobis eſt ſermo de his, quæ olim in exordio Ordinum Militarium, & multis deinceps annis obſeruabantur; Hæc enim ad praxim non conducunt, & iam ſolùm hiſtorica ſunt; quæ variis in locis breuiter præſtringimus; vt rectiùs dicta à nobis ſtabiliantur.

2 Equites ergo Militares Votum paupertatis in profeſſione emittunt, vel expreſſum, vel incluſum in Voto Obedientiæ, vt emittitur à Calatrauenſibus & Alcantarenſibus, qui vouent Obedientiam, & tenorem vitæ iuxta regulam S. Benedicti, ſub qua, eſt conſtans, paupertatem includi; ipſi enim Religioſi Benedictini non aliter vouent in profeſſione paupertatem, niſi vouendo Obedientiam, ac vitæ tenorem iuxta regulam ſui Sanctiſſimi Patentis. De quo latè *ſuperiùs*. Præterea, cum Equites accipiunt Habitum, monentur, ſe renuntiaturos fore ſuis bonis, cum profeſſionem faciant, futuroſque pauperes ſpiritu, nihilque potituros abſque licentia ſui Magiſtri.

3 Ex vi huius Voti tenentur Equites ſubordinare omnia ſua bona Magiſtro, eiusvè locum tenenti, Ordinique ſuo; ita vt, ſi eo eſſent animo, quòd contra eorum voluntatem, ſuorum bonorum ſint habituri proprietatem, & vſum, abſque vlla ſubordinatione, & dependentia virtuali, vel habituali, ſanè lethaliter delinquerent peccato ſacrilegij contra Votum paupertatis. Ratio eſt manifeſta. Nam id Votum ad aliquid obligat Equites, cum non ſit inutile, & fruſtraneum; ſed nihil aliud excogitari poteſt, ad quod ad minùs eos obliget, niſi ad eam dependentiam, ac ſubordinationem in ſuis bonis; Ergo ad hanc grauiter, & ſub lethali culpa obligantur, cum ſit materia grauis, & totalis Voti; vnde lethaliter contra Votum delinquent, ſi animo eo ſint, vt adhuc reſiſtentibus prælatis, ipſoque Ordine, potituri ſint ſuis bonis in quibuſlibet circunſtantiis.

Cæterùm is animus non ex fragilitate, 4
ſed ex obſtinata malitia orietur, ſi quidem Equites non impediuntur à ſuo Ordine, quominùs ſuis bonis gaudeant, de eiſque liberè diſponant. Quin potiùs ex diſpenſatione, & indulto Pontificum, Ordo eis permittit, vt gaudeant proprietate, dominio, necnon, & vſu omnium ſuarum Facultatum, & eas per contractus, & vltimas voluntates alienent, cæteraque omnia præſtent, quæ licent aliis Voto paupertatis non obſtrictis. Vt tamen ſe obſtrictos profiteantur, & ſuam ſubordinationem manifeſtent, eis iniungitur, vt quotannis Inuentarium ſuorum bonorum conficiant, & id ipſum exequantur, cum ad bellum proficiſcuntur, necnon eum è viuis decedunt. Limitatur etiam eis vſus veſtium, ita vt nequeant abſque licentia ornamentis ſericis, aliiſque pretioſis vti.

Stat itaque Votum paupertatis emiſſum 5
ab Equitibus cum ea libera adminiſtratione ſuarum facultatum. Pontificum enim authoritate, prælati, & Ordines Militares concedunt eam omnimodam poteſtatem fruendi bonis, dum tamen hæc maneant ipſis ſubordinata, & Equites retineant animum dependentem, & ſubordinatum in diſpoſitione bonorum. Quare Votum non reddit eos incapaces dominij, vt docet P. Molina *tom. 1. de iuſt. tract. 2. diſp.* 141. ſolùmque relinquit vſum dominij ligatum, ſeu ſubordinatum Ordini in his, quæ per eius Statuta, & conſuetudinem fuerint inducta; cum alias ex priuilegio Pontificio Equites ſuis bonis fruantur, Maioratus, & Vincula, poſſint inſtituere, & in ea ſuccedere, vendere, donare, & omnia alia eiuſmodi.

Hinc ait P. Thom. Sanch. Profeſſionem 6
Equitum, primo verborum ſonitu, plus præferre, quàm eſt id, ad quod ex vi illius ipſi tenentur; cum obligatio Votorum ſolummodo vrgeat iuxta Ordinum ipſorum

conſus

conſuetudinem, vſum, & interpretationem, quæ ſanè in conceſſionibus Pontificiis fundatur, & hæ congruentiſſimæ ſunt; nam, cum hi Equites poſſint matrimonium inire, ac filios procreare, permittendum erat ipſis, bona poſſidere, quæ vt propria, in filios tranſmitterent, atque ad id conarentur illa adaugere, ſimulque vt ex eis honeſtè iuxta ſuum nobilem ſtatum cum vxoribus, & familia victitarent. Vnde Voto Caſtitatis non abſolutæ, ſed coniugalis, non fuit annectendum Votum Paupertatis tollens proprietatem bonorum, ſed ſubordinans ea voluntati Prælatorum. Idcircò ex poteſtate, qua gaudent Equites Militiarum ad contrahendum matrimonium, etiam proprietate ſuarum facultatum potiri, colligunt Rodriguez *tom.3. qq. regul. q.29. art.3.* Nicolaüs Garcia *de benefic. tom. 1. p.7. c.10. n.9.* Et quamvis aliqui non contrahant matrimonium, vel hæredes non habeant; id per accidens eſt, cum potuerint nuptias contrahere, & hæredes delinquere; quæ ratio potuit impellere Pontifices, vt eam diſpenſationem concederent ad vtendum quoquo modo bonis. Et fortaſsè agnita fuere incommoda ingentia eo tempore, quo Equites Iacobæi non poterant teſtari, nec proprietate bonorum gaudebant, & tamen ab exordio Ordinis potuerunt nuptias contrahere, & filios procreare, qui forſan egeſtate laborabant; & his commodis Pontifices occurrerunt.

7 Votum autem Paupertatis poſſe ita emitti, vt proprietatem permittat, conſtat, tum quia de facto ita Pontifices indulſerunt Equitibus Militaribus, vt illud proferant, tum quia, cum materia alicuius Virtutis multiplex eſt, ſeu multipliciter poteſt exerceri, valet Votum vel extendi ad omnem materiam, vel ad aliquam; ad modum perfectiſſimum, vel minùs perfectum; ad hunc, vel illum; & quoquo modo Votum fiat, eſt honeſtum, pium, & laudabile; perfectum, aut magis perfectum iuxta qualitatem ipſius. Sic Votum Caſtitatis poteſt emitti totale, aut partiale; idemque in aliis materiis contingit. Similiter ergo poteſt quis vouere paupertatem eo rigore, quo eam vouent Religioſi non Militares; & poteſt adhuc minùs ſtrictè tum in materia, tum in modo. Quis autem dubitet ad virtutem Paupertatis Euãgelicæ ſpectare, non vti bonis, niſi tali modo, ſcilicèt cum ſubordinatione, & dependentia à Prælato; ita vt omnia bona id Votum reſpiciat, eo modo affecta? Ita ergo vouent Equites Paupertatem, vt id votum ſit proportionatum Voto Caſtitatis coniugalis, iuxta dicta.

Quin adhuc de aliis Religioſis loquens 8
Petrus de Ledeſma *in tract. de ſtatib. qui additus eſt tom.2. ſum. cap.4. concl.3. diffic.1.* docet, non contradicere ſtatui religioſo, nec Voto Paupertatis, ſi quis authoritate Prælatorum, præſertim Summi Pontificis, liberè adeò commutationes faciat, vt ſit hic vſus æquiualens dominio, ipſeque vti poſſit bonis, ac ſi dominus eſſet illorum; Nam id, ait, eum à Voto Paupertatis non exonerat, cum bona Prælato ſubiecta remaneant, ipſeque Religioſus ſubordinatus in eã diſpoſitione ſit ipſius Prælati voluntati. Ecce hæc ſubordinatio Votum Paupertatis illæſum conſeruat. Similis ergo datur in Equitibus ſubordinatio, & aliundè ex diſpenſatione Pontificia, & conceſſione Prælatorum ſuis bonis ita fruuntur, vt liberè valeant de eis diſponere. Videatur Baſilius Legionenſis *de matrim. lib.7. & ex cap.13.* latè probans, primis ſæculis conſtitiſſe Religioſos retinentes bonorum dominium; & Religionem propriè ſaluari, ſi Religioſi ſe abdicent vſu dominij abſque Prælati licentia, & etiam cum Caſtitate non abſoluta, ſed coniugali, Religionem ſtare latè contendit.

Sed rogas, quod hæc ſubordinatio operetur, & quos effectus producat? Reſpondeo, id operari, quòd Equites ſint parati ad inſumendum redditus bonorum iuxta voluntatem Prælatorum, quatenùs ſi ad Ordinis ipſius defenſionem, & vtilitatem, atque munera propria qualia ſunt bella aduersùs hoſtes Eccleſiæ, ſint omnino neceſſarij hi redditus, teneantur Equites illos præſtare, dum præſtatio iniungatur ab Ordine, penès quem extat dominium (vt ita dicam) altum, & ſupremum reſpectu eorum, eſtò penes Equites ſit dominium ordinarium; & Sicut in Rege extat dominium ſupremum bonorum, quibus ſui Vaſſalli potiuntur, & ad extremas, ſeu grauiſſimas neceſſitates Regni eis vti valet, quamvis penes Vaſſallos ſit dominium ordinarium, ipſiſque inuitis, nequit Rex pro libito ad alios vſus ea bona conuertere. 9

Cæterùm nequit Ordo Militaris auferre, aut cogere Equites ad præſtandum proprietatem ſuorum bonorum; id enim eſſet in præiudicium tertij, nempè filiorum, qui ſuccedunt in Maioratus, Vincula, aliaq; bona paterna, indéque cum Equitibus eſt indultum, vt nuptias contrahant, ex conſequenti relicta eſt eis ſuorũ bonorũ proprietas, vt poſſit in filios, ſeu alios transferri; nec enim poſſunt parentes tollere à legitimis Succeſſoribus Maioratus, Vincula, aliaque bona; nec poterãt in Ordinẽ admitti ſub ea 10

conditione, vt ea tollerent à Succeſſoribus, ſi ipſi Ordini placeret; nam ea conditio non ſtat ſub poteſtate ipſorum Equitum. Excipe caſum proponendum *infrà quaſt.* 11.

QVÆSTIO II.

An peccent Equites Militares contra Votum Paupertatis, ſi non faciant Inuentarium; aut ſua bona in res illicitas inſumant?

11 P. Thom. Sanch. *tom. 2. ſum. lib. 7. c. 8. n. 33.* & Iſla *in regul. Ordinis D. Iacobi in Comment. fol.* 12. docent, ſub peccato grauiter teneri Religioſos Militiarum ad faciendum legaliter Inuentarium bonorum, vt ſic conſtet, eos liberos eſſe ab affectu proprietatis, qui Paupertatis contrariatur Voto. Sed hæc reſolutio nimis rigida videtur, atque ſcrupulis obnoxia, & ad ſummum poſſet defendi reſpectu Religioſorum Militarium, qui ſunt Fratres Clerici. Arbitror quidem, Equitem, qui Inuentarium non facit, nec apud ſe habet, aut præſtat Prælatis, ſeu perſonis ad id deſtinatis, poſſe puniri iuxta Statuta, & Definitiones, quod ex ſe eſt manifeſtum. In eis quippè iubetur ea Inuentarij diſpoſitio; vt videre eſt in Statutis Ordinis D. Iacobi *tit. 5. c. 4.* & in Definit. Calatrauæ *tit. 33. cap. 2.* Ac in Definit. Alcantaræ *tit. 13. c. 10.* Deindè, ſi ex affectu proprietatis omittat Inuentariũ nolens ſubordinare ſua bona Ordini, modo libato *q. præced.* etiã grauiter peccabit, vtpotè violans Votum Paupertatis in re eſſentiali, & præcipua, ad quam ex vi illius tenetur, iuxta *ſuprà* dicta; quod peccatum non ex omiſſione Inuentarij ſecundùm ſe, ſed ex animo, quo omittitur, deriuatur.

12 At, ſi is animus non adſit, ſed potiùs oppoſitus, cenſeo, non peccare lethaliter Equitem, qui ex negligentia, aut incuria, ſimiliuè alia cauſa omitteret Inuentarium. Etenim eius factio, cuſtodia, & traditio eſt quædam quaſi cæremonia, & ſubmiſſionis ſignum, quod non conducit grauiter, nec ad regimen Ordinis, nec obſeruantiam præcipuam, & cum aliundè ſupponamus, non interuenire ibi contemptum, nec affectum proprietatis, ſeu reſiſtentiam ſubordinationis, non reſtat caput, ex quo malitia grauis oriatur. Quod ita acceptum eſſe in ipſis Ordinibus, ex interpretatione, vſu, & conſuetudine crediderim, nec ab Equitibus iudicari, omiſſionem Inuentarij eſſe graue peccatum; Et quidem, ſi ſummmiſſionem in eo tradendo demas, vix reperies, ad quid vnquam proſit, cum adhuc, vt exiſtimo, non legatur; Nam qui, & quot ſufficerent ad legenda Inuentaria tot Equitum? vel quo fructu, aut vtilitate legerentur? Olim ſanè id faciliùs poterat præſtari, cum multò pauciores eſſent Equites in Ordinibus. Et quidem in Ordine Alcantaræ, præter Commendatarios ſolùm ſexdecim Equites admittebantur iuxta Definitiones. *tit. 13. cap. 3.*

Itaque in Inuentario conficiendo inten- 13
ditur ſubordinatio Equitis, quæ ſi internè deficiat, peccabit grauiter; ſi verò non deficiat, & Inuentarium non ordinet, poterit puniri. Antiquitùs cum Ordines ſuccederent in bona Equitum, & illi non poſſent teſtari, grauior erat omiſſio Inuentarij; nunc verò videtur leuior; ſed conſulenda eſt omnino illius factio, quia expedit ad ſubordinationem manifeſtandam, & omiſſio eſt peccatum veniale.

Cenſeo prætereà, non peccare contra 14
Votum Paupertatis Equites, qui bona ſua in res illicitas expendunt; eſtò iuxta ſumptuum qualitatem, ac circunſtantias peccent contra alias Virtutes, non aliter ac hi, qui eiuſmodi ſumptus faciunt, quin Voto Paupertatis obſtringantur. Ratio eſt, quia Equites ſuorum bonorum proprietate gaudent, nec ſpecialis eos vrget prohibitio potiùs, quàm cæteros, ne eos ſumptus illicitos faciant; quare Voto Paupertatis non aduerſantur, ſiquidem illa inſumptio inhoneſta bonorum non opponitur ex ſe, & formaliter ſubordinationi, & dependentiæ, quam ratione Voti retinere tenentur; Sicut enim ei non opponitur conſumptio bonorum ob finem honeſtum, ita neque ob finem turpem; cum finis, poſita conſumptione, non reddat actionem oppoſitam animo ſubordinanti ſua bona Prælatis, & Ordini. Latè hoc aſſertum probat, plures Authores referens, Thom. del Bene *part. 1. tract. de immmun. Eccl. c. 1. dub. 11. ſect. 2.*

Dices, Prælatos, & Ordinem reſiſtere 15
inſumptioni illicitæ, atque adeò eſſe contra eorum voluntatem, & debitam ſubordinationem; ſicut, ſi Religioſo non Militari conceſſa fuiſſet à prælato facultas diſponendi de aliqua quantitate, non extenderetur ea facultas ad res illicitas, ad quas non poſſet Prælatus facultatem concedere, indéque ſumptus præſtiti ad res eiuſmodi pugnarent contra Votum Paupertatis. Reſpondeo, eam inſumptionem illicitam eſſe præter voluntatem Ordinis, & Prælatorum, non verò contra illam, quia de his Prælati non curant, cum Equites proprietatem bonorum retineant; & hi non aliter Paupertatem vouẽt, quam in ſuo Ordine ea ſeruatur;

ſeruatur; votum autem in illo emiſſum ab Equitibus non obligat ad abſtinendum à ſumptibus adhuc illicitis, ſicut non obligat ad non diſperdendum in ludo ingentes quantitates, quæ non debent eis reſtitui à lucrantibus; deberent autem reſtitui, ſi illi non poſſent eas diſperdere; eſtò ſimiles quantitates debeant reſtitui aliis Religioſis, ſi eas amittant. In quo diſcrimen inter vtroſq; cernitur; & quod in ludo nimio ob quantitatem euenit, id accidit etiam in aliis ſumptibus inhoneſtis. Hanc doctrinam tradũt Diana, & P. Dicaſtillo, quos retuli, & ſecutus ſum *tom. in Bull. Cruciat. diſp.* 34. *n.* 166.

16 Quin & Bartholomæus à S. Fauſto *in ſpec. diſp. q.* 21. *n.* 5. docet, ſi Superior præbeat facultatem ſubdito ad expendendam quantitatem pecuniæ, & ille eam illicitè expendat, v. g. in ludo, in quo ingens ſumma iacturæ exponitur, non dari obligationem reſtitutionis in obtinente eam quantitatem, quia Superior non cenſetur inuitus quoad ſubſtantiam, ſed quoad modum; Vnde ſubſtantia non eſt contra Votum Paupertatis; modus autem, Obedientiæ, non Paupertati, opponitur. Quæ doctrina ſi aptetur dubio præſenti, cum Equites habeant facultatem expendendi omnia ſua bona, non peccabunt contra Votum Paupertatis faciendo illicitos ſumptus.

17 Aduerte in præſenti, Equites D. Iacobi poſt petitam licentiam ad habendum bona, tradituros eſſe Inuentarium vno menſe ante, aut poſt Natale Domini in Curia Regia Capellanis Ordinis; & Commendatarios degentes extra Hiſpaniam ſatisfacere ſuo muneri, ſi illud tradant Priori Sancti Auguſtini, aut Sancti Dominici, Guardiano S. Franciſci. Sic extat in Statutis *tit.* 5. *cap.* 4. Equites autem Calatrauenſes, & Alcantarenſes illud apud ſe retinere tenentur, vt oſtendant Viſitatoribus.

QVÆSTIO III.

An Clerici Fratres Ordinum Militarium poſſint, dum viuunt, de fructibus Beneficiorum, ac aliis diſtributionibus & bonis ſimilibus pro libito diſponere?

§. I.

De Clericis Fratribus intra Monaſteria, aut Collegia degentibus; & de Inuentario ab eis conficiendo.

18 NOn loquimur de diſpoſitione vltimæ voluntatis præſtita in teſtamentis, aut codicillis, nam de hac agemus *diſquiſ.* 15.

Clericos Fratres, qui intra Monaſteria, aut Collegia commorantur, quin fructibus Eccleſiaſticis, aliiſvè redditibus ſimilibus gaudeant, certum eſt, eos vtpotè immediatè ſub Prælatis ſpecialibus degentes, & ſtrictiorem vitæ normam ſectantes, non poſſe diſponere de vlla quantitate, aut bonis abſque licentia ſpeciali, vel generali Prælatorum. Sic cauetur in Deſinitionibus Ordinis de Alcantara *tit.* 5. *c.* 11. *n.* 8. In Ordine autem D. Iacobi licentia generalis à Clericis Fratribus poſcitur vno menſe ante, aut poſt Natiuitatem Domini noſtri IESV Chriſti à Prioribus, quibus tunc traditur Inuentarium, nec alia licentia illi indigent ad diſponendum de bonis, cum Ordo ipſe id, & non aliud illis iniungat, vt extat in Statutis *tit.* 5. *cap.* 4. Vbi præfigitur modus obſeruandi Votum Paupertatis, & aſſeritur, ei ſatisfieri petendo licentiam quotannis generalem, & tradendo Inuentarium. In Collegio Militari Calatrauæ Salmantino licentia ſpecialis non poſcitur à Rectore ad diſponendum de quibuſvis bonis mobilibus; quia generalis conceſſa ab Ordine, & Prælatis ex vſu, & praxi ſupponitur. In Collegio Alcantarenſi quotannis pro eo anno licentia à Rectore petitur; hincque poſſet negari, aut limitari, quod tamen non præſtatur; nec abſque vrgenti cauſa æquum eſt, præſtari.

Cæterùm, ſeruata proportione, & reſpectu ad diuerſitatem Inſtitutorum, vitæque maiorem, aut minorem auſteritatem, is ſumptus, qui eſſet illicitus in Religioſo nun Militari habente licentiam generalem à ſuo Prælato ad expendendum aliquas quantitates, etiam erit illicitus in huiuſmodi Clericis Fratribus. Adhuc tamen remanebit in eo caſu dubium vtriſque commune, an ſuppoſita licentia Prælati, ille ſumptus illicitus, præter malitiam, quam ex proprio obiecto ſortitur, ſit ſacrilegium contra Votum Paupertatis? Nam alij affirmant; aſſerentes ad ſumptus illicitos neque quoad modum neq; quoad ſubſtantiam, Prælatum eſſe voluntarium, ſed inuitum; neque illum potuiſſe, aut poſſe concedere facultatem ad ſumptus illicitos; in eiuſque licentia generali non comprehendi eos, cum in generali conceſſione non contineatur, quod in ſpeciali non foret concedendum, iuxta vulgatam Iuris regulam. Alij negant, eſſe contra Votum Paupertatis, quia iam præſtita eſt facultas, vt ea quantitas abſolutè alienetur, & expendatur, vnde circa ſubſtantiam non eſt inuitus Prælatus, ſed circa modum, qui non militat 19

contra Votum paupertatis; modus enim eſt ipſa inhoneſtas, ſeu prauitas actionis, quæ alij virtuti contrariatur v. g. ſi quis expenderet quantitatem ad alliciendum aliquem, vt in electione ad Dignitatem, vel munus pro ipſo ferret ſuffragium, malitia actionis ſecundùm ſe eſſet peccatum ambitionis. Prima ſententia eſt tutior, & communior; ſecunda probabilis. De qua *ſuprà q.2. & infrà latè q.6.*

20 Notandum eſt tamen, quòd aliquando poteſt eſſe peccaminoſa actio, pro qua expenditur aliqua quantitas, & tamen ſumptus erit licitus. Vulgare eſt exemplum. Si quis cum fœmina, quæ ſui vſum inhoneſtum facit venalem, habeat copulam, actus erit illicitus grauiter, pretium verò licitè ei redditur, imò debetur; quare, ſuppoſito eo actu, is ſumptus non eſt illicitus.

21 Notandum eſt etiam id, quod libaui, ex reſpectu ad diuerſos Ordines Religioſos penſandum eſſe, au ſumptus ſint liciti, aut illiciti, cum licitus poſſit eſſe ſumptus reſpectu vnius, & illicitus reſpectu alterius; ſi quidem non omnia, quæ licent circa victum, veſtitum, & vitæ normam, Religioſis vnius Ordinis, licent cæteris aliis; quod ex eorum ſpecialibus Inſtitutis debet diiudicari.

22 Nec Paupertati, quam profitentur prædicti Fratres, repugnat, potiri aliquibus diſtributionibus, emolumentis, ſeu redditibus, qui quotannis ipſis deſignantur, vt deſignati ſunt in Ordine Alcantaræ, & conſtat *ex Definitionib. tit. 5. cap. 11. & c. 12.* ſicut non repugnat aliis Fratribus Militiarum extra Monaſteria, ac Collegia degentibus, gaudere redditibus Eccleſiaſticis; etenim eos habent ex conceſſione, ac licentia Prælatorum, & cum ſubordinatione, ac dependentia ab ipſis, ſicque eſt conſuetudine introductum, & ab ipſis Ordinibus poſt accuratum examen, & conſultationes cum Viris doctis, ſtabilitum. Nec etenim, eo rigore Votum Paupertatis, quoad hoc, obſtringit Religioſos Militares, ac non Militares; ſicut etiam Canonicos Regulares non adeò rigoroſè id Votum obligat; cum poſſint gaudere redditibus, & diſtributionibus; Sic enim accipitur id Votum in huiuſmodi Ordinibus.

23 Stare autem cum Voto paupertatis, eos redditus, diſtributiones, ac emolumenta habere, docent Petrus de Ledeſma *tract. de ſtatib. qui extat in tom. 2. ſum. c.* 4. Villalobos *tom. 2. ſum. tract.* 35. *diffic.* 30. *in fin.* Nauarrus *in c. nullum*, 18. *q.* 2. Emanuel Rodriguez *tom. 2. quæſt. regul. quæſt. 6. art.* 10. Euſebius de Herrera *in deciſ. moral. ſtatus Relig. deciſ. 5. quæſt. 8. fol.* 165. qui pro hac ſententia refert Nauarram, & alios, & aſſerit, Tridentini diſpoſitionem, quæ negat Religioſis obtentionem redditium, coarctandam eſſe ad Religioſos nonMilitares, cum reſpectu Militarium, aut non fuerit acceptata, ſeu extenſa, aut ſic fuerit interpretatione donata. Eam etiam ſententiam defendunt Baſilius Legionenſis 1. *par. variar. diſp.* 49. *ſcholaſt. cap.* 2. Pater Vazquez *in Opuſcul. de reddit. Eccleſ. cap.* 3. *n.* 15. P. Sanchez *lib.* 7. *de Relig. cap.* 22. *num.* 14. Diana *tom.* 1. *tract.* 6. *reſol.* 32. *verſ. ex his patet.* P. Reginaldus *tom.* 2. *ſum. lib.* 18. *n.* 42.

Et ſanè, cum Ordines Militares non ſuppeditent omnia neceſſaria, neque poſſint, ſingulis, vt valeant moderatè victitare, conducens fuit, vt aliquibus redditibus, ac emolumentis potirentur, id enim ad decentiam ipſius ſtatus Religioſi, & Regularium iuxta qualitatem gradus, & Dignitatis cuiuſque ſpectat, vt aſſerit Baſilius Legionenſis *vbi nuper.* Quòd ſi aliquis ea bona, & redditus tractet quaſi proprios, id vitium erit ipſius prauè affecti, non verò erit vitium modi viuendi, iſque non erit reprehendendus, ſed ille. 24

Vt autem Religioſus tutò procedat, nec Voto paupertatis derogat, ea obſeruet, quæ à P. Reginaldo præſcribuntur *loco nuper relato.* Nempè vt ita ſit diſpoſitus, quòd ſi Ordo à Prælatis, quoad Paupertatem, aliquando reformari intendatur, ipſe reformationi non obſiſtat; Deindè quòd non poſſideat bona animo proprietario., eaque inſumat in licitis, & honeſtis, quæ deceant pauperes Euangelicos; Præterea quòd bona immobilia non adquirat, vt in hæredes transferat, cum hæc bona à Religioſo adquiſita Religioni adquirantur, (de quo tamen *inferius*) Demùm, quòd ſi propter nimia bona verſetur in periculo proximo patrandi peccata lethalia, vel ea Prælatis commendet, ac tradat, vel Confeſſarium doctum conſulat, vt agnoſcat, quid ſit præſtiturus, vt id periculum vitet. 25

Sed contra dicta, ac dicenda §. *ſequenti* oppones. Fratres Clerici Militiæ Alcantarenſis, vt conſtat ex Profeſſionis formula, profitentur Paupertatem in particulari, vt in Communitate viuant, cum quo non ſtat frui redditibus, diſtributionibus, aliiſque emolumentis. Et quamvis ob bella, ac varias, & vrgentes cauſas olim Fratres Alcantarenſes Monaſterium deſeruerint, eiſque tunc neceſſaria ad ſui victum fuerint ſuppeditata, attamen Reges Catholici Ferdinandus, & Eliſabetha, poſt quam ex conceſſione Pontificia Magiſtratus trium 26

trium Ordinum Militarium in Regium patrimonium fuerunt incorporati, ad Communitatem iterùm reuocarunt eos Fratres, qui extra illam degebant; &, quia hi aſſueti obtinendis ſuis redditibus, ac portionibus, recuſabant, quo ad hoc, in Communi victitare, conſultò in Profeſſione eorum adiuncta fuit clauſula, qua in Communi viuere vouent, ne deinceps contenderent, ſuas ſingulis portiones fore impertiendas. (Et aliquis iudicaret expediens, eam clauſulam *viuendi in Communitate*, præcidere ex verbis Profeſſionis, cum iam ceſſauerit ratio, ob quam fuit adiuncta, & ſcrupulis ſit obnoxia, cum tamen eaudem Paupertatem profiteantur Alcantarenſes, ac Calatrauenſes.)

27 Reſpondeo, ex diſpoſitione ipſius Ordinis Militaris id fuiſſe aliquantulum immutatum. Etenim experientia, & vſus docuit, plurima eſſe incommoda, & non ſufficere Facultates Monaſterij, ſi ſingulis ex communi concederetur, quidquid ad ſui ornatum, veſtes, & cultum deſiderabant; & forſitan plura, quàm par erat, inſumebantur, eo quòd Communitas neceſſaria omnia præſtaret. Idcircò expedire magis viſum eſt, ſi ſingulis diſtributiones ſuppeditarentur, ex quibus neceſſaria ſibi prouiderent. Quare, cum in Capitulis Ordinis ſic fuerit ſtabilitum, & licentia prælatorum adſit, nihil voto paupertatis derogatur percipiendo eiuſmodi diſtributiones, & emolumenta; Quæ perceptio in Religionibus aliis non Militaribus neutiquam; adeò laxè ſaltem, toleratur, ſicut nec toleratur perceptio fructuum Eccleſiaſticorum à ſingulis obtenta, quia pro diuerſitate Inſtitutorum, paupertatis voto aliter conſulitur, & magis rigidè illud accipitur, ac obſeruatur. Quare votum, quod emittitur, viuendi, in Communi, quoad hoc, ſic eſt accipiendum, vt deuoter, paratum eſſe vouentem ad ſic viuendum, ſi in Religione ita decernatur, & conſuetudo introducta reuocetur, quod ab ipſa Religione, & eius prælatis fieri valet.

28 Obſeruandum eſt primò in præſenti, teneri Clericos Fratres in Communitate degentes facere bonorum Inuentarium quotannis, & clauſum tradere prælato; & in Ordinibus Calatrauæ, & Alcantaræ feruntur cenſuræ in proprietarios; in quas incident, qui ex contemptu, vel, vt aliqua bona occultent, Inuentarium non fecerint; Et qui in Inuentario aliqua bona non incluſerint, animo occultandi illa; Non verò hæ cenſuræ contrahuntur ab omittente Inuentarium ob incuriam, obliuionem, aut occupationem; id enim & ratio ſuadet, & in Capitulis, ac Definitionibus Ordinum ita eſt declaratum. Sic extat in Definitionibus Ordinis de Alcantara *titulo* 34. *c.*1. & in *tit.*12. *cap.*4. forma præſcribitur vltimi Inuentarij, ſeu vltimæ voluntatis. Præterea in Definitionibus Ordinis Calatrauæ, *tit.* 33. *cap.*2. *&* *cap.*1. excommunicatio fertur contra eos, qui à Dominica in palmis vſque ad Dominicam in Albis, ex contemptu, aut malitia non fecerint Inuentarium. Hoc ipſum Inuentarium facere tenentur Fratres Militares extra Communitatem degentes, & apud ſe retinere, vt, quandocumque è viuis decedant, innoteſcat Ordini, quæ bona habeant, & ſimul ita affectum proprietatis à ſe remoueant. Clerici autem Fratres Iacobæi tenentur Inuentarium tradere prioribus. Sic in Statutis, *tit.* 5. *cap.* 4. Inquires in præſenti, an priores Monaſteriorum, & Rectores Collegiorum poſſint aperire Inuentaria, quæ ipſis traduntur à ſubditis? Non reperio fundamentum ad negandum illis hanc poteſtatem, ſiquidem bona eis ſubordinata oſtenduntur, per factionem, & traditionem Inuentarij, & aliundè ſunt verè prælati eorum, qui Inuentaria tradunt, quare poſſunt dignoſcere, an rectè ea confecerint, vel quidquam occultauerint, & ſaltem in Inuentariis referandis non reperio peccatum, niſi finis extrinſecùs odij, aut vindictæ, ſeu ſimilis alius vitiet actionem. Inquires, ſecundò, an, ſi Clerici Militares occultent aliquid, dum eorum Superiores ſcrutinia iuxta Regulam faciunt, peccatum committant? In ſimili euentu quæſtionem decernam inferiùs *diſq.* 14. *num.* 21.

Obſeruandum eſt ſecundò, Clericos Fratres intra Communitatem degentes 29
non poſſe abſque expreſſa, vel virtuali licentia diſponere de illis emolumentis, ſeu diſtributionibus, quæ eis præſtantur. Expreſſa licentia tunc adeſt, quando in ſpeciali, vel in generali prælatus concedit ſubditis, vt poſſint de eis rebus diſponere. Virtualis autem, quando incluſa cenſetur in alia, aut ex alia per conſequentiam deriuatur. Sicut prælatus concedens expreſsè ſubditis præfatas diſtributiones, ac emolumenta deſignata ad res neceſſarias ſingulorum, virtualiter concedit illis facultatem ad expendendum illa in eas res, quibus indigent; Niſi fortè prælatus limitet id, & exprimat, ſe non concedere eam licentiam, imò eam ſibi denuò reſeruare, quamvis præfatas diſtributiones ſuppeditet. Et ſic

fieri ſolet à prælatis Communitatum prædictorum Regularium (Iacobæis exceptis, qui ex ſtatutis licentiam habent.) Etenim, cum pendeat à voluntate prælatorum conceſſio facultatum, negatio, & limitatio; ſi ipſi expreſsè negent, aut limitent licentiam, quidquid in contrarium fiat, eis inuitis, ac repugnantibus, exercetur, atque adeò ſine licentia operabitur ſubditus, ſi ſic bona expendat: cum non adſit titulus, aut caput, ratione cuius poſſit licitè eos ſumptus facere, dum expreſsè reſiſtit prælatus quoad ſubſtantiam, & modum. Ego tamen cenſulerem, Priores, & Rectores non fore limitaturos licentiam ad expendendum emolumenta, & diſtributiones, quæ ſingulis tribuuntur, ſiquidem ad neceſſaria, ac vtilia, & ad libros eis ſuppeditantur; Et Ordo, qui ea præbet, ſimul videtur concedere licentiam ad expendendum; quare iudicabit aliquis, eſſe contra Ordinis placitum, limitare, aut reſeruare licentiam ſpecialem; eſtò abſolutè non ſit.

30 Cæterùm aliqui Clerici Fratres ratione Munerum, ſeu Officiorum, quibus occupantur, gaudent emolumentis, quæ ab ipſis poſſunt in vſus licitos, & pios expendi; Sic enim declaratum eſt in Capitulis ipſorum Ordinum; Et extat in Definitionibus Ordinis de Alcantara *tit.5. cap.11. num* 4. Einſmodi ſunt Sacriſta, Oeconomus, Infirmarius, ac ſimiles. Id ipſum dicendum eſt de his ſtipendiis, quæ propter Informationes adquiruntur, cum militet eadem ratio, & propter laborem perſonalem obtineantur; Quare ad expendendum ea emolumenta, non eſt opus noua licentia, ſiquidem iam generaliter eſt conceſſa, & non eſt reuocata, nec limitata. Aduerte, ſi Clericus Frater in Monaſterio degat, & non numeretur in portionibus dotatis, ſed ex redditibus ſuis victitet, perindè ſe habere quoad licentias, ac ſi extra Communitatem degeret, nec cenſendus eſt Conuentualis, cum per accidens ibi degat. Sic innuitur ſatis in Definitionibus Calatrauæ *tit.2.c.4.* & Alcantaræ, *tit. 41. cap.* 3. Idem dici poteſt de Collegis, qui in Collegiis Salmantinis victitant propriis expenſis; Videtur enim ferè par ratio, & extendenda eſt, quoad hoc, fauorabilis diſpoſitio, & interpretatiō; eſtò aliqua diuerſitas appareat. Aduerte prætereà, ſi pecuniæ ex Informationibus, aut aliundè adquiſitæ in depoſito ſeruentur ex Superiorum præſcripto, vt contingit in Monaſterio Calatrauæ, neceſſariam fore licentiam ad expendendum illas, quia eo ipſo quòd prælatus iniungit, eas apud depoſitarium ſeruari, videtur limitare vſum, & velle dignoſcere, quomodo inſumantur, niſi adhuc poſt depoſitum, in quo alij fines intendi poſſunt, licentiam generalem conceſſerit ad vtendum eis pecuniis.

§. II.

Quomodo poſſint diſponere, dum viuunt, de ſuis bonis Clerici Fratres Militares extra Communitatem degentes?

Religioſi Militares extra Communitatem potiuntur redditibus Beneficiorum, aut aliis ſimilibus, qui ſunt deſtinati, vt ipſi eos obtineant; licet autem eis diſponere ad vſus licitos, & honeſtos de eiuſmodi bonis, cum Ordines ipſi, atque prælati annuant, licentiamque generalem ad id conceſſerint, ſatis declaratam, tum in Capitulis, ac Definitionibus, tum conſuetudine præſcripta, & non impugnata, nec reuocata. Tenentur tamen hi Inuentarium bonorum conficere, & ſaltem apud ſe retinere iuxta dicta *ſuperiùs*. 31

Et, quamvis alij Clerici ſæculares non ſint dumtaxat Adminiſtratores, ſed propriè domini bonorum, quæ ex Eccleſiaſticis Beneficiis percipiunt, attamen Clerici Religioſi Militares, adhuc Iacobæi, ratione voti paupertatis, in eo ſenſu, & eo animo emiſſi, quo ab ipſis emittitur, nequeunt bonorum proprietatem retinere, atque adeò non ſunt propriè domini, ſed vſufructuarij, & Adminiſtratores bonorum ad ſui honeſtam ſuſtentationem, atque ad vſus pios; Et exindè non operantur contra votum paupertatis in retentione Beneficiorum, & adquiſitione vſufructuum. 32

Fr. Antonius Perez *in Comment. Regula S. Benedicti, cap.23. n.57.* vt oſtendat, Religioſos Beneficia obtinentes non operari contra Votum Paupertatis, ait, Beneficia Eccleſiaſtica non reputari inter bona temporalia, ſed inter ſpiritualia, quibus non renuntiatur per Votum Paupertatis, iuxta doctrinam D. Thomæ *2. 2. quæſt.86. art. 2. ad* 4. Hinc Monachi ius habent ad eligendum Abbatem, & ad alia ſui ſtatus propria, quæ ſpiritualibus ſunt annexa; Quod ius non dicitur dominium, aut proprietas, cum, iuxta Iuriſconſultos in Gloſſa *in cap. conqueſtus, de foro competenti, & in leg. ſequitur, §. ſi vnica, ff. de vſucapion. & leg.3. ff. de adquirenda poſſeſſ.* dominium, aut proprietas propriè ſolùm in rebus corporalibus reperiatur; illudque ius ſolùm ſortitur nomen quaſi proprietatis, aut quaſi dominij; eſtò in aliqua vſurpatione poſſit dici 33

dominium,

dominium, ſicut homo dicitur dominus ſuarum actionum ſpiritualium. Hoc autem, quidquid ſit, non opponitur Voto paupertatis.

34 Verùm in præſenti hæc doctrina, quam non exploramus, neutiquam eſt neceſſaria; Etenim faciliùs res expeditur, aſſerendo, Religioſos Clericos Militares ſolùm eſſe diſpenſatores, vſufructuarios, & adminiſtratores redditûum cum facultate expreſſa prælatorum, ad quorum nutum Beneficia, quæ obtinent, ſunt amouibilia; atque adeò nihil contra Votum paupertatis agitur, quod ex conceſſione Pontificia, ex acceptione Ordinum, & ex animo vouentium non excludit obtentionem Beneficiorum, & redditûum. Stare autem ſic Votum paupertatis proprium, & ſolemne, conſtat ex Superioribus; cum in quavis Religione, iuxta diuerſum cuiuſque Inſtitutum, accedente Pontificia Confirmatione, poſſit Votum rigidè, aut minùs rigidè obligare vouentem, qui conſcius Inſtituti, non intendit per profeſſionem ſe ampliùs obligare, quàm vt in ſuo Ordine Statuta diſponunt.

QVÆSTIO IV.

An Clerici Fratres Militiarum valeant diſponere, dum viuunt, de bonis immobilibus?

35 DE diſpoſitione vltima, cum obeunt, agendum eſt *diſquiſ.* 15. permiſſum eſt Fratribus Militiarum, bona immobilia poſſidere, ex fructibus Beneficiorum, aliiſvè redditibus empta, aut per donationem, ſimilivè modo adquiſita. Cæterùm cum ſemel in ipſorum poteſtatem eiuſmodi bona venerint, nequeunt (niſi ab his, de quibus *infrà*) abſque facultate ſpeciali ab eis alienari. Etenim Religioni adquiruntur, quæcumque adquiruntur à Religioſo, & niſi ipſa Religio ratum habeat, non poteſt ille de bonis adquiſitis diſponere, vtpotè non ſuis. At Ordines Militares ſaltem Calatrauæ, & Alcantaræ ratum non habent, vt Fratres de bonis immobilibus diſponant; non ergo diſponere valent.

36 Minor ſuadetur. Primò, quia in Definitionibus, vbi eis conceditur facultas ad diſponendum de aliquibus bonis, exprimuntur bona mobilia, redditus, fructus, diſtributiones, ſeu ſtipendia; & hæc ipſa expreſſio excludit immobilia bona. Quæ excluſio extat in Definitionibus Ordinis de Alcantara *tit.* 19. *cap.* 1. & 5. Et expreſſe excluſa eſt diſpoſitio eiuſmodi bonorum *tit.* 5. *cap.* 11. *num.* 13. Et in Ordine Calatrauæ bona immobilia nec in morte poſſunt Fratres aliis relinquere, vndè nec dum viuunt; Sic, in Definitionibus *tit.* 3. *cap.* 7. exceptis prioribus formatis. Fratres autem Iacobæi non prohibentur de bonis immobilibus diſponere, dummodò ea non pertineant ad ipſa Beneficia, prioratus, aut Vicarias; quare poterunt ea alienare, quæ eiuſmodi non ſint. Secundò, quia de facto non pauci Fratres ex eis Ordinibus licentiam variis temporibus poſtularunt ad diſponendum de bonis immobilibus, eaque donandum; vnde infertur, eam licentiam eſſe neceſſariam, alioqui non peteretur, ſi ſimul incluſa eſſet in licentia generali diſponendi de bonis.

Et, vt alios caſus prætermittam, anno 1560. Don Fr. Petrus Gutierrez ab Imperatore Carolo V. & à Capitulo Generali Ordinis de Alcantara facultatem popoſcit diſponendi de bonis immobilibus tum viuens, tum mortis in euentu: Et, cum eam impetraſſet, ad procedendum tutiſſimè, confirmationem obtinuit à Pio IV. anno 1562. Rursùs anno 1602. Prior de Magacela Alcantarenſis petiit die prima Martij licentiam à Capitulo celebrato Matriti, vt conſanguineo pauperi, & honeſto largiretur domum, & vineam, quas emerat; allegauitque in ſui gratiam, fuiſſe ſimilem licentiam conceſſam Domino Fr. Franciſco de Ribera, qui fuit demùm Epiſcopus Segouienſis. Capitulum autem, id explorari voluit, iudicans, hanc licentiam aduerſari Definitionibus Ordinis, quibus ſtatuitur, bona immobilia, niſi ob euidentem vtilitatem, non fore alienanda. Similes licentias ad donandum quaſdam domos conſanguineis indigentibus petierunt, ac impetrarunt à Regio Senatu Ordinum Don Fr. Ioannes Fernandez de Reyes Prior Monaſterij de Alcantara anno 1640. & Fr. Didacus Lopez de Moreta Archipresbyter de Valencia. 37

Et id ſanè expediens valdè eſt diſciplinæ Regulari, quam Clerici Fratres profitentur; Sic enim prædicitur occaſio, ne bona immobilia emant, Vincula, & Maioratus fundent, vt ſuos ditent conſanguineos, & deſiſtant à piis operibus exequendis, nec redditus, ac fructus in vſus pios, ad quos deſtinantur, inſumant. Nec damno propterea facultatem, qua Iacobæi, & priores formati Calatrauenſes gaudent ad diſponendum de bonis immobilibus; Id tamen quid laxius eſſe, quàm ea licentia carere, 38

nec adeò rigoroſæ diſciplinæ Religioſæ conforme, ex terminis cernitur.

39 Nec obſtat contra aſſertum Bulla Gregorij XIII. quæ incipit *Romani Pontificis*, expedita anno 1576. in qua concedit Militaribus facultatem ad diſponendum, ac teſtandum de quibuſcumque bonis, tum mobilibus, tum immobilibus. Nam, vt latiùs eam expendam *diſquiſ.* 15. ſolùm in ea ſermo eſt de Equitibus Militiarum S. Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ, non verò de Clericis Fratribus.

40 Aduertendum nihilominùs eſt, caſu, quo Clericus Frater Calatrauenſis, aut Alcantarenſis ære alieno grauaretur, nec haberet, vnde ſolueret creditoribus, poſſe ipſum abſque ſpeciali licentia, ſemota tamen fraude, vendere bona immobilia, quæ poſſidet, vt ſoluat. Etenim pro ære alieno omnia eius bona ſunt obligata, & quaſi alterius ſunt, dum æquiualentem quantitatem debet, creditoreſque ius habent in ea bona, vt debitis ſatisfiat; atque adeò in eis bonis Ordo ipſe nullam vtilitatem retinet, cum nihil re ipſa in eis habeat, ſiquidem ex iuſtitia præſtanda ſunt creditoribus. Hinc nihil Ordini detrahitur, nec eius vtilitas minuitur; qua ceſſante, nun datur ratio, quare nequeat Clericus Frater illa bona alienare, nec inuitus Ordo poteſt cenſeri.

41 Confirmatur. Nam ſi Clericus Frater ære alieno obæratus decedat, poſſunt Executores vltimæ eius voluntatis abſque ſpeciali licentia vendere bona immobilia, quæ apud defunctum extiterant, & ſoluere creditoribus; Et ſic in ipſis Definitionibus Ordinum fuit ſtabilitum; vt extat ſancitum in Ordine de Alcantara, *in Definitionib. tit.* 19. *c.* 6. Ergo idem præſtare poteſt Clericus Frater, dum viuit. Etenim non minùs requiritur licentia ad diſponendum de bonis immobilibus poſt obitum, quàm dum ipſe inter viuos agit, vt oſtendemus *diſquiſit.* 15. Et tamen, hoc non obſtante, poſſunt vendi bona immobilia abſque ſpeciali licentia poſt obitum Clerici Fratris, vt creditoribus ſatisfiat, ergo & ante obitum; cum eadem prorſus militet ratio, vt Ordo ratum id habeat in vtroque caſu. Prædicta omnia aptanda ſunt, proportione ſeruata, Clericis Fratribus aliorum Ordinum Militarium.

* * *

QVÆSTIO V.

An poſſint Clerici Fratres Militiarum bona immobilia alieno nomine emere, aut ſub alterius capite conſtituere, vſumfructum ſibi reſeruantes?

DVpliciter poteſt hic caſus euenire. Primò, ſi quis emat bona immobilia, & ſub confidentia certiſſima, quòd ſibi, & Ordini reſtituentur, alteri tradat. Secundò, ſi ea ita tradat, vt poſt vſumfructum obtentum, proprietatem deindè ille alius ſibi reſeruet, aut conſanguineo, vel alij reſtituat. Imò & aliter valet euentus excogitari, nempè ſi illicò ea bona immobilia alteri tradat, vt eorum ſit dominus, reſeruato ſibi vſufructu; vel is ſit, cuius nomine ea bona emuntur, vt non ſperetur, facilè fore ab illo reſtitutionem præſtandam, ſed potiùs ſibi reſeruaturum eſſe proprietatem, quin eam velit ſemel ſibi traditam reddere. 42

Vt dilucidè reſpondeamus, præiacienda eſt doctrina generalis, ex cuius principiis clariùs res decidatur. Igitur leges, & Conſtitutiones ita obſeruandæ ſunt, vt, quia non omnes euentus, & circunſtantiæ potuerunt exprimi à Legiſlatoribus, per epicheiam eorum mens explicetur; cum iuxta Ariſtotelem *lib.* 5. *Ethicor. cap.* 10. epicheia ſit emendatio legis ex ea parte, qua deficit. Epicheiæ tamen duo extrema contrariantur; alterum eſt obſeruantia ſuperſtitioſa, quando quis vult verba legis, etiam contra mentem Legiſlatoris, vt ſonant, & iacent, adimplere; Quod vitium præcauetur *Eccleſ.* 7. ibi: *Noli eſſe iuſtus multùm*; indeque promanarunt vulgaria proloquia; *Summum ius ſumma iniuria. Ne quid nimis.* Alterum extremum eſt fraudulentia; cum ſcilicèt ſolùm apparenter verba legis ſeruantur & menti Legiſlatoris reſiſtitur. Hinc *in leg. non dubium, ff. de legib.* aſſeritur, *Non dubium eſt, eum in legem committere, qui verba legis amplectens contra legis nititur voluntatem.* Et in *leg. contra, ff. eodem tit.* pronuntiatur; *Fraudem facit legi, qui, ſaluis verbis legis, mentem eius circumuenit.* Hanc doctrinam pluribus exemplis illuſtratam latiùs proſequitur Villalobos *tom.* 1. *ſumm. tract.* 2. *diffic.* 36. 43

Sciendum itidem eſt, ſi quis rem donans per inſtrumentum publicum, aut modo ſimili, poſt donationem retineat apud ſe rem ipſam, præſumi pro foro externo, donationem 44

donationem eſſe fictam, ac ſimulatam. Ita extat *in leg. ſicut §. ſupervacuum, ff. quibus modis pignus, vel hypoteca, &c. leg. fin. §. penult. Cod. de nat. lib.* Et docent cum communi Farinacius *quæſt. 162. num. 228.* Menochius *lib. 3. præſumpt.* 124. Qui docet, hanc eſſe præſumptionem de iure; Ille verò tenet, eſſe præſumptionem de falſitate. Sic etiam præſumitur ſimonia, ſi quis poſt reſignationem Beneficij, eius redditibus potiatur, vt teuet Nicolaüs Garcia *de benefic. tom. 2. p. 11. cap. num. 194. & n. 197.*

45 His præiactis, (& non eſt ſermo de Fratribus Iacobæis, nec de Prioribus formatis Calatrauæ) Si Frater Militaris rem immobilem alieno nomine emat, cuius proprietas ipſi, & Ordini non ſit reſtituenda, peccat grauiter contra Votum Paupertatis, & contra Iuſtitiam. Etenim, quamvis materialiter obſeruet verba Conſtitutionis prohibentis donationem rei immobilis, tamen re ipſa illam donat, cum alias id præſtet reſtituens proprietatem conſanguineo, vel alteri; habetque ſe res, ac ſi Frater Clericus ipſe bona immobilia ei conſanguineo donaret; quod eſt contra mentem Legiſlatoris; ideóque operatur ſine facultate Superiorum, eiſque inuitis quoad ſubſtantiam, expendit res, & bona, quæ ſunt ipſius Ordinis, atque indè contra Iuſtitiam etiam delinquit, debentque reſtitui Ordini eiuſmodi bona à poſſeſſore, vtpotè per donationem, & contractum inualidum obtenta; inualidum, inquam, ſaltem pro foro interiori; nam contingere poteſt, non poſſe pro foro externo probari fraudem, quæ realiter reperitur in ea donatione. Quare non ſufficit, iuxta prænotata, verba Conſtitutionis obſeruari, vt ſonant, ſi re ipſa menti Legiſlatoris contrahitur.

46 Rursùs ſi Clericus Frater donet nummos alteri, vt rem immobilem emat, reſeruando ſibi vſumfructum, ita tamen vt proprietas illicò penes alterum maneat; inſpiciendum eſt, an ea quantitas nummorum licitè, & validè potuerit donari, (vt poteſt communiter) ita vt non ſit ſumptus illicitus. Si enim ſic accidat, ſanè non peccat contra Paupertatem, nec contra Iuſtitiam; Nummi enim, quos donat, ſunt bona mobilia, de quibus diſponere valet in licitis, & honeſtis; Ex eis autem donatarius, vt ex propriis iam bonis, colligit ſumptus neceſſarios ad rem immobilem emendam proprio nomine, ita vt proprietas penes ipſum maneat.

47 Id tamen præcauendum, quòd vſusfructus extinguatur, decedente Clerico Fratre, iuxta ipſius vſusfructus naturam; nam ſi res ita emeretur, vt ex ea redditus perpetui eſſent reſtituendi conſanguineis Fratris, aut aliis ab ipſo deſignatis, ſanè id ſe haberet per modum cenſus annui, & inter immobilia bona foret annumerandus, niſi aliter in Statutis explicetur. Cæterùm ſolet declarari, an reputanda ſint inter bona immobilia ea emolumenta, quæ ex capitalibus Regi traditis comparantur, vulgò *Iuros*; hæc enim in Ordine de Alcantara inter bona mobilia recenſentur, ex ipſius Ordinis declaratione, atque etiam cenſus annui, qui redimi poſſunt. Extat in Definitionibus *tit. 41. cap. 2.*

Sed dices; Si Frater Militaris poſſit 48 nummos donare in quavis quantitate, quia ſunt bona mobilia, vt conſanguineus bona immobilia emat, poterit euenire, vt eò perueniat quantitas pecuniæ donatæ, quòd valeat conſanguineus indè ingentia bona emere, ac Vincula, & Maioratus fundare; Id autem eſt contra mentem Legiſlatoris. Reſponderet aliquis, ingentem adeò quantitatem pecuniæ non poſſe virtute licentiæ generalis concedi ad eiuſmodi vſus. Nam ſub ea licentia generali non veniunt niſi bona mobilia moderata, quorum donatio, aut diſpoſitio non dedeceat Religioſum Fratrem Militarem: Verosimiliter enim in ſpeciali non eſſet concedenda eiuſmodi facultas, quare non cadit ſub conceſſione generali. Quin, ſi eſſet ingens quantitas, non poſſet adhuc in vſus pios expendi abſque licentia ſpeciali; v. g. non poſſet Clericus Frater fundare inſigne Xenodochium, aut ſimile aliud pium opus, in quo ingens ſumma eſſet expendenda. Nam, cum ea ſumma ſit ipſius Ordinis, hic non cenſetur voluntarius in tam ingenti ſumptu, nec iudicatur velle alienare à ſe tantam quantitatem. A fortiori ergo reſiſtet alienationi ſimilis quantitatis ad vſus profanos, atque ad fundandum Maioratus, & Vincula.

Quòd ſi dicas; ergo, ſi quantitas pecu- 49 niæ non ſit ingens, ſed ea, quam poſſet Clericus Frater in vſus pios expendere, valebit illam donare conſanguineo non indigenti, ſed diuiti, vt bona immobilia emat, ſuaſque facultates adaugeat. Reſponderi poſſet conſequenter, tutius, & congruentius eſſe; ab his donationibus abſtinere, vt bona Ordinis ſolùm ad vſus pios inſeruiant; At non nimium ſcrupuloſè in his caſibus eſſe agendum. Quippè plures adſunt tituli, ratione quorum poſſunt hæ donationes honeſtari, vt gratitudinis, beneuolentiæ, honeſtæ amicitiæ, & ſimilium; quibus exiſtentibus iudicatur Ordo voluntarius

luntarius in eiuſmodi donationibus. Eteuim ita concedit Clericis Fratribus licentiam generalem ad diſponendum de bonis mobilibus, vt media diſpoſitione conſortium gratum, & beneuolum amicorum, & conſanguineorum conſeruent. Et aliundè nullus eſt adeò diues conſanguineus, qui pluribus non indigeat, vt honeſtè iuxta ſuum ſtatum familiam alat, & filios in egeſtatem redigi non patiatur. Quòd ſi adhuc, attentis circunſtantiis, iudicaretur illicita donatio, non tamen excedens quantitatem, quam aliundè Clericus Frater poſſet expendere, quid dicendum ſit, exponemus, generaliter loquendo, *quæſt. ſequen.* Hæc ſpeciem veri præferunt, tamen dicendum eſt, in quavis quantitate poſſe donari à Clericis Fratribus bona mobilia, quamvis donatarij ex illis immobilia emant, & Maioratus conſtituant. Et quidem frequenter id cernimus, non repugnantibus Ordinibus. Etenim ea regula fixa eſt appoſita, vt de bonis mobilibus Clerici Fratres in vita, & obitu diſponere valeant, non de immobilibus, quæcumque hæc, vel illa ſint; Et id non eſt reſtringendum, vt conſuetudo ſuadet, aliàs innumeris eſſet ſcrupulis res obnoxia, & plures lites inter Ordinem, & Clericos Fratres, ac donatarios, ſeu legatarios orirentur, dum explorarentur, an illa, aut illa eſſet cenſenda ingens quantitas. Et cum Ordines id non limitauerint, nec nos limitare debemus. Nec poteſt credi, Ordines non præfixiſſe terminum quantitatis, ſi voluiſſet, ſolùm vſque ad certam ſummam poſſe diſponi de bonis mobilibus; indeque in eius licentia generali omnia bona iucluduntur.

50 Præterea, ſi Clericus Frater rem immobilem emat alieno nomine, ſibi tamen reſeruet proprietatem, & vſumfructum, donatio eſt ficta, ac ſimulata, & ſic, adhuc pro foro externo, eſt præſumenda, iuxta dicta *ſuperiùs.* Id autem valet euenire tum abſque culpa, tum culpatè. Nam, ſi ideò res nomine alieno ematur, vt vel opportuniori pretio id alius faciat, vel venditor, forſan cum Clerico Fratre inimicatus, non recuſet venditionem, aut alia ſimili de cauſa, & poſt contractum celebratum ita proprietas reſeruetur, vt Ordinis ſit, & ei ſit prouentura poſt Clerici Fratris mortem, nullum eſt caput, vndè præſumenda ſit culpa. At, ſi id ita præſtetur, vt poſt obitum Clerici Fratris bona illa immobilia empta non perueniant ad Ordinem, nec is habeat titulum, aut inſtrumentum, vt ea vindicet, & recuperet, peccatum datur contra Paupertatem, & Iuſtitiam, vt *ſuprà* in ſimili aſſerebamus; Perindè enim eſt, proprietatem eſſe apud alium, vt poſt obitum Clerici Fratris tradatur conſanguineo, ac proprietatem bonorum apud ſe, dum viueret, retinuiſſe Clericum Fratrem, & quaſi ſit illius, cuius nomine fuit empta; reſtitui illi poſt Clerici Fratris ipſius mortem; & fraudem inibi interuenire, conſtat apertè.

Demùm, ſi Clericus Frater rem immo- 51
bilem alieno nomine, ob aliquam cauſam iuſtam ex dictis, velit emi, ſed tamen proprietatem non fore ſibi, & Ordini reſtituendam arbitretur, ob infidelitatem emptoris, cuius nomine contractus celebratur, nequit eam ſic emere, nam exponit ſe periculo, ſaltem probabiliori, defraudandi Ordinem eiuſmodi bonis, eaque diſſipat contra voluntatem Prælatorum quoad modum, & quoad ſubſtantiam. Secùs eſt, ſi prænoſcat ex genio, & fidelitate emptoris, vel Inſtrumento in ordine ad hoc confecto, ſibi, & Ordini rem immobilem fore reſtituendam, vt iam aſſeruimus.

QVÆSTIO VI.

An Clerici Fratres Militiarum expendentes in vſus illicitos bona, de quibus diſponendi facultatem habent, peccent contra Votum Paupertatis, & etiam contra Iuſtitiam?

HAnc quæſtionem agitaui *tom. in Bull.* 52
Cruciatæ, diſput. 34. *à num.* 163. loquens de Religioſis in communi exponentibus ludo ingentem pecuniæ quantitatem, ita vt ludus illicitus foret cenſendus reſpectu illorum. Et à fortiori militant *ibi* dicta in aliis ſumptibus manifeſtiùs illicitis, & tam in his, quàm in eiuſmodi ludo eandem vim rationes retinent. Ibi ergo aſſerui, probabiliter teneri ab aliquibus Authoribus, eos ſumptos illicitos non eſſe contra Votum Paupertatis, nec contra Iuſtitiam, eo quòd obtenta licentia ad expendendam aliquam quantitatem, Prælati non ſunt inuiti quo ad ſubſtantiam, ſed quoad modum.

Attamen oppoſitum cenſui verius, quia in generali conceſſione non cenſentur conceſſa, quæ ſpecialiter expreſſa denegarentur, iuxta *cap. Quintavallis, de iureiurando; cap. in generali, de regulis iuris, lib.* 6. *leg.* 3. *ff. de euictionibus.* Superior autem concedens licentiam generalem, non concederet, ſi exprimeretur vſus illicitus. Imò nec concedere illam poteſt, cum ſit Adminiſtrator, non diſſipator, nec dominus. Videndi ſunt

ſunt Villalobos, Bartholomæus à Sancto Fauſto, Peyrinus, Angles, Ludouicus, Lopez, Macbado, Pater Thomas Sanchez, Pater Leſſius, Pater Amicus *ibi* relati

54 Iuxta hanc tutiorem, & mihi veriorem ſententiam, cernitur, peccari contra Votum paupertatis in diſſipatione bonorum ad vſus illicitos, interueniréque iniuſtitiam, dum aliena, inuito dominio, diſperduntur, cum Ordo repugnet, cuius ea ſunt bona; ideoque teneri eos, ad quos perueniunt, illa reſtitnere, ſeu in priſtino ſtatu relinquere, in quo erant, antequam ad ipſos peruenirent; non enim debent ad meliorem conditionem ipſa reuocare; quare poterunt ipſi Religioſo, & non Ordini, tradere, vt ſi quid inde in compenſationem ſint habituri ex debito, ab illo obtineant. Videantur præter relatos *nuper*; Corduba *in ſum. q.*54. P. Vaſquez *in Opuſc. de reddit. cap.*3. *num.*11. *& dub.*8. *num.*38. Pater Azor *tom.*2. *inſtitution. moral. lib.*3. *cap.*26. *quæſt.*2. *in fin.* Qui ſatis oſtendunt, non niſi in vſus pios, ac honeſtos poſſe, & deberi bona à Regularibus expendi; & P. Thomas Sanchez *tom.*2. *ſumm. lib.*7. *capit.* 8. *num.* 38. cum aſſeruiſſet, poſſe Fratres Militares ludo exponere pecunias, addit; *Sed hoc intelligo, quando eſt quid moderatum iuxta illius Religionis vſum, quia nec Superior poteſt aliam licentiam concedere, cum veri Religioſi ſunt.* Hinc Alcozer *lib. de ludo, capit.*39. docens generaliter, lucrantem in ludo à Fratribus Militaribus extra Monaſterium degentibus quamlibet pecuniæ quantitatem, non teneri reſtituere, quia illi poſſunt liberè de ſuis bonis diſponere, non rectè pro ſe affert Patrem Thomam Sanchez, cum hic non loquatur ſub ea vniuerſalitate, ſed potiùs limitationem *vbi nuper* præfixam apponat.

55 Et quidem, ſi res attentè introſpiciatur, quàm conſona rationi ſit aſſertio noſtra, dignoſcetur. Ex contraria enim ſequitur, poſſe Clericum Fratrem tria, aut quatuor milia ducata in ludo, etiam vna vice, diſperdere; vel ea fœminæ amaſiæ donare; Quo quid abſurdius? Quid ſtatui Religioſo; & Voto paupertatis repugnantius? Quis credat, Religionem non eſſe inuitam, repugnantem, ac obſiſtentem huic diſſipationi bonorum, adhuc quo ad ſubſtantiam? Et ne? Bona Religionis ſacræ deſtinata ad vſus pios in ingenti adeò quantitate meretrici, aut ludo dicari liceat, quin paupertas, & iuſtitia violentur? Ego ſaltem, re attentiſſimè excogitata, ſolidum effugium non reperio.

56 Dicta quidem tutiora ſunt, & ad meam doctrinam magis conſequentia. Verùm probabile eſt, non peccari contra paupertatem, nec contra Iuſtitiam in expendendo quævis bona in vſus illicitos; eſto peccetur contra aliam virtutem. Primò, nam Ordo licentiam generalem præbet ad diſponendum de omnibus bonis mobilibus, ſicut præbet Equitibus, & in hoc Clerici Fratres illis ſunt pares; vnde, licèt ſit præter intentionem Ordinis ea inſumptio, non verò reſiſtit Ordo; ne ſcrupulos immittat his, qui extra Communitatem in ſæculo verſantur. Secundò, quia Ordo Alcantaræ excipit, ne bona immobilia fœminis amaſiis, aliiſque ſimilibus (de quo *alibi*) tradantur, ergo vbi non excipit alios vſus illicitos quamvis non aſſentiat approbando illos, tamen non contradicit. Tertiò, quia iuxta Dianam, Zenardum, Thom. del Bene, & alios referendos *in inferioribus*, Equites S. Ioannis non peccant contra paupertatem, nec Iuſtitiam, dum expendunt bona in vſus illicitos; ergo nec Fratres Militares, cum ſint ſtrictè hi, & illi Religioſi; imò illi ſtrictiorem paupertatem profitentur, ſi quidem quadraginta diebus ante mortem nihil poſſunt de ſuis bonis diſponere; ſecùs prædicti Clerici Fratres. Hoc aſſertum cum Bañez, & aliis tuetur Diana *p.*3. *tr.*2. *reſ.*65. *&* 98. *Et p.*7 *tract.*9. *reſ.*15. *& tr.*11. *reſ.* 22. In Definitionibus Alcantaræ *tit.*13. *c.*17. *& tit.*33. *c.*2. pœna infligitur Equitibus, & Clericis Fratribus, qui ludis prohibitis ludunt; aut quantitatem prohibitam ludo exponunt. Quæ leges ſunt pœnales.

Sed in præſenti aliqua ſunt obſeruanda. 57 Primò, etiam ſi quis ſententiam laxiorem probabilem ſectari velit, nihilominùs non poſſe bona immobilia in vſus illicitos expendere. Id patet, quia vt *ſuperiùs* ſtabiliuimus, nequeunt Fratres Militiarum Calatrauæ, & Alcantaræ de bonis immobilibus diſponere, adhuc ad vſus non illicitos (niſi Priores formati Calatrauæ) multò ergo minùs ad illicitos. Et præthereà Authores aſſerentes; non eſſe contra paupertatem, ac Iuſtitiam, expendere bona in res illicitas, eſtò ſit contra aliam viritutem, loquuntur de bonis, de quibus aliundè diſponere Clerici Fratres poſſunt, nam ex ea licentia generali diſponendi colligunt ſuam doctrinam; At reſpectu bonorum immobilium eiuſmodi licentia non datur, quare nequit ad ea extendi doctrina.

Secundò obſeruanda ſunt verba appoſita P. Thom. Sanch. *Quando eſt quid moderatum iuxta illius Religionis vſum.* Nam vt 58 non ſemel *in hoc Opere* annotamus, non eadem

eadem pariter licent, aut non licent omnibus Regularibus omnium Ordinum; pluraque non dedecent Religioſos Militiarum quæ dedecent Regulares cæteros; nam illi minimè profitentur Inſtitutum adeò auſterum, ac cæteri, ſed benignius, ac minùs rigidum. Hinc v.g. in ludo maiorem quantitatem exponere poſſunt, quàm alij Religioſi, quin detur peccatum contra Votum paupertatis, nec contra virtutem iuſtitiæ, nec lucrans teneatur eam reſtituere. Id enim vſus Ordinis patitur, & Prælati non inuiti cenſentur. Quanta autem poſſit eſſe hæc quantitas iudicio prudentum eſt taxandum, attentis circunſtantiis, nec nimis ſcrupuloſè agendum; cum debeat recogitari, quid hic & nunc Ordo permittat iuxta vſum, ſtylum, & conſuetudinem; vndè non erit cenſendus illicitus vſus; quòd ſi in in hac, aut illa materia, vel apertè ſit illicitus, vel prudenter talis iudicetur, vim habet aſſertio tutior noſtra *ſuperiùs* appoſita, ſiuè quantitas diſſipata ſit ingens, ſiuè minor; eo dumtaxat diſcrimine, quòd non erit peccatum lethale, ſi quantitas non ſit grauis, ſed leuis. Grauitas autem quantitatis ſufficiens ad peccatum lethale tum contra Votum paupertatis, tum contra Iuſtitiam, non eſt in præſenti exploranda, cum id non ſpectet ſpecialiter ad Religioſos Militiarum, & paſſim apud Authores, & Summiſtas explicetur *in tr. de Iuſtit. & de Voto paupertatis.*

59 Demùm obſerua, in Statutis Ordinis D. Iacobi *tit.20. fol.* 196. deſignari Fratribus Clericis degentibus in Collegio Salmantino aliquos ludos, quibus, & non aliis, poſſint recreari, nec vltra duas drachmas amittere; & ſtatuitur, ſecùs facientem, *Sea caſtigado de culpa graue.* At crediderim, hanc legem eſſe purè pœnalem, ſolùmque per eam intendi, iniungendam fore pœnam correſpondentem culpæ graui in ſua grauitate. Sicut ſunt plures leges purè pœnales, quæ pœnam indicunt correſpondentem culpæ graui, ita vt ſi hæc daretur, ſatis per eam pœnam compenſaretur. Etenim Statutum præfatum, vtpotè odioſum, non eſt ampliandum; verba autem non tendunt directè ad obligandum ad culpam, ſed ad pœnam, quæ intenditur taxari, dum aſſeritur, debere eſſe pœnam culpæ grauis. Quare, ſi illi Fratres Clerici aliis ludis incumbant, aut maiorem quantitatem diſperdant, independenter ab hoc Statuto penſanda erit culpa iuxta regulas generales qualitatis ludi, atque etiam exceſſus in quantitate, & circunſtantiæ perſonæ Regularis. Etiam in Ordine Calatrauæ *in* [illegible] *Inſtructione pag.* 83. *& titul.* 31. *cap.*1. *&* 2. Et in Ordine Alcantaræ *titul.*5. *cap.* 14. *& titul.*13. *cap.*17. *& titul.*33. *cap.*2. prohibentur aliqui ludi, & taxatur quantitas exponenda ludo tum ab Equitibus, tum à Clericis Fratribus. Quæ leges pœnales ſunt. His verò, qui intra Monaſterium immoderatam quantitatem ludo exponunt, apponenda ſunt dicta *ſuperiùs*, de licentia diſponendi, dum inibi degunt.

QVÆSTIO VII.

An Clerici Fratres Militiarum peccent contra Votum Paupertatis, aut contra aliam virtutem, ſi nimiam pecuniæ quantitatem, & pretioſam ſuppellectilem habeant?

60 EX dictis *quæſt. præcedenti* dubium hoc eſt decidendum. Etenim aut illa ſuppellex pretioſa, & ſumma ingens pecuniæ, eſt illicita reſpectu Fratris Militaris eam habentis, attendendo ad circunſtantias loci, perſonæ, & dignitatis, vel non? Si non eſt illicita, contra nullam virtutem delinquitur. Si eſt illicita, philoſophandum eſt eodem modo, ac *ſuprà* de ſumptibus illicitis diſſerebamus; ſi quidem materialiter omnino ſe habet, quòd ſumptus fiat in hac materia, vel in illa; in ludo, vel in ſuppellectile, ſi ſupponatur illicitus, & rationes factæ eodem modo militant vtrobique. Quare iuxta ſententiam probabilem id non erit contra Votum paupertatis; erit verò iuxta ſententiam tutiorem.

61 Attamen contra virtutem iuſtitiæ non peccabitur; quia nihil à Religione aufertur, cum ea ſuppellex, & pecunia ſit ipſius Religionis, dum penes Regularem exiſtit. Delinquitur autem in exceſſu contra Virtutem temperantiæ, quæ ſingulis perſonis, attento proprio ſtatu, modum præfigit in habitu, cultu, ornatu, aliiſque ſimilibus. Et ſanè Religioſus, & clericalis ſtatus ſummam exigit moderationem in cultu, ne Crucifixi patrimonium, & pauperum alimenta in vſus profanos nimios conuertantur, & luxui, ac ſplendori mancipetur, quod Eccleſia ad ſubueniendum pauperibus, & ad pia opera deſtinauit. Plura poſſem ex D. Hieronymo, Auguſtino, Bernardo, & aliis Patribus dare, quæ id exornarent, & ſatis ob oculos objicerent, quàm alienum ſit à Religioſo, & Clericali inſtituto, ſuperbum luxum fouere. Sed miſſa facio, quia facilè docti in ea teſtimonia

teſtimonia inciderint. Vide Baſilium Legionenſem 1. *part. variar. diſp. 9.9. Scholaſtica*, latè expendentem Tridentinum, Concilia, & Patres circa paupertatem Religioſam, & inſignem ſuppellectilem.

62 Itaque Fratres Militarum bona ſua expendere poſſunt in ſui victum, ac ornatum decentem, in obſequium Eccleſiarum, in vtilitatem Ordinis, in alimenta conſanguineorum pauperum; Et ſi quæ ſuperſint, longè ab auaritia fugiant, eaque inter pauperes, quorum ingens eſt vbique copia, diſtribuant. Sic ſuo muneri ſatisfacient, iuxta beneplacitum Ordinis, ac Prælatorum operabuntur, ædificationem in proximis non minuent, & à pluribus conſcientiæ ſtimulantibus acriter ſcrupulis immunes euadent; quibus pungi, neceſſe eſt, illum, qui inſtar diuitum ſæcularium, immemor diſciplinæ Religioſæ, ſplendidas menſas fovet; ſuperba ſuppellectili domum ornat; famulorum catervam alit; recreationibus incumbit, quæ ſumptibus ſunt obnoxiæ, & Regulares dedecent.

63 Non propterea rigidè adhuc cum illis ago, vt intendam, non alium ornatum ipſis licere, quàm qui licet aliis Religioſis non Militaribus, attamen tenendum eſt medium inter extrema auſteritatis, & relaxationis, & inſpecta diuerſitate Inſtitutorum, plus eis eſt indulgendum, non tamen omnia, quæ laïcis, imò nec quæ Equitibus Militiarum permittuntur. Illi enim nec nuptias poſſunt contrahere, nec filios, quibus hæreditatem, ac alimenta neceſſaria ad ſtatum proprium relinquant, habere, & rigidiorem diſciplinæ normam ſectantur, quare eis omnia ſunt aptanda, prudentum, & timoratorum iudicio. Non tamen indecens eſt cenſendum, Clericos Fratres extra Communitatem veſtibus ſericis modeſtis ornari; Cum honeſti Clerici ſæculares illis vtantur, quin iudicentur immodeſti, & id conſuetudo in eis permittat. Degentibus intra Monaſteria hæ veſtes non permittuntur. His verò, qui in Collegiis degunt, conſulendum eſt, ne interiùs eis vtantur, cum in Commuuitate, & non adhuc ſæcularibus immixti vitam tranſigant, debeantque ampliùs ædificationi proſpicere. Non verò damnabo eos peccati lethalis, ſi eis abſque profano luxu vtantur.

64 Cæterùm nequit deſignari, quæ & qualis ſuppellex, & ornatus vnicuique liceat, cum pro varietate circunſtantiarum ſit diuerſimodè loquendum. Vnde decentia ipſa, & dignitas exigunt, vt Fratres Militaris, qui v.g. ſit Quæſitor ſacræ Fidei, aut ſimile Munus exerceat, ampliore ſuppellectili ornetur, quàm Clericus Frater, qui ſolùm eſt Eccleſiæ Ordinis Parochus. Et hinc, proportione ſeruata, gradus in cæteris eſt faciendus; dum tamen vnuſquiſque eam ſeruet moderationem, quâ dignoſcatur, eum conſulere bono Ordinis nomini, & meminiſſe proprij ſtatus.

Vt autem conſtet veritas doctrinæ traditæ, & illicitum eſſe Regularibus Militiarum, ſuperfluum, pretioſum, ac exceſſivum ornatum retinere, talemque eſſe iudicandum eum, qui ſæcularibus diuitibus liceret, ſi illi eum habeant, vide Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. cap. 2. de reformat.* Divum Antoninum 3. *part. titul.* 16. *cap.* 1. §. 11. Mendoza *quæſtion. 8. Scholaſt. concl. vlt.* Baſilium Legionenſem *quæſtion. 9. cap. vltim. verſ. denique*: Euſebium de Herrera *deciſ. 5. de paupert. quæſtion.* 13. *in tractat. de ſtatu relig.* P. Thomam Sanchez *tom.* 2. *ſum. lib.* 7. *cap.* 22. *num.* 17. & communiter Authores *in tractat. de Religione.* 65

QVÆSTIO VIII.

An Fratres Clerici Iacobæi proprietatem bonorum retineant?

DVbio huic circa Fratres Clericos Iacobæos ſpecialiter præ cæteris anſam præbet licentia, qua gaudent ad teſtandum hi, qui extra Communitatem degunt, ac redditibus Eccleſiaſticis fruuntur, De quo latè *inferiùs diſq.* 15. Præterea Don Franciſcus de Ocampo *in reſponſione ad dubium de capacitate ad Beneficia ſæcularia*, præfixit, eiuſmodi Fratres retinere proprium, & indè intulit, poſſe Beneficia ſæcularia obtinere, Quam illationem, adhuc caſu negato, quòd aſſumptum eſſet verum, nullam habere vim, probabimus, *infrà diſ.* 11. 66

Supponendum quidem eſt, tàm Equites, quàm Clericos Fratres Iacobæos emittere in Profeſſione Votum, *viuendi ſine proprio*, vt conſtat ex forma Profeſſionis allata in Statutis *tit.* 5. *cap.* 3. Equites autem per id Votum non abdicant à ſe dominium rerum, ſed vſum earum abſque licentia Magiſtri, ſeu Adminiſtratoris perpetui, quam poſcunt ſingulis annis; & de ea, ac eius neceſſitate, & obligatione petendi illam *ſuprà* egimus *quæſtion.* 2. Id autem ſufficere, vt cum eiuſmodi voto Religio eſſentialiter conſiſtat, ſæpè tradimus *in hoc*

hoc Opere, & olim religioſos extitiſſe retinentes rerum dominium, latè docetur à Baſilio Legionenſi *de matrimonio lib.7. cap.* 13. Et circa Equites trium Ordinum Militarium Gregorius Decimus tertius in Bulla, quæ incipit. *Romani Pontificis*, expedita die 6. Octobris, anno 1576. diſpenſauit, & indulſit, vt bonorum ſuorum dominium retinerent, de eiſque liberè diſponerent, ac teſtarentur. An autem Equites ſint ſtrictè religioſi, ventilauimus *diſquiſit.2. quæſtion.2.*

68 Iam verò Votum illud viuendi ſine proprio an eodem ſenſu à Fratribus Clericis Iacobæis emittatur, in præſenti diſcutimus. Sit noſtrum aſſertum. Prædicti Fratres emittunt eiuſmodi Votum abdicando à ſe rerum dominium, quod quidem neutiquam poſt Profeſſionem retinent, ſed quoad id eodem modo ſe habent, ac Clerici Fratres aliorum Ordinum Militarium. Hanc concluſionem docuit, & exornauit latè, quaſi indubiam, & manifeſtam. Didacus Mota, Frater Clericus Iacobæus, *in Confirmat. Ord. Diui Iacobi pluribus locis, præcipuè lib.2. cap.2. ex* §.17. Probatur. Id votum ſonat, & inuoluit abdicationem dominij, dummodò per ſpecialem diſpenſationem, & indultum non emolliatur, & limitetur, vt ex terminis eſt conſtans. At non datur reſpectu Clericorum Fratrum ſpecialis diſpenſatio, ſeu indultum; ergo per illud Votum abdicant ſe bonorum dominio. Conſequentia eſt euidens. Minorem latè diuerſis locis huius operis, & *diſquiſit.* 15. probamus, oſtendendo, per Bullam Gregorij XIII. ſolummodò Equitibus fuiſſe conceſſam diſpenſationem retinendi dominium eorum, & laborari in æquiuoco, nec vim propriam verborum Bullæ, illiuſque contexturam intelligi, ſi etiam ad Clericos Fratres extendantur; maximè cum in illa æquè de Fratribus Clericis Ordinis D. Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ ſit ſermo; & tamen ad hos non extenditur licentia teſtandi, & retinendi dominium rerum, vt omnibus eſt in confeſſo, ergo nec ad Iacobæos extenditur; quæ conſequentia nulla tergiuerſatione eludi poteſt. Nec præterea ex licentia teſtandi, quæ per alias Bullas Pontificias conceſſa eſt Clericis Fratribus Iacobæis, cum ſuis limitationibus, colligitur retentio dominij rerum; quod tum ex ſequentibus fiet planum; tum ex eo, quia, vt ex dictis *ſuprà*, & dicendis *diſq.* 15. liquet, etiam aliis Clericis Fratribus Calatrauæ, & Alcantaræ licentia conceditur diſponendi de ſuis bonis per vltimam voluntatem, modo *ibi* præſcribendo, quin propterea dominium eorum retineant; vnde poteſt ſtare facultas diſponendi de bonis abſque dominio.

Quin ex Bullis ipſis, in quibus licentia teſtandi conceditur Clericis Fratribus Iacobæis, idipſum ſuaderi videtur; nam ex vno capite nihil in eis de rerum dominio agitur; ex alio verò ſupponi cernitur, eos non habere dominium rerum, ſi enim haberent, poſſent illud in alios transferre abſque ea diſpenſatione, & licentia. Imò ſi per eam diſpenſationem dominium rerum eis præſtaretur, ſanè non indigerent licentia teſtandi ab Ordine petita quolibet triennio, & cæteris requiſitis, ſine quibus teſtamenta condere nequeunt. Deindè non tenerentur quintam partem bonorum Monaſterio relinquere. Sicuti Equites, quia dominium retinent, nec indigent ea licentia teſtandi, nec debent quintam partem Monaſterio, aut Ordini; & quamvis inteſtati decedant, ſui, & legitimi hæredes in eorum bona ſuccedunt, non ſecùs ac ſi eſſent ſæculares; quod non contingit in Clericis Fratribus Iacobæis, ſi licentiam teſtandi triennijs ſingulis non expoſcant. Ingens ergo diuerſitas dignoſcitur inter Equites, & Clericos Fratres, & colligitur dominium illis relictum, non his; ſed tantummodò his conceſſa eſt poteſtas teſtandi dependenter à nutu, & limitationibus Ordinis, qui permittit, transferri per teſtamentum hæc bona, & non illa, ſibique aliqua reſeruat, & in aliquibus euentibus omnia bona capit, ſi conditiones non fuerint ſeruatæ, quas ipſe Ordo appoſuit. Quæ non cohæret cum dominio rerum, nec reſpectu Equitum dantur, eo quod hi dominio potiantur bonorum. 69

Rursùs, ſi Fratres Clerici dominium bonorum retinerent, cur hi, qui intra Communitatem degunt, non poſſent teſtamentum de illis condere? ſanè rationi conſonum non foret, dominio, quod haberent, priuari, & de propriis omnino bonis diſponere non permitti. Nec plùs eſſent domini hi, qui extra Communitatem, quàm qui intra degerent; nam per Votum *viuendi ſine proprio*, vel abdicant à ſe rerum dominium, vel non? Si primùm, ſanè poſtquam è Communitate egrediuntur, vis eadem Voti viget, nec vlla fit in eo immutatio. Si ſecundum, ergo etiam dum intra Communitatem degunt, retinent dominium; & iuſtè poſſent reclamare, & aſſerere, non abdicaſſe dominium per Profeſſionem, atque adeò nulla obligatione teneri, quominùs quod ſuum eſſet, tanquam 70

ſuum

ſuum donarent, aut transferrent; alioquin quodnam eſſet dominium apud ſe retentum?

71 Præterea, vt *diſquiſit.* 15. oſtendam, adhuc extra Communitatem degentes non poſſunt teſtari, niſi redditus Eccleſiaſticos poſſideant; ergo dominio bonorum carent, ſiquidem euenire poteſt, non habere eiuſmudi redditus, & frui aliis bonis ex induſtria, donatione, aut aliundè adquiſitis, de quibus teſtari ſanè poſſent, ſi dominium ſibi rerum ſuarum reſeruaſſent. Etenim nequit dici, retinuiſſe dominium quo ad aliqua, non quoad alia, cum per votum viuendi ſine proprio, vel omnino abdicet quis ſe dominio bonorum, vt contendimus in Clericis Fratribus; vel omnino retento dominio, abdicet ſe quis vſu bonorum, niſi licentia generalis, aut ſpecialis præcedat, vt contingit in Equitibus; nec vllum prorsùs eſt fundamentum ad excogitandum medium inter vtrumque.

72 Don Franciſcus de Ocampo hac vtitur conſequentia; *Poſſunt teſtari, ergo retinent proprium*; Ea autem non eſt legitima, nam ea licentia eſt quoddam priuilegium à Papa conceſſum, cum dependentia ab Ordine; & non abſolutum; ſed dum pluribus limitationibus, quod non arguit proprietatem, ſicut eam non arguit in aliis Clericis Fratribus poteſtas diſponendi de bonis mobilibus, dum extra Communitatem degunt, & de immobilibus, ſi ſint Priores formati Calatrauæ. Quin Couartuvias *de teſtamentis, cap.* 2. *num.* 10. ait; *Solet tamen Romanus Pontifex Monachis concedere ius teſtandi*; Quod latè probat, & vendicat ab argumentis oppoſitis; non ergo nouum eſt, cum Voto Paupertatis abſque proprio, concedi priuilegium transferendi bona propria Religionis per teſtamentum, conſentiente ipſa Religione; ſicut transferuntur ex eodem conſenſu, cum ab aliis Clericis Fratribus per vltimam voluntatem abſque teſtamento de eis diſponitur.

73 Hæc confirmantur ex doctrina Baſilij Legionenſis *de matrimonio, lib.* 7. *cap.* 9. *num.* 5. Vbi diſtinguit ſolemnitatem eſſentialem Votorum conſtituentem veram, & eſſentialem Religionem à ſolemnitate eſſentiali legitima, & accidentali; Primam ait non ſuſcipere magis, & minùs, nec poſſe à Pontifice variari; retento proprio ſtatu Religioſo, eamque docet reperiri in Ordinibus Militaribus; At in ſolemnitate legitima poſſe à Pontifice aliquid immutari, retenta ſubſtantia ſtatus Religioſi. Indè infert, Pontificem immutaſſe ſolemnitatem, non eſſentialem, ſed legitimam, & accidentalem in voto Caſtitatis, & Paupertatis Ordinum Militarium; in primo quidem, præſcribendo Equitibus (non eſt ſermo de Ordine S. Ioanuis) Caſtitatem non abſolutam, ſed coniugalem; in ſecundo, concedendo licentiam teſtandi. Cæterùm addit, in Clericis Regularibus Militiarum Votum Paupertatis *non eſſe ex omni parte legitimè ſolemne, cum teſtari poſſint, quando extra Conuentum Beneficia obtinent, certa quadam moderatione adhibita.* Votum verò Paupertatis, quoad Equites; *non eſſe ſolemne legitimè.* Aduerte diuerſitatem inter vtrumque; primum dicitur non eſſe legitimè ex omni parte ſolemne, ſecundum abſolutè non eſſe legitimè ſolemne; (eſtò vtrumque ſit ſolemne eſſentialiter) nimirùm quia cum primo non ſtat dominium, ſed ſolùm licentia teſtandi in aliquibus euentibus, ſtat verò cum ſecundo; hinc enim diuerſitas eſt deſumenda.

Obiter hic aduerte, aliquos Authores ſuppoſuiſſe, Fratres Clericos omnium Ordinum Militarium poſſe teſtari. Non explorarunt ſanè ſingulorum ſtatuta, & Definitiones, cum id ſolùm Iacobæi aliqui præſtare valeant. Vndè Baſilius de Voto Paupertatis aliorum Clericorum Fratrum non poſſet aſſerere, *non eſſe ex omni parte legitimum*; cum id aſſerat ex eo, quòd teſtandi poteſtas cum illo Voto coniungatur; Ergo, vbi non coniungitur, ex omni parte legitimum erit Votum. Quin ego cenſeo, ex facultate teſtandi non ſequi, Votum non eſſe legitimum; quippè, vt ait Portel *tom.* 3. *dub. Regul. lib.* 7. *cap.* 8. *num.* 12. ex P. Thom. Sanchez, & ferè triginta Authoribus, poteſt Pontifex abſque diſpenſatione in Voto Paupertatis concedere Religioſo licentiam teſtandi; nam, ſicut eam poteſt concedere, vt viuens expendat, & alienet bona in vſus licitos, & pios, ſic poteſt, vt diſponat per vltimam voluntatem in teſtamento; Et addit; *Et Monachus ſic teſtans ex licentia Papæ non teſtatur ex propriis bonis, ſed authoritate Papæ adminiſtrat aliena.* Ecce ex teſtandi licentia non infertur proprietas, nec aliquid minuens ex parte Votum paupertatis. 74

Præterà efficaciter ſuadeo præcipuum aſſertum. Si Clerici Fratres Iacobæi retinerent dominium rerum, eodem modo ſubiecti eſſent controuerſiæ, an ſint propriè, & ſtrictè Religioſi, ac ſunt obnoxij ei contentioni Equites Militares; & iuxta opinionem eorum, qui aiunt, Equites non 75

eſſe propriè Religioſos, eadem vi, & ratione, conuinceretur, illos non eſſe Religioſos propriè; At id nequit vllo modo admitti, neque ipſi permittent, ſuæ Religionis ſtrictæ ius eſſe ſub controuerſia; ergo neutiquam rerum dominium retinent. Sequela in maiori propoſitione poſita probatur. Duo ſunt in Equitibus capita, ex quibus dubitandi ratio inſurgit, & ex quibus mouentur plures, vt tueantur, non eſſe verè, & propriè Religioſos; Alterum eſt, non voueri ab illis Caſtitatem abſolutam, alterum, eos non ſolùm poſſe teſtari, ſed retinere dominium bonorum; cum quo cenſent illi Authores, non ſtare Votum Paupertatis. Ita autem ſe habent hæc duo capita, vt vnumquodque, etiam altero deficiente, ſuggerat eandem vim probationi eius opinionis, cum non magis ex vno, quàm ex alio moueantur, ſed æquè ex ſingulis; & ex ſe innoteſcit, quòd ſi ſingula non ſuadent intentum, neque coniuncta illud ſuadent; Ergo, ſi Fratres Clerici Iacobæi dominium bonorum ſupra facultatem teſtandi retinent, idem ſuggerunt motivum, ac fundamentum, vt dicatur, Votum Paupertatis ab eis emiſſum non ſufficere ad Religionem propriè ſumptam, & eadem regula fore metiendos, ac Equites, & ſub lite eſſe, aut ſub opinione, an ſint verè Religioſi. Quo quid abſurdius? Non video diſparitatem nec ſolidam ſolutionem, quæ poſſit diluere obiectionem.

76 Dices primò aduerſus probationes aſſerti; Clericos Fratres adhuc in Communitate degentes retinere proprium, ſed non licere eis vſum, qui poteſt à Prælatis denegari, cum ſe in Profeſſione abdicauerint vſu, niſi conceſſa vtendi licentia. Contrà, quia, eſtò eis non liceret vſus bonorum, dum ibi viuerent, at, cum è viuis decederent, quomodo poſſet eis negari, quòd de bonis propriis per teſtamentum diſponerent? & quare Monaſterium in ea ſuccederet, inuito adhuc eo, qui erat dominus, & ſuæ voluntati relictus mallet communiter fratribus, ſororibus, aut parentibus ea relinquere? Sanè valdè conſulitur extremæ voluntati, vt liberè quiſque de ſuis bonis propriis tunc diſponat, cum ſit iam vltimum velle illius; quare etiam minores vigintiquinque annis, qui ſub curatore ſunt, nec adminiſtrationem, & vſum ſuorum bonorum habent, niſi quoad alimenta ſibi deſignata, tamen morti proximi permittuntur de ſuis bonis teſtari. Similiter ergo Fratres Clerici eſſent permittendi; aliàs ea proprietas eſſet nomine tenùs, cum nullum ſortiretur effectum; ſiquidem illi non ampliùs haberent, aut poſſent, ex retentione proprij, quàm ſi illud non retinerent. Et prætereà ſi proprium haberent, ſuccederent eis ab inteſtato decedentibus hæredes propinqui, ſicut ſuccedunt Equitibus. Et ſanè, vt iam dixi, licentia teſtandi non probat proprietatem. Sicut in opinione (etſi minùs vera), aſſerente, Clericos non habere dominium bonorum Eccleſiaſticorum, adhuc non negatur eis facultas teſtandi de illis ad vſus pios; Et Epiſcopis ea facultas conceditur à Pontifice.

Dices ſecundò, per oppoſitam viam incedendo, 77
Fratres Clericos nihil proprium habere, dum intra Communitatem degunt, ideóque non poſſe teſtari, ſed proprium incipere retinere, dum extra Communitatem Beneficiis gaudeant. Contrà primò; ergo per votum Paupertatis non abdicarunt ſe poteſtate habendi proprij, ſiquidem deinceps illud habent; abdicatio autem proprietatis eſt reddere ſe perpetuò incapaces habendi proprij. Tunc ſic; ſi non ſe abdicarunt ea poteſtate in Profeſſione, ſanè etiam intra Communitatem degentes proprium retinebunt bonorum, quæ ex diſtributionibus, ex Informationibus, donatione, vel alia via adquiſiuerint; Quin retinebunt proprietatem bonorum, quæ in ſæculo poſſidebant, cum non ſe abdicent illa, & conſequenter non erit neceſſarium intra bimeſtre ante Profeſſionem facere bonorum renuntiationem; nam cum eorum proprietatis dicatur capax Profeſſus, non videtur æquum, vt cogatur dimittere, quæ iuxta proprium ſtatum poteſt habere. Equidem hæc omnia ſunt abſurda. Contra ſecundò, nam, ſi ſemel per Votum Paupertatis poteſtas habendi proprij fuit ablata, ſanè ea non reuiuiſcit ex eo, quòd Frater Clericus exeat è Communitate; ſi verò ablata non fuit, abſque fundamento aſſeritur, intra Communitatem non retineri; quid enim, ex ea ſuppoſitione reſiſtit retentioni? Contra tertiò, nam, ſi Iacobæi Beneficium relinquant, nec ex fructibus quidquam iam retineant, redeantque ad Communitatem, & intra illam obeant, nequeunt teſtari, etiamſi alia bona habeant, cum licentia teſtandi non extendatur ad hunc caſum, iuxta dicta *ſuperiùs*, & dicenda *diſquiſ.* 15. ergo non cæperunt habere proprium, poſtquam primò è Communitate ad Beneficia ſunt promoti; ſiquidem abſque nouo Voto, & obligatione, cum ſecundò ad Communitatem redeunt,

redeunt, nec teſtari valent, nec proprium retinent.

78 Dices tertiò, non rectè à nobis argui *ſuprà*, quaſi ſupponendo, degentes extra Communitatem non poſſe teſtari, ſi redditibus Eccleſiaſticis non fruantur, cum non ſit ratio, ob quam non poſſint. Huic obiectioni latè faciam ſatis *inferiùs diſquiſ.* 15. Vbi oſtendam, ſolummodò Fratres Clericos Iacobæos redditibus Eccleſiaſticis gaudentes poſſe condere teſtamenta. Ita ſupponit Baſilius Legionenſis *vbi ſuprà.*

79 Hîc aduerte, quæ de Fratribus Clericis Iacobæis ſtatuta ſunt circa teſtamenti factionem, & quæ de Fratribus Clericis aliarum Militiarum circa diſpoſitionem bonorum, tum, cum viuunt, tum cum è viuis decedunt, nequaquam extendi ad Moniales Ordinum Militarium; quippè hæ circa votum paupertatis eodem modo ſe habent, ac aliæ Moniales non Militares, de quibus agemus *inferiùs diſquiſ.* 14. Et, quamvis Moniales gaudeant priuilegiis Religioſorum ſui Ordinis, at id intelligitur reſpectiuè, proportionatè, & iuxta capacitatem, ac Inſtitutum proprium; ſicut Ordines Mendicantes gaudent per communicationem priuilegiis Ordinum Militarium, non tamen propterea gaudent licentia diſponendi de bonis, viuendi extra Communitatem, fruendi redditibus Beneficiorum, & ſimilibus; hæc enim diſciplinam Regularem Mendicantium laxarent, & in eius præiudicium, ac damnum non debet cedere, nec conceditur priuilegiorum communicatio. Similiter Fratribus Clericis plura ſunt conceſſa, eo quòd eorum Inſtituti ſit, regere Eccleſias, extra Communitatem degere, ſæcularibus immixtos commorari, & alia eiuſmodi, quæ ex ſe minorem aſperitatem inuoluunt, & maiorem exigunt laxitatem; Ea autem non ſunt propria Monialium, quæ ſeueriorem diſciplinam, & à ſæcularibus negotiis ſeparatam ſequuntur, Deo dicatæ, Choro addictæ, ſuis ſolùm animabus intentæ; hæc autem diſciplina detrimentum caperet, ſi eis licerent circa paupertatem, quæ Fratribus Clericis; ſicut nec circa Obedientiam eadem licent; cum ſemper ſint ſubiectæ Superioriſſis intra Monaſteriorum clauſtra, Fratres autem Clerici extra Monaſteria degentes non teneantur ea immediata obedientiæ obligatione, vt conſtabit *diſquiſ.*6. Obedientia autem præſtanda Regi noſtro, & Senatui Ordinum æquè omnes vrget.

QVÆSTIO IX.

An aliqua negotiatio ſit licita Clericis Fratribus Ordinum Militarium?

Qvamvis hæc quæſtio videatur omnibus Clericis, & Religioſis communis, attamen, quia Clerici Fratres inter ſæculares degunt, temporalibuſque immiſcentur negotiis, cum aliundè Voto paupertatis ſe obſtrinxerint, nec proprium retineant, ſpecialiter de eis ventilari poteſt, ne inter ſæculi illecebras quidquam operentur, quo paupertas, & Religio, quam profitentur, detrimentum aliquod patiantur. 80

Nec nobis ſermo eſt de negotiatione Dignitatum, & Beneficiorum, per munera, hæc enim longiſſimè exulare debet, vtpotè emptio ſacrilega, & ſimonia grauis. Venalitas hæc omnino eſt fuganda; fœdiſſima quippè auaritiæ labe contaminantur acceptantes munera; Et ambitionis ſunt rei, qui ea elargiuntur, vt aliquid Eccleſiaſticum, ſeu ſpirituale expiſcentur. De captatione, & acceptione eiuſmodi munerum vitandis diſſerunt eleganter Philo *de Iudicis officio*; Iſidorus Peluſiota *lib.* 5. *epiſtol.* 182. S. Auguſtinus *cap.* 15. *Regulæ*, Petrus Bleſenſis *epiſt.* 10. *in fin.* Petrus Damianus *opuſcul.* 31. Raymundus Iordanus, aliàs Idiota, *in opere de oculo myſtico cap.* 6. *ex num.* 6. S. Bernardus *de modo bene viuendi, ſerm.* 61. S. Baſilius *in cap.* 1. *Iſaiæ, ad illud, diligunt munera.* S. Ambroſius *in* 1. *Corint.* 6. Plura concinnè congerit Renatus à Valle *in ſuo Hipparcho de Religioſo negotiatore* §. 1. 81

Negotiatio, prout ad præſens ſpectat, multipliciter ſumi valet. Primò ſtrictiſſimè, quando merx emitur, vt ad lucrum faciendum eadem nullatenùs immutata reuendatur. Secundò, quando res empta, & mutata alteri venditur, ita vt pretium non ſolùm pro re, ſed pro artificio adquiratur; Sic ex ferro empto format artifex ſecurim; faber lignarius ex ligno feneſtram; & ſimiles cæteri. Hæ dicuntur negotiationes lucratiuæ. Alia eſt negotiatio, quam vocat œconomicam Ioannes Medina *Cod. de reſtitution. quæſt.* 31. nempè quam quis exercet ad ſuſtentandam familiam; vt qui ex redditibus ſuis vendit quæ ſuperſunt, vt alia comparet ſibi neceſſaria, & vtilia. Alia eſt negotiatio politica, qua iuxta P. Rebellum 2. *part. lib.* 9. *quæſt.* 18. *ſect.* 1. *num.* 2. emuntur, quæ 82

ad vitam ſunt neceſſaria, aut res mutata reuenditur. Attamen negotiatio, qua ſuperflua venduntur, & emuntur neceſſaria, latiſſimè dicitur negotiatio, vt aduertit Maior *in* 4. *diſt.* 15. *quaſt.* 40. Strictiſſima autem eſt, qua res non mutata venditur, ſiuè id fiat per ſe ipſum, ſiuè per alium. Media autem eſt, qua res mutata in aliam formam, aut in ſtatum meliorem venditur; vt de ferro, & de ligno diximus; idemque e t de hædis, agnis, hiſque ſimilibus, qui emuntur, vt poſtmodùm grandeſcentes vendantur.

83 Aſſero iam primò loquendo in communi; negotiationem latiſſimam nullo Iure eſſe prohibitam Religioſis, nec Clericis; Neque enim vitam tranſigere poſſunt, ſi non emant, quæ ad vitam ſunt neceſſaria; neque eis ſuppetet, vnde illa emant, niſi diuendant ſuperflua, minuſvè neceſſaria; quæ etiam inutiliter ſinenda eſſent perire, aut certè liberaliter eſſent donanda non ſine Monaſterij, aut priuatorum damno, ſi non diuenderentur. Excipe, ſi ſpecialia ſtatuta id non impediant; de quibus vide P. Suarium *tom.* 4. *de Religioſ. tract. vlt. lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 12. P. Thom. Sanchez *lib.* 7. *in Decalog. cap.* 26. *num.* 4. Nullum autem ſtatutum id impedit Monaſteriis Militaribus, aut Clericis Fratribus extra Communitatem degentibus.

84 Aſſero ſecundò, poſſe Religioſos Militares, & quævis Monaſteria vendere ea, quæ ad vſum ſuum emerant abſque animo reuendendi, ſi ſuperſint, aut inutiles vſui reddantur ob aliquam circunſtantiam, quæ impedit vſum, aut ſi alia vendendi cauſa interueniat, etiam ſi non ſint immutata, & cariùs vendantur, quàm empta fuerunt. Ita docent Abulenſis *in cap.* 15. *Matth. quaſt.* 224. Guttierrez *tract. de gabellis, quaſt.* 93. *ex num.* 16. P. Sà, *verbo, Clericus, num.* 20. P. Molina *de iuſt. & iur. tract.* 2. *diſp.* 342. *concl.* 2. P. Rebellus 2. *part. lib.* 9. *quaſt. vlt. num.* 2. Nauarrus, Syluester, Laſſarte, P. Arriaga, Oñate, Dicaſtillo, Leſſius, Cardinalis Lugo, & alij communiter. Etenim ea in euentibus prædictis iam ſunt ſuperflua; venditio autem ſuperfluorum quouis pretio iuſto licita eſt Clericis, & Religioſis; titulus autem vendendi cariùs non fundatur in perſona, nec ad id neceſſum eſt, vt quis ſit ex inſtituto, aut officio mercator, ſed fundatur in mutatione circunſtantiarum temporis, loci, & aliarum huiuſmodi, penes quas pretium variari, & creſcere poteſt, ſicut etiam decreſcere; vt obſeruat Sotus *de iuſt. & iur. lib.* 6. *quaſt.* 2. *art.* 2. *concl.* 4.

Quin'addo cum Ioanne Guttierrez *vbi ſupra num.* 23. & Syluestro, *verbo, excommunicatio* 9. *n.* 46. ea, quæ empta ſunt à Monaſterio, aut Religioſo, animo non reuendendi, ſi poſteà ſe offerat occaſio vendendi cariùs, qua non oblata, ea apud ſe retinerent, & non venderent, non peccare, ſi vendant. Etenim animus iteratò vendendi eſt veluti forma negotiationis ſacris perſonis prohibita, eo quòd illi ſit annexa irritatio cupiditatis, & in res externas effuſio. Ceſſant autem hæc incommoda, ſaltem primariò, & formaliter, dum ille animus abſuit; Et ſic accipiendus eſt Diana *part.* 1. *tract.* 1. *reſ.* 27. & alij apud ipſum; Necnon ſic exponendum eſt Concilium Tarraconenſe celebratum ſub Hormiſda anno 517. *Canone* 2. ibi; *Sicut Canonum Statutis firmatum eſt, quicumque in Clero eſſe voluerit, emendi viliùs, vel vendendi carius ſtudio non vtatur. Certè, ſi voluerit hæc exercere, cohibeatur à Clero.* En vox, *exercere*, denotat animum, & intentionem vendendi cariùs, quando emitur viliùs, & id prohibetur. Plures caſus negotiationis, quæ licita eſt Religioſis, ex declaratione Cardinalium affert Dom. Vrritigoyti *in paſtorali Regularium, part.* 2. *quaſt.* 16. *num.* 13. videantur apud ipſum. 85

Aſſero tertiò, Clericos Fratres Militares non poſſe vti negotiatione ſtrictiſſima, qua merces emuntur animo eas non immutatas reuendendi. Id enim prohibitum eſt Religioſis, & Clericis. Ita Iuriſperiti *ad cap. fornicari, diſt.* 88. Abbas, & Imola *ad cap. vlt. de vita, & honeſt. Cleric.* D. Thom. 2. 2. *quaſt.* 77. *art.* 4. Emanuel Rodriguez *tom.* 3. *qq. Regul. quaſt.* 74. *art.* 8. Proſper ab Auguſtino, *verbo, vectigal.* Comitolus *lib.* 1. *Reſp. quaſt.* 53. *num.* 1. Guttierrez *vbi ſuprà, num.* 16. *&* 47. P. Salas *tract. de empt. & vendit. dub.* 2. Cardinalis Toletus *in ſumm. lib. de peccat. mort. cap.* 53. P. Molina *tract.* 2. *de iuſt. diſp.* 339. P. Rebellus *de iuſt.* 2. *part. q. vlt. ſect.* 1. Renatus à Valle *in Hipparcho de Religioſo negotiatore ex num.* 78. *pag.* 104. 86

Etenim, vt aſſeritur *in cap. duo ſunt*, 12. *quaſt.* 1. ex D. Hieronymo, perſonæ ſacræ, & maximè Religioſæ, omnem ſæcularium negotiationum curam deſerere debent, vt ſoli Deo animum applicent, qui omnino diſtrahitur, dum temporalibus lucris per negotiationem inhiat. Immiſcetur ibi auaritia, quæ penitùs dedecet perſonas ſacras. Clauſtra non ſunt conuertenda in fora, non ſolùm per lites, ſed nec per negotiationem; idemque aptandum Clericis Fratribus extra Clauſtra degentibus. Aiebat Dauid *Pſ.* 70. *Quoniam non cognoui litteraturam, introibo* 87

introibo in potentias Domini; legunt Hebraïzantes, & Pagninus; *Quoniam non cognoui numerationes*, ſeu *numeros*. Legit D. Auguſtinus cum pluribus; *Quoniam non cognoui negotiationem.* Aſſerat id ipſum quilibet Religioſus. Adſtipulantur plura Sacræ paginæ teſtimonia, & Sancti Patres agmine denſo, necnon Concilium Carthaginenſe 3. *cap.*15. Concilium Forovil. ſub Adriano I. *cap.*5. Concilium Aquiſgranenſe ſub Ludouico, *cap.*93. Concilium Chalcedonenſe *cap.* 3. Concilium Lateranenſe 3. ſub Alexandro III. *part.*27. *cap.*3. Colonienſe III. *p.* 2. *cap.* 31. Treuerenſe anno 1549. *tit. de Religioſis*, *ſub finem*, Tridentinum *ſeſſ.*22. *cap.*1. *de reform.*

88 Hinc in *cap. conſequens* infligitur ſuſpenſio Clericis negotiatoribus. In *cap. ſecundum inſtituta, de Cleric. vel Monach.* anathemate feriuntur Clerici, & Religioſi, lucri cauſa, negotiantes. In *Clementina* 1. *de vita, & honeſt. Clericor.* vt tradunt aliqui Iuriſperiti, & Summiſtæ videndi apud Comitolum *lib.*1 *reſponſ. q.* 53. *num.*3. ſpoliantur priuilegio clericali, ſi præmiſſa triplici monitione non abſtineant à negotiatione; vel iuxta P. Molina *tract.* 2. *de iuſt. diſp.* 342. Suarium, Rebellum, Salas, & alios, priuantur priuilegio immunitatis ab exactionibus, & tributis ſoluendis, quo aliundè Clerici gaudent. Religioſos autem negotiatores grauiùs fore puniendos, quàm Clericos ſæculares, decernitur in *cap. ſed nec*, *Ne Clerici*, *vel Monachi.* Innouantur prædictæ pœnæ in Tridentino *ſeſſ.* 22. *cap.* 1. *de Regular.* Extat etiam Decretum Sacræ Congregationis Viſitationis Apoſtolicæ, iuſſu Vrbani VIII. conſtitutæ, datum die 29. Auguſti anno 1637. allatum à Renato de Valle *in ſuo Hipparcho, pag.* 220. quo pœnæ grauiſſimæ imponuntur Eccleſiaſticis, ac Religioſis quæſtuoſas artes exercentibus. Verùm hoc Decretum dumtaxàt expeditum fuit pro habitantibus Romæ, & in eius diſtrictu.

89 Prædictas pœnas non contrahunt Clerici non conſtituti in Sacris, ſi Beneficio careant; imò nec alij, ſi ſemel, aut iterùm negotientur; nec prætereà, ſi grauis neceſſitas ad ſui ſuſtentationem eos excuſet. Videantur Pater Layman. *lib.*3. *tract.*4. *cap.* 17. §.17. *n.*39. Fumus *verb. Clericus, num.*16. Deindè probabilis, & tuta ſententia eos à culpa, & ab his pœnis liberos facit, qui non per ſe, ſed per tertium negotiantur, ita vt ipſi ſolùm pecuniam adminiſtrent, & non ſint cauſa, nec concauſa principalis negotiationis, ſed alius ſit cauſa principalis, qui curas omnes, & ſollicitudines abſorbeat; ſic enim illi non agitantur animo, nec irrequieti ſunt. Docent id Aragon, Salonius, P. Molina, Leſſius, Rebellus, quos refert P. Salas *tract. de empt. & vendit. dub.*2. *num.*8. P. Valentia *in* 2.2. *diſput.*5. *quaſt.*20. *punct.*5. Stracha *de mercat. part.*1. *num.*26. Medina, Sà, Diana, & alij.

Aſſero demùm, negotiationem rerum, 90
quæ in ſe, vel in ſuo ſtatu mutatæ venduntur, licitam eſſe quo ad aliquas res, illicitam verò quoad alias Clericis, & Religioſis, etiam Militaribus Fratribus. Nam, quæ indecentiam affert reſpectu ſtatus Religioſi, culpam mortalem inuoluit; v. g. ſi quis, etiam ſi in ſuis paſcuis agnos aluiſſet, & ad ſtatum meliorem immutaſſet, non poſſet carnem arietinam, eis occiſis, vendere; An deceat eſſe caupones, vel tabernarios? Id prohibetur *in Clementina de vita, & honeſtate Cleric. & in Canone* 9. *Trullano.* Attamen aliæ negotiationes licitæ ſunt, vtpotè quæ nec Religioſos dedecent, nec plerumque cum nimia anxietate, & diſſipatione ſpiritus peraguntur, nec hæ ſub prohibitione Iuris cadunt. Ita Emanuël Rodriguez *tom.*3. *qq. Regul. quaſt.*74. *art.*8. Stracha *vbi ſuprà, part.*3. *num.*5.

Hinc infero primò, poſſe licitè Cleri- 91
cos Fratres Militares emere greges, ſeu armenta variarum pecudum, quæ in ipſorum paſcuis, aut etiam in aliis paſcantur, augeſcant, & meliorentur, quas deindè vendant. Id enim nec eſt negotiatio ſtrictiſſima, prohibita in Iure, nec eſt indecens. Nam cur dedeceat Religioſum in ſua domo extra Monaſterium commorantem, quod non dedecet Communitatem ipſius Monaſterij? aut cur indecentiam Clerico Fratri Militari impingat, quod non impingit indecentiam Carthuſienſibus, & aliis ſtrictis, & perfectiſſimis Religionibus? Similiter & ob eaſdem omnino rationes, poſſunt agriculturam fouere, & per famulos, ac operarios exerceri facere. Praxis vtrumque confirmat, quin doctis indè offendiculi cauſa miniſtretur, nec prælati id punierint, aut prohibuerint.

Infero ſecundò, Clericis, & Religioſis 92
honeſtam, & licitam eſſe negotiationem ex opere proprio manuum, vt indè victus operantibus, & conueniens ſubuentio pauperibus ſuppetat. Hanc eſſe ſententiam communem, affirmat Nauarrus *in Manual. cap.*27. *num.* 128. Adſtipulantur textus in *cap. Clerici*, 11. *quaſt.*4. *cap. Clericus, diſt.*91. *cap. nunquam, de conſecrat. diſt.*5. Concilium primum Moguntinum ſub Leone III. *cap.* 14. S. Baſilius *ad Regul.*37. Caſſianus *lib.*10. *cap.*22. Exemplum Apoſtoli ſuppeditarunt

vend[illegible]es artefacta ſua, *Actor. cap.* 18. Sic enim habebant, vnde ſine grauamine cuiuſpiam vitam ducerent, & egenis de ſua tenuitate benefacerent. Supponimus tamen, decori Religionis conſulendum eſſe in opificiorum genere, exindeque philoſophandum, quænam deceant; aut dedeceant, vt *ſuprà* annotauimus, & docet S. Baſilius *cap.* 6. *conſtit. Monaſt. & ad Regul.* 38. *fuſarum.*

93 Infero tertiò, ſimiliter eſſe licitam Monialibus, ſub quibus etiam veniunt Moniales Militares, negotiationem hanc latam, quæ interuentu operis manuum exercetur, dum ſit citra indecentiam. Etenim eadem, & communis eſt ratio Monachis, & Monialibus, vtpotè perſonis ſacris, Deo dicatis; ſicque ſtatuit D. Baſilius *in prologo Aſceticorum.* Quare poſſunt conficere corporalia, & ornamenta ad miniſterium ſacrum; & item artefacta opere plumario, aut phrygio; periſtromata ad Eccleſiam ſternendam: effigies ſacras, & alia huiuſmodi, quæ diuendant, vt vitent otium, dum peragunt, & poſteà ex pretio lucrum reportent ad victum, ac Monaſterij & pauperum leuamen. Poſſunt prætereà (niſi ad hæc omnia ab Inſtituto, & regulis prohibeantur) ſubminiſtrata ſibi materia, nudam operæ locationem ad conſuendum linteorum varia genera apponere.

94 Duo tamen obſeruauda ſunt; Aliud, requiri prudens arbitrium, & directionem prouidam Prælatorum, ne Moniales nimiùm in his occupentur, nam ob ſexus, & iudicij imbecillitatem leuiores cauſæ eas auellere à Deo, ſpirituque diſſipare poterunt. Aliud, hæreticos Meſſalianos, ſeu Euchitas apud S. Epiphanium *hæreſ.* 80. negauiſſe, fas eſſe Monachis, laborare manibus, contendentes, eorum opus nunquam dimittendum eſſe orationem. Et è contra Vviclephum, Caluinum, Lutherum, & alios conſimiles aſſeruiſſe, opus manuum eſſe Monachis in præcepto. Primos refellit S. Auguſtinus *lib. de oper. Monach.* Secundos S. Thomas *opuſc.* 17. *cap. vlt.* & ſæpè alibi. S. Bonauentura *in Expoſ. Regul. S. Franciſci, cap.* 5. Cardinalis Bellarminus *lib. de Monac. cap.* 45. Id certum eſt, non ita incumbendum eſſe ei labori manuum, vt oratio deſeratur, & ſpiritus tepeſcat.

95 Monitos ſanè cupio Clericos Fratres Militares extra Clauſtra degentes, ac vt plurimùm animarum Paſtores in Eccleſiis parochialibus; quòd maximè expedit, ne latiſſimæ etiam negotiationi, niſi moderatiſſimè incumbant. Chriſtus illis ſuas oues commiſit, & ait D. Auguſtinus *tract.* 123. *in Ioann.* nomine ipſius Chriſti; *Oues meas, ſicut meas paſce, non ſicut tuas; gloriam meam in eis quære, non tuam; lucra mea, non tua.* Parùm de lucris propriis ſollicitatur, qui lucris Chriſti operam impendit. Caueant, ne eis aptentur verba ipſius Auguſtini *de vita Eremitar. ad ſororem, cap.* 3. ſcabiem auaritiæ quarundam Monialium ſic exponens; *Alia pecuniæ congregandæ, vel multiplicandis pecoribus inhiant, tantaque cum hac ſollicitudine in his extenduntur, vt eas Matres, vel Dominas familiarum exiſtimes, non anachoretas. Quærunt aliquibus paſcua paſtores, qui procurent, qui cuſtodiant greges; fructus, vel pretium, vel pondus, vel numerum à cuſtodibus expetunt. Sequitur emptio, & venditio, vt nummus nummo cumulum exigat, & auaritia ſitim accendat. Fallit enim tales ſpiritus nequam pro impertiendis eleemoſynis, aut orphanis alendis; pro aduenientium, vel amicorum charitate.* Suggeram illis tutum, & amplectendum negotiationis genus; ſcilicèt animas Deo lucrari, & per eleemoſynarum largitionem cœleſte comparare regnum. Aiebat ideò Diuus Bernardus *epiſtol.* 24. *Quæſtuoſum ſanè, honeſtumque commercium; illam, quæ præterit, pro illa dare, quæ permanet. Sic ſemper tibi negotiari detur.* Diuus Auguſtinus *ſerm.* 29. *de Sanctis*, Apoſtolos vocat *ſplendidiſſimos negotiatores.* Et Diuus Gregorius *homil.* 17. *in Euangel.* diſſerit; *Etenim dicit, Negotiamini, dum venio. Ecce iam venit. Ecce de noſtro negotio lucrum quærit; Quale ei animarum lucrum de noſtra negotiatione monſtrabimus? Quot eius conſpectui animarum manipulos de prædicationis noſtræ ſegete illaturi ſumus?* Audis, ô Paroche, Gregorium? Arrige aures.

QVÆSTIO X.

An Clerici Fratres Militiarum ſuccedere in Bona, & in Maioratus valeant?

ASſertio ſit. Si Fundator Maioratus prohibuit expreſsè, aut virtualiter, ſeu implicitè, Religioſum ſuccedere in illum, nequibunt ſuccedere Clerici Fratres, eſtò aliundè, ſi non eſſent Religioſi, Maioratus eis competeret; Et in hoc caſu habent ſe prædicti, ſicut cæteri Religioſi non Militares, quin aliquo priuilegio, aut iure ſpeciali gaudeant. Si verò Fundator ſucceſſionem Religioſi non prohibuit, ſanè ſuccedere valebunt, eo quòd Ordines Militares inter eas Religiones recenſeantur, quæ ſunt 96

ſunt capaces ſucceſſionis bonorum. In eo autem euentu Ordo ipſe habebit proprietatem, ac vſumfructum Maioratus; poteritque vſumfructum concedere, aut negare Clerico Fratri; proprietatem autem largiri ei non poterit; Ipſo verò è viuis decedente, Maioratus in proximum ſucceſſorem tranſit. Hæc eſt totius doctrinæ ſumma, quam vt probem, ſolùm attingam principia certiora, & communiora inter Iuriſperitos, ex quibus legitimè deducuntur propoſitiones in aſſerto præfixæ. Nec etenim noſtrum eſt, ea principia fusè ventilare, nec niſi longiſſima poſſent tractatione expediri.

97 Igitur Maioratuum conſtitutores poſſunt eis affigere clauſulam expreſſam excluſiuam Religioſi (idem dicito de Religioſa Moniali) quippè in re propria quilibet eſt moderator, & arbiter; *leg. in re mand. C.mandat.* cum vulgatis. Vndè in donationibus, etiam factis Eccleſiæ, poteſt apponi conditio, quòd res non alienentur, aliàs in alterum tranſituræ, iuxta §. *ſanctiſſ. in auth. de non alienan. &c.* Et idem cernitur in inſtitutione, & fundatione cuiuſvis operis pij. Quin ſtatutum, aut conſuetudo prohibens Clericos ſuccedere in Maioratus, eſt valida, vt docent plures cum Ioan. Andr. *in reg. ſine culpa, q. vlt.* Deindè poteſt Fundator excludere fœminas à Maioratu propter maſculos, vt conſtantiſſimum eſt; ergo excludere Religioſos. Rursùs valet pactum, quòd ingrediens Religionem non ſuccedat in bona, vt probat Tello *in leg. Tauri, n.* 56. & teſtator poteſt excludere Monaſterium à fideicommiſſo expreſsè, vt tenet Decius *conſ.* 419. *n.* 2. quem Recentiores ſectantur; ſit ergo indè, excludi etiam poſſe Religioſum à ſucceſſione in bona, & Maioratus, ſi fundator id inhibuit expreſsè. Hanc doctrinam tradunt Couarruu. *lib.* 1. *reſol. c.* 19. *n.* 11. Ioan. Lopez *in repet. rubr. de don. inter vir. & vxor.* §. 16. *n.* 4. *&* 14. Meres *de Maiorat.* 2. *p. q.* 3. Antonius Gomez, vterque Molina, & communiter recentiores, qui Conſilia, & deciſiones elaborarunt. Si ergo Clauſula expreſſa excluſiua ſit appoſita, Religioſi in bona, & Maioratus non ſuccedunt.

98 Nec item ſuccedunt, ſi implicitè ea clauſula præfigatur, nempè appoſita alia, quæ requirat qualitatem, aut conditionem, quæ Religioſis nequit cumpetere; v.g. ſi fundaretur Maioratus cum ea conditione, quòd ſuccedentes in illum eſſent militiam profeſſuri; vel (iuxta plurium ſententiam) quod hæc, vel illa Inſignia pro foribus domus, & aliis in locis eſſent præfixuri; vel quòd ad cognominis, & familiæ perpetuitatem, hoc, vel illo cognomine nuncuparentur; aliavè huiuſmodi (ſed de hoc vltimo redibit ſermo ad calcem quæſtionis; cum oppoſitum ſit mihi probabilius) cum enim hæ conditiones apponi liberè valeant, & non aliter poſſit in Maioratum ſuccedi; ſanè Religioſus, qui eas adimplere nequit, non ſuccedet in illum, nam, verbi gratia, nec miles eſſe valet; nec domum, vt propriam, in qua Inſignia præfigat, retinere; nec cognomen ſibi aptare, quod in familia perpetuetur; ipſe enim mortuus ſæculo eſt, nec perſonaliter quidquam iam valet præſtare conducens ad ſucceſſionem; hæc enim, quando deferri poteſt, non ipſi, ſed Religioni defertur; voluntaſque teſtatoris in id tendit, cùm cognomen tale pro conditione appoſuit, vt in poſteros in ſæculo illud cognomen cum ſplendore, ac perpetuitate deriuaretur, quod non valet præſtari per Religioſum.

Id ampliùs roboratur; nam Religioſus non poteſt ſuccedere in Maioratum, cui annexa eſt iuriſdictio, aut dignitas, regimen, vel gubernatio, ſeu quid ſplendorem, ac honorem externum, & ſæcularem inuoluens; vt docent Molina *de primogeniis lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 81. Antonius Gomez *ad leg. Tauri, in leg.* 40. *num.* 66. cum pluribus aliis. Primò, quia ius Regni, Ducatus, aut Comitatus non tranſit ad Monaſterium ratione Religioſi, iuxta Gloſſam *in capit. ſcripſit* 27. *quæſtion.* 2. *verbo, dignitate*; Et id docent innumeri Iuriſprudentes. Vnde, ſi quando Regni neceſſitas expoſtulauit, à Pontifice fuit diſpenſatum, vt Religioſus, non Monaſterium, in illud ius ſuccederet. Secundò, quia Monaſterium nequit ſuccedere in oppida, & caſtra iuriſdictionem habentia, iuxta *caput recolentes, de ſtatu Monachorum, leg.* 27. *titul.* 7. *partit. prima.* Tertiò, nam Religioſus non valet ſuccedere in feudum, quod habet annexum ſeruitium, cui ille nequit facere ſatis, iuxta *cap. qui Clericus, ſi de feudis fuerit controuerſia, capit. primo de milit. Vaſſall. qui arma, &c.* Roboratur, nam legatum rei, cuius commercium nequit eſſe apud legatarium, ignorato eius impedimento à teſtatore, eſt nullum; *leg. ſed ſi res, ff. de legat. primo.* Et quidem in his Maioratibus potiùs Reipublicæ vtilitas, & habilitas ſucceſſoris ad illam eſt inſpicienda, quam propinquitas gradus; In Religioſo autem eſt omnimoda inhabilitas. Et aliundè in Maioratuum diſpoſitionibus pro diſpoſito habetur illud, quod veroſimiliter inſtitutor diſpoſuiſſet,

diſpoſuiſſet, ſi de eo interrogatus eſſet, iuxta *leg. Tertius, §. Lucius, ff. de liberis, & poſthumis*, cum aliis. Plura fundamenta proſequuntur Iureconſulti, & vendicant hoc aſſertum à rationibus, quæ illud videntur impugnare.

100 His prælibatis, colligitur, Clericos Fratres non poſſe ſuccedere in Maioratus, quibus à Fundatore præfixa eſt clauſula expreſſa, aut implicita excluſiua Religioſorum; aut quibus annexa eſt dignitas, iuriſdictio, regimen, aut onus quæ per Religioſos adimpleri nequeunt. Etenim illi ſimpliciter, ac in omni rigore ſunt Religioſi; Caſtitatem abſolutam, & cætera Vota emittunt; nequeunt habere pruprium, nec dominium rerum, vt etiam de Fratribus Clericis Iacobæis *ſuperius quæſtion. octaua*, ſtabilimus. Non ergo apparet caput, titulus, ratio, aut fundamentum, quare ipſi præ cæteris Religioſis non Militaribus, in eiuſmodi Maioratus ſuccedere queant. Etenim quòd aliquantò ſit laxior eorum diſciplina regularis, maximè cum extra Communitatem degunt, nec adeò immediata, & ſpecialiſſima ſit ipſorum Obedientia, & circa Paupertatem amplio ri licentia gaudeant quoad bonorum vſum, quàm alij Religioſi non Militares, id eos non extrahit à ſtatu Religioſo, ſimpliciter tali, nec tollit, quòd nequeant matrimonium contrahere, aut proprietatem, & dominium rerum habere; nec ſpeciale eis ius tribuit, nec in Bullis Pontificiis, aut Statutis, & Definitionibus Ordinum quidquam eſt, quod aditum aperiat eiuſmodi ſucceſſioni. Eadem ergo quoad hoc metiendi ſunt regula, qua cæteri Religioſi.

101 Pergo ad Maioratus, qui ex inſtitutione ſua non continent clauſulam expreſsè, aut implicitè excluſiuam Religioſorum, nec inuoluunt dignitatem, iuriſdictionem, aut regimen. De his loquendo, communis, & celebris eſt diſtinctio inter Religiones, quæ ſunt incapaces ſucceſſionis in bona, & inter eas, quæ ſunt capaces. Etenim, ſi Religio incapax eſt ſucceſſionis, Religioſus ſuccedere nequit in Maioratum, ſiquidem per ipſum ille adquirendus erat Religioni; nam Religioſi per Votum Paupertatis abdicant à ſe capacitatem retinendi dominium, & transferunt in Religionem iura, quæ ipſis poſſunt obuenire; quare, ſi Religio incapax eſt ſucceſſionis, non reſtat titulus, quo Maioratus adquiratur. Ita omnes. Incapacitas autem ſucceſſionis in Religionibus, ex propriis ipſarum Inſtitutis, & Regulis, ac Bullis Apoſtolicis eſt deducenda; verbi gratia, in Minoritarum Seraphica Religione non datur capacitas ſucceſſionis, quia nec datur capacitas dominij; In aliis autem ſua quæque eſt ſpecialis diſciplinæ regularis norma.

Attamen ſunt plures Religiones ſucceſſionis capaces, & in his poteſt ſuccedere Religioſus, ad quem Maioratus pertinet ratione ſanguinis, & ratione ipſius Monaſterium, aut Religio. Ita docent Molina *de Hiſpanorum primogen. vbi ſuprà n. 95.* Antonius Gomez *vbi ſuprà*, cum Alberico, & Bartolo ab ipſo adductis, Pelaez à Mieres *de maioratib. ſuprà num. 16.* cum Gregorio Lopez, Tiraquello, Lapo, Abbate, & aliis plurimis, quibus ſubſcripſerunt neotherici Scriptores. Probant, quia religioſi retinent iura ſanguinis, & ſuitatis; aliunde Religio eſt capax ſucceſſionis, non ergo eſt, vnde à ſucceſſione excludantur; ſed penes Religionem erit maioratus pro tempore vitæ ipſius Religioſi, & poſt illam maioratus deueniet ad ſequentem ſucceſſorem iuxta voluntatem Fundatoris illius. Suadent id ipſum argumento *textus in authentica, Ingreſſi, Cod. de ſacroſanct. Eccleſ. leg. Statius Florus, §. Cornelio, ff. de iure fiſci; leg. peto, §. prædium, ff. de legat. 2. leg. cum pater, §. hæreditatem 1. eodem tit. leg. cum fiſco, ff. ad Syllanian.* cum pluribus aliis. 102

Ex qua doctrina fit, Clericos Fratres Ordinum Militarium (idem dicito de Equitibus Ordinis S. Ioannis Hieroſolymitani) poſſe ſuccedere in eos Maioratus, de quibus nunc eſt ſermo; nam Ordines Militares ſunt capaces ſucceſſionis; & nec ex Inſtituto, nec ex Regulis, aut Conſtitutionibus incapacitas in eis datur, potiùs quàm in Ordinibus S. Dominici, S. Hieronymi, S. Auguſtini, & ſimilibus. Imò maior datur capacitas ſuccedendi in Militaribus Ordinibus, quàm in aliis Religionibus, ſi ad perſonas priuatas inſpiciamus, ſi quidem Equites Militares D. Iacobi, Calatrauæ, Alcantaræ, Monteſæ, de Anis, & Chriſti, cum iure integro ſucceſſionis, proprietatis, & dominij remanent, & ex ipſis ad ſucceſſores Maioratus, & bona ex teſtamento, & ab inteſtato perueniunt, quod in nulla Religione non Militari reperitur. 103

Quòd ſi Clericus Frater ſuccedat in Maioratum, is Ordini adquiritur, quod contingit in cæteris Religionibus, nec vllus eſt titulus, vt attigimus *ſuprà*, cur penes Clericum Fratrem Religioſum, præ aliis Religioſis, maioratus perſiſtat. Quare nec vſumfructum ille retinebit abſque licentia ipſius Ordinis; quæ non difficulter concedetur, ſaltem ad vſusfructus partem, ſi ingens ſit Maioratus; Cum enim 104

concedatur

concedatur Clericis Fratribus licentia diſponendi de redditibus Beneficiorum, & de aliis bonis, quæ adquirunt, quia laxiùs cum eis circa paupertatem agitur; videtur pariter fore eis concedendum, quòd vſufructu Maioratuum gaudeant. Poterit tamen Ordo abſolutè id negare, vel partem reſeruare Monaſterio, aut Collegio, aut alij pio loco, veluti xenodochio, vel Theſauro Ordinis eam applicare. Si tamen Religioſus ſuccedens in Maioratu degat in Monaſterio, ei immediatè adquiritur Maioratus, cum Religioſus eiuſdem cenſeatur filius, & ei Monaſterio ſit addictus, vſquedum ad Beneficium, Capellaniam, Dignitatem, aut Prælaturam promoueatur; & præterea Monaſteria, vt dicemus *diſq.* 9. ſunt Capita, & Sedes Ordinum.

105 A fortiori Religiones capaces ſucceſſionis in bonis ſuccedunt, quæ non ſunt maioratus, & ad Religioſos ſpectant iure ſanguinis, aut ex teſtamento; & quidem eorum bonorum proprietas, ac dominium penes Religionem manet, etiam poſtquàm obeunt Religioſi, per quos bona ſunt adquiſita. Quòd ſi quis in vna Religione profiteatur, & ad aliam poſteà tranſeat, bona adquiſita primo Monaſterio non tranſeunt ad aliud, vt docet Bonacina *tom. 1. tract. de clauſur. quæſtion. ſecunda, punct. 9. §. 4. difficult. 2.* niſi cogatur ſecundum Monaſterium accipere Religioſum, tunc enim bona ad illud tranſeunt. Quòd ſi quis habens filios Religionem ingrediatur, nec bona renuntiauerit, ſolum debentur filiis alimenta, quæ pater in ſæculo manens eis foret conceſſurus; Et Monaſterium potitur vſufructu aliorum bonorum, dum pater viuit, quo extincto, bona ad filios tranſeunt, ea ſcilicèt, quæ neceſſario ſunt ad eos deferenda; non illa, de quibus liberè poterat diſponere pater, ſi ea in Monaſterium renuntiauit. Ita Diana *part. 6. tractat. 7. reſol.* 55. Contrarium tamen, ſcilicèt quòd legitima ſtatim debeatur filiis poſt profeſſionem patris, valdè probabile eſt, & defenditur à Patre Suarez, & aliis ab ipſo Diana allatis. In prima autem ſententia, ſi Maioratum poſſidens ingreditur Religionem, nec ipſe illum per renuntiationem transfert in ſucceſſorem, Religio potietur fructibus maioratus, dum ipſe viuat. Hæc omnia aptaueris Ordinibus Militaribus. Hic obſerua, ſi legatum relinquatur Religioſo ſub ea conditione, quòd nihil Monaſterio adquiratur, validum eſſe, dum ab illo expendatur de licentia Superioris; quam ſi is neget; legatum reſoluitur. Ita cum Molfeſio, & aliis Diana *p. 3. tr. 2. reſ.* 34.

Nec offendas in id, quod *ſuprà* aſſeruimus, poſſe Ordines Militares concedere Clericis Fratribus, vt vſumfructum, & annuos redditus ex Maioratibus percipiant, vel etiam ex aliis bonis, in quibus ſuccedant. Etenim, vt conſtat ex dictis *hac diſq.* & ſæpè decurſu Operis attingemus, Voto Paupertatis Clericorum Fratrum non derogatur, eo quòd ex licentia Ordinis annuos redditus, quo ad vſum abſque proprietate, obtineant; quod idem contingit in Equitibus Ordinis D. Ioannis, qui ſatis amplis redditibus gaudent. 106

Dices, Tridentinum *ſeſſ.* 25. *cap.* 2. *de Regular.* præcipit, nullum Regularem poſſidere; etiam nomine Conuentus, bona immobilia; & nullum Superiorem poſſe ſubditis concedere bona ſtabilia *etiam ad vſumfructum, vel vſum, vel adminiſtrationem, aut Commendam.* Et addit, ita eis permittendum eſſe vſum bonorum mobilium, vt nihil ſuperfluum ipſis concedatur, nec permittatur pretioſa ſuppellex, ſtatui Paupertatis, quem profeſſi ſunt, non conueniens. Hunc Tridentini locum doctè verſat Baſilius Legionenſis *in varius diſput.* 1. *par. quæſt.* 9. Et ibi *cap.* 5. inuehitur contra Religioſos, qui ſuppellectili pretioſa cellas exornant, deſignatque quænam ſit intelligenda pretioſa ſuppellex, ac Religioſis illicita. Et *cap.* 4. rectè ait, duo in præſenti eſſe expendenda; alterum, quod ex vi natiua voti paupertatis oritur, nempè abdicatio proprietaris, & dominij, ac item vſus abſque licentia; (quod tamen immutari, aut diſpenſari poteſt à Pontifice quo ad plura, vt cernitur reſpectu Equitum Ordinum Militarium, qui proprium retinent, præter Equites D. Ioannis.) Alterum, quod ex iure poſitiuo dimanat. Oſtendit autem, eſſe ius nouum poſitiuum, quod à Tridentino ſtabilitur, cum ante illud licerèt Religioſis, annuos redditus habere ex licentia Prælati, & contrarium à Concilio decernatur. Indè iudicat, non poſſe Religioſo à Superiore permitti id, quod eſt contra natiuam obligationem Voti paupertatis; Attamen potuiſſe per conſuetudinem abrogari illud ius nouum Tridentini quo ad annuos redditus; & ſic hos de facto haberi à Religioſis Viris, & à Monialibus. Ex qua doctrina aſſero, Clericos Fratres Militares poſſe eos annuos redditus habere tum ex bonis, tum ex Beneficiis, aut Dignitatibus, vel Muneribus, Ordinibus conſentientibus; cum id iam conſuetudo præſcripſerit, & ipſi Pontifices annuant, dum eis concedunt, & deſignant Beneficia ipſorum Ordinum, & diſpoſitionem 107

tionem bonorum, quin & teſtamenti factionem Fratribus Clericis Iacobæis; & confirmant Statuta, ac Definitiones, in quibus hi redditus, & diſpoſitiones præſcribuntur. Huic doctrinæ ſubſcribunt P. Th. Sanch. & alij, quos refert; & ſequitur Diana 1. *p. tr. 6. reſ. 32.*

108 Doctrinam *in hac q.* traditam exornat, & confirmat perdoctus F. Ludouicus de Conceptione *in examine Veritatis moralis tract. 2. caſ. 20. n. 11. pag. 170.* Verùm ex P. Thoma Sanchez, & ex Emanuële Rodriguez addit, poſſe Religioſum, & eius nomine Monaſterium, ſuccedere in Maioratum, quamvis inſtitutor Maioratus petierit, ſuum nomen, & inſignia retineri; Quod ait, fuiſſe iam deciſum in Regio Senatu Pinciano. Vlteriùs docet ex Molina, Angelo, Rodriguez, Gutierrez & P. Thom. Sanchez, eum, qui inſtituit Maioratum ex tertio bonorum, non poſſe excludere Religioſum, caſu quo non ſuperſint alij deſcendentes. Rursùs ex eodem P. Thom. Sanch. & aliis tenet, per ſolam præſcriptionem, adhuc immemorialem, ſi per Inſtrumentum publicum non conſtet, non fore præſumendam clauſulam excludentem Religioſos, aut Clericos. Demùm *ibi ex num.* 1. cum pluribus Authoribus, necnon Doctoribus ſapientiſſimis Complutenſibus, qui ſubſcripſerunt, tuetur, caſu quo Religioſus renunciauit Maioratum in fratrem, mortuo patre, & abſque liberis fratre ipſo, non ſucceſſurum fore in eum Maioratum alium fratrem, vel ſororem, in cuius fauorem non renunciauit, ſed ipſum Religioſum, ac eius nomine Monaſterium, ſeu Religionem. Quæ omnia profectò mihi probantur, vt veritati conſona; nec repeto probationes, & fundamenta, quia ab eo Authore eruditè euoluuntur.

QVÆSTIO XI.

An ex vi Voti Paupertatis teneantur Equites Militares ad tradendum bona ſua, etiam patrimonialia, Ordini, aut Regi, vt Adminiſtratori, ſi ab eis poſcantur?

109 Affirmativam partem latè tuentur Ayala *in explicat. Regul. Ordin. D. ni Iacobi, cap. 3. fol. 3.* Didacus Mota *de Confirmat. Ordin. Diui Iacobi, lib. 2. cap. 2. §. 17. & §. 26.* Vbi tenet, poſſe Magiſtrum Ordinis bona Equitum in vſus ipſos conuertere; & ſimul ſuadere conatur, dominium bonorum ab illis non retineri. Verùm iam ſtatuimus, Equites Militiarum gaudere dominio ſuarum facultatum, & illud ſtare Voto Paupertatis, & cum eſſentia Religionis, etiam ſi Religioſi ſtrictè iudicentur. Ex dictis ergo in præcedentibus huius dubij deciſio eſt colligenda, & tenenda quidem ea pars affirmativa, adhibita expoſitione, & limitatione, quam conſentaneè ad noſtram doctrinam præſcribemus.

Igitur verum Paupertatis Votum ab Equitibus emittitur, quod affert ſecum dependentiam à Magiſtro Ordinis in dominio, & vſu bonorum; nec enim eſt excogitabile aliquid minus, quod per id Votum offeratur; nec ea oblatio eſt ficticia, aut quædam præciſa ceremonia, vt ex terminis cuilibet rem perpendenti conſtabit. Hinc fit, quòd ſi caſus detur, in quo Magiſter ad Ordinis vtilitatem bonis illis indigeat, valeat ea expendere in vſus neceſſarios; aliàs inane, & fruſtraneum eſſet Votum, & ea dependentia ſolùm daretur nomine tenùs, ſi quidem in nullo caſu poſſet Eques ſuis bonis nudari, & ea valeret retinere, atque eis vti, adhuc renuente, & contradicente Magiſtro. Vel dicat mihi aliquis, ſi in omnibus euentibus Eques ita retinet dominium bonorum, vt nequeant ab eo tolli, in quo conſiſtit dependentia eius dominij? in quo Paupertatis Votum? Sanè non conſiſtit dumtaxat in conficiendo Inuentario, & poſcenda facultate ad vtendum bonis: nam, ſi id Inuentarium, & facultas innuunt, dominium ipſum eſſe dependens à Magiſtro, erunt quidem ſolummodò quædam exterior ceremonia, qua deficiente adhuc, & negata ea licentia, poterit Eques vti ſuis bonis, dum eorum dominium ſit à Magiſtro independens. Quin hæc dependentia ex Inuentario, & petitione licentiæ ſatis colligitur; nam licentia poteſt negari ob cauſas iuſtas, & tunc vſus bonorum non eſſet licitus; aliàs ea licentiæ petitio nihil ad Votum Paupertatis conduceret, cum potiùs eſſet contra Votum, ſi quis, negara ſibi licentia vtendi bonis, eis vteretur; ergo ea bona ita ſunt à Magiſtro dependentia, vt ille poſſit de eis diſponere, ſi quidem Equiti valet ex cauſa iuſta vſum eorum negare. 110

111 Id validè probatur ex formula poſcendi à Rege licentiam, & conficiendi Inuentarium; ea enim eſſe ſolet; *N. Cauallero del Orden de N. ſuplica à vueſtra Mageſtad, le mande dar licencia, para poder diſtribuyr, y adminiſtrar eſte preſente año todos los bienes, que tiene, aſſi de patrimonio, como intuito de ſu perſona, y de la Orden, y rayces, muebles, y ſemouientes,*

ſemonientes, &c. Hæc licentia ex vi Voti Paupertatis depoſcitur; ergo ex eadem vi, ſi negetur, non poterit Eques de ſuis bonis diſponere; Eatenùs autem valet ei diſpoſitio negari, quatenùs Magiſter de eis diſponere indigeat; Verbaque ipſa denotant dependentiam in dominio.

112 Confirmatur, nam in Statutis Ordinis D. Iacobi (nec dominium in aliis Ordinibus Militaribus eſt minùs dependens, quam in eo) editis anno 1503. *cap.* 1. *tit.* 1. aſſeritur; *Si alguno negare alguna coſa en ſu memorial de lo que tuviere, que por el miſmo hecho pierda, lo que aſi negare.* En ab Ordine, iuſta quadam de cauſa, tolluntur bona Equitum in Inuentario non præfixa; ergo, interueniente iuſta cauſa, poſſunt Magiſter, & Ordo bona Equitum tollere, & de eis diſponere. Nec quidquam circa Votum Paupertatis immutatum eſt in prædicto Ordine D. Iacobi, ſed eo modo, quo tunc vigebat, nunc viget. Adhuc poſt relata verba in præfatis Statutis alia ſunt clariora, quæ noſtri Reges, vt Adminiſtratores perpetui Ordinum proferunt; nempè, *Declaramos, que podamos dar los tales bienes à otra perſona, ò perſonas de la miſma Orden, ò mandarlos gaſtar en coſas pias, è que no ſean dados à perſona ſeglar, ni gaſtados en vſos profanos.* Dices: ea bona tolli in pœnam culpæ, ſicut à ſæculari poſſent bona auferri in pœnam delicti. Contrà, nam id ipſum oſtendit, bona ita eſſe dependentia à Magiſtro, & Ordine, vt niſi ea dependentia in Inuentario manifeſtetur, poſſint tolli, quaſi retenta, inuito Ordine, & Magiſtro; Ecce ergo culpa, in cuius pœnam præfigitur ablatio bonorum, innuit, eorum diſpoſitionem eſſe penes Magiſtrum, & Ordinem; aliàs non eſſet leniſſimæ culpæ proportionata pœna, cum ablatio bonorum ex ſe ſupponat grauem culpam, & delictum, nec ea pœna propter leuem culpam ſit imponenda. Quod firmatur ex doctrina *ſuperius* ſtabilita, nempè Inuentarij omiſſionem non eſſe peccatum; vnde, niſi bonorum diſpoſitio penes Ordinem, & Magiſtrum eſſent, non poſſet ea pœna infligi; quæ tamen ideò iuſtè infligitur, quia violantur Statuta, & oſtenditur animus non ſubjiciendi bona Magiſtro, qui animus eſt prauus, & Voto paupertatis repugnans. Aſſertum traditum docet Nauarrus *in apol. de reddit. quæſt.* 3. *num.* 13. Magiſter Iſla, & Ayala *in Commentar. Reg. Ordin. D. Iacobi.*

113 Quod rursùs ſtabilitur, nam Pius V. reuocauit Equitibus Militaribus facultatem teſtandi de ſuis bonis, quam eis reſtituit Gregorius XIII. ad inſtantiam Regis noſtri Philippi II. ergo Equites non ita independentià ſua bona poſſident, vt non poſſit eis diſpoſitio reſtringi, aut etiam negari, ſi quidem Pius V. teſtamenti factionem eis prohibebat, quam non poſſet prohibere, niſi eſſent Voto Paupertatis obſtricti, & poſſiderent bona cum dependentia à Prælatis, & conſequenter à Pontifice, qui eſt omnium Religionum Generaliſſimus. Quin olim (quod iam ab ipſo Ordine reuocatum eſt) in Statutis Ordinis Divi Iacobi editis anno 1503. *titul.* 48. *fol.* 42. aſſerebatur; *Los bienes immobiles, que dexaren los Freyles de nueſtra Orden, que murieren ſin hyos legitimos, que queden libres, y exemptos para la dicha nueſtra Orden, y dellos no puedan mandar, teſtar, ni diſponer, à perſona alguna, que ſea, de alguna manera; por que todo lo que el Religioſo adquiere, à ſu Orden lo adquiere.* Quæ verba pro ſua doctrina allegat Nauarrus *in propugnaculo Apologia de redditib.* Et quamvis nunc in omnia bona Equitum Militarium ſuccedant hæredes ab inteſtato; tamen cernitur, id ab Ordinibus pependiſſe, & in Ordine Divi Iacobi, in quo Equites potuerunt à prima Inſtitutione contrahere nuptias, (eſtò Magiſtri Ordinis per longum tempus non duxerint vxores, vt oſtendit Mota *vbi ſuprà, lib.* 2. *cap.* 1. §. 5.) reſtrictam fuiſſe teſtandi poteſtatem, & bona immobilià eorum, qui ſine filiis legitimis decedebant, Ordini fuiſſe applicata, quod fieri non potuiſſet, niſi bona diſpoſitioni Ordinis, & Magiſtri ſubiacerent, hiſque liceret, ea ab Equitibus abdicare.

Obſeruandum tamen eſt, non poſſe Magiſtrum aut Ordinem pro libito facultates ab Equitibus abſtrahere; illi enim ſolùm emittunt Paupertatis Votum iuxta Regulam, & Statuta ipſorum Ordinum, & non aliter; ſicut & Votum Obedientiæ; quare, ſicut ex vi Voti Obedientiæ non tenentur obedire Prælatis, niſi in his, quæ ſunt iuxta Regulam, & Statuta; ita nec ex vi Voti Paupertatis debent abdicare à ſe bona, niſi in ordine ad res ſpectantes ad ipſos Ordines. Hinc, ſi Rex ad bella propria Ordinum Militarium, & in quibus ex Inſtituto Equites militare tenentur, vel ad defenſionem ipſorum Ordinum, iuriſdictionis, ditionum, priuilegiorum, & ſimilium, ſeu ad alia valdè Ordinibus neceſſaria, vel vtilia, indigeret bonis Equitum, hi tenerentur ea tradere; in quo ſeruanda foret æquitas, & iuſtitia diſtributiua. Hinc autem prouenit, aliquando ab Equitibus Militaribus poſci, & accipi aliquas pecuniæ ſummas pro ſumptibus bellorum; quæ praxis noſtram roborat doctrinam. Caſus verò rarus eueniret, aut fingi poſſet, in quo non ſolùm aliqua 114

pars bonorum, ſed maxima eorum portio, aut integra ſumma eſſet neceſſaria, in quo idem foret aſſerendum; ſed non videtur practicus euentus, omniaque alia media eſſent tentanda, antequam ad id deueniretur.

115 Oppones contra aſſertum, ſequi exindè, poſſe deſtitui bonis familiam Equitis Militaris, & vxorem, ac liberos inopia premi, quod iniquum eſſe, apparet. Reſpondeo, tum id raro poſſe contingere; tum Magiſtro, & Ordini incumbere, familiæ Equitis prouidere, ac neceſſaria ſuppeditare. Nec enim res ad eas eſt anguſtias redigenda, vt nec ipſe Rex, nec Ordo valeant ſubuenire familiæ; nam, ſi is caſus contingeret, nullum ex ſequela ſequeretur abſurdum; Sicut, ſi Regni extrema neceſſitas exigeret, vt Rex ad illud defendendum bona à ſuis vaſſallis expoſceret, & belli ſumptibus applicaret, aut tanquam dominus vtens dominio alto, & ſupremo, ea bona inſumeret, ad res omnino neceſſarias, dum non poſſet ea compenſare, vaſſalli ſuis bonis priuarentur, & familiæ ad inopiam peruenirent, abſque abſurdi nota. Idem euenit in noſtro caſu; ac ex exemplo allato conſtat, poſſe eſſe dominium bonorum in Equitibus, & ſimul in Magiſtro, & Ordine ius ad vtendum eis bonis, ſi neceſſitas, aut ingens valdè vtilitas expoſcat; ſicut vaſſalli cæteri dominio bonorum ſuorum gaudent, quod non repugnat iuri, quod in ea bona Rex ipſe, vt ſupremus dominus, habet.

116 Replicabis, id vergere in præiudicium tertij, nempè filiorum Equitis Militaris, quibus, ſi non ſint ex eodem Ordine Regulares, non videtur poſſe bona patrimonalia ſubtrahi. Reſpondeo, etiam in grauiſſima neceſſitate, ſi Rex accipiat bona vaſſallorum, ſubtrahi filiis; quippè in vno, & alio euentu propter commune bonum non attenditur commodo ſpeciali, ſic ſuadente ratione, & recto regimine Reipublicæ, & Communitatis. Deindè, vt præiudicio occurratur, ſatis prouidetur, ſi Magiſter, & Ordo filiis Equitum proſpiciat, & decrementa bonorum, prout res patiantur, compenſet.

117 Vrgebis, ſi bona Equitis ſint Maioratus, de eorum natura eſſe, vt ad filios transferantur, idque inſtitutorem ipſius maioratus expreſsè voluiſſe, quare ea non videntur poſſe ad Ordinem transferri. Reſpondeo, vrgentiorem cauſam, ac neceſſitatem requiri, vt hæc bona ab Equite tollantur; eam ſcilicèt, quæ ſufficeret, vt Rex à vaſſallo ſæculari bona maioratus immobilia tolleret; quo caſu, raro contingenti, ſicut ex hoc ſecundo nullum conſurgeret abſurdum, ita nec ex primo. Inſtabis adhuc, virtutem in mediocritate conſiſtere; extremum autem eſt, & inordinatum, quòd Eques paterfamilias teneatur ex vi voti paupertatis ſua bona tradere, indeque nec ipſe, nec familia habeant, vnde vitam commode tranſigant, ipſa naturæ iura violando. Reſpondeo, extrema ſanè eſſe ſugienda; non tamen eſſe extremum, neque inordinatum, quòd bona tradantur in obſequium Dei, Fidei, Ecclesiæ, & Religionis, quando aliundè non poteſt damno occurri, vt docet D. Thom. 2. 2. *quaeſt.* 32. *art.* 6. quia damnum publicum priuato damno præponderat, & bonum commune vtilitati ſpeciali; naturæ enim iura, & ratio pro bono publico præ priuato militant.

Nec cum reſtrictionibus appoſitis quidquam durum præfert aſſertio, tum quia non adeò emollita defenditur à Didaco Mota *vbi ſupra*, & ab aliis; tum quia ex ſe, Iure communi inſpecto, bona, quæ Equites Profeſſi adquirunt, Ordini forent adquiſituri (ſiquidem quæcumque adquirit Monachus, Monaſterio adquirit) niſi ipſe Ordo renuntiaſſet, & Pontifices approbaſſent; de quo videndus Cardinalis Bellarminus *lib.* 2. *de Monachis, cap.* 43. Quid ergo mirum, quòd Ordo ipſe, & Magiſter poſſint in euentibus poſitis bona, adhuc patrimonialia, & immobilia ab Equitibus Profeſſis abducere? Sanè omnia abſurda, & incommoda, quæ nunc proponuntur, validiorem habent vim; ſi Ordines Militares non renuntiaſſent iuri ſuo, nec Pontifices diſpenſaſſent; quod potuit contingere. 118

Cæterùm doctrina tradita locum non habet in Equitibus Nouitiis, qui in odioſis nomine Religioſorum non veniunt, nec Votum emiſerunt Paupertatis, ex vi cuius teneantur bona à ſe abdicare, quatenùs Equites Militares ſunt; nam, quatenùs vaſſalli Regis ſunt, etiam Rex eſt bonorum ſupremus dominus, & in extremis Regni neceſſitatibus poteſt eorum bonis vti, iure dominij alti, ſupremi, & excellentiæ. Ex æquitate autem, ſi Ordo, aut Rex, tanquam Adminiſtrator, exigat ab eis aliquid, debent prompto animo tradere; tum quia honorem, & commodum in Habitus Militaris geſtatione ſentiunt, nec nimium eſt, ſi aliquod onus ad vtilitatem ipſius Ordinis vergens experiantur, tum quia, eum ſuſcipiunt Habitum, tacitè conſentiunt hiſce oneribus ſubeundis, quæ communia eſſe Profeſſis, 119

&

& Nouitiis conſuetudo, & praxis oſtendunt, cui conſuetudini ſubijciuntur; Indè cernimus, non fieri diſcrimen inter Equites Militares Profeſſos, & Nouitios, dum aliquod ſubſidium pro belli ſumptibus ſoluendum in Ordinibus Militaribus deſignatur, ac diſtribuitur.

120 Multò potiori iure ea, quæ tradidimus, aptanda ſunt Clericis Fratribus Militiarum, qui ſtrictiorem Voti paupertatis obſeruantiam profitentur. Et quidem hi, dum intra Communitatem degunt, quidquid adquirunt, Monaſterio adquirunt; ſpecialique, aut generali licentia Prælati, ſeu Ordinis indigent, vt de his, quæ habent, diſponant, non ſecùs ac in Religionibus non Militaribus; quòd ſi ibi obeant, nequeunt de bonis diſponere, ſed ea Ordini adquiruntur. Dum autem extra Clauſtra verſantur, aliqui poſſunt teſtari, vt Iacobæi redditibus Eccleſiaſticis gaudentes; alij verò neutiquam; Et ex his aliqui poſſunt de bonis immobilibus per vltimam voluntatem diſponere, vt Priores formati in Ordine Calatrauæ, alij verò non poſſunt; De quibus aliqua libauimus *hac diſquiſ.* & plura dabimus *diſquiſit.* 15. Quòd ſi Iacobæi ab inteſtato decedant, aut cæteri abſque diſpoſitione bonorum, vel non legitimè, & iuxta præſcripta Ordinum teſtentur, ſeu de bonis diſponant, Ordines ſuccedunt in eorum bona, quorum Clerici Fratres proprietate non gaudent, vt *in ſuperioribus* ſtabiliuimus. Quæ omnia ſatis apertè demonſtrant, Ordinem, & Magiſtrum poſſe ea bona in vtilitatem vrgentem ipſius Ordinis applicare, & inſumere, cum neceſſitas, ratio, & æquitas poſtulent; & tunc quidem nihil proprium ab eis auferent, ſed vſum, & facultatem diſponendi illis præſtitam ſubtrahent.

DISQVISITIO V.

De Voto Caſtitatis Ordinum Militarium.

QVÆSTIO I.

Ad quid teneantur Equites Militares ratione Voti Caſtitatis?

1 EQVITES Militiæ S. Ioannis, & Fratres Clerici omnium Militiarum emittunt Votum abſolutum Caſtitatis, ſicut cæteri Religioſi non Militares, atque adeò par illis, ac his, incumbit obligatio ſeruandi ipſum, ita vt quidquid contra Caſtitatem delinquant per actus exteriores, aut etiam per interiores dumtaxat, ſit peccatum ſacrilegij. Idque Votum eos reddit incapaces ad contrahendum matrimonium, & eſt impedimentum impediens nuptias contrahendas, & dirimens contractas.

Cæteri Equites Militares ſolùm emittunt in profeſſione Votum Caſtitatis coniugalis, ita vt poſſint coniugium contrahere; vel, ſi iam ſint matrimonio coniuncti, valeant in eo permanere, vxoremque cognoſcere, ac ſi Votum non emiſiſſent; eaque mortua, ad alias nuptias tranſire. Attamen ratione huius voti tenentur abſtinere ab omnibus actibus interioribus, & exterioribus contra Caſtitatem, reſpectu cuiuſcumque alterius, præter vxorem, non aliter ac cæteri, qui Votum abſolutum Caſtitatis emittunt. Quare quidquid inhoneſtum patrent, interius, vel exteriùs, erit peccatum ſacrilegij contra Votum emiſſum, quo ſe Deo obſtrinxerunt, (excepta licita conſuetudine coniugij) ad omnimodam puritatem. Hinc, pro praxi, Confeſſarij interrogent Equites Militares ſuam conſcientiam expiantes in Confeſſione, an ſint profeſſi? Vt indè dignoſcant circumſtantiam ſacrilegij, quæ mutat ſpeciem, & opponitur virtuti Religionis, in peccatis contra Caſtitatem. Quod etiam debent interrogare ab Equitibus Militiæ S. Ioannis, & à Fratribus Clericis Militiarum; nam poteſt contingere, eos non adhuc eſſe Profeſſos, & Clericos Fratres non eſſe Ordine ſacro initiatos, ſiuumque Nouitios; quo caſu in peccatis contra Caſtitatem non interuenit circumſtantia ſacrilegij. Quin & ipſi Equites ſunt mouendi, vt ſuam Profeſſionem in Confeſſione explanent, ſi peccata contra Caſtitatem commiſerint, vt ſic omnes circumſtantias aperiant. 2

Inquires primò, an, ſi Eques cum ipſa ſua vxore aliquid illicitum contra Caſtitatem peragat, leuiter, aut grauiter, iuxta qualitatem actionis, committat ſacrilegium, lenè etiam, vel graue iuxta naturam peccati? Reſpondeo affirmatiuè. Etenim, dum Caſtitatem coniugalem vouit, ſolùm excepit eos actus coniugales, qui liciti ſunt, non autem eos, qui ex ſe ſunt illiciti; cum animus vouentis is ſit, vt ſe obſtringat nouo vinculo ad non patrandum ea, quæ alia lege diuina tenetur vitare. Id patet; nam is, qui vouet Caſtitatem abſolutam, obligat ſe ad duo, nempè ad abſtinendum ab actibus coniugalibus, qui aliundè ei erant liciti, & ad non patrandum quidquam contra virtutem Caſtitatis, quod ex ſe ſit prauum, addens ſibi nouum vinculum; præter legem 3

diuinam, ad id præſtandum. Is verò, qui vouet Caſtitatem coniugalem, non obſtringit ſe ad abſtinendum ab actibus coniugalibus, aliundè ſibi licitis, in quo differt à primo; obligat ſe tamen ad abſtinendum ab aliis, aliundè ſibi non licitis, ſicut primus, à quo in hoc non diſcriminatur. Vndè in his actibus illicitis cum coniuge, iuxta eorum grauitatem, eodem modo peccat contra Votum, ac ſi illud eſſet Caſtitatis abſolutæ. Nec diſputo nunc, qui actus inhoneſti cum vxore ſint peccata grauia, vel leuia; nam hæc quæſtio communis eſt omnibus coniugatis, quamvis Votum non emiſerint. Scio, aliquos actus eſſe peccata grauia indubitanter; alios verò eſſe ſub diſputatione Authorum; Noſtra autem aſſertio ſupponit hanc quæſtionem, quæ non eſt ſpecialis ad Nos ſpectans, idque pronuntiat; eſſe peccatum ſacrilegij actum inhoneſtum illicitum cum vxore propria reſpectu eius, qui vouit Caſtitatem coniugalem.

4 Quod firmatur. Ille actus illicitus non continetur ſub Caſtitate coniugali; ergo continetur ſub materia, ad quam tendit Votum Caſtitatis coniugalis. Antecedens ſupponitur; nam ſi ille actus eſt illicitus coniugibus ipſis, nequit contineri ſub licentia liberè vtendi coniuge, quæ ſola licentia, & facultas excipitur à Voto Caſtitatis coniugalis, & cætera ſub illo comprehenduntur. Nec quis dubitabit de eo, ſi introſpiciat attentè, quid ille voueat; Habet enim ſe, ac ſi expreſsè enuntiaret; *Præter coniugium, & actus licitos illius, voueo omnimodam Caſtitatem.* Si autem illi actus illiciti non eſſent contra Votum, haberet ſe, ac ſi diceret; *Præter coniugium, & actus licitos, & illicitos cum coniuge, voueo Caſtitatem*; Quod Votum nec emitti ita poteſt expreſsè; nec præterea ita emittitur Votum Caſtitatis coniugalis, vt nihil decernatur de actibus illicitis cum coniuge, & nec ſint materia excepta, nec incluſa in Voto; nam, ſi dicatur eſſe omiſſam; id valet perindè, ac ſi eſſet excepta; quare dixi, non poſſe emitti expreſsè Votum excipiendo eos actus Etenim, licèt quis valeat, cum voluntariè emittit Votum non abſolutum Caſtitatis, comprehendere aliquam materiam determinatam, & non aliam, v.g. vouens non accedere ad fœminam vxoratam, omittens alia, quæ diuina lege prohibentur, ipſeque, licèt non habeat propoſitum ea committendi, non vult ſe ad id nouo vinculo obſtringere; Attamen in noſtro caſu non eſt liberum vouenti hanc, aut illam materiam excludere; ſed hoc ipſo quòd in Ordine Militari velit Profeſſionem emittere, tenetur ad comprehendendum ſub Voto Caſtitatis omnem materiam, præter licitam coniugij, ſicut cæteri Religioſi, ſi velint in ſuo Ordine profiteri, non poſſunt pro libito, hanc, vel illam materiam vouere, ſed tenentur omnes, nulla excepta, ſub Caſtitatis Voto abſoluto complecti. De peccatis contra Caſtitatem quæ inter vxoratos contingere poſſunt, vide Me *in ſtatera Opinionum benignarum diſſert. 5. ex n. 88.*

5 Inquires ſecundò, an Eques Profeſſus peccet contra Votum Caſtitatis, ſi habeat delectationem moroſam, quæ non ſit reſpectu vxoris? (Nam de hac dubium eſt commune aliis Voto non obſtrictis?) Hoc dubium æquè militat reſpectu omnium, qui Votum Caſtitatis emittunt; ſed quia eſt valdè practicum, non abſque vtilitate erit in præſenti decidendum. F. Euſebius de Herrera *in deciſ. moral. ſtatus Religioſ. deciſ. 6. de Caſtitate*, §. 9. docet eam delectationem, qua quis cogitans in rebus Venereis delectatur deliberatè, quin tamen conſentiat in aliquem actum eiuſmodi, vt à ſe patrandum, non eſſe contra Votum. Mouetur, quia is habet propoſitum ſeruandi ſuum Votum, quin conſentiat, in actum, quo illud violetur; ergo in ea delectatione contra Votum non delinquit; Sicut, ſi quis vouiſſet ire Hieroſolymam, & delectaretur in quiete, ac otio, quo in ſua domo gaudet, quin conſentiret in actum, ſeu deliberationem non eundi, non peccaret in ea delectatione contra Votum.

6 Sed ab hoc vltimo incipiendo, vt paritatis imbecillitas cernatur, ſic inſto. Illa delectatio in quiete, & otio, quo quis domi ſuæ gaudet, non eſt peccatum mortale; ergo nec delectatio moroſa eſt peccatum mortale, præſcindendo vtrobique à Voto. Valetne conſequentia? Neutiquam ſanè, & ipſe Herrera tenet, eam delectationem moroſam eſſe peccatum.

7 Exindè ergo probatur contrarium aſſertum, quod eſt tenendum. Ea delectatio moroſa eſt peccatum lethale contra virtutem Caſtitatis; non enim eſt alia virtus, cui proximè ſpecialiter opponatur; ergo qui emiſit Votum Caſtitatis, peccat contra Caſtitatem, cum moroſè delectatur; ergo contra Votum, ſiquidem vouit ſeruare Caſtitatem, quam non ſeruat, ſeu contra quam peccat.

8 Explicatur, præſtando diſparitatem argumento contrario. Qui vouet ire Hieroſolymam, ſolùm vouet eum actum exteriorem eundi, quin voluntariè velit eum impedire; Cum quo ſtat delectatio in quiete domeſtica abſque propoſito verſandi ſem-

per

per in illa. At qui vouet Caſtitatem, vouet eam ſeruare interiùs,& exteriùs,& non ſolùm non frangere illam per actus exteriores,ſed nec per interiores, adhuc non ordinatos ad externos;nam cum hi omnes actus ſint contra Caſtitatem, dum hæc vouetur, ſimul neceſſariò vouetur abſtinentia ab illis. Quare implicantia eſt in propoſitione aſſumpta in argumento oppoſito, nempè eum, qui moroſè delectatur in rebus Venereis, habere propoſitum ſeruandi ſuum Votum; nam, dum ſic delectatur, non ſeruat, ſiquidem operatur contra Caſtitatem in eo actu, & ipſe vouit ſeruare Caſtitatem. Non enim eſt idem, habere propoſitum v. g. non peccandi cum fœmina, & ſeruare Caſtitatem;nam cum eo propoſito ſtat violatio Caſtitatis. Ratio à priori eſt;nam,cum quis tenetur ad plures diuerſos actus pertinentes ad vnam virtutem, & ſub illa contentos, etiam ſi proponat ſeruare omnes præter vnum,in eo vno operatur contra id, ad quod tenetur. Vouens aut Caſtitatem tenetur ad vitandos omnes actus prauos contra Caſtitatem, vt videtur manifeſtum ex terminis rectè introſpectis; delectatio autem moroſa eſt contra virtutem Caſtitatis, vt etiam ex ſe liquet; ergo ex voto tenetur ad eam vitandam.

9 Hæc concluſio, quam certiſſimam cenſeo, docetur à P.Leſſio *de iuſt.& iur. lib.2. c.41. dub.9. n.46.* P.Vazquez, *in 1. 2. tom.2. diſp.122. c.2.* P.Reginaldo *in praxi fori pœnit. tom.1. lib.2. c.2. ſect.3.* Bonacina *de matrim. q.4. punct.8. n.18.* Diana, & pluribus aliis; Id ipſum ſenſerunt olim omnes Salmanticenſes Magiſtri ſuper hoc dubio conſulti.

10 Inquires, an filij Equitum Militarium profeſſorum ſint ſacrilegi? Affirmatiuè reſpondent Emanuel Rodriguez *tom.1.qq. Regul. q.13. art.2.* & Diana *part.3. tract.2. reſ.30.* Ex quorum ſententia hi filij ex parentibus ſolutis habiti non legitimarentur per ſubſequens matrimonium,ſicut non legitimantur adulterini,& inceſtuoſi; nec iudicarentur filij naturales in ordine ad ſucceſſionem Maioratuum,& bonorum, quorum poſſunt filij naturales eſſe capaces. Verùm oppoſita ſententia eſt verior, quam docent Didacus Mota *in reg. Ordin. D.Iacobi, lib.2. c.20. n.12.* & Ioannes Guttierrez *in qq. Canonic. lib.2. quæſt.111.* Et colligitur ex illo principio,quòd iudicandi ſunt filij naturales hi, qui habiti ſunt ex parentibus nullo impedimento dirimente impeditis tempore natiuitatis, aut conceptionis, ad matrimonium contrahendum;Quod principium exornat F. Ludouicus à Conceptione *in examine verit.moral fol.269.n.4.* Equites autem,adhuc profeſſi, & ſoluti, nullo impedimento dirimente præpediuntur; Eorumque Votum Caſtitatis, non eſt legitimè ſolemne(etſi ſubſtantialiter ſit ſolemne,vt ait Baſilius Legionenſis *de matrim. lib.7. c.9.*) quatenùs non comprehendit totam materiam Caſtitatis;Indè ergo, licèt Eques Profeſſus ſacrilegium patret, dum extra nuptias filium generat, ſicut patraret alius Vir ſolutus, & Voto ſimplici Caſtitatis obſtrictus, tamen filius non eſt ſacrilegus, ſicut non eſſet ſacrilegus filius eiuſmodi alterius Viri; Nam ſacrilegi ſolùm ſunt, qui procreantur à Religioſis Voto Caſtitatis totalis, & ex omni parte legitimè ſolemni obſtrictis. Quare hi filij Equitum legitimantur per ſubſequens matrimonium, & reputantur naturales, ac vt tales, in bona, & Maioratus ſuccedunt, nempè in eos, quorum ſunt capaces. Quod praxis confirmat, ac ſic in Tribunalibus per ſententias communiter decernitur.

QVÆSTIO II.

An, ſi Eques Militaris vouiſſet in Profeſſione Caſtitatem abſolutam, eſſet validum Votum?

Svppono in primis, ſolemne,ac validum fuiſſe Votum Caſtitatis abſolutæ emiſſum ab Equitibus Calatrauæ,& Alcantaræ, antequam Apoſtolica Sedes ſtatuiſſet, vt id votum eſſet dumtaxat Caſtitatis coniugalis. Nec tunc ſanè diſpenſauit cum his, qui iam in profeſſione Votum Caſtitatis abſolutæ emiſerant, ſed cum ſequentibus,qui de poſtero in his Ordinibus profeſſionem facerent,vt conſtat ex Bullis pontificiis. Sic extat in Bulla Pauli III. quæ incipit *Romanus Pontifex*,expedita anno 54. Habeturque in Bullario Ordinis de Alcantara *pag.153.* Indè, vt liquet ex prædicta Bulla, etiam coniugati in Ordines Militares admitti poſſunt. Et à tempore Eugenij IV. Equites Calatrauenſes potuerunt contrahere matrimonium cum virgine, dummodò ad ſecundas nuptias tranſire non poſſent;idque impetrauit Don Ludouicus de Guzman Magiſter Ordinis.Poſtmodùm abſolutè potuerunt nuptias cum qualibet fœmina contrahere. Deindè ſuppono,ſi de facto Eques in profeſſione voluntariè emitteret Votum Caſtitatis abſolutæ, id non foret ſolemne, niſi pro ea parte, qua in eo includeretur Votum Caſtitatis coniugalis.Etenim ſolemnitas conſtituitur ex traditione,& acceptatione Prælatorum, Prælati autem non acceptant niſi id Votum,quod à Pontificibus 11

eſt ſtabilitum, & in Statutis Ordinum præfixum ad Profeſſionem, & ad ſtatum, quem Equites aſſumunt; aliàs liberum eſſet Prælatis acceptare alia diuerſa Vota in Profeſſione ſimul emiſſa, & ad ſtatum proprium vouentis non ſpectàntia, quod ex ſe cernitur abſurdiſſimum. Dices, ſaltem in Bulla, in qua Ordini Alcantarenſi commutatum eſt Votum Caſtitatis abſolutæ in Caſtitatem coniugalem, liberum relinqui Equitibus, emittere Votum Caſtitatis abſolutæ, cum dumtaxàt aſſeratur, quòd illi non teneantur, nec inuiti cogantur ad vouendum Caſtitatem abſolutam. Reſpondeo, liberum eſſe illis, ſicut cæteris omnibus, Caſtitatem abſolutam vouere, ſed non ita, vt id Votum ſit ſolemne, & conſtitutiuum ſui proprij ſtatus. Vota enim conſtituentia illum ſunt fixa, & determinata; non vaga, hæc, aut illa; Determinatum eſt autem à Sede Apoſtolica Votum Caſtitatis coniugalis.

12 Ad quæſtionem reſpondeo, ſi Votum illud emittatur ab Equite in Profeſſione, animo ſe obligandi ad illud, ſicut poſſet extra Profeſſionem liberè emittere, & per accidens tunc emiſit, ita vt non per errorem operatus fuerit, iudicans, id Votum eſſe eſſentiale ad profeſſionem, aliter non emiſſurus illud; Eo, inquam, caſu, fore validum Votum, ex præiactis patet. Nam Eques Militaris non tenetur nuptias contrahere; ac liberè poteſt extra Profeſſionem vouere Caſtitatem abſolutam validè; & accidentale ad Profeſſionem fuit, quòd tunc eam voueret; igitur validum fuit Votum; ſicut, ſi tunc feruore ſpiritus ductus vouiſſet quotidie audire Sacrum, quin cenſeret, id Votum eſſe neceſſarium ad Profeſſionem, ſanè voueret validè; non enim eſt caput, vnde infirmentur hæc Vota.

13 Sic cenſeo, exponendum fore Baſilium Legionenſem *lib. 9. de matrim. cap. 7. à num.* 8. aſſerentem, Equites Diui Iacobi non poſſe emittere Votum Caſtitatis perpetuæ, & abſolutæ, &c, cum quidam Eques in Profeſſione illud emiſiſſet, & de eo fuiſſet agitatum in Capitulo eius Ordinis habito Matriti anno 1600. & conſultus fuiſſet idem Baſilius, reſpondit, inualidum eſſe eiuſmodi Votum. Etenim arbitror, locutum fuiſſe in ſenſu libato in noſtra reſolutione, nempè quòd Eques non per accidens, & concomitanter illud Votum in Profeſſione emiſerit, ſed vt eſſentiale, neceſſarium, & conſtitutiuum ſui ſtatus; Quo caſu inualidum eſt, cum ſit emiſſum per errorem. At quis abſtulit ab Equitibus facultatem emittendi, ſi velint, votum ſimplex Caſtitatis abſolutæ, quod eſt pium, ac honeſtum? Fateor, illud irritari poſſe à Prælatis, ſi Equites cenſeantur ſtrictè Religioſi; ſicut poſſunt ſimilia Vota ſubditorum Regularium non annexa ſtatui Religioſo à Superioribus irritari; at, dum non irritantur, valida ſunt.

QVÆSTIO III.

An Matrimonium ratum diſſoluatur per Profeſſionem Equitum Militarium Ordinis Sancti Ioannis Hieroſolymitani?

FAcile hoc dubium diluetur, ſi breuiter præiaciantur principia, quæ latè ab Authoribus diſcutiuntur, & probantur. Votum ſolemne in Religione emiſſum eſt vnum ex impedimentis impedientibus, & dirimentibus matrimonium; ita vt, ſi poſt emiſſam Profeſſionem quis tentaret contrahere nuptias, hæ forent inualidæ, vt definitum eſt in *Clementina vnic. de conſanguin. & in Trident. ſeſſ. 24. can. 9.* Idem eſt, poſt emiſſa Vota ſimplicia in Societate IESV poſt biennium Nouitiatus, vt definiuit Gregorius XIII. in Bulla, *Aſcendente Domino*. Eandem vim inualidandi matrimonium habet Votum ſolemne Caſtitatis emiſſum in receptione Ordinis Sacri, & eandem haberet aliud ſimile Votum Caſtitatis ſolemne, ſi extra prædicta inſtitueretur de nouo ab Eccleſia, vt cum aliis docet P. Thom. Sanchez *lib. 2. de matrim. diſp.* 18. Diſputant autem Authores, an ſit inualidum iure naturæ, vel Eccleſiaſtico matrimonium initum poſt Votum ſolemne Caſtitatis, quod ad præſens, neceſſum non eſt, ventilari. 14

Poſt matrimonium ratum, & conſummatum, ſi coniuges, aut alter ex illis ex mutuo conſenſu ingrediatur Religionem, & Profeſſionem emittat, matrimonium non dirimitur, vt conſtat *ex cap. ſi quis coniugatus, 27. quaſt. 2.* Vndè alter ex coniugibus, quamvis non fiat Religioſus, non poteſt alias nuptias contrahere, cum ſit adhuc ligatus; Eſtò, emiſſa Profeſſione, non valeat copulari ſuæ coniugi non potenti iam petere, nec reddere debitum; Et quidem coniux conſentiens, vt alter in Religione Profeſſionem emittat, cedit iuri, quod erga illum habet. 15

Poſt matrimonium autem ratum, ante eius conſummationem, datur bimeſtre vtrique coniugi, vt poſſit, ſi velit, Religionem 16

ingredi quilibet ex illis, etiam altero inuito; vnde licitè intra id tempus poteſt negare debitum, & Religioni ſuum nomen dare. Quòd ſi id præſtet, & emittat Profeſſionem, matrimonium ratum diſſoluitur, vt definitur in Tridentino *ſeſſ.* 24. *cap.* 4. Vnde poteſt coniux, qui in ſæculo remanſit, alias nuptias contrahere, non enim durat ligamen; ſed per profeſſionem ſoluitur, ante quam eas contrahere non licet. Secùs contingit, ſi quis poſt matrimonium ratum, adhuc non conſummatum, ſacris Ordinibus initietur; tunc enim matrimonij vinculum non diſſoluitur, vt *num. præced.* dicebamus de matrimonio conſummato, quod non diſſoluitur per profeſſionem. Ita docent Authores communiter apud P. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 8. *num.* 6. P. Valentia *tom.* 4. *diſp.* 10. *quæſt.* 3. *punct.* 3. P. Rebellum *lib.* 1. *ſect.* 2. *num.* 12. Bonacinam *tom.* 1. *de impedim. matrim. quæſt.* 3. *punct.* 4. *num.* 6. Etenim profeſſioni congruit dirimere matrimonium ratum, ex priuilegio diuino, quod per Apoſtolos Eccleſia accepit, & retinet; Non verò congruit ſuſceptioni Ordinis, & Voto ſolemni ei annexo ex iure Eccleſiaſtico poſitivo. Vlteriùs, ſi, elapſo bimeſtri, poſt matrimonium ratum, nondum conſummatum, quis neget debitum coniugi petenti, peccabit quidem; verùm ingrediens Religionem validè emittet profeſſionem, ac per eam matrimonium illud ratum diſſoluetur; cum hæc ſit vis profeſſionis in Religione approbata, vt matrimonium ratum non conſummatum abſolutè diſſoluat; vt docent P. Thomas Sanchez *lib.* 2. *de matrim. diſt.* 27. Baſilius Legionenſis, Ioannes Guttierrez, Coninch, & alij paſſim.

17 Iam ex his quæſtio propoſita deciditur. Quippè Equites Ordinis S. Ioannis Hieroſolymitani profeſſionem ſolemnem in Religione approbata emittunt, & in ea ſpondent cum aliis Votis eſſentialibus Votum Caſtitatis abſolutæ, non ſecùs ac cæteri Religioſi non Militares; Indè ſi poſt matrimonium ratum, non conſummatum quis profeſſionem emittat, matrimonium diſſoluetur; & ſi poſt eam profeſſionem matrimonium contrahatur, erit inualidum; vt infertur ex doctrina præiacta, & docent Bonacina *vbi ſuprà num.* 5. Ioannes Sanchez *in ſelect. diſp.* 49. *num.* 10. cum aliis ab ipſo relatis; Corduba, & Aragon, quos refert, & ſequitur Emanuel Rodriguez *tom.* 1. 29. *Regul. quæſt.* 1. *art.* 6. Mota *de confirmat.* O. *D. Iacobi, lib.* 1. *cap.* 2. §. 27. *n.* 5. referens Petrum de Ledeſma, Ouando, & alios; Baſilius Legionenſis *de matrimon. lib.* 9. *cap.* 7. Vbi refert Nauarrum, Azor, & alios. Ibi etiam affert pro oppoſita ſententia Sarmientum de omnibus Ordinibus Militaribus ſecùs ſentientem, ac in ſui fauorem trahentem Sotum, qui tamen id de Clericis Fratribus minimè ſenſit. Nec audiendus eſt Sarmiento, qui periculosè fuit opinatus, & manifeſtè conuincitur ex dictis *in hac quæſt.* & ex diſcuſſis latiùs à Baſilio Legionenſi *ſuprà*. Cum quo aduerte, aliquos Equites Ordinis D. Ioannis profeſſos ex diſpenſatione pontificia contraxiſſe matrimonium; nam, vt latè ille tuetur, pontifex poteſt diſpenſare in Votis ſolemnibus, cum ſolemnitas Iure Eccleſiaſtico fuerit inducta. Si verò poſt conſummatum matrimonium emittatur profeſſio, non diſſoluetur matrimonium quoad vinculum, ſed quoad thorum. At in hoc caſu, vt valida ſit profeſſio, opus eſt, vt vxor conſentiat, nam, ſi illa ignoret ingreſſum ad Religionem, vel per dolum conſentiat, aut per metum grauem, profeſſio facta erit nulla ida. Ita *in cap. notificaſti* 35. *quæſt.* 1. *cap. veniens, de conuerſ. coniug.* niſi in caſu, quo ille poſſit facere perpetuum diuortium; tunc enim vxore inuita, poterit validè Religionem ingredi, & profiteri, vt docent P. Thom. Sanchez *lib.* 7. *de matrimon. diſp.* 34. & 35. Guttierrez, Rebellus, & alij. Quod ſi quis credens bona fide, vxorem è viuis deceſſiſſe, ingrediatur Religionem, & profiteatur, noſcens poſteà eam viuere, debet ad illam reuerti, & reddere debitum, non autem poteſt petere; quia licèt profeſſio ſit nulla, Votum tamen Caſtitatis obligat in ratione Voti ſimplicis; obſtringit enim, quantum poterat ſe obſtringere vouens; Ita Authores relati.

Poſſe autem coniuges, poſt conſummatum matrimonium ingredi Religionem ex mutuo conſenſu, conſtat, ex *cap. qui vxorem* 33. *quæſt.* 5. cum vulgatis. Poſſe verò alterum ingredi Religionem, altero manente in ſæculo, dum is ſit prouectæ ætatis, & emittat Votum continentiæ, ac adſit conſenſus Epiſcopi, qui non requiritur de neceſſitate profeſſionis, ſed de præcepto, tuentur Tuſchus *tom.* 5. *concl.* 137. *num.* 8. Coninch *diſp.* 25. *dub.* 6. P. Thom. Sanchez, Guttierrez, Filiucius, Syluester, Rebellus, & alij. 18

A fortiori ſponſalia, etiam iurata, dirimuntur per ingreſſum Religionis, adhuc profeſſione non ſecuta; & poteſt quis ingredi, etiam altero inuito; nec, ſi egrediatur è Religione, tenetur ea ſponſalia adimplere; Quæ, & ſimilia videantur apud Authores relatos à Bonacina *vbi ſuprà*, 19

de ſponſalibus, quæſtion.1. punct.5. ex n.1.

20 Dicta adhuc omnino ſunt aptanda Clericis Fratribus omnium Ordinum Militarium, ſi quidem in profeſſione emittunt Votum ſolemne Caſtitatis abſolutæ. Secùs eſt de aliorum Ordinum (præter Ordinem D. Ioannis) Militarium Equitibus. Nam in his non emittitur in profeſſione Votum Caſtitatis abſolutæ, ſed coniugalis; quare nihil circa coniugia immutatur, ſed remanent Equites circa illa, ac ſi profeſſionem non emiſiſſent. Vnde nec ſponſalia antecedentia, nec matrimonium ratum diſſoluuntur; Quod ſi cœlibes ſint, poſſunt poſt profeſſionem inire matrimonium; quare, ſicut ea profeſſio non annullat matrimonium contrahendum, ita neque diſſoluit, & ſicut non irritat ſponſalia poſt ipſam celebrata, ita nec diſſoluit celebrata ante ipſam. Etenim ex eodem principio oritur, dirimere matrimonium ratum antecedens, & ſponſalia præcedentia, ac inualidare matrimonium, & ſponſalia ſubſequentia, nempè ex Voto ſolemni Caſtitatis abſolutæ; & vbi Votum ſolùm eſt Caſtitatis coniugalis, ſicut non præſtat vtrumque ſimul effectum, ita nec vllum ex vtroque; nam ſeruari poteſt id Votum, quin matrimonium, aut ſponſalia inita, vel ineunda impediantur.

QVÆSTIO IV.

Exponuntur aliqua circa Votum Caſtitatis emiſſum in Ordinibus Militaribus.

21 ALiqui pro praxi caſus occurrunt, quos *hac quæſtione* decidemus. Primò, ſi Eques Militaris profeſſus ſit vxoratus, & cum ipſa ſua coniuge aliquem actum Venereum illicitum habeat, in ea culpa datur circunſtantia ſacrilegij, & ideò neceſſariò exponere debet in Confeſſione, ſe eſſe profeſſum, vt iam aſſeruimus *ſuprà ex num.2.* & rurſus confirmatur; Etenim id peccatum eſt contra Votum Caſtitatis coniugalis ab ipſo emiſſum, vt obſeruauit Mota *in regul. Ordin. D. Iacobi, lib.2. cap.20. num. 9.* Quippè Caſtitas eſt Abſtinentia ab omnibus prauis delectationibus circa Veneream, vt cum Diuo Auguſtino *lib. de decem chordis, cap. 3.* & Diuo Thoma *2.2. quæſtion.151. art.1. & 2.* tradunt omnes Authores; neque poteſt ſtare vlla Caſtitas cum delectatione prava Venerea, & indè etiam Caſtitas coniugalis temeratur per eum actum, ac delectationem pravam. Vouens ergo Caſtitatem coniugalem vouet abſtinere ab omnibus actibus Venereis, niſi ab his, qui in matrimonio ſunt liciti; Caſtitas namque coniugalis comprehenditur ſub Caſtitatis virtute, vt docuit Diuus Gregorius Nazianzenus *in oration. de paupertate ſeruanda, fol.149.* ſolúmque reſtringit materiam caſtitatis abſolutæ, non verò ſecum patitur aliquem actum Venereum illicitum, quin potiùs illum excludit, eique opponitur. Et generaliter in hac materia hæc regula eſt obſeruanda; Quoties coniugatus, qui non emiſit Votum Caſtitatis coniugalis, peccat contra virtutem Caſtitatis, ille, qui emiſit id votum, peccat etiam contra Votum, peccato ſacrilegij; Sed coniugatus quilibet actus illicitos Venereos cum vxore habens peccat contra Caſtitatem; ergo coniugatus, qui emiſit Votum Caſtitatis coniugalis, & ſimiles actus habet, peccat contra Votum.

Hinc etiam, ſi peccata ſint merè inter- 22
na, & ſi propria vxor ſit obiectum prauarum cogitationum, vel delectationum, ſacrilegij culpa committetur; nam ſuppoſito, tunc contra Caſtitatis virtutem peccari, neceſſariò, iuxta dicta *ſuprà ex num.5.* peccato contra Caſtitatem in coniugato profeſſo connectitur circunſtantia contra Votum exponenda in Confeſſione. Non autem huc ſpectat, exponere, quinam actus, cogitationes, ac delectationes reſpectu vxoris propriæ ſint illicitæ: cum id ſit commune omnibus coniugatis, & paſſim ab Authoribus tradatur.

Secundò, *in Regula Ordinis Diui Iacobi,* 23
cap.13. præſcribuntur dies, quibus Equites coniugati debent abſtinere ab vſu matrimonij, nempè in Feſtiuitatibus B. Mariæ Virginis, S. Ioannis Baptiſtæ, Apoſtolorum, in aliiſque ſolemnioribus Feſtis, & eorum Vigiliis, ac in diebus ieiuniorum in Regula præſcriptis *cap.8.* Vbi præter Quadrageſimam communem alia Quadrageſima deſignatur à die octaua Nouembris vſque ad Natiuitatem Domini; & iniungitur ieiunium omnibus ſextis Feriis à die Septembris vſque ad Pentecoſten.

Verùm primò Innocentius IV. diſpen- 24
ſauit in ieiuniis à die octaua Nouembris vſque ad Dominicam primam Aduentus, dum tamen Equites in bello militarent. Deindè Martinus Quintus in Bulla, quæ incipit, *ad eximiam*, in fauorem belli diſpenſauit, quòd ad nulla alia ieiunia tenerentur Iacobæi, niſi ad ea, ad quæ cæteri Chriſti Fideles tenentur. Sed, cum adhuc dubitaretur, an non exiſtentes in bello obligarentur ad ieiunia præfixa in Regula,

&

& an ſub obligatione peccati, Innocentius Octavus anno 1486. declarauit,& reſpondit, neutiquam teneri ad præfata ieiunia. Quæ tamen in Monaſteriis obſeruantur tempore Aduentus, & prædictis ſextis Feriis. Cum tamen adhuc Ordo pontifici proponeret,plura in Regula contineri,quæ ad peccatum lethale obligabant,iuxta conſuetudinem, & perſuaſionem communem, nempè abſtinere ab vſu matrimonij, certis anni temporibus; ſingulis diebus præfixas Orationes recitare, & ſimilia; quæ obligatio ſub lethali valdè erat rigida; ideóque moderationem illius ab Ordine exoptari; Innocentius Octavus in Bulla expedita pridie Idus Octobris, anno 1486. declarauit, non eſſe peccatum graue, tranſgredi omnia prædicta Regulæ ſtabilimenta.

25 Vnde cernitur, eſtò ante hanc Innocentij Bullam fuiſſet lethale peccatum (de quo *diſp. ſequenti*) Equites ſuas vxores cognoſcere, diebus in Regula prohibitis, iam verò poſt eam diſpenſationem,& declarationem huiuſmodi peccatum non dari. Sed dubitabis,an detur peccatum veniale? Etenim in ea Bulla, quam tranſcribit Mota *in reg. Ordin. D. Iacobi, lib.2. cap.5. pag.* 128. ait Pontifex, tranſgreſſiones huiuſmodi, tanquam culpas leues, fore in Confeſſione aperiendas, & pœnitentiam pro eis impoſitam eſſe adimplendam. Reſpondeo in primis, Pontificem non iniunxiſſe obligationem confitendi ex neceſſitate eas tranſgreſſiones, cum enim aſſerat, ſolùm eſſe culpas leues, conſequenter declarat, dumtaxat eſſe materiam voluntariam Confeſſionis. Deindè aſſero, communiter nec culpam mortalem, nec venialem eſſe (niſi fortè ratione alicuius circunſtantiæ, quæ poteſt concurrere) tranſgreſſionem cuiuſvis Regulæ, quæ non inuoluit præceptum Obedientiæ, vt probabimus *infrà diſquiſ.6. quæſtion.2.* At verò cum pontifex declaret in ſpeciali, has eſſe culpas veniales, ei declarationi ſtandum eſſe, & ex vi declarationis Regulam huiuſmodi ad peccatum veniale obligare, docet P. Alfonſus de Peñafiel Araujo, *de obligation. & excellent. Ordinum Militarium, tractat.2. capit. primo, num.* 13.

26 In cuius ſententia deducitur, quando ſit peccatum veniale, Equites cum vxoribus conuenire, nempè in Feſtiuitatibus in Regula præfixis, & appoſitis *ſuprà num.*22. At, cum in Regula iniungatur, abſtinendum eſſe ab vſu matrimonij, cum Equites ieiunau[e]rint, & ieiunia fuerint ablata, per diſpenſationem pontificiam,præter ea,quæ cæteros Fideles obſtringunt, fit in diebus ieiuniorum, quæ ſunt ablata, non prohiberi vſum matrimonij.

Ego tamen exiſtimarem, nec ad peccatum veniale nunc obligare regulam abſtinendi ab vſu matrimonij diebus prædictis; nam licèt non inficier, eam obligationem ab Innocentio VIII. potuiſſe præſcribi, & fuiſſe præſcriptam, tamen praxis, & conſuetudo obligationem abſtuliſſe videtur; Namque crediderim, in toto Ordine Divi Iacobi nullum eſſe Equitem profeſſum, qui torum ſeparet ab vxore, diebus prædictis, ac in Feſtiuitatibus aſſignatis, earumque vigiliis, ac tempore Quadrageſimæ. nec peccati venialis reos ideo ſe iudicant Equites timoratæ conſcientiæ. Sic ergo ex conſuetudine probat Pater Thomas Sanchez *lib.7. conſilior. cap.2. dub.5.* non eſſe peccatum lethale, omitti ab Equitibus Militaribus recitationem precum, & Orationum; & Pater Peñafiel Araujo *vbi ſuprà num.*15. ſuadet, Regulas Ordinis Divi Iacobi non obligare ad lethale, ex conſuetudine, & perſuaſione communi habita in ipſo Ordine; Ita etiam ex ſimili conſuetudine, & praxi probatur, non eſſe peccatum veniale acceſſum ad propriam vxorem, præfatis diebus. Quippè, ſicut conſuetudo poteſt tollere obligationem grauem, ita & leuem; vim enim habet legis conſuetudo; quare, ſicut poterat nunc pontifex lege ſua declarare, non dari peccatum veniale in præfato vſu matrimonij, & poterat derogare legi iniunctæ ab Innocentio VIII. ita idipſum poteſt præſtare conſuetudo, quæ ex natura ſua non eſt illicita, nec ex ſe eſt contra bonos mores, qualis hæc eſt; cum ex ſe vſus matrimonij illis diebus non ſit illicitus. 27

DISQVISITIO VI.

De Voto Obedientiæ Ordinum Militarium.

QVÆSTIO I.

Cui, & in quibus teneantur obedire Equites Militares, ratione Voti Obedientiæ?

NON eſt dubium Equites Militares Sancti Ioannis teneri obedire ſuo Magiſtro, ratione voti; eſt enim ille verè Religioſus, ſicut ipſi, & totius Ordinis Prælatus, & votum Obedientiæ ei præſtant, 1

quando

quando Profeſſionem emittunt. Deindè certum eſt, cæteros Equites Militiarum teneri obedire in temporalibus Regi noſtro, vtpotè perpetuò Adminiſtratori Ordinum Militarium; quod ita diſpoſitum fuiſſe à Pontifice Adriano VI. qui eam Adminiſtrationem perpetuam Regibus Hiſpaniarum indulſit, conſtat ex eius Bulla, in qua eis iniungit, vt in ordine ad ſpiritualia, deputent perſonas Religioſas eiuſdem Militiarum, qui ea exerceant. Vnde, cum exceptio firmet regulam in contrarium, fit, Regibus noſtris ſpecialiter teneri obedire Equites Militares ratione muneris Adminiſtratoris perpetui, in his, quæ ſpiritualia non ſunt, ſiuè illi præcipiant immediatè, ſiuè mediatè. Imò etiam ſi fœmina in Regnum Hiſpaniæ ſuccedat, conceditur ab ipſo Pontifice, vt Adminiſtrationem Ordinum Militarium retineat. Hinc interrogatur ab accipientibus Habitum, an prompti ſint ad obediendum Regi, vt Adminiſtratori perpetuo Ordinum, quod in eorum Definitionibus ita præſcribitur, vt reperies in Statutis Ordinis Divi Iacobi, *titul.* 4. *fol.* 68. In Definitionibus Calatrauæ *titul.*6. *capit.*13. In Definitionibus Alcantaræ *titul.* 13. *cap.*19. Quin Alcantarenſibus Equitibus, & Clericis Fratribus olim nec ex Monaſterio exire licebat abſque licentia Magiſtri; Sic enim ſtatuerat Alexander Tertius, in Bulla, quæ incipit; *Quoties illud*, quæ extat in Bullario Alcantaræ, *pag.*1.

2 Vt verò clariùs decidatur noſtra quæſtio, ſupponendum eſt, controuerti inter Authores, an fœminæ ex iure ſint incapaces iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, an verò capaces (ſi eis à Pontifice concedatur) infligendi cenſuras, & imponendi præcepta Obedientiæ, ſeu præcipiendi in virtute ſanctæ Obedientiæ. Prima ſententia affirmat, eas eſſe incapaces iuriſdictionis. Sed contrariam, vel abſolutè, vel probabilem cenſent Paludanus *in* 4. *diſt.*18. *quæſt.*3. *articul.* 3. *concluſ.*5. Divus Antoninus 3. *part. titul.*27. *cap.*4. *verſu, Nota*. Syluester *verbo, ſuſpenſio, quæſt.*2. Vgolinus *de cenſur. tab.*1. *cap.*2. §.7. *num.*5. Villalobos *tom.*1. *ſumm. tract.*25. *diffic.*3. *num.*7. *& tract.*16. *diffic.*5. *num.*11. Reginaldus *tom.*1. *praxis for. pœnit. lib.*9. *cap.*7. *ſect.*2. *num.*117. & alij. Et id in iure Canonico non exiguum habet fundamentum.

3 Hinc poſſe Abbatiſſas præcipere in virtute ſanctæ Obedientiæ ſuis Monialibus, Arbitrantur Cornejo *in* 3. *part. tract.*5. *de excom. diſp.*2. *dub.*5. *q.*2. *n.*2. Rodriguez *in ſumm. tom.*1. *cap.*3. *num.*9. Lezana *in quæſt. regular. cap.*26. *num.*10. Naldus *in ſumm. verbo, Abbatiſſa, num.*4. P. Salas *de legibus, diſp.*8. *ſect.* 19. *in fin.* P. Azor *tom.*1. *inſtit. mor. lib.*13. *c.* 10. *q.*7. *in fin.* & alij. Attamen ſententiam oppoſitam, docent Sotus *in* 4. *diſt.*20. *art.*4. *quæſt.*1. Portel *in dub. regularibus, verbo, Abbatiſſa*. Villalobus abſolutè *in ſumm. tom.*1. *tract.*25. *diffic.*3. *num* 8. Diana 5. *part. tract.* 9. *reſol.*16. cum plurimis aliis.

Supponendum eſt præterea, eſſe quid ad iuriſdictionem Eccleſiaſticam pertinens poteſtatem præcipiendi in virtute ſanctæ Obedientiæ, ipſumque Votum emiſſum non præſtare eiuſmodi iuriſdictionem, quæ aliundè dimanare debet, vt tradunt Villalobos *vbi ſuprà*; P. Thom. Sanchez *tom.*2. *ſumm. lib.*6. *cap.*1. *à num.*17. *& lib.*5. *cap.*1. *num.*20. P. Leſſius *de iuſtit. & iur. lib.* 2. *c.*41. *num.* 11. 4

His poſitis dicendum eſt primò, Regem noſtrum (idemque eſſet de Regina in Regnum ſuccedente) de facto non poſſe quid præcipere Equitibus Militaribus in virtute ſanctæ Obedientiæ. Probatur. Nam hæc præcepta ſunt quid ſpirituale, ſeu requirens iuriſdictionem Eccleſiaſticam; à Pontifice autem iniunctum eſt, vt Reges noſtri deſignent aliquem Religioſum quoad ſpiritualia, & ſpiritualibus annexa, qui omnia hùc ſpectantia præcipiat, & peragat; vnde immediatè per ſe illa præcepta nequeunt imponere. Confirmatur. Quippè non alia iuriſdictio eſt in Regibus ratione Adminiſtrationis Ordinum, quàm eſſet in fœmina, ſi in Regno ſuccederet; at hæc nequit imponere præcepta iuxta ſententiam, quæ tenet, eam eſſe incapacem iuriſdictionis Eccleſiaſticæ requiſitæ ad imponendum præcepta Obedientiæ; ergo iuxta eandem ſententiam Reges nequeunt ea imponere. Firmatur ampliùs. Nam ſi quis ſæculari promittat Obedientiam, hancque illi voueat, nequit ille præcepta ſpiritualia imponere; ergo neque Reges, cum ſint ſæculares, & in nullo ex Ordinibus Militaribus ſint Regulares Profeſſi, nec eis expreſsè conceſſa fuerit iuriſdictio Eccleſiaſtica immediata. Quòd autem ſæcularis eiuſmodi nequiret præcepta imponere, docent Authores *ſuprà* relati pro prima ſententia, niſi Pontifex concederet ei expreſsè iuriſdictionem Eccleſiaſticam; Hanc autem non conceſſit immediatam Regibus noſtris, ſed mediatam, quatenùs eis indulſit, vt deſignarent perſonas, per quas illa exercetur. Quare media Regum deſignatione, à Pontifice ea iuriſdictio dimanat. 5

Dicendum eſt ſecundò, caſu quo Pon- 6
tifex

tifex conceſſiſſet Regibus, & Reginis hæredibus proprietariis Regni poteſtatem, & iuriſdictionem Eccleſiaſticam pro foro externo, poſſe præcepta ſanctæ obedientiæ Equitibus Militaribus imponere, & hos ex vi voti tunc fore obligandos ad obediendum illis. Quæ concluſio ex ea hypotheſi, & ex ſuppoſitionibus præiactis liquet. Quin eam iuriſdictionem Eccleſiaſticam conceſſam fuiſſe viris laicis à Pontifice, dicendum eſt in ſententia tuente, Equites Militares non eſſe ſtrictè religioſos, nec perſonas Eccleſiaſticas; ſi quidem Senatores Conſilij Regij Ordinum, qui ſunt Equites Militares ea iuriſdictione gaudent, & de cauſis, ac perſonis Eccleſiaſticis cognoſcunt: De quo *diſquiſ. ſequent. quæſt.* 3.

7 Dicendum eſt tertiò, poſſe rem præcipi à Regibus, quæ adeò grauis ſit, ingentiſque commodi, ac vtilitatis, vt tranſgreſſio eſſet peccatum graue; quod abſque poteſtate ſpirituali poteſt euenire; Sicut legiſlator ſæcularis abſque poteſtate ſpirituali valet ſub mortali obligare ſubditos, cum res ex natura ſua ſummum commodum, & grauitatem importat, vt Authores aſſerunt *in tractat. de legibus.* Sic etiam Abbatiſſa poſſet præcipere rem, cuius qualitas adeò conduceret ad Monaſterij decus, bonum, & Religionem, vt tranſgreſſio eſſet culpa grauis. Id tamen eſt diſcrimen, quòd tranſgreſſio legis eſt peccatum in eo caſu oppoſitum obedientiæ, quæ debetur ab omnibus poteſtati legiſlatrici; at violatio præcepti Abbatiſſæ peccatum eſſet ob qualitatem materiæ, cuius grauitas in eo præcepto declararetur; cum loquamur in ſententia probabili negante fœminis capacitatem ad imponenda præcepta ſpiritualia. Quare illud præceptum non eſſet rigoroſè tale, ſed mandatum proueniens à poteſtate œconomica, & tanquam à matre familias.

8 In Regibus autem duplex concurrit poteſtas ad præcipiendum Equitibus Militaribus, alia ſuprema, quatenùs Reges, domini, & legiſlatores ſunt; alia ſpecialis à Pontificibus conceſſa reſpectu Ordinum Militarium. Quare tranſgreſſio eiuſmodi mandati, cuius qualitas eſſet grauis, peccatum eſſet oppoſitum obedientiæ, quam Equites debent Regibus, prout Vaſſalli ſunt, & prout ſubditi immediatè in his, quæ ſpiritualia non ſunt, ipſis Regibus, vt Adminiſtratoribus, ſub eorum regimine, ac poteſtate degentibus.

9 Dices primò. Equites Militares ſunt Religioſi, iuxta plurium ſententiam, ſed cæteris Religioſis nullus Prælatus, ſeu iudex ſæcularis poteſt quidquam præcipere obligans eos ſub mortali, etiam in his, quæ ſpiritualia non ſunt, vel ſi aliquis poteſt, eſt Princeps ſupremus, qui poteſt eos cogere ad ea, quæ ſpectant ad bonum publicum, ſicut poteſt Eccleſiaſticos, ratione ſupremi dominij, & gubernationis; imò, ſi delinquant, nequit eos punire, ſed punitio à Prælatis propriis eſt iniungenda; ſolúmque valet eos priuare temporalitatibus (vt aiunt) ſui Regni; Ergo reſpectu Equitum Militarium neque præcipere poſſunt Reges immediatè quidquam, niſi quatenùs Principes ſupremi ſunt, & res præcepta ad gubernationem, & bonum publicum Regni ſpectat, non verò vtendo alia poteſtate immediata ſpeciali.

Reſpondeo, negando conſequentiam. 10
Ratio diſcriminis eſt, quia Religioſi, & Eccleſiaſtici exempti ſunt à Magiſtratibus laicis, ac ſæcularibus, & Religioſi prætereà ſunt exempti à quibuſvis Prælatis, niſi à propriis ſuorum Ordinum. At Equites Militares, eſtò diceretur iuxta plurium ſententiam, eſſe exemptos ab aliis Iudicibus ſæcularibus, & prælatis Eccleſiaſticis, niſi hi ſint intra Ordines ipſos, tamen non ſunt exempti à Rege noſtro, prout Adminiſtratore perpetuo, qui à Pontifice habet acceptam poteſtatem omnem, quoad illos conducentem ad rectum Ordinum regimen, iuxta ipſorum ſtatuta (præterquàm immediata, in ſpiritualibus) ſicut habebant Magiſtri; Cæterùm reſpectu aliorum Regularium non Militarium, & reſpectu Eccleſiaſticorum niſi à Pontifice accipiat, non habet Rex aliam poteſtatem, niſi ſupremam, dominatiuam, & gubernatricem. Diſparitas præſtita conſtabit ampliùs ex ſequentibus.

Dices ergo ſecundò, ex Bulla Pontificia 11
conſtare, Regi noſtro ſolùm concedi, vt deputet perſonas, per quas exercenda ſint, quæ Magiſtri Ordinum exercebant; ergo immediatè per ſe nihil poteſt exercere, nec præcipere, corrigere, aut viſitare. Verba Bullæ ſunt; *Ita tamen quod ipſe Catholicus Rex in Imperatorem electus, eiuſque Succeſſores, Caſtellæ, & Legionis Reges pro tempore exiſtentes, ea, quæ ad ſpiritualia concernunt, per perſonas dictarum Militiarum Religioſas, per ipſos Reges pro tempore exiſtentes ad id deputandos; ad eorum nutum amouibiles, probè, & laudabiliter exerceri, facere debeant, & teneantur; quibus pro ſic deputatis perſonis, gerendi, faciendi, mandandi, ordinãdi, exercẽdi, exequẽdi, diſponẽdi omnia, & ſingula, quæ dictarum Militiarum Magiſtri pro tẽpore exiſtẽtes, de iure, vel de cõſuetudine, aut aliàs quomodolibet facere, gerere, exercere, mandare, diſponere exequi poterãt, & conſueuerant, authoritate, & tenore præmiſſis,*

præmiſſis, plenam liberam, & omnimodam facultatem concedimus.

12 Verùm nihil indè contra dicta, quin ex his verbis meum præiactum iudicium confirmo. Etenim expreſsè à Pontifice antecedenter præfigitur, *Ea, quæ ad ſpiritualia concernunt*; De quibus poſtmodùm ait, per perſonas Religioſas à Regibus deputandas, fore tractanda, præcipienda, ac diſponenda, non ſecùs ac à Magiſtris Ordinum præſtabantur. De aliis verò Pontifex continet, non limitans poteſtatem Regum, ſed potiùs per eam exceptionem ſpiritualium, firmat in Regibus poteſtatem ad quævis alia ad Ordines ſpectantia, quæ ſpiritualia non ſint, aliàs non aſſeruiſſet, *Ea, quæ ad ſpiritualia concernunt*, ſed abſolutè ſtatuiſſet, vt Reges *omnia*, *& ſingula* ad Ordines pertinentia, quæ per Magiſtros fieri conſueuerant, committerent perſonis à ſe deputatis facienda, diſponenda, & mandanda.

13 Inſtabis. Quæcumque ſpectant ad Equites Militares, ad ſpiritualia concernunt, ſi illi iudicentur ſtrictè Religioſi; ſed Reges immediatè per ſe ea nequeunt præſtare; ergo nulla. Nego maiorem. Plura enim ſpectant ad eos Equites, quæ non requirunt poteſtatem, & iuriſdictionem ſpiritualem, ſed poſſunt per iuriſdictionem ſæcularem præcipi; ſuppoſito, quòd Pontifex erga eos, etiam ſi cenſeantur Religioſi; hanc iuriſdictionem à Regibus ſolis exerceri concedat, vt Adminiſtratoribus. Sic non eſt opus poteſtate ſpirituali, vt iubeatur illis, ad bellum contra Infideles proficiſci; equos & arma parata apud ſe habere; vrbem, aut arcem cuſtodire, & plura his ſimilia; cum hæc ſecundùm ſe à poteſtate ſæculari poſſent exerceri; & aliundè erga Equites, Reges ex conceſſione Pontificia id valeant præſtare, quin per quamcumque exemptionem eorum ſit illa poteſtas prohibita, cum in ordine ad ea, quæ non ſunt ſpiritualia, non ſint Equites exempti à poteſtate ſæculari Regum, prout Adminiſtratorum. Et quidem eſſe alias res, quæ poſſunt præcipi Equitibus, & ad ſpiritualia non concernunt, conſtat ex verbis pontificiis, qui non addidiſſet ea verba, *Quæ ad ſpiritualia concernunt*, ſi alia non eſſent, quæ non concernerent, ſed abſolutè de cunctis fuiſſet loquutus; nec ea verba eſſent neceſſaria abſolutè, nec ad maiorem claritatem, ſiuè explanationem, ſi reſpectu Equitum cuncta concernerent ad ſpiritualia. Superfluere autem prædicta verba, & nihil per ipſa demonſtrari, neutiquam valet admitti.

14 Dices, ſi Equites cenſeantur Religioſi, & perſonæ Eccleſiaſticæ, omnia, quæ eis poſſunt præcipi, redduntur ſpiritualia ratione perſonarum, & ratione poteſtatis ſpiritualis, à qua debent oriri præcepta. Contrà, nam id probat, nihil omnino poſſe præcipi Equitibus à Regibus, & nihil operari verba pontificia exprimentia, poſſe ab eo præcipi, quidquid poterat à Magiſtris. Deindè attendenda eſt materia ſecundùm ſe, & ſi illa ſit ſpiritualis, ac exigens poteſtatem ſpiritualem, non valebit à Rege immediatè præcipi; ſi verò ſit temporalis, poterit Rex eam præcipere; quia ea materia ex ſe non poſcit poteſtatem ſpiritualem; eſtò indifferens ſit, vt per poteſtatem ſpiritualem in aliis Religionibus præcipiatur, eo quòd in illis prælati ſolam poteſtatem ſpiritualem habeant. Licèt autem Equites iudicentur perſonæ Eccleſiaſticæ, pontifex cum Rege diſpenſat, vt nihilominùs illis præcipiat, quæ non fuerint ex ſe ſpiritualia, quia loco Magiſtrorum ſucceſſit. Quo priuilegio ſtante, non ad perſonas, ſed ad materiam inſpiciendum eſt; quæ, & ſi conducat ad ipſos Ordines, ex ſe tamen poteſt eſſe temporalis, vt eſt manifeſtum; Quæ omnia, ſi teneatur, Equites non eſſe ſtrictè Religioſos, clariùs exponuntur, cum ſic nec ratione perſonarum reddatur ſpiritualis materia.

Iam ergo dicendum eſt vltimò, teneri 15
Equites Militares ex vi Voti obedientiæ obtemperare Senatui Regio Ordinum, qui conſtat ex Senatoribus, qui ipſorum Ordinum ſunt Equites, (loquimur de tribus Caſtellæ, & Legionis Ordinibus Militaribus.) Eos etenim deputauit Rex noſter iuxta pontificium Indultum, vt per ipſos gerantur temporalia, & Eccleſiaſtica, quæ non ſunt merè ſpiritualia; quare poſſunt imponere præcepta, & pœnas circa res conducentes ad ipſos Ordines, iuxta ipſorum normam, ac Statuta. Præcepta enim poſſunt imponi ab habente iuriſdictionem Eccleſiaſticam, quæ etiam laïcis concedi valet à pontifice, iuxta dicta *ſuperiùs*. Quin, vt *diſquiſ. ſequent.* oſtendam, Senatus ab ipſo pontifice per plurimas Bullas iuriſdictionem Eccleſiaſticam confirmatam retinet, adhuc poſtquam Senatores, qui Equites ſunt, valent nuptias contrahere; Vnde, quamvis non reputentur perſonæ Religioſæ, ac Eccleſiaſticæ, iuriſdictione Eccleſiaſtica à pontificibus conceſſa potiuntur. Prætereà præfati Senatores cætera munia ad Ordines ſpectantia præſtant; Non tamen immediatè cenſuras infligunt, cum id ſit merè ſpirituale, nec ad id à pontificibus ſit conceſſa expreſſa poteſtas, ſed Iuri communi

communi id relictum, in quo Ordo Clericalis requiritur ad infligendum Cenſuras. Verùm poteſtas eſt ad id ipſum mediata in Regio Senatu Ordinum, qui poteſt deſignare quemlibet Clericum, cui committat iuriſdictionem imponendi cenſuras; Et ſic iuxta praxim communem præſtatur. Etenim Rex valet deſignare perſonas, per quas etiam merè ſpiritualia exerceantur; Senatui autem deſignationis præſtandæ facultatem indulget, dum ei generalem poteſtatem præſtat.

16 Tenentur etiam Equites obedire Superioribus Monaſteriorum, dum ipſi Equites verſantur in Monaſteriis, vel ad Nouitiatum peragendum, vel ob pœnam delicti, recluſi; eoſque poſſunt Priores, & Adminiſtrator Calatrauæ reſpectiuè, cenſuris, & præceptis coërcere. Hæc enim poteſtas illis competit ex Pontificia conceſſione, quatenùs à Rege deſignantur, vt illam exerceant, non ſolùm circa Clericos Fratres ſubditos, ſed circa Equites in Monaſteriis verſantes. Quod conſtat ex Definitionibus ipſorum Ordinum, quibus Reges noſtri annuerunt, & ab ipſis Ordinibus, penes quos reſidet poteſtas condendi ſanctiones fuit ſtatutum. Etiam Viſitatoribus debent obedire in his, ad quæ illi poteſtatem ab Ordinibus accipiunt.

QVÆSTIO II.

Qua obligatione teneantur Equites, & Fratres Militiarum ad ſeruandum Regulam, Statuta, & Definitiones ſuorum Ordinum? Vbi quid iuxta illas debeant ſoluere Dignitates, & Commendatarij.

17 PRæſtringenda ſunt aliqua principia, ex quibus dilucidè quæſtio dirimatur. Tunc ſanè lex, aut Statutum ſub lethali culpa obligat, cum verba, quibus promulgatur, ſeu præſcribitur, id indicat, & cum Legiſlator intendit ſub mortali obligare, & aliundè qualitas materiæ id ipſum expoſcit. Quod colligitur *ex cap. cum contingat, de iureiurando; ex Clementina, exiui, de verbor. ſignific. ex leg. ſi quis nec cauſam, leg. non omnis, ff. ſi certum petatur*. Docent D. Auguſtinus *lib.2. de baptiſmo, c.6.* Theologi communiter cum D. Thoma 1. 2. *q.*104. *art.*6. & *q.*147. *art.*3. P. Suarez *lib.3. de legibus, à cap.* 20. & *lib.*4. *cap.*18. Couarruvias *in regul. peccatum, part.*2. §. 5. Nauarrus *in ſumm. cap.*23. cum plurimis ab ipſis relatis.

Et quidem intentio, & voluntas Legiſlatoris eſt anima, & quaſi ſubſtantia legis, vt loquar cum Bartolo *in leg. non dubium, Cod. de legib.* eſtque vulgare principium, legis habere vigorem id, quod Principi placuit; Et, cum lex ſit actus moralis, neceſſe eſt, quòd ab intentione Legiſlatoris pendeat, vt cernitur in obligatione Voti, & in adminiſtratione Sacramentorum, quæ, quia ſunt actus morales, pendent ab intentione. Deindè materia eſt cauſa obiectiua legis, vnde nequit Legiſlator efficere, vt obligatio excedat capacitatem materiæ; id enim eſſet incidere in illud *Matthæi* 23. Chriſti D. pronuntiatum; *Alligant onera grauia, & importabilia.* Aſſeruitque rectè Innocentius III. *lib.*1. *de vita mortali, cap.*3. *Quid enim magis inordinatum, quàm propter rem leuem obligare ad pœnam æternam? aut, quod perindè eſt, in re leui conſtituere ſalutis viam, ſeu medium ad illam?* Etenim, ſi lex ciuilis pœnam imponeret mortis pro leui crimine, iniuſta eſſet, & nulla; multò ergo magis iniuſta lex erit, quæ imponeret reatum pœnæ æternæ in materia, quæ ſecundum rectam æſtimationem apud Deum ſit leuis; Sic ratiocinatur D. Auguſtinus *vbi ſuprà.* 18

Demùm ex verbis, ac forma legis innuitur obligatio; Verba autem indicantia obligationem culpæ mortalis, iuxta communem ſententiam ſunt hæc, vel æquiualentia; *Strictè præcipimus; in virtute Sanctæ Obedientiæ iubemus; ſub interminatione mortis æternæ; ſub obligatione culpæ lethalis, Qui hoc fecerit, aut non fecerit, diuinam maledictionem incurrat, aut indignationem SS. Petri, & Pauli.* 19

His poſitis, dico primò, omnia Statuta, ac Definitiones Ordinum Militarium, quæ aliquid ſub excommunicatione maiori iniungunt, obligare ad peccatum lethale, ſiuè excommunicatio ſit latæ ſententiæ, ſiuè ferendæ; Etenim nequit inobediens in excommunicationem hanc incidere, niſi ob culpam lethalem, iuxta communiorem, & tutam ſententiam; nec poteſt poſt inobedientiam ferri excommunicatio contra illum, niſi grauiter in inobedientia peccauerit; igitur obligant ad obediendum ſub culpa lethali. Hæ autem excommunicationes ſupponuntur inflictæ ab habentibus poteſtatem ferendi cenſuras, de quo *diſquiſ.* 7. 20

Deindè tenentur Equites, ac Clerici Fratres obedire ſub peccato lethali, quoties aliquid præcipiatur in virtute Sanctæ Obedientiæ, ſiuè in Regula, Statutis, & Definitionibus, ſiuè à Prælatis in his, quæ ad 21

ad propium Inſtitutum ſpectant; id obſeruando, quòd materia illa, quæ in Statutis, aut Definitionibus in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipitur, ſemper eſt capax eiuſmodi præcepti; ſtat enim præſumptio pro conditoribus Regulæ, aut Definitionum, qui non niſi materiam grauem, attentis circunſtantiis, præcepto obedientiæ ſubjicerent. Et, quamvis pro Prælatis eadem vt plurimùm ſtet præſumptio, non tamen adeò firma, cum faciliùs contingere queat, eos præcipere in Virtute Sanctæ Obedientiæ aliquid, quod ſit materia leuis. Obſeruandum eſt præterea, materiam ex ſe leuem, ex circunſtantiis fieri grauem. Exemplum ſit; Pontifex Innocentius X. ſub pœna excommunicationis præcepit, ne quis in diæceſi Salmantina intra Eccleſias ſumeret tabachum puluereum, fumeum, aut quovis alio modo; Et ſimile extat in aliis diæceſibus præceptum, à Pontifice, aut ab Antiſtite impoſitum, ſumptio quidem tabachi materia eſt leuis; ſi verò ad circunſtantias extriuſecas attendatur, eſt gravis; nam Eccleſiæ ſpurcantur, fætore corrumpuntur, Officia diuina, tuſſi, & ſternutamentis interturbantur; quare, ſi ſinguli ſumant tabachum, & plurimi in Eccleſia adſint, indecens reſonat ſtrepitus, attentio impeditur, &, vbi ſumma debet eſſe munditics, eſt ingens immunditia. Scio, in Ordine Ciſtercienſi, non ſufficere, quòd in Definitionibus iniungatur aliquid in virtute Sanctæ Obedientiæ, vt ex eo præciſè ſub culpa gravi reſultet obligatio. Sed id ſpeciale eſt in eo Sacro Ordine, qui ſub eis verbis præciſis non vult explicare præceptum rigoroſum ſub lethali obligans. At in Ordinibus Militaribus accipiuntur ea verba vt obligantia ſub lethali, vt conſtat ex declaratione ipſorum, ac praxi; in qua ſtatur communiori acceptioni, ſtylo, & praxi aliarum Religionum.

22 Rursùs Equites, & Commendatarij ſub peccato lethali tenentur, conſulere vtilitati bonorum immobilium, & mobilium ſuorum Ordinum, eaque, quoties opus ſit, defendere: & pro ſuorum Ordinum commodis omnem impendere ſollicitudinem, ſi eorum auxilio ſit opus. Sic iurant Equites Iacobæi, cum Habitum accipiunt, vt extat in Statutis *tit.4. pag.68.* Et id eis in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipitur, *tit. 8. cap.3.* Id ipſum vrget in Ordinibus Calatrauæ, & Alcantaræ, vt ex eorum Bullis conſtat. Et ex Definitionibus Calatrauæ *tit.6. cap. 11.* & Alcantaræ *tit. 13. cap.10.* Et hæc quidem eſt obligatio naturalis; nam juxta Nauarrum, P. Molinam, Thomam Sanchez, Suarez, Azor, & alios, omnes Religioſi ex obligatione naturali debent proſpicere bonis ſpiritualibus, & temporalibus ſuorum Ordinum.

Adhuc omnes Equites, & Fratres Clerici Profeſſi (De Nonitiis egimus *diſquiſ. 3.*) tenentur ſub mortali ſcire ſubſtantiam Regularium, & Statutorum, quæ in ſuis Ordinibus obligant ſub lethali, aliàs cum ignorantia culpabili exponentur tranſgreſſioni; omneſque Authores tradunt, gaudentes Officiis, Muneribus, ac Dignitatibus obſtringi ſub culpa mortali ad noſcendum leges, ordinationes, & taxas, ad propria Officia pertinentes; nam aliàs nequibunt ſuo muneri ſatisfacere. Quæ doctrina aptanda eſt Fiſcalibus, Theſaurariis, procuratoribus generalibus, & aliis Munera Ordinum exercentibus. 23

Commendatarij item Iacobæi debent ſub lethali, vt in Ordine præſcribitur, ſoluere decimas Clericis Fratribus eius Ordinis. Nam ſuſtentatio Parochorum ex Iure diuino debetur; & ex Iure Eccleſiaſtico decimæ ſuſtentationi applicantur, ſolutioque ſpectat ad virtutes iuſtitiæ, ac Religionis. Prætereà Commendatarij ſub lethali nequeunt commutare, vendere, aut alienare propria Commendarum bona, (non eſt ſermo de redditibus) nec fideiuſſores eſſe, ea bona in fidem apponendo, abſque Superiorum licentia; Hæc enim in graue Ordinum præiudicium vergerent, vt tradunt cum aliis Nauarrus, P. Suarez, Thom. Sanchez, & Molina. Commendatarij etiam Iacobæi ſub culpa gravi tenentur ſoluere dimidiam annatam, ſic enim Sixtus IV. ſub pœna excommunicationis maioris iniunxit. 24

Rursùs obligantur ſub culpa gravi Commendatarij Iacobæi ad inſumendum dimidium redditumm ex Commendis perceptorum duplici primo anno in reparatione Domuum Commendæ. Sic ſtabilitur in Statutis D. Iacobi *tit. 15. cap. 23.* Calatrauenſes verò tenentur ad eas ædificationes, quæ præſcribuntur in Definitionibus, *In inſtructione pag. 83. & tit.5. cap. 3. ac tit. 22. cap. 2. & 3.* Alcantarenſes autem Commendatarij, & Dignitates tenentur primo anno ſoluere tertiam partem redditnum Theſauro Ordinis; ſecundo verò anno eandem tertiam partem Depoſitariis deſignatis, ad reparationem Commendarum, vt extat in Definitionibus *tit. 25. cap.1.* Quæ obligatio, & ſimiles ideò vrgent ſub mortali, quia oriuntur 25

ex

ex contractu oneroſo inter Ordinem, & Commendatarios, ac Dignitates. Indè etiam tenentur Commendatarij omnium Ordinum conſeruare Domos, ædificia, & bona immobilia Commendarum, necnon Eccleſias, prouidentes omninò, ne quid cultui diuino derogetur, & ornamenta, ac alia neceſſaria non deſint; & demùm onera Commendis annexa, ſiuè quoad menſam Magiſtralem, ſiuè quoad alia, adimplere debent, veluti ſolutionem congruæ Parochis præſtandam,(niſi hæc ex conſuetudine,aut pacto ſit ſoluenda à Parochianis) & ſimilia, quæ promptè ſunt erogaturi, quin ſuper his lites moueantur; vel forſitan,ne cum Commendatariis,qui ſunt potentiores, litigetur, Eccleſiæ deſtituantur neceſſariis ornatibus, & Parochi ſua congrua, ac alij creditores ſuis debitis, quæ omnia iniuſtè retinebunt Commendatarij, & cum onere reſtitutionis.

26 Aliæ prætereà ſunt materiæ, quæ ob ſui grauitatem, à Pontificibus ſunt in Bullis ſpecialibus præceptæ, ac etiam in Definitionibus Ordinum expoſitæ; v.g. in Ordine Alcantaræ iniuncta eſt à Pontificibus Leone X. & Paulo III. norma, & modus inſumendi bona, quæ in Theſauro Ordinis ſunt, vt conſtat ex eorum Bullis *in Bullario Ordinis fol.*104. *& fol.*138. Vnde non licet, aliter ea bona inſumere, quippè in graue præiudicium Ordinis aliter inſumerentur. Id ipſum aſſero de obligatione ſeruandi Definitiones, quæ inuoluunt commodum, aut damnum tertij, v.g. eas, quæ deſignant modum ſoluendi decimas, tempus,ac loca ad paſcendos greges, & ſimilia.

27 Rursùs aliæ Definitiones ſunt, quæ inuoluunt materiam præceptam, aut prohibitam grauiter alio titulo, ſeu lege; & hæ obligant ad mortale v.g. Definitiones prohibentes Clericis Fratribus Calatrauæ, & Alcantaræ, diſponere de bonis immobilibus, condere teſtamentum, & ſimilia, ſub lethali obligant, quia hæc Voto paupertatis ab ipſis emiſſo aduerſantur. Definitiones, & Statuta prohibentia Fratribus Clericis trium Ordinum Militarium aduentare ad Curiam abſque licentia, quatenùs ſpectant ad Parochos, obligant ſub mortali per id tempus, quo non poſſunt à ſua reſidentia, iuxta ius Eccleſiaſticum, abeſſe, niſi interueniant cauſæ ab ipſo Iure deſignatæ. Definitiones deſignantes electores, & eligendos ad Collegia, Munera, & Dignitates, ac præſcribentes idoneitatem, & qualitatem ſuffragiorum, & eligendorum, obligationem ſecum afferunt ſub mortali, quia id eſt commune omnibus electionibus, in quibus perſonarum merita deſiderantur.

28 Demùm Regulæ, & Definitiones non æquè ſimul ſumptæ omnes adſtringunt, ſed vnumquemque iuxta vitæ normam, quam retinet, & munus, quod exercet; nam alij intra Monaſteria degunt, alij intra Collegia, alij verò extra Communitatem; deindè quidam ſunt Prælati, alij Parochi, alij verò Dignitates, & plures Commendatarij, vel propria alia Ordinum munia exequuntur, & pro ſingulis extant Regulæ, aut Statuta, vel Definitiones, in quarum obſeruatione quiſque, iuxta Regulas traditas, dignoſcet, quando ſub mortali ad illam teneatur; nec enim fieri poteſt, vt in ſpeciali cuncta tradantur,ſed ex principiis generalibus, quæ ſtabilimus, debent penſari, & decidi ſingularia dubia, & euentus.

29 Id eſt animaduertendum,Magiſtros Ordinum,& conſequenter Reges noſtros,eorum loco ſuccedentes,etiam teneri ad exequendum ea omnia,quæ menſæ Magiſtrali ſunt annexa, ſoluendo debita, & redditus ipſi deſtinatos, Monaſteria, & Collegia reparando atque omnia neceſſaria eis impendendo tum ad victum,tum ad Eccleſias;nec non aliis Eccleſiis, Arcibus, & Domibus, quæ ad eos attinent, omnino prouidendo, vt ſemper in ſua firmitate, & ſplendore ſtent, atque ſeruentur. Idque præ oculis habendum,inter cætera debita ſoluenda ex Menſa Magiſtrali, & ab Equitibus Commendatariis, ex natura ſua, & ex Iure Eccleſiaſtico, anteponenda eſſe Eccleſiarum ornamenta,reſtaurationem earum,& Parochorum congruam ſuſtentationem, quando hæc non pertinent ad Parochianos ex conſuetudine, aut pacto. Quippè ex decimis,quas fideles perſoluunt, omnia ea ſunt peragenda, Iure communi inſpecto. Scio tamen aliter poſſe conſuetudine, aut pacto diſponi. Sic à Monaſterio Sancti Iacobi de Vcles contenditur, decimas, quas percipit, immunes eſſe à contributione ad reparanda templa, & ornamenta Eccleſiarum Ordinis, idque ipſis populis incumbere; ac indè nec menſam Magiſtralem, nec Commendatarios ad id teneri, ex conſuetudine præſcripta, & ex Statuto Ordinis, citatis ad id ipſis populis. De quo Iuris doctam allegationem anno 1656. in lucem edidit Don Sebaſtianus Arias Berenguillo, Prior eiuſdem Monaſterij de Vcles.

30 Iam aſſero ſecundò, præter adhuc expoſita, nihil eſſe in Regulis, Statutis, ſeu Definitionibus Ordinum Militarium, quod obliget ſub peccato lethali. Probatur primò

primo ex principiis præiactis. Etenim non dantur verba indicantia obligationem ſub peccato lethali in prædictis Regulis, & Definitionibus, ſed ſimpliciter aſſeritur; *Fiat hoc, aut illud. Exequentur id omnes. Abſtineant ab hoc*; ſeu alia verba æquiualentia proferuntur; imò aliquando ſuperadduntur verba conditionalia, quæ ſuauitatem Regulæ præſeferunt; v.g. In Regula Ordinis Divi Iacobi *cap.* 5. aſſeritur; *Cada dia oygan Miſſa, ſi pudieren.* Et ſimilia alibi reperiuntur. Nec etenim voluerunt Pontifices, & Ordines ipſi regere ſubditos in virga ferrea, nec metu, & coërcitione, ſed lenitate, ac manſuetudine, qua Viri nobiles, & illuſtres facilius ſeſe Regulis, ac Statutis conformant, & aptant.

31 Probatur ſecundò ex intentione proferentium leges, Statuta, & Definitiones. Quippè nec Pontifices, nec ipſi Ordines intenderunt obligare ſubditos ad peccatum mortale; quod ex *nuper* dictis ſuadetur; nam, cum poſſent vti verbis innuentibus obligationem grauem, ab illis abſtinuerunt; mens autem Legiſlatorum per verba ipſarum legum manifeſtatur; Quod exindè firmatur, nam in aliis Statutis, vt in primo aſſerto oſtendimus, declaratur obligatio grauis per verba infligentia cenſuras, aut præceptum obedientiæ; ergo, vbi ea verba non dantur, nec materia eſt ex illis, quas *ſuperiùs* deſignauimus, grauis obligatio non imponitur; aliàs non fuiſſet opus diuerſis verbis vti in diuerſis Regulis, & Statutis, ſi omnia hæc quibuſvis verbis prolata ſub lethali obſtringerent.

32 Confirmatur; nam Innocentius VIII. & Martinus V. conſulti de obligatione quintæ, ſextæ, ſeptimæ, & octauæ Regulæ Ordinis S.Iacobi, de quibus ſpeciale erat dubium, declararunt, eas ſolùm ſub veniali peccato obligare. Penes Pontifices autem ſtat plena, ac indubitabilis poteſtas interpretandi intentionem Anteceſſorum, (qualis fuit Alexander III. qui eas Regulas confirmauit, & iniunxit normam in eis ſeruandis) & declarandi obligationem, quæ Religioſos vrget circa obſeruantiam Regularum. Et obſerua in præſenti, Compilatorem Regularum, & Statutorum Ordinis Divi Iacobi, quæ olim prodierunt (nam in nouiſſimis id non extat) appoſuiſſe in margine; *Innocencio octauo, y Martino Quinto diſpenſan, para que no ſea pecado mortal, eſtando en la guerra; dejar la obſeruancia dellas.* In qua nota, ſanè per errorem, appoſuit vucem *diſpenſan*, loco vocis *declaran*. Et præthereà Pontifices non declararunt, eas regulas non obligare, eis terminis ſimpliciter vtendo, *eſtando en la guerra*; nam id à contrario ſenſu firmaret obligationem grauem, dum Equites non eſſent in bello; ſed declararunt, abſolutè non obligare ad mortale, *præcipuè* in bello. Legantur Bullæ, quas affert Burcardus, & hæc veritas conſtabit; nam *Impoſſibile eſt, niſi tota lege perſpecta, vna, vel altera particula eius propoſita iudicare*; vt aſſerunt Iuriſprudentes. Quin *diſq. præced. num.* 26. docui, quid ſentiam de obligatione peccati venialis in adimpletione vnius ex præfatis Regulis circa vſum matrimonij in diebus ibi præfixis.

Probatur tertiò ex materia Regularum, 33 & Statutorum, quæ continent materiam vel valdè perfectam, vel non grauem, cum ad minutiſſimas quaſque actiones dirigendas ſpectet. Quò autem materia eſt perfectior, ſub minori obligatione præſcribitur, ne humanæ fragilitati ruinæ anſa præſtetur. Hinc nec ad peccatum veniale obligant, niſi, cum Pontifices id declarant, veluti in caſibus *nuper* adductis, vel cum ipſæ res iniunctæ aliundè ſortiuntur rationem peccati venialis, ſi violentur.

Confirmatur, nam Regulæ, quibus iubetur recitatio Orationum peragenda ab Equitibus, non obligant ad mortale, vt docet P.Thom.Sanch. *lib.* 7. *Conſiliorum, cap.* 2. *dub.* 5. P.Peñafiel Araujo *lib. de obligat. Ordin. Militar. tract.* 2. *cap.* 1. *num.* 14. Et nos latiùs probabimus *inferiùs diſq.* 13. Nec Regulæ præſcribentes Communionem diebus determinatis, ſub peccato obſtringunt, vt tuetur P.Antonius de Quintanadueñas *tom.* 2. *ſingul. tract.* 8. *ſing.* 6. Ergo nullæ Regulæ, nec Statuta obligant ad mortale; nam, ſi aliquæ, cur non illæ; Maximè, cum illas in ſpeciali præ aliis obligare ad mortale, aſſeruerit Iſla, *in Commentar. Regul. Ordinis D.Iacobi, c.* 6. iudicans, materiam recitandi eſſe grauem. Sed non rectè; nam, vt ait P.Thom. Sanchez, conſuetudo generalis, quæ eſt fundamentum obligationis Religioſorum ad recitandum, tantùm obligat Profeſſos Choro deputatos, vnde Equites, de quibus Iſla loquitur, nõ ita obligantur, cum non ſint deſtinati ad Chorum, ſed ad militiam. De Fratribus Clericis Militiarum quid tenendum ſit, dicemus *diſq.* 13. 34

Probatur quartò ex conſuetudine, optima legum interprete, cum in Ordinibus Militaribus inter viros ſapientes, & probos, non iudicetur peccatum mortale nec veniale tranſgreſſio eiuſmodi Regularum, & Definitionum; maximè dum extra Communitatem deguntinam intra illam aliquæ 35

ad

ad peccatum veniale adſtringunt, id exigente ipſa norma Communitatis, & ſtrictioris Obedientiæ, ac paupertatis.

36 Quòd ſi de Statutis, & Definitionibus Capitulorum Generalium ſeiunctis à Regulis loquamur, dum illæ præceptum Obedientiæ, aut Cenſuras non inuoluant, dilucidè liquet noſtrum aſſertum. Quippè ſunt putè pœnales, vt in earum contextu videre eſt, & expreſsè habetur in definitionibus Ordinis de Alcantara, *tit.* 3. *cap.* 1. vbi aſſeritur; *Por que la intencion del Capitulo General no es, de poner obſtaculo en las perſonas de nueſtra Orden, en que caygan, y ſe enlazen en perjuicio de ſus conciencias, declara el Capitulo, que ſu intencion en eſtas Definiciones no es, obligar à las perſonas de la Orden por el traſpaſamiento dellas, à culpa, ſino à las penas en ellas contenidas, no las quebrantando por menoſprecio, ò malicia; excepto en los caſos, que expreſamente dixeren, que obligan à culpa.* In Definitionibus verò Ordinis de Calatraua *tit.* 36. *cap.* 5. hæc extant verba, quæ, & præcedentia in præſenti tranſcribo, quia clarè noſtra doctrina ex illis comprobatur, *Por quanto la intencion del Capitulo General no es, poner obſtaculo, y lazos à las perſonas deſta Orden, en que incurran, y ſe enlazen en perjuicio de ſus conciencias; declaramos, ſer nueſtra voluntad, que eſtas Definiciones, y Actos Capitulares no obliguen à las perſonas de la Orden, por el traſpaſamiento dellas, à culpa, ſino à pena ſolamente à las perſonas en ellas contenidas; ſaluo ſi las quebrantaren por malicia, ò menoſprecio. Y eſto ſe entienda en las coſas, que no ſon directamente contra los tres Votos ſuſtanciales, ni de precepto diuino, ni por ſi malas, ſino por ſer contra eſtas Definiciones, y Actos Capitulares, ò contra otros Eſtatutos de la Orden.*

37 Tunc autem violatur aliqua lex per contemptum, quando poſitiuè, & quaſi in actu ſignato, parui penditur. Tunc verò per malitiam, quando non ex fragilitate humana, ſed conſultò dumtaxat ob voluptatem in tranſgreſſione violatur, quod ſtat abſque contemptu ob animi deprauationem, quæ rarò euenire ſolet. In his autem caſibus actiones intrinſecè, & ex ſe ſunt prauæ, poſſuntque malitiam peccati grauis ſortiri, ſi contemptus ſit formalis, & omnino deliberatus, quia in eo fit iniuria legiſlatoribus, & in noſtro euentu, ipſis Ordinibus, eorumque Capitulis generalibus quæ probroſè contemnuntur. Cum autem malitioſè lex, aut Definitio violatur, & non ob ſolam humanam fragilitatem inſpicienda eſt qualitas affectus, & ex obiecto, ac fine, grauitas culpæ erit penſanda.

Probatur demùm concluſio de Regula Ordinum Calatrauæ, Alcantaræ, Monteſæ, & aliorum ſub inſtituto Ciſtercij degentium. Etenim hi omnes Regulam S. Benedicti profitentur; At hanc Regulam nec ipſos Benedictinos Monachos obligare ad peccatum veniale, (cum materia non concernit Vota, ſeu eſſentialia Religionis) ab aliquibus non improbabiliter doceri, affirmat Benedictus Haeftenus *in diſquiſit. Monaſtic. lib.* 2. *tractat.* 8. *diſq.* 1. *pag.* 189. *verſ. & hæc quidem.* Ergo à fortiori non obligabit ea Regula alumnos Ordinum Militarium ad peccatum veniale; cum hi non adeò ſtrictam, ac perfectam vitæ normam ſectentur; ac ipſi Monachi Benedictini, quorum adeò rigidus, ac ſanctus eſt religioſæ diſciplinæ tenor. 38

39 Cæterùm, quamvis Regulæ, Statuta, ac Definitiones nec ad culpam lethalem, nec venialem obligent, debent totis animis ab Equitibus, & Fratribus Clericis obſeruari; Decet namque Ordinum alumnos de ſuo Inſtituto, & norma viuendi gloriari, omninoque ſuo muneri facere ſatis. Laudabilis ſanè ille eſt, qui ſollicitè exequitur, quæcumque ad ſe, ſuumque ſtatum ſpectant, reprehenſibilis verò, qui de his non curat. Nonne Eques ſæcularis non Militaris in id collimat, vt, quæ ſunt propria Equitum munia, ſedulò exerceat, ne aliquid in eo indè deficiens taxetur? Cur ergo Eques Militaris, & Clericus Frater, non eodem conatu ad ea, quæ ſunt ipſorum munera propria, intendant, cum nihil aliud præ oculis habere debeant, quàm eum profeſſi viuendi tenorem, qui eos alumnos Ordinum Militarium omnibus manifeſtet? An illos pudet ſui Inſtituti? Id eſſet nefas. Cur ergo Inſtituti ſui profeſſores in habitu, in actionibus, in honeſtate, & Obedientia non ſe propalent? Dolendum equidem eſſet, ſi aliqui eiuſmodi darentur, qui ſui Ordinis, Inſtituti, & Profeſſionis immemores, nihil penitùs ab aliis ſæcularibus differrent. Et ne? obliti ſunt, ſe ingreſſos fuiſſe Religionem approbatam, in eaque Vota Obedientiæ, Paupertatis, & Caſtitatis emiſiſſe, tenerique ad conformandam vitæ ſuæ normam Regulis, & Statutis Ordinis? Id de nullo crediderim; quippè niſi in ſingulis obſeruantia vigeat, ſplendorem ipſi ſuo Ordini detrahent, & relaxationi viam parabunt, qua firma, & pulchra moles Ordinis dilabatur.

QVÆSTIO III.

Cui teneantur obedire Clerici Fratres Militiarum ratione Voti Obedientiæ?

40 His ipſis, quibus tenentur Equites Militiarum obedire, quos iam recenſuimus, pariter teneri Clericos Fratres obedientiam præſtare, eſt manifeſtum, ob eaſdem omnino rationes. Sed adhuc obſtringuntur ex vi Voti ad obedientiam arctiorem; Cum enim dum Beneficia non obtinent, aut alio ſimili munere non occupantur, intra Communitatem degant, ſuis Prioribus, ſeu Rectoribus omnino ſubiacent, non ſecùs ac ſuis Prælatis ſubjiciuntur Religioſi non Militares; par quippè ratio in omnibus militat, nec vlla cauſa eos à ſubiectione liberat. Igitur Priores Monaſteriorum eadem iuriſdictione ſpirituali circa ſubditos gaudent, qua cæteri Superiores non Militares circa ſuos ſubditos, (imò aliqui ampliori, ſeu quaſi Epiſcopali, vt ſuo loco dicemus) indéque valent eos punire, præcepta, & cenſuras infligere, aliaque eiuſmodi præſtare, quæ, vtpotè communia omnibus Superioribus Regularibus, non ſunt à nobis diſcutienda, cùm Volumina integra hanc materiam euoluant.

41 Quin Priores iuriſdictione gaudent circa aliquos Clericos Fratres extra monaſterium degentes, quos ab eorum obedientia ipſi Ordines non ſubtraxerunt, quorum Definitionibus ſtandum eſt. Sic Prior Monaſterij de Alcantara ſubiectos ſibi habet Clericos Fratres Parochos Beneficia obtinentes, vt conſtat ex Definitionibus eiuſdem Ordinis *tit.11. cap.6. fol.112.* Vnde eis Cenſuras imponere poteſt, prout Iudex Ordinarius eorum, non verò vt Prælatus Regularis, quare ex vi Voti Obedientiæ non tenentur ei obtemperare, ſed, vt ſubditi tenentur Epiſcopo obedire, ſic illi, Priori: qui ipſos ſemel in triennio viſitat iuxta *cap.2. titul.31. Definitionum.*

42 Debent prætereà Fratres Clerici in Collegiis cauſa ſtudiorum verſantes ſuis Rectoribus obedientiam præſtare, vt *infrà* latiùs dicemus. Nec obſtat, quòd in titulo, quo Rectorum munus à Rege, ſeu Regio Senatu Ordinum confertur, non exprimatur conceſſa eis poteſtas ad ferendum cenſuras, & imponenda ſubditis præcepta Obedientiæ. Etenim eis conceditur omnis poteſtas neceſſaria, & congruens ad rectam ſubditorum gubernationem, quæ non aliter valet exerceri, niſi ſimul poteſtas ad præcepta, & Cenſuras committatur; Et, cui iuriſdictio data eſt, ea omnia videntur eſſe conceſſa, ſine quibus iuriſdictio explicari non poteſt, iuxta *leg.2. ff. de iuriſdict. cap. paſtoralis, cap. præterea, de officio iudicis delegati; Gloſſ. in cap. ſuper, verbo, executorum; & in cap. final. verbo, commiſſam, eodem titulo; leg. ad rem mobilem, §. qui procuratorem, ff. de procurat.* Hinc P. Suarez *de libertate Eccleſiaſtica, cap.22. num.4. in fine* docet, quemvis prudentem gubernatorem, qui alij ſuas vices, aut poteſtatem committit, vel delegat, conſequenter ei concedere poteſtatem ad omnia conducentia ad finem commiſſum; vt ratio naturalis, & Iura Canonica, ac Ciuilia diſponunt. Illuſoria autem ferè eſſet Rectorum iuriſdictio, aut ſaltem inſufficiens, vel, vt rectiùs dicam, non eſſet iuriſdictio, ſed regimen dumtaxàt œconomicum, ſi non fungerentur poteſtate ad præcepta, & Cenſuras infligendas, quæ ſunt arma ſpiritualia, quibus iuriſdictio Eccleſiaſtica exercetur, iuxta *c.1. de officio iudicis delegati, & Gloſſ. in cap. ex literis, verbo, ſi ſubdelegatus, eodem tit.* Et aliundè Clerici Fratres Collegæ degerent in Communitate, vitam regularem in communi agentes, quin Prælatum haberent immediatum; quod ex terminis eſt abſurdum, ſi introſpiciatur Inſtitutum quorumvis Regularium intra Communitatem victitantium, qui ſemper Prælato immediato ſubſunt.

Etenim, vt *infrà* repetam, (adhibendo 43
aliquas limitationes, propter ſpecialia Ordinum Statuta; nunc enim loquimur de his Communitatibus ſecundùm ſe inſpectis) Clerici Fratres Collegæ, præcipuè Calatrauenſes, & Arcantarenſes, iam non ſunt ſubiecti Superioribus Monaſteriorum, ſed Rectori, iſque deſignatur, ac conſtituitur à Regio Senatu Ordinum. Eſtò olim Priores Monaſteriorum deſignarent tùm eos, qui præſidebant Collegiis, & nomine Præſidentium nuncupabantur; tùm Collegas; & in Ordine de Alcantara ita fieri ſolitum, conſtat ex Capitulo Generali eiuſdem Ordinis celebrato Matriti anno 1552. Poſteà verò deſignatio Rectorum adſcripta eſt Regi, vt Adminiſtratori, ac Senatui Ordinum, vt in ipſo Ordine Alcantaræ fuit ſtabilitum in Capitulo Generali anno 1560. In Ordine D. Iacobi etiam pertinet ad Regem cum conſultatione Senatùs. Ità in Statutis *tit.20. c.15.*

Nec obſtat, non poſſe Rectores præbere 44
ſuis ſubditis literas dimiſſorias, vt Ordinibus initientur, nec licentiam, ſeu approbationem

bationem ad audiendas Confeſſiones. Quippè nec id poſſunt plures alij Prælati Regulares non Militares iuriſdictione quaſi Epiſcopali non gaudentes; cum quo ſtat, iuriſdictione ſpirituali ad ferendum Cenſuras, & imponendum præcepta Obedientiæ, potiri, quæ ſeparabilis eſt, & de facto reperitur ſeparata à iuriſdictione quaſi Epiſcopali. Hanc autem quinam habeant in Ordinibus Militaribus, *in inferioribus* declarabimus, & exponemus, an Rectores poſſint approbare Confeſſarios ad audiendas ſubditorum Confeſſiones.

45 Nec demùm obſtat, quòd ſoleat Rectoribus Collegiorum limitari poteſtas, ne ſubditis facultatem concedant, vt extra Collegium ſuprà vnum diem verſentur, aliòve diſcedant. Etenim in quavis Religione circa id dantur ſpeciales Ordinationes, & limitationes, quæ ab ipſis Capitulis, aut Prælatis Superioribus poſſunt apponi, & de facto in aliquibus Ordinibus nequeunt Superiores locales concedere licentiam ad diſcedendum è loco, vbi extant, niſi per tot dies, vel per tot leucas; & in omnibus Religionibus id ſuis limitationibus eſt circumſcriptum. Quin & Generales ſibi ſolent reſeruare conceſſionem facultatis ad eundum in loca aliqua, aut Prouincias; ita vt nec Prouinciales queant eam facultatem impertire; quin tamen exindè valeat inferri, Prouinciales, & Superiores locales deſtitutos eſſe iuriſdictione ſpirituali ad præcepta Obedientiæ imponenda, & ad alia ſimilia exequenda. Similiter ergo, quamvis Capitulum, aut Senatus Regius Ordinum limitauerit Rectoribus Collegiorum poteſtatem præfatam, ſibique, aut Prioribus iuſtas ob cauſas reſeruauerit, non poteſt argui, eos iuriſdictione prædicta ſpirituali non potiri. Sed ex profeſſo hanc Rectorum poteſtatem oſtendemus *diſq. ſequent. quæſt. 7.*

46 Alij autem Clerici Fratres, qui nec in Monaſteriis, aut Collegiis commorantur, nec ratione Beneficij, aut territorij Prioribus, vt Ordinariis, ſubduntur, non aliis obedire tenentur, niſi his, quibus Equites obedientiam præſtant; eo diſcrimine, quòd in pluribus dependent à Regio Ordinum Senatu; ſermoque eſt de Clericis Fratribus trium Militiarum Caſtellæ, & Legionis. Simul etiam à Prioribus debent impetrare literas dimiſſorias, vt Ordines ſuſcipiant; & approbationem, ac iuriſdictionem, vt in eorum territoriis Confeſſiones audiant, ac vt Regulares omnes ipſius Ordinis valeant abſoluere, an verò vt audiant in aliis diæceſibus, libabimus *in inferioribus*. Capellani autem honorarij Regis habent ab Ordine approbationem, vt Equitum ipſius Ordinis Confeſſiones excipiant, ſic extat in Definitionibus. Alcantaræ *tit. 5. c. 4. & 5.* Et in Definitionibus Calatrauæ *tit. 11. c. 4.* Sunt enim Parochi Equitum in Curia degentium, ideóque debent ad id munus examinari, niſi conſtet de eorum ſcientia. Viſitatoribus item generalibus, & ſpecialibus obſequi, ac auſcultare debent in his omnibus, in quibus iuxta Viſitationis munus, & Ordinum Statuta, ac Definitiones, iuriſdictionem illi, ac Superioritatem exercent. De Viſitatorum autem poteſtate agemus *diſq. ſequenti.*

DISQVISITIO VII.

De Prælatis, & Capitulis Ordinum Militarium, eorumque poteſtate, & de Regio Ordinum Senatu.

QVÆSTIO I.

De Regibus Hiſpaniarum, Adminiſtratoribus perpetuis Ordinum Militarium, qui in Regnis his ſunt inſtituti.

INter omnia, quæ de Regibus noſtris diſcutienda ſe offerunt circa Prælaturam, ac iuriſdictionem, quam ergo omnes Ordines Militares intra Hiſpaniam inſtitutos exercent, *in ſuperioribus* expoſuimus, & *inferiùs* pro quæſtionum opportunitate exponemus. Vnde nunc breuiter aliqua erunt perſtringenda. Igitur Reges noſtri, ex vnione Magiſtratuum ad Coronam ſucceſſerunt in locum Magiſtrorum, Ordinum, vt conſtat ex Bullis Pontificiis ſæpiùs allatis; eandemque, quam Magiſtri, retinent poteſtatem, & iuriſdictionem; niſi quòd ad ſpiritualia munia exercenda tenentur deſignare Regulares ex ipſis Ordinibus, qui illa exerceant, & immediatè per ſe id præſtare non valent. 1

Imò nec Magiſtri ipſi poterant immediatè ea munera exequi, quæ Ordinem Clericatus expoſcunt; ideóque deſignabant Priores Clericos Fratres, qui ea exequerentur tum reſpectu ſuorum Regularium, Equitum, ac Fratrum, tum reſpectu ſæculariũ in ipſorum territoriis degentium. 2

Attamen aliqua poterant præſtare immediatè per ſe, quæ nunc Reges noſtri nequeunt; eo quòd eſſent, & ipſi in Ordinibus Profeſſi, non verò ſit in Regibus hæc qualitas.

3 Eatenùs autem Reges noſtri ſunt Prælati, vt Regulares Militiarum teneantur eis obedire ex vi Voti Obedientiæ, modo dicto *diſquiſ. præced.* In qua plura circa hanc Prælaturam euoluimus. Sunt prætereà Reges Patroni, & Protectores Ordinum Militarium, iuxta aſſerta *diſquiſit* 1. Et ratione eiuſmodi patronatus concedunt priuatiuè Habitus, Commendas, Dignitates, Prioratus, Beneficia, Capellanias, & quælibet alia ad Ordines ſpectantia, exceptis his, quæ ex Statutis, Definitionibus, aut conſuetudine conferuntur, vel per ſuffragia, vel de conſilio Seniorum, aut ab ipſis Commendatariis præſtantur, vtpote aliquæ Capellaniæ, aut ſimilia, de quibus *diſquiſ.* 1. *& diſq.* 10. Et aliqua ex illis concedenda Senatui Regio Ordinum committunt.

4 Ratione præfatæ poteſtatis, & ſimul poteſtatis Regiæ, iuxta ſententiam, de qua *diſquiſit.* 2. egimus, Rex noſter deſignat ſuum Regium Senatum Ordinum, qui exerceat iuriſdictionem in cauſis Equitum, ac Clericorum Fratrum, & vaſſallorum Ordinum modo dicto *diſquiſ.* 2. Et ſimul Ordines ſuam poteſtatem Senatui præſtant, vt dicemus *infrà.* Pontificeſque ei Senatui iuriſdictionem Eccleſiaſticam confirmarunt, ac conceſſerunt, vt latè *inferius.* Rex etiam eligit priores gaudentes iuriſdictione quaſi Epiſcopali; Conuocat deindè Capitula Generalia Ordinum, quorum eſt caput, eiſque præſidet; aut ipſius nomine alius, quem pro ſe ſubſtituit; & ſimul cum Capitulo generali vniuſcuiuſque Ordinis repræſentat totum Ordinem, & ſic plurima præſtare poteſt, quæ attingemus *quæſtion. ſequenti.*

5 Gaudet, ratione Adminiſtrationis Ordinum, emolumentis, & redditibus, quibus Magiſtri potiebantur; eiſdemque grauatur oneribus ſoluendi ex menſa Magiſtrali ea, quæ in Statutis, ac Definitionibus Ordinum continentur, & non pauca *in hoc Opere* libauimus. Cæterùm vocatur Adminiſtrator, ipſis pontificibus hoc nomen ei aptantibus, quia, cum Regularis non ſit ex Ordinibus Militaribus, Magiſtratus Dignitas, quæ Eccleſiaſtica eſt, non potuit ei in titulum conferri, ſed in Commendam, ſeu Adminiſtrationem, quæ in idem recidunt; & ad id etiam diſpenſatione, & conceſſione pontificia fuit opus; maximè cum ita fuerint vniti Magiſtratus Coronæ, quòd etiam ſi in fœminam Regnum deueniat, ea futura ſit Adminiſtratrix Ordinum Militarium, vt expreſſit Adrianus Sextus in Bulla vnionis Magiſtratuum. De huius diſpenſationis genere agemus *diſquiſit. decima*, cum loquemur de diſpenſatione, vt fœminæ poſſint habere Commendas.

6 Ex his cernitur, quàm ſtricta ſit Regum noſtrorum obligatio conſulendi Ordinibus Militaribus, proſpiciendi ipſorum exemptionibus, & priuilegiis; ſollicitè curandi de eorum inſtituti obſeruantia; eligendi ad Dignitates, Prioratus, Senatum, & Munera viros idoneos, ac in dotibus requiſitis bene meritos; admittendi ad ipſos Ordines, illos, qui ſplendorem, & obſeruantiam promoueant, aliaque eiuſmodi exequendi. Etenim hæc obligatio maximè vrget prælatos ſupremos cæterarum Religionum, & reſpectivè eadem Regibus incumbit; Sed quia Regnorum, quorum clauum per quatuor mundi plagas tenet, ſollicitudo non permittit, vt toti incumbant Ordinum Militarium regimini, quod poterant præſtare Magiſtri, muneri ſuo ſatisfaciunt, ſi eos Viros ad gubernationem eligant, ſub quorum cura rectè Ordines gubernentur; & prætereà frequenter informationem capiant de his, quæ peraguntur, & conſultationes ſibi factas ſedulo introſpiciant, atque ea, quæ per ſe ipſos exercent, Regio conamine moderentur.

7 De poteſtate, & iuriſdictione Magiſtri, ſeu Adminiſtratoris Ordinum ſingulorum, plura attinguntur in Statutis Divi Iacobi, *in Regula Ordinis ex capit.* 1. In Definitionibus Calatrauæ *pagin.* 36. *capit.* 8. In Definitionibus Alcantaræ *ex fol.* 1. Et in Definitionibus aliorum Ordinum Militarium huius noſtri Regni. Cæterùm Magiſtri Ordinis Dignitatem eſſe prælaturam Eccleſiaſticam, cumque eſſe prælatum Eccleſiaſticum, & Ordinarium, docent vterque Barboſa, Emanuël Rodriguez, Ceuallos, Pereira, Nauarrus, Cabedo, & alij, quos refert lato calamo eruditus Domin. D. Sebaſtianus de Zambrana *in allegat. pro Ordine D. Iacobi, num.* 95. Vbi ait, hanc ipſam poteſtatem reſidere in Rege noſtro, tanquam in Miniſtro, nomine Papæ. Quod tamen intelligendum eſt iuxta dicta, ſcilicèt vt per alios à ſe deſignandos exerceat ſpiritualia, & his concernentia.

QVÆST. II.

QVÆSTIO II.

De Capitulis Generalibus Ordinum Militarium, eorumque poteſtate.

8 CApitula Generalia Ordinum repræſentant ipſos Ordines, & conſtituuntur ex perſonis, quæ Ius ſuffragij habent. Ea conuocare, & congregare, ſpectat ad Regem noſtrum, vt Magiſtrum, ſeu Adminiſtratorem Ordinum, iuxta Bullam Sixti IV. quæ affertur in Bullario Alcantaræ, *fol.* 54. In Ordine Diui Iacobi tenentur Capitulo Generali adeſſe Priores, Commendatarij maiores, & Tredecem viri. Cæteri poſſunt adeſſe; ſed non tenentur; Hi verò, qui degunt in loco, in quo celebratur Capitulum, ſiuè Equites, ſiuè Clerici Fratres, debent intereſſe Communioni Euchariſtiæ pridiè ante Capitulum celebrandæ, & actionibus, quæ prima, ſecunda, & tertia die peraguntur. Sic in Statutis *titul.* 10. *capit.* 2. & 4. Idem obſeruant Calatrauenſes, & Alcantarenſes. In Ordine Calatrauæ ad Capitulum conuocantur Commendatarij maiores, Clauiger, Prior, ſi detur, Conuentus Calatrauæ, eiuſque procurator, Sacriſta maior, Operarius, cæterique Commendatarij, Equites, priores formati, & Capellani Regij Ordinis; necnon ex Decreto Capituli Generalis anni 1653. Procurator Collegij Calatrauenſis Salmantini ab ipſo Collegio eligendus. Cæteri nuper dicti, adſtituri Capitulo, deſignantur in Definitionibus *tit.* 1. *cap.* 2. In Ordine Alcantaræ conuocantur Commendatarius maior, Clauiger, Prior Monaſterij de Alcantara, eiuſque Procurator, Prior de Magacela, Sacriſta maior, & cæteri Commendatarij, & Equites, ac tres Capellani Regis; vt conſtat ex Definitionibus, *tit.* 1. *cap.* 2. & 12. Vt autem in Ordine Alcantaræ ius ſuffragij habeant Equites, & Fratres Clerici, priùs viſitati, iuxta Ordinis ipſius Definitiones, eſſe tenentur. In Ordine Calatrauæ poſtmodùm viſitantur.

9 Rex, vt Adminiſtrator, Capitula conuocat, diemque deſignat; conuenit cum ſolis Iacobæis in templo, aut loco ad Capituli celebrationem deſtinato; At cum Calatrauenſibus, & Alcantarenſibus ſimul, qui prima die in vnum congregantur; expectant quidem Calatrauenſes, latus dextrum occupantes, & Fratres Clerici Miſſam celebraturi ſolemnem, occupant Altare, Rex verò comitatus Alcantarenſibus à Regia ſua aula deſcendit, & cum ad templum acceditur, hi proteſtantur latus dextrum, & Altare iam præoccupatum ſibi deberi, ac ex Regis iuſſu, qui (ex formula) pro eâ vice ita imperat, locum ſiniſtrum tenent, & teſtimonium poſcunt. Priores vero, ac Clerici Fratres Alcantarenſes ſedem occupant, quam in aliis Actibus publicis, quibus Rex noſter aſſiſtit, Episcopi ſibi deſtinatam habent. In Capitulis, & in aliis etiam Actibus, vbi Rex cum quouis ex his Ordinibus, vt eorum Adminiſtrator, aſſidet, omnes Regulares, Equites, & Fratres, ſedent, & caput operiunt; Prior autem Alcantaræ non cum cæteris Fratribus Clericis aſſidet, ſed cum Equitibus poſt Commendatarium maiorem.

Ex munere proponit Rex noſter, quæ in Capitulis ſunt ad rectum Ordinum regimen peragenda; & poſt primam ſeſſionem quilibet Ordo ſeorſim congregatur, ac aliquibus de more peractis per tres dies in Ordine Diui Iacobi, omnes per Inſtrumenta publica poteſtatem ſuam transferunt in Regem noſtrum, atque in eos, qui vel ex Ordinationibus ſunt Definitores, vel à Capitulo eliguntur. Vnde recedentibus cæteris, manent in Ordine Diui Iacobi Tredecem viri, aut eorum ſubſtituti, Commendatarij maiores, & Priores de Veles, ac S. Marci. In Ordinibus verò Calatrauæ, & Alcantaræ omnes ius ſuffragij habentes aſſiſtunt Capitulo generali, & eo finito, eliguntur à Rege in ſingulis duodecim Definitores, aut plures, ſi expediat, & inter eos duo debent eſſe Clerici Fratres; in Ordine Calatrauenſi Prior, ſi ſit, Calatrauæ, & Sacriſta maior; in Ordine Alcantaræ Prior de Alcantara, & Prior de Magacela, ſeu Sacriſta maior, aut eis deficientibus, alij in ipſorum locum ſuffecti; qui poſſint ad Stabilimenta peragenda in Definitorio ſtrenuè iuuare. Hi etiam, ſcilicèt Prior Alcantaræ, (quo deficiente, idem competeret Priori de Magacela, vtpotè prælato) & in ſuo Capitulo prior de Veles, aut S. Marci (iuxta prouinciam, in qua Capitulum celebratur,) comitati duobus Capellanis honorariis, cum Rex noſter ad templum prima die Capituli aduenit, munus exercent, quod competit Capellano maiori; cum Regis, vt Adminiſtratoris Ordinum, illi Capellani maiores reputentur; Quare eum ingredientem ad templum aqua luſtrali adſpergunt; & dum Miſſa celebrari incipitur, ante ipſum Confeſſionem, & cæteras Orationes incipiunt, aliaque huiuſmodi exercent, proteſtante Ordine Calatrauenſi, id munus, & ſedem 10

Clerico

Clericorum Fratrum Alcantarenſium ſibi deberi. Prima autem die poſt celebratam Miſſam de Spiritu S.Calatrauenſes, & Alcantarenſes alternatiuè oſculantur Regis manum, poſtquam vtriuſque Ordinis lecta eſt quædam Definitio, & à Secretario Senatus Ordiuum promulgantur Præſides Capitulorum, & Definitorij vtriuſque Ordinis, & ſimul Rex confirmat omnia priuilegia Regia ipſorum Ordinum, poſcentibus id Commendatariis maioribus, cum eius manum oſculantur.

11 Illi igitur, qui in vnoquoque Ordine ex iure, vel electione deſignati poteſtatem à cæteris accipiunt, rebus maturè perpenſis, ſtatuunt ea, quæ ad gubernationem ſpiritualem, politicam, & œconomicam ſpectant, ſimul cum Rege noſtro, qui vt caput, de omnibus conſulitur, omniaque rata habere debet, vt vim obligandi retineant; Quare Statuta, & Definitiones, à ſingulis Capitulis diſpoſitæ primùm ab ipſo Rege ſubſcribuntur; deindè à cæteris, quibus fuerit commiſſa poteſtas, nec vim habent, niſi à Rege ſubſcribantur, vt conſtat ex Bulla Clementis VII. allata in Bullario Alcantaræ *pag.* 25. Aliqua etiam ab ipſis Capitulis, non per viam diſpoſitionis, ſed poſtulationis, Regi proponuntur, vt ipſe, ſi expedire arbitretur, vel iubeat, vel à Sede Apoſtolica impetret, vel declaret, vt conſtat ex conſultationibus, quæ in Statutis nouiſſimis Ordinis Iacobæi afferuntur poſt *cap.* 11. *tit.* 22. *ex fol.* 206.

12 Ea quidem eſt præcipua, & maxima cuiuſque Capituli Generalis poteſtas, vt valeat Statuta antiqua reuocare, immutare, aut innouare, & noua concedere, reſpectu Ordinum ipſorum, ditionum, vaſſallorum, & Clericorum Regularium, qui Beneficia ipſorum Ordinum obtinent, & aliorum Clericorum in ditionibus ipſis degentium, quæ illicò Apoſtolica authoritate, quin ad Pontificem accedatur, remanent ſtabilita, & firmata. Ita conceſſit Sixtus IV. in Bulla allata in Bullario Alcantaræ, *pag.* 54. Clemens VII. *ibi pag.* 128. (& in Definitionibus, *pag.* 25.) Paulus III. *ibidem pag.* 143. *n.* 4. Idem Paulus in alia Bulla *pag.* 156. *n.* 9. Et ſupponitur, ac exprimitur à Clemente VII. ſtatuta corrigenda, ſeu condenda non fore ſacris Canonibus aduerſantia, & approbanda eſſe à Magiſtro, ſeu Adminiſtratore. Nec Statutorum nomine Regula comprehenditur; hæc enim immutari non valet, niſi à Romano Pontifice, quod commune eſt omnibus Sacris Ordinibus; cum enim Regulæ totus Ordo, eiuſque Inſtitutum, vt fundamento, innititur, eam immutare, eſſet ſanè, Ordinem ipſum inuertere, cuius ſubſtantia ſemper debet eſſe fixa, & ſtabilis, niſi aliquid immutandum Pontificiæ Sedi videretur, quæ id præſtare valeret; ſicut in Ordinibus Militaribus Ciſtercienſibus immutauit Regulam, quoad nuptias contrahendas, & teſtandum de bonis. Extra Regulam autem ſunt plura, quæ Capitulum poteſt præſtare. Sic valet (quod idem competit Ordinum Senatui, ac Prioribus iuriſdictione gaudentibus, & Viſitatoribus) ſtatuere in territoriis, & in Eccleſiis Ordinum, etiam ſitis extra territoria, quæcumque ad cultum Diuinum ſpectant, exequenda tum à Fratribus Clericis, tum ab aliis Clericis ſæcularibus, nempè iniungere formam circa Miſſas, & Anniuerſaria debita celebranda; taxam præſcribere ſtipendij Miſſarum, funerum, & ſimilium; eos cogere ad aſſiſtendum diebus Feſtis, aut etiam aliis, ad Miſſæ ſolemnis celebrationem, vel adhuc ad Officia Diuina; prohibere, ne gaudeant diſtributionibus, aut Miſſam celebrent in præfatis Eccleſiis, niſi obſeruent ea, quæ præcipiuntur, & omnia alia ad rectum regimen ſtabilire. Nam cum non ſint eæ Eccleſiæ, aut territoria ſubiecta Epiſcopis, & aliundè Rex, vt Adminiſtrator, ſit Patronus, ac penes aliquem ſit poteſtas ad ea omnia præcipienda, quis alius præcipiat, niſi Capitulum, Senatus Regius Ordinum, prædicti Priores, aut Viſitatores Generales, penes quos eſt tota poteſtas? Quam de ſingulis *in hoc Opere* probamus.

Rursùs Martinus V. & Eugenius IV. prout refertur *in Compendio Ciſtercij*, §. 1. & ab Emanuële Rodriguez *tom.* 1. *quæſtion. Regular. quæſt.* 68. *art.* 6. Conceſſerunt Congregationi Ciſtercienſi (indeque Ordinibus Militaribus Ciſtercienſibus, iuxta ſæpè dicta) vt Generalis Reformator, & Capitulum Generale, ſaluis ſubſtantialibus regulæ, poſſint quaſcumque ambiguitates, obſcuritates, & dubia occurrentia circa ipſam regulam in ſpiritualibus, & temporalibus declarare, elucidare, interpretari, & diſpenſare, necnon Statuta, Definitiones, & Ordinationes interpretatione donare, modificare, dirigere, reformare, mutare, variare, tollere, reuocare, caſſare, & alterare; noua edere, condere, & facere. Vbi obſerua, id, quod Pontifices concedunt Capitulo Generali, & Generali reformatori ſimul, non competere ſoli Senatui Regio Ordinum, etiamſi veluti Generalis eorum reputetur. Nec enim is poteſt ſolus reuocare Definitiones, & alias concedere; id enim conceſſum eſt Generali; & Capitulo copulatiuè; 13

copulatiuè; vt conſuetudo legum interpretes, in Ordine Ciſtercienſi, cui conceſſa eſt in gratia *ſuprà* poſita oſtendit. Cum autem Capitulum Generale Militiarum congregatur, Rex ipſe, aut alius ab ipſo deſignatus, præſidet, non Senatus.

14 Obſerua deindè, eam conceſſionem Pontificum inter alia eò tetendiſſe, vt vitarentur ſcrupuli, qui in his declarationibus poſſent exoriri; Vide de his apud Rodriguez *vbi ſuprà* Panormitanum *in cap. ex parte, de verbor. ſignificat.* Innocentium *in cap. cum ſpeciali, de appellat.* & plures alios antiquos, & recentes.

15 Ex prædictis deciditur alia quæſtio agitari ſolita, vtrùm ſcilicèt Conſtitutiones factæ à Regularibus, authoritate Apoſtolica confirmatæ, poſſint abſque eiuſdem Sedis authoritate reuocari? De qua Emanuël Rodriguez *vbi ſuprà art.* 5. Reſolutio autem in præſenti eſt manifeſta, ſiquidem Capitulis Generalibus, ex immediata conceſſione Pontificum, aut ex communicatione priuilegiorum, competit poteſtas immutandi & caſſandi quævis Statuta, quæ ſanè ſupponuntur Apoſtolica authoritate confirmata, ſiquidem illico ac in ſuo tempore edita fuerunt à Capitulo Generali, authoritas Apoſtolica ea roborauit, vel ſi edita ab illo non fuerunt, ſanè ab ipſa Sede immediatè emanarunt.

16 Poſita in Capitulis Generalibus poteſtate ad immutandum, & ad condendum Statuta, ac Definitiones, conſequens eſt, vt poſſint iniungere, ac præcipere, ſeu prohibere, quæcumque iuſta fuerint, & ad regimen, ac gubernationem totius Ordinis ſpiritualem, & temporalem, nec non perſonarum, ac bonorum quoquo modo ſpectantia, & infligere pœnas tranſgredientibus. Indéque omnes tenentur eiuſmodi Ordinationibus obedire, ex vi voti Obedientiæ, & tranſgreſſores contrahunt pœnam ſtatutam pro qualitate præcepti, aut prohibitionis, perſonarum, & circunſtantiarum. Ex quo principio generali deducitur facilè, quænam in ſpeciali poſſint præcipi, aut prohiberi à Capitulis Generalibus.

17 Et quidem Capitula Generalia poſſunt præcepta ſanctæ obedientiæ imponere, cum in eis reſideat iuriſdictio ſpiritualis, Regularis, & Eccleſiaſtica; quare in Statutis, & Definitionibus Ordinum Militarium ea præcepta à Capitulis emanantia non ſemel inueniuntur, quæ non potuiſſent apponi abſque ea iuriſdictione. Difficilius eſt, an poſſint infligere cenſuras Eccleſiaſticas? Alia ſanè Capitula Generalia Religionum eas valent imponere; verùm, cum Definitores Militares, & ius ſuffragij habentes, maiori ex parte non ſint ſtatus Clericalis, & quæ à Capitulo fiunt, à maiori parte illius debeant fieri, vt commune eſt inter Authores, & ex Bullis Pontificiis probat Emanuël Rodriguez *tom.* 1. *quæſtion. Regular. quæſt.* 41. *art.* 1. fit, vt videatur non poſſe ea Capitula per ſe immmediatè cenſuras infligere, poſſe tamen deſignare Clericum Fratrem, aut alium Clericum, qui eas infligat; Quo ſaluatur iuriſdictio omnimoda in Capitulo, ſcilicèt ad exercendam omnem poteſtatem ſpiritualem per ſe immediatè, vel per alium, cui eam commiſerit. Sanè ſi maior pars Capituli, aut Definitorij conſtaret ex perſonis ſtatus Clericalis, poſſent immediatè ferre cenſuras, non verò aliter, cum id non fuerit expreſsè conceſſum à Pontificibus, indéque Magiſtri Ordinum eas non ferebant. Nec id nouum eſt; nam omnia Capitula Generalia habent iuriſdictionem ſpiritualem reſpectu abſolutionis peccatorum, & poſſunt deſignare Sacerdotes, qui ſubditos à culpis abſoluant, non tamen Capitula abſoluere poſſunt, quia abſolutio eſt actus perſonalis proprius Sacerdotis, non cœtus, aut Congregatio; id verò non tollit, omnimodam iuriſdictionem ſpiritualem reſpectu ſubditorum reſidere in Capitulis cuiuſque Religionis. Sic ergo, quia actus ferendi cenſuras eſt actus proprius Clericalis perſonæ, vt ſtatuit cum aliis P. Gaſpar Hurtado *de cenſur. difficult.* 4. immediatè nequeunt Capitula conflata maiori ex parte ex non Clericis ferre cenſuras, ſed valent deſignare Clericum, qui eas ferat, quin indè iuriſdictio Capitulorum minuatur. Niſi velis, Pontifices concedentes omnem iuriſdictionem ſpiritualem his Ordinibus, diſpenſaſſe, vt ferant cenſuras, quamvis ſtatus Clericalis non ſint, quod ſanè videtur dicendum, cum in Definitionibus præfixis à Capitulis non ſemel cenſuræ ferantur: & cum in Capitulis repræſententur ipſi Ordines, par erat, vt eis concederetur ea poteſtas ferendi cenſuras. Aliud contingit in Senatu Ordinum, qui non repræſentat ipſos Ordines, ſed eſt eorum Superior: de quo *infrà, num.* 30.

Circa poteſtatem nuper libatam quoad abſolutionem, obſeruandum eſt, Eugenium IV. conceſſiſſe Ordini Ciſtercienſi, & Pium IV. Congregationi Montis Oliueti, quòd Capitula Generalia poſſint deſignare Sacerdotes, qui omnes Regulares ſubditos vtriuſque ſexus valeant abſoluere toties quoties ab omnibus peccatis, etiam Apoſtolicæ Sedi reſeruatis, & prætereà 18

diſpenſare

diſpenſare ſuper irregularitatibus omnibus (exceptis his, quæ proueniunt ex bigamia, homicidio voluntario, & mutilatione membri) & omnem maculam, ac notam ex eis ortam abolere. Ita extat in Compendio Ciſtercij *tit. Capitulum*, §.7. Videatur Rudriguez *ſuprà art.*4. In Definitionibus Calatrauæ affertur Bulla Clementis VII. *pag.* 90. in qua concedit facultatem abſoluendi ab omnibus cenſuris, & tollendi irregularitate (ſub limitatione adducta, quæ ſemper eſt ſubintelligenda, vt obſeruat Rodriguez *ſuprà*) reſpectu omnium, qui in Capitulu congregantur; quare publicè præſtatur abſolutio à clebrante Miſſam, prima die Capituli. Peccatum hæreſis ſemper iudicatur exceptum. Quare, etiam in Iubilæis ampliſſimis, in quibus facultas datur ad abſoluendum ab omnibus caſibus reſeruatis Sedi Apoſtolicæ, intelligitur hæreſis excepta, niſi exprimatur, eam non excipit. Et hanc eſſe mentem Apoſtolicæ Sedis, declarauit noſter Pontifex Alexander X. hoc anno 1656. Et intimatum eſt Decretum omnibus Communitatibus Religioſis, cæteriſque Confeſſariis iuſſu Tribunalium Sanctæ Fidei, & ab eis præceptum, vt quotannis in Communitatibus, & in Capitulis Generalibus, ac Prouincialibus legatur ſimul cum aliis Ordinationibus Tribunalis Supremi Sanctæ Fidei, legi iam ſolitis.

19 In eodem *Compendio* §.5. refertur conceſſio Eugenij IV. facta Ordini Ciſtercienſi, quòd Capitulum Generale poſſit Abbates, (die idem de Prioribus Monaſteriorum Militarium, qui ſunt quidam Abbates Militares) & Abbatiſſas dicti Ordinis, certo modo, & forma ſeruatis, corrigere, ſuſpendere, deſtituere, atque illorum loco illos deputare. Verùm, etſi Capitula Generalia, propter cauſas iuſtas, & vrgentes, ſuſpenderent, vel deponerent (quod iuxta ſpecialia Statuta cuiuſque Ordinis, & non aliter, præſtare poſſunt) Priores Militares Monaſteriorum, vel Rectores Militarium Collegiorum Salmanticenſium (erga quos eadem eſt poteſtas) alij eorum loco à Rege noſtro, aut à Conuentibus eſſent deſignandi, ad quos hæc electio ſpectat, vt conſtat ex *diſq.*1. *& infrà ex q.*4.

20 Cæterùm alij Priores, non triennales, Ordinum Militarium, & Clerici Fratres Beneficiarij, nequeunt ſuis Dignitatibus, & Beneficiis priuari, niſi adſint cauſæ à Iure requiſitæ; & id præſtetur iuxta ſtatuta, & Definitiones cuiuſque Ordinis; nam eſto Beneficia, vtpotè Regularia, ſint ad nutum amouibilia, cauſæ ad amouendum exiguntur, ob rationes, quas expendemus *diſq.*11.

Obiter aduerte, in eodem Compendio 21 Ciſtercij, *verbo, Capitulum, Generale*, §.8. referri Ingulgentiam plenariam, quam Sixtus IV. conceſſit omnibus, qui Capitulo Generali aſſiſtunt, vel inſeruiunt, applicandam à Sacerdotibus per Capitulum deputatis ad audiendas Confeſſiones, qui tamen intra viginti dies immediatè ſequentes ſemel dumtaxat eam applicare valent, Confeſſione Sacramentali præcedente; *Et ibidem* §.9. per communicationem cum Congregatione Montis Oliueti, eam indulgentiam plenariam obtinent omnes Regulares Ordinis, vbicumque exiſtant, qui pœnitentes, & confeſſi pro Capitulo Generali preces ad Deum fuderint. Quod memoria retineant omnes Militares, cum vel directè, vel per communicationem valeant adipiſci hanc indulgentiam; & plurimas etiam alias, quæ in Bullis erga ipſos expeditis continentur, atque in Compendio Ciſtercij, & in aliis Sacrarum Religionum, quæ euuluere, & callere, par eſſet, vt theſaurum adeò ingentem, & æſtimabilem indulgentiarum lucrarentur; aut ſaltem Ciſtercij Compendium deberent habere præ manibus, vt conſcij eſſent eorum, quæ ad ipſos proximè pertinent, maximè ad Calatrauenſes, Alcantarenſes, & alios ex Ordinibus Munteſæ, & Chriſti.

In Capitulo Generali Ordinis D. Iacobi 22 eliguntur Tredecim Viri in locum eorum, qui mortui ſunt, per ſuffragia maioris partis Tredecim Virorum, qui ſuperſtites ſunt, ſicut etiam & alij, qui vocantur *Emiendas*, & ſufficiuntur loco Tredecim Virorum abſentium. De horum omnium electione, ſede, iuramento, & aliis huiuſmodi agitur in Statutis *tit.* 10. *ex cap.* 6. Inter Tredecim Viros, & Priores deliberatur de Viſitatoribus Generalibus Ordinis deſignandis, quos, ſi idonei à Rege noſtro cenſeantur, ipſe confirmat. Ita *ibidem cap.*10.*fol.*100.*pag.*2. *in fine*. In Ordinibus Calatrauæ, & Alcantaræ, Rex, vt Adminiſtrator, deſignat in Capitulo Generali Viſitatores Generales, & Definitores; Ita in Definitionibus Calatrauæ *tit.* 19. *cap.*1. *& tit.*1. *cap.*8. *&* 14. & in Defiuitionibus Alcantaræ *tit.*1. *cap.*14. Capitula etiam eligunt Equites Fiſcales, Procuratores generales, Theſaurarios, & alios ad varia munera.

Quamuis in Statutis, & Definitionibus 23 Ordinum deſignetur tempus celebrandi Capitula Generalia, attamen ob varia impedimenta, non poſſunt facilè ea cõgregari adeò

adeò frequenter, ac eſt ſtabilitum. Proindè forma præſcribitur Capitulis particularibus celebrandis, quæ ſolus Rex conuocare poteſt, in eis tamen nequeunt ea omnia præſtari, quæ in Capitulis Generalibus; Quænam autem poſſint in eis decerni, ſtatuitur in Definitionibus Calatrauæ *tit.* 1. *cap.* 15. & in Definitionibus Alcantaræ *tit.*1. *cap.*22. & *tit.*23. *cap.*7. Ibi ea ſunt videnda, ſicut in *tit. de Capitulis Generalibus* legi poſſunt omnia, quæ ad illa ſpectant; functiones, quæ exercentur, ſedes, ſuffragia, abſolutio, electiones officiorum, facultates, & cætera alia, quæ tranſcribere non vacat. Plura iam *in præcedentibus* circa hæc aſſeruimus & adhuc *in ſequentibus* non pauca præſtringemus.

24 Capitula itaque Generalia ad res omnes, quæ ad regimen Ordinum ſpectant, congregantur; nam res ad iuſtitiam pertinentes ad Senatum Regium Ordinum deferuntur; cui Pontifices, ac Reges noſtri iuriſdictionem, ac poteſtatem ad eas omnes, atque alias, decurſu Operis libatas, conceſſerunt.

25 Scio, non exiguam fuiſſe controuerſiam inter Capitulum Generale Ordinis D. Iacobi, ac Senatum Regium, contendente illo, dum eſſet congregatum anno 1652. omnia, quæ ad Ordinem ſpectarent, poſſe à ſe peragi, & ad ſe aduocari, vtpotè penes quem eſſet poteſtas Ordinis ſuprema, & ſpeciatim contendiſſe, in ſuis Inſtrumentis non fore vſurum papyro ſignata, vel Tribunal Eccleſiaſticum; Deindè fore cogniturum de negotiis, in quibus inter Regem noſtrum, vt Magiſtrum Ordinis, & ipſum Ordinem eſſet aliqua controuerſia; Rursùs, cum Capitulum elegiſſet Viros ad aliqua Munera, quæ alij exercebant, & hi manuteneri poſtulaſſent in ſua poſſeſſione, huius cauſæ cognitionem ad ipſum ſpectare; Præterea ipſum ſolum fore deſignaturum ex Regia conceſſione, & collaturum Beneficia, & Vicarias Ordinis, ſimulque alia officia, quæ alia Capitula Generalia conceſſiſſe, aſſerebatur; Demùm præſtiturum eſſe licentias ad Profeſſiones emittendas. Hæc latè ſub nomine Ordinis proponit, & exornat D. Didacus Antonius Bajardo *in memoriali ad Regem noſtrum*, exarato anno 1652. Dubia hæc Regi noſtro fuere propoſita, vt ipſe decerneret; Ipſius ergo Decretis omnino erit obtemperandum. Idemque aſſero de alio Memoriali ad Regem noſtrum deſtinato, nomine Equitis Fiſcalis Ordinis D. Iacobi, in quo iuriſdictionem Capituli Generalis, neſcio quis Author ex Bullis Pontificiis, & ex Actis aliorum Capitulorum promouere conatur. Et *ibidem* tradit, Clericos Fratres Iacobæos ante Regem Catholicum Ferdinandum non fuiſſe ſubiectos Magiſtro Ordinis, ſed ſuo Priori, & Sedi Apoſtolicæ. Id iam ad praxim eſt inopportunum; Hiſtorica verò, ſæpè adnotari, à me libanda quidem eſſe, ne aliquid omittam intactum, non verò ventilanda, cum ad noſtrum Inſtitutum præcipuè conducat, explorare, quid Iuris, & facti, nunc vigeat. Plura alia circa Capitula Ordinum ſparſim in hoc Opere reperientur.

QVÆSTIO III.

De Senatu Regio Ordinum, eiuſque iuriſdictione.

POſtquam Magiſtratus Ordinum Regiæ Coronæ Hiſpaniarum fuerunt à Sede Apoſtolica vniti, illuſtriſſimus hic Senatus fuit erectus, cuius regimini, veluti firmiſſimo fulcro, inſignis hæc Militiarum moles inniteretur. Eius ſplendor, praxis, & Miniſtrorum numerus conſtabit *diſquiſ.*17. De eo plurima attingimus, & exploramus totius Operis decurſu. Nunc aliqua addemus. 26

Gaudet Senatus Regius Ordinum erga Militares ipſos Ordines Divi Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ iuriſdictione. Hæc iuriſdictio eſt Eccleſiaſtica, & Regularis. Eſt prætereà ſuprema, ſeu nulli alij ſubiacens, niſi Apoſtolicæ Sedi. Singula euoluamus. Sanè cum Pontifex Adrianus VI. noſtris Regibus Hiſpaniæ conceſſerit omnem iuriſdictionem erga Ordines Militares, ſub ea limitatione, quòd non per ſe, ſed per alios ex ipſis Ordinibus agerent, quæcumque ſpiritualia ſunt, aut ſpiritualibus annexa, ipſi verò per ſe cætera poſſent obire; Reges noſtri deſignarunt Senatum Ordinum ex Viris inſignibus, ac doctiſſimis ipſorum Ordinum conflatum, cui commiſerunt exercenda tum ea, quæ ipſimet Reges per ſe exercere valent (aliquibus tamen rebus ſibi ipſis reſeruatis, ad quas adhuc peragendas communiter ipſius Senatus conſultatio præcedit, de quibus Operis decurſu fit mentio) tum ea, quæ iuriſdictionem Eccleſiaſticam exigunt, dum tamen non ſint merè ſpiritualia [qualia ſunt Adminiſtratio Sacramentorum, collatio Ordinum, prolatio cenſurarum, & ſimilia] quæ nequeunt à Senatoribus exerceri 27

ſeu dum non ſint eiuſmodi, quæ omnino debeant peragi ab his, qui ſunt Status, ac Ordinis Clericalis, in quo Senatores ex ſe non ſunt conſtituti. Ad hæc autem exequenda alij deſignantur ex ipſis Ordinibus Clerici Fratres, vel etiam Clerici ſæculares ad aliqua, ab ipſis noſtris Regibus, ex Senatus conſultatione, aut ab ipſo Senatu ex commiſſione generali, ſeu ſpeciali ipſorum Regum, Ecce potitur iuriſdictione Eccleſiaſtica Senatus à Pontificibus emanante, media Regum deſignatione, quæ, vt conditio, requiritur; ea enim facta, Pontifices eiuſmodi iuriſdictionem Senatui concedunt. Conſtituit autem Senatus vnum cum Rege Tribunal; niſi quòd aliqua valet Senatus exercere, quæ per ſe immediatè Rex nequit; nam ipſi Regi non eſt conceſſa à Pontifice immediata iuriſdictio Eccleſiaſticæ, ſiuè ad ea, quæ ad ſpiritualia concernunt, ſed ſolùm mediata; exercenda per alios ex Ordinibus ab ipſo deputandos.

28 Verùm adhuc magis roborata, ac firmata eſt iuriſdictio Senatus Ordinum. Quippè ipſe Senatus ipſiuſque iuriſdictio approbata, ſtabilita, ac confirmata fuerunt à Clemente VII. anno 1524. & 1525. cuius Bullam affert Don Sebaſtianus Zambrana *in allegat. Iuris pro Iacobæa iuriſdict. fol.* 17. ibique Pontifex includit omnes cauſas decimales, Beneficiales, matrimoniales, eaſque omnes, quæ ad Epiſcopum, vt Ordinarium, pertinent; quas decernendas eſſe in Senatu Ordinum ſtatuit; formamque præſcribit appellationum, quæ deferendæ ſunt ad eundem Senatum, vſque ad tertiam ſententiam. Eadem iuriſdictio roborata fuit à Paulo III. anno 1542. cuius Bulla affertur *ibidem n.*117. A Iulio III. anno 1553. cuius Bulla tranſcribitur in Bullario Ordinis Alcantaræ *fol.*225. A Pio V. in tribus Bullis, quæ extant in eodem Bullario *fol.*227. *& ex fol.*163. Videndi ſunt Carleual *de iudicus, tom.* 1. *lib.* 1. *tit.* 1. *quæſt.* 6. Caro de Torres *in hiſtor. Ordin. Militar. lib.* 3. *cap.* 1. Reynoſo *obſeruat.* 54. *num.* 108. Dom. Zambrana *vbi nuper.* Et aliquæ ex his Bullis expeditæ fuerunt, poſtquam diſpenſatum fuerat cum Calatrauenſibus, & Alcantarenſibus, quòd nuptias contraherent, quare ſupponebatur, poſſe Senatores eſſe vxoratos, & adhuc iuriſdictio Eccleſiaſtica eis confirmatur.

29 Exercuit ſuam iuriſdictionem Senatus Ordinum à ſua prima erectione, exercitiumque illius à poſteriori omnino ſuadet, illam in ipſo reſidere; ſicut à priori eam demonſtrant Bullæ Pontificiæ, & deſignatio Regum. Iuriſdictio autem hæc eſt ordinaria, tum quia ex munere proprio eam Senatus habet à Sede Apoſtolica emanantem; tum quia vnum cum Rege conſtituit Tribunal; Prætereà eſt ſuprema ea Eccleſiaſtica iuriſdictio in ſenſu *ſuprà* libato, quia in his quæ ad eam ſpectant, immediatè ad Pontificem appellatur; quod ex Bullis Pontificiis liquidò conſtat, & nos eas alibi adducimus.

Fit ex his, Senatum Ordinum eſſe Superiorem Ordinum Militarium, omneſque ex Ordinibus tam Equites, quam Clericos Fratres, ac Vaſſallos, & cæteros Clericos ſæculares in ditione Ordinum degentes, aut in ipſorum Eccleſiis Beneficiis, aut Capellaniis gaudentes, necnon Monaſteria Virorum, & Monialium Militarium, & Collegia Salmantina Militiarum, ac alia etiam Monaſteria Monialium non Militarium Ordinibus ſubiecta, & omnes in illis verſantes, ſubditos eſſe huius Senatus, ab eoque omnes poſſe incarcerari, corrigi, & puniri; tenerique ad exequendum mandata, & præcepta Senatus ex vi voti Obedientiæ, cum in eo adſit Prælatura, & iuriſdictio regularis, & repræſentet ille perſonam Magiſtri, ſeu Adminiſtratoris perpetui, ipſius vices gerens, ipſiuſque nomine operans, vtpotè qui ab eo poteſtatem eiuſmodi communicat, & à Pontificibus habet acceptam, approbatam, & confirmatam. 30

Sed adhuc id accuratiori inſpectione indiget. Quippè dubitaueris, quomodo iuriſdictio Eccleſiaſtica poſſit competere Senatui, qui conſtat ex Conſiliariis non habentibus ſtatum Clericalem? Huic dubio planè, & apertiſſimè faciemus ſatis, iuxta omnium opiniones. Nam in primis, iuxta ſententiam tuentem, Equites Militares eſſe ſtrictè, propriè, & abſolutè Religioſos, ac perſonas Eccleſiaſticas, quam ſatis euoluimus *diſq.* 2. *quæſt.* 2. Senatores Ordinum, cum ſint Equites Militiarum, Religioſi ſtrictè, & perſonæ Eccleſiaſticæ ſunt, atque adeò capaces iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, & Regularis; Sicut in Religionibus approbatis, in quibus ex Inſtituto Superiores non ſunt initiati Ordinibus, datur ſanè iuriſdictio in illis, qua puniunt ſubditos, ad profeſſionem admittunt, præcepta Obedientiæ imponunt, aliaque ſimilia exercent. Et à fortiori iuxta hanc ſententiam, iuriſdictio Eccleſiaſtica in Senatoribus Ordinum, quatenùs ex illis conflatur Senatus, reſidebit, cum etiam iuxta oppoſitam ſententiam idem omnino aſſerendum ſit, vt iam oſtendimus. 31

Igitur, adhuc in ſententia tuente, Equites Militares 32

Militares non eſſe perſonas Eccleſiaſticas, nec ſtrictè Religioſos, ſed ſecundùm quid, tenendum conſtanter eſt, iuriſdictionem Eccleſiaſticam dari in Senatu Ordinum coaleſcente ex Senatoribus, qui ſunt Equites Militiarum. Etenim ſupponi debet, poſſe Pontificem iuriſdictionem Eccleſiaſticam laicis concedere, quam exerceant, quaſi nomine ipſius. Hæc aſſertio ventilanda non eſt, quia longam diſputationem exigebat, & à pluribus eſt diſcuſſa. Pro ea plures Authores, & Iura affert Don Ioannes de Solorzano *in Politica Indiarum, lib.4. cap.2. pag.509.* Id confirmatur à fortiori, nam adhuc fœminas eſſe capaces iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, tuentur Paludanus, Syluester, Vgolinus, Diuus Antoninus, Villalobos, Corneju, Emanuel Rodriguez, Pater Reginaldus, P. Azor, Miranda, Flores de Mena, & alij, quos retuli *diſq.6. num.3. & 4. & infrà* redibit ſermo *num.47.* Indéque aiunt, poſſe Abbatiſſas præcipere ſubditis in virtute ſanctæ Obedientiæ, qui eſt actus iuriſdictionis; Et poſſe Pontificem ita tradere iuriſdictionem Eccleſiaſticam fœminis, vt ipſæ deſignent perſonas ad eam exercendam, quando actus perſonalis exercendi fœmina fuerit incapax. Nec probabilitas poteſt denegari huic ſententiæ, ex qua fit argumentum à fortiori, vt laicis poſſit Pontifex iuriſdictionem Eccleſiaſticam concedere; quamuis enim laici non ſolùm ſint Iudices incompetentes reſpectu Eccleſiaſticorum, ſed incapaces à Iure; hoc tamen Ius, cum ſit poſitiuum, poteſt à Pontifice reuocari, vt traduut Pater Suarez, & alij.

33 Iam exindè aſſumptum ſuadeo. Etiam ſi Senatus Ordinum coaleſcat ex Equitibus, qui ſint laici, potuit Sedes Apoſtolica ei iuriſdictionem Eccleſiaſticam tribuere; at Senatus de facto exercuit, & exercet eam iuriſdictionem Eccleſiaſticam, & de poteſtate ad illam exercendam dubitare, eſſet nefas; ergò Sedes Apoſtolica de facto iuriſdictionem eiuſmodi ei conceſſit. Maior liquet *ex num. præcedent.* Minor eſt manifeſta, & omnibus conſtans; Conſequentia eſt euidens; nam, in ſententia tuente, Equites Militares, & Senatores eſſe abſolutè laicos, inquiro, vnde eis iuriſdictio Eccleſiaſtica poſſit competere, niſi ex conceſſione Pontificia; Quam conceſſionem ſuadent omnino tot Bullæ Pontificiæ *ſuprà* allatæ, confirmantes, ac roborantes iuriſdictionem Senatus, & inſuper deſignatio Regis iniuncta ab Adriano VI. qui ſolum præſcripſit, vt per Regulares Ordinum à Rege deſignandos iuriſdictio Eccleſiaſtica foret exercenda. Nomine autem Regularium intelligi à Pontificibus Equites (ſiuè velis eſſe Religioſos ſtrictè, ſiuè oppoſitum contendas) luce clarius apparebit legenti Bullas Pontificias, quæ eo nomine Equites ſemper, & vbicumque comprehendunt: maximè cum aliquæ ex illis, vt *ſuprà* præmonui, expeditæ fuerint, poſtquam Equites valent nuptias contrahere, à quo tempore cæpit dubium, an ſint ſtrictè Religioſi.

Cæterùm cauſæ, quæ à Senatu Ordinum tractantur, & decernuntur; nequeunt abſque iuriſdictione Eccleſiaſtica peragi. Nam, vt abſtineam à cauſis criminalibus Equitum, de quibus *diſquiſ. 2. quæſt. 2.* ad Senatum Ordinum deferuntur cauſæ criminales Clericorum Fratrum, cauſæ decimales, matrimoniales, & eæ, quæ ad Patronatum Regium Ordinum, & ad Eccleſias ipſorum Ordinum, ac Beneficia ſpectant, plurimæque ſimiles; quæ iuriſdictionem Eccleſiaſticam exigunt. Prætereà Senatus peragit ea omnia, quæ toto hoc Opere attingimus, quæ abſque ea iuriſdictione nequeunt executioni mandari. Maneat ergo, eos etiam, qui ſentiunt, Senatores non eſſe perſonas Eccleſiaſticas, teneri dicere; reſidere in Senatu conſtante ex illis iuriſdictionem Eccleſiaſticam; nec poteſt aliqua euaſiô ab ipſis excogitari. 34

In horum ſententia, vt aſſeruimus *ea diſq. 2. quæſt. 2.* ſuperadditur huic Senatui alia iuriſdictio Regia, proueniens à Regibus, quà tales ſunt, non verò quà Adminiſtratores ſunt; qua, aiunt, vti, dum de cauſis criminalibus Equitum Militarium, quas Senatus Supremus Caſtellæ ad ſe non auocat, cognoſcunt. Verùm adhuc in hac ſententia videtur ſufficere iuriſdictio Regularis, qua pollet Senatus Ordinum, vt de his cauſis cognoſcat. Etenim Prælati Regulares cognoſcunt de cauſis ſubditorum, quamvis illæ cauſæ ex ſe non ſint Eccleſiaſticæ, & ſi darentur in laico, cognoſceretur de illis à Iudice laico. Quin ponamus caſum, quòd eſſent crimina, de quibus cum præuentione poſſent cognoſcere Iudices Eccleſiaſtici, & Iudices laici; ſanè illi iuriſdictione Eccleſiaſtica vterentur, præuenientes cauſam. Quòd ſi Pontifex reuocans Ius commune poſitiuum, conceſſiſſet Iudici laico, vt cognoſceret cum præuentione de aliquo crimine Religioſorum, Prælatus Regularis præueniens cauſam, & ſua iuriſdictione Regulari vtens, poſſet de eo crimine cognoſcere, quamvis 35

quamvis ſubditus Regularis potuiſſet tunc per Iudicem ſæcularem iudicari, & puniri. Hinc adhuc in ſententia tuente, Equites Militares non eſſe exemptos à iuriſdictione Regia, nequit negari, eos eſſe ſubditos Senatus Ordinum, Regemque noſtrum, qui veluti Generalis eſt Ordinum Militarium, Superiorque Prælatus, conſtituiſſe ſub obedientia Senatus omnes Equites Militares, cum Senatum loco ſui deſignauerit, & vnum hic cum eo Tribunal conſtituat, & vices eius gerat reſpectu Ordinum, ſicuti ſingulos cæteros eximios Senatus reſpectu Regnorum, aut Prouinciarum, aut ſuæ gazæ Regiæ, Superiores Rex deputauit, & vnum ſecum conſtituentes Tribunal; Ergo quamvis Equitum cauſæ criminales poſſint deuolui ad Senatum Supremum Caſtellæ, & ad Iudices Regios, id non tollit, quominùs Senatus Ordinum, quatenùs Superior, & Prælaturam illorum vice Magiſtri gerens, ſua iuriſdictione Regulari Eccleſiaſtica vtens puniat Equites Militares, & de cauſis criminalibus eorum cognoſcat, quin alia iuriſdictione Regia ſæculari indigeat; ſicut in caſibus *nuper* ad ſimilitudinem appoſitis cernitur.

36 Id magis liquet, quia Senatus Ordinum nequit punire capite, aut membri mutilatione Equites Militares, quamvis crimina eam pœnam exigant, quod eſt conſtans; ergo, cum de criminibus Equitum cognoſcit, vtitur iuriſdictione Eccleſiaſtica, quæ non poteſt extendi ad eas pœnas infligendas. Patet in hac ſententia; Nam in ea aſſeritur, Equites non eſſe perſonas Eccleſiaſticas, ergo Equites poſſunt puniri pœna capitis, quin brachio ſæculari tradantur, vt alij Clerici tradi debent priùs degradandi, quàm morti tradantur. Rurſus in hac ſententia Senatus Ordinum conſtat Senatoribus, qui non ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ; ergo, ſi iuriſdictione Regia, & ſæculari vterentur, dum puniunt Equites, poſſent eos capite punire, ſi crimen eam pœnam mereretur. Etenim quo ex capite impedirentur, quo minùs poſſent eam pœnam capitis infligere? At non infligunt; ergo, quia iuriſdictione Eccleſiaſtica in eis cauſis criminalibus Equitum vtuntur; quæ ad eam pœnam nequit progredi.

37 Dices, id ita contingere, quia Senatus ipſe Ordinum ſequitur ſententiam defendentem, Equites Militares eſſe ſtrictè Religioſos, & perſonas Eccleſiaſticas, & ipſoſmet Senatores, vtpotè etiam Equites, eundem ſtatum Eccleſiaſticum ſortiri, indeque non poſſe ad pœnam capitis extendi. Bene; ergo iam concedis ei Senatui, quòd ea fide operatur, vt ſolam iuriſdictionem Eccleſiaſticam, & non Regiam temporalem, ſeu ſæcularem exerceat, ſiquidem ea non indiget ad puniendos ſuos ſubditos. Id ampliùs roboratur; Quia Rex noſter, vt Adminiſtrator perpetuus Ordinum, poſſet punire Equites Militares delinquentes; quatenùs ſubditos ſibi, vt Adminiſtratori, vt ſic enim eſſe ſubditos Regis Equites, nullus valet inficiari; At Senatus poteſt circa id, quod poteſt Rex, quatenùs Adminiſtrator, cum eius vices gerat, ipſiuſque nomine operetur, & vnum cum eo conſtituat Tribunal, ſicut Proprætor cum Prætore, Vicarius cum Epiſcopo; ergo poteſt Senatus Ordinum, nulla ſuperaddita iuriſdictione à Rege, quatenùs Rex eſt, punire Equites Militares eo modo, quo Rex poſſet eos punire, quatenùs Magiſter, & Superior eorum eſt, independenter à ſua Regia iuriſdictione temporali.

Nec hic modus philoſophandi, ſolidis adeò fundamentis innixus, opponitur his, quæ *diſq. 2. quæſt. 2.* diſcuſſimus; nam, etiam ſi aſſeratur, Equites Militares non eſſe exemptos à iuriſdictione Regia temporali, doctrina tradita ſubſiſtit, vt conſtat ex dictis. Quòd ſi adhuc contendatur, iuriſdictionem etiam Regiam dari ſimul cum Eccleſiaſtica circa Equites in Senatu Ordinum; (nam indubium eſt, circa territoria, & vaſſallos, dari in Senatu Regio Ordinum iuriſdictionem temporalem; de qua *ea diſq. 2. quæſt. 2.*) Ego quidem aſſeram, præfatam cognitionem cauſarum duplici iuriſdictione poſſe à Senatu decerni; tum iuriſdictione regulari Eccleſiaſtica, quæ ad ſubditos coercendos, & puniendos eſt ſufficiens; tum Regia, quæ contenditur ſuperaddi; atque adeò in hac ſententia tribuente Senatui Ordinum iuriſdictionem huiuſmodi, ampliori ille ac duplicata iuriſdictione gaudebit ex hoc capite, quamvis ex alio tollatur ab eo, quòd cauſæ criminales, & mixtæ Equitum Militarium priuatiuè ad ipſum pertineant, quod contendit oppoſita ſententia defendens Equites eſſe ſtrictè Religioſos. 38

Iam, vt poteſtati, & iuriſdictioni Senatus Ordinum inſiſtamus; ille ſanè poteſt præſtare ea omnia, quæ ad iuſtitiam in ipſis Ordinibus ſpectant, & quæ ad ipſorum gubernationem ſpiritualem, ac temporalem conducunt, dum non ſint merè ſpiritualia. Cenſuras ſanè proferre non poteſt, iuxta dicta *ſuprà num.* 17. quia prolatio Cenſurarum, vt *alibi* aſſeruimus, exigit ſtatum Clericalem in proferente; poteſt tamen deſignare 39

deſignare Clericum, qui eas proferat, & quotidie id præſtat. Nec pontifex (eſtò aſſeratur, poſſe id concedere) conceſſit Senatui poteſtatem ferendi cenſuras immediatè, auferendo impedimentum, & incapacitatem, quam laïci habent ex defectu ſtatus Clericalis requiſiti; &, dum expresſè non conceditur ea poteſtas, non intelligitur conceſſa; indéque Senatus immediatè ea non vtitur, ſed mediatè. Et qui dem, quamvis omnis iuriſdictio ſpiritualis ſit intra Ordines, id tamen reſpectiuè, proportionatè, & ſub terminis habilibus eſt deſumendum. Sic nec Capitulum, nec Senatus poſſunt conferre literas dimiſſorias ſubditis ad Ordines ſuſcipiendos; poſſunt verò priores iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentes, quos Rex noſter ad prioratus euexerit; & ſimiliter de aliis eſt philoſophandum, vbi requiritur actio perſonalis, & ſpecialis circunſtantia in perſona; ſufficit enim à Pontificibus fuiſſe conceſſam eiuſmodi iuriſdictionem ſpiritualem omnimodam in fauorem Ordinum, eſtò ab his, vel illis perſonis exercendam, vt verè cenſeatur, totam eam iuriſdictionem in Ordinibus reſidere.

40 Ad Senatum Ordinum ſpectat, omnes res ad iuſtitiam pertinentes decernere; informationes Equitum, qui admittuntur ad Ordines ipſos, examinare, approbare, aut reprobare; necnon & Monialium Militarium; Informationes autem eiuſmodi iam examinatæ clauſæ mittuntur ad Scrinia Monaſteriorum de Veles, Calatrauæ, & Alcantaræ, iuxta diuerſitatem Habituum. Informationes verò Fratrum Clericorum an, & quomodo pertineant ad Senatum, & ad ipſa Monaſteria, *in inferioribus* exponemus.

41 Ad Senatum etiam prædictum ſpectat, & non ad Senatum gazæ Regiæ, expedire ſchedulas, ſeu chirographa circa pecunias ex redditibus menſæ Magiſtralis perſoluendas. Ita in Definitionibus Calatrauæ *titul.* 23. & in Definitionibus Ordinis Alcantaræ *titul.* 24. *capit. octauo*, atque etiam deſignare Iudices, vel Receptores, qui eos redditus colligant. Pertinet etiam ad ipſum, dum aliqui ex Ordinibus decedunt è viuis, ſi Diſpoſitores bonorum fuerint negligentes in adimplenda eorum poſtrema voluntate, deſignare, & mittere perſonas ad eam executionem, & ad impletionem præſtandam. De quo agitur in Definitionibus Ordinis Alcantaræ, *titul.* 22. *cap.* 7.

42 Et generaliter loquendo, Senatus Ordinum, vt aſſerui, Regem noſtrum, vt ipſorum Ordinum Magiſtrum, repræſentat, atque adeò velut vna cum illo perſona, & ſicuti Generalis eorundem Ordinum exercet iuriſdictionem erga Equites Militares, Clericos Fratres, Monaſteria, Collegia, territoria, Eccleſias, Hoſpitalia, Eremitoria, Vaſſallos, & cæteros, qui in ditionibus Ordinum degunt, dum non ſint alij Religioſi exempti. Et quidem de pluribus cauſis in prima inſtantia, de aliis autem in ſecunda cognoſcit; Quippè ad Sena um appellatur ab omnibus Iudicibus Eccleſiaſticis Ordinum; excepto priore Alcantaræ, propter Concordiam Ordinis cum Epiſcopo Caurienſi, de qua *inferiùs.* Prætereà appellatur cum electione ad illum, vel ad Cancellarias à Iudicibus ſæcularibus Ordinum, & in aliquibus cauſis abſque electione ad illum defertur appellatio; de quibus egimus *diſq.* 2. *quæſt.* 2. Quin, ſi cauſa eſt gravis, in prima inſtantia ſolet Senatus eam ad ſe auocare, & mittere Iudicem, qui eam exploret.

Inſuper, per viam, vt aiunt, gubernationis in prima inſtantia præcipit, quæ iudicat expedire circa perſonas Eccleſiaſticas in territorio Ordinis degentes, & circa ſæculares, necnon Confraternitates, ſeu Capitula Clericorum ſæcularium erecta in Eccleſiis Ordinum, aliaque præſtat iam libata *quæſtion. præcedent.* Rursùs poteſt in prima inſtantia cognoſcere de executione eorum, quæ in Definitionibus continentur, ad quæ etiam reſpectu territorij Alcantaræ non ſe extendit Concordia Alcantarenſis, vt *infrà* aſſeram. Ex dictis fit, non debere Senatum obſeruare ſemper apices Iuris, vt de prælatis Regularibus communiter dicitur, ſed poteſt præcipere, & cogere ad ea, quæ expediunt; Verbi gratia, vt Commendatarius reædificet Eccleſiam Commendæ; congruam parocho deſignet, ornamenta cultui Diuino ſuppeditet, niſi hæc conſuetudine, aut pacto ad parochianos ſpectent; quos etiam ad ipſum poterit Senatus cogere, hæc enim per viam gubernationis expediuntur; poteſt etiam punire Clericos, eiſque pœnam imponere exilij, aut priuationis diſtributionum, aliaſque ſimiles, ſi mereantur; cum plenum Ius habeat, Et quidem, quæ ratione patronatus Regij, competere Senatui Regio Indiarum circa Indias, etiam reſpectu Clericorum, pluribus locis probat D. Ioannes de Solorzano *in tom. de Iure Indiarum, & in Politica,* à fortiori competunt Senatui Ordinum, reſpectu ditionum, Eccleſiarum, & perſonarum, nam & datur idem patronatus, & prætereà iuriſdictio

Eccleſiaſtica, quæ non datur in Senatu In-
diarum.

44 Illud maximè Senatui incumbit, Ordi-
num bono, & ſplendori ſedulò proſpicere;
eorum immunitates, exemptiones, & pri-
uilegia illæſa ſemper eſſe conari; iuriſdi-
ctionem, & forum tueri; & quidquid ad-
uerſus priuilegia tentetur, propulſare, Re-
gemque noſtrum de his omnibus admone-
re, (quod etiam cauetur *in Definitionibus
Alcantara tit.37.cap.3.*) vt, tanquam caput,
Adminiſtrator, Patronus, & Protector Or-
dinum, ſuam Regiam admoueat authori-
tatem ad exemptiones, ac priuilegia eiuſ-
modi ſarta recta tuenda. Et ſanè, ſeruata
proportione, obligationes, quibus obſtrin-
guntur Prælati Religionum non Milita-
rium, vrgent Senatum Ordinum, reſpectu
gubernationis, & promotionis ipſorum Or-
dinum, & iuxta materiæ qualitatem, gra-
uiter, aut leuiter peccabunt Senatores, qui
huic muneri non ſatisfaciant. Et eis autem
hi, qui ſunt ex vnoquoque Ordine, debent
ei ſpecialiter conſulere, quamvis reſpectu
aliorum nulla debeant iniuria, aut negli-
gentia laborare. Præſes autem eius Senatus
in primis hoc ſibi vendicat munus; tum
quia ipſe eſt caput Senatus, illumque regit;
tum quia independenter à Senatu non pau-
ca præſtat, in quibus attenta, & matura
exigitur conſideratio, Ordinumque nomi-
nis, ornamenti, & ſplendidæ famæ zelus,
quin acceptio perſonarum vtilitatem pu-
blicam interturbet; nec priuata aliquorum
commoda bono communi præferantur. Ex
præfato munere regiminis vniuerſalis Or-
dinum incumbit Senatui cura, vt viſitentur
Monaſteria, Collegia, territoria, Eccleſiæ,
& perſonæ; vt Parochi ſuis aſſiſtant Eccle-
ſiis; vt in his cultus Diuinus vigeat, nec
quidquam ad illum deſit; incumbit etiam
ei, conſulere Regem noſtrum de perſonis
idoneis ad Dignitates, & Munera maiora
Ordinum; & conferre Beneficia Curata
aptis, & dignis, & de eorum congrua ſu-
ſtentatione ſatagere. Vide Reynoſum *ob-
ſeruat.54.* Ocampo *in Memoriali pro
Vicariis Iacobæis, pag.7.* Cætera
ad Senatum pertinentia
ſuis locis præ-
figimus.

* * *

QVÆSTIO IV.

*An Priores Militares gaudeant iuriſdictione
in vtroque Foro?*

QVinam ſint in ſpeciali Priores iuriſ- 45
dictione gaudentes, *ſequentibus quæ-
ſtionibus* exponemus. Nunc in communi
inquirimus, an aliqui Priores Militiarum
ea gaudeant in vtroque foro? Concluſio
affirmatiua eſt indubitabilis, ſi quidem de
facto conſtat, Priores aliquos eiuſmodi iu-
riſdictionem exercere; eaque ex Bullis
Pontificum, & ex Statutis, ac Definitioni-
bus Ordinum ſatis apertè liquet.

Et in primis congruum, ac neceſſarium 46
fuit, vt iuriſdictio Regularis in Prioribus
Clericis reſideret; nam, quoties Summus
Pontifex reddit Religionem exemptam ab
Epiſcoporum iuriſdictione, immediatéque
ſubiectam Sedi Apoſtolicæ conſtituit, com-
municat Prælatis electis, iuxta Religionis
ſanctiones, omnem poteſtatem neceſſariam
ad rectum regimen ſpirituale, & directio-
nem ſubditorum, quæ eſt non ſolùm pote-
ſtas dominatiua, ſed poteſtas clauium;
quare illi ſunt proprij Parochi ſubditorum,
eorumque Confeſſiones excipere valent,
& delegare aliis poteſtatem audiendi ipſo-
rum Confeſſiones; poſſunt etiam præce-
pta, & cenſuras imponere. Id enim rectus
Ordo, ac ratio poſtulant; cum enim Sum-
mus Pontifex, cui immediatè ſubſunt, ne-
queat opportunè his omnibus prouidere,
nec per ſe, nec per alium, oportuit, Præla-
tos Regulares ea poteſtate fungi, ne deſti-
tuantur armis ſpiritualibus, ac remediis
congruentibus ad continendum ſubditos
in officio. Hanc doctrinam latè proſequun-
tur Bañez *in 2.2. quæſt.1. art.1. dub.8. concl.
2.* Emanuël Rodriguez *tom.1. qq. regular.
quæſt.17. art.2.* Carraſco *ad leges Regni, cap.
9. num. 227.* Diana *part.3. tract.2. reſol. 2.*
P. Suarez *tom.4. de relig. lib.2. cap.1. à num.
7.* P. Molina *de iuſt. & iur. tom.6. tract. 5.
diſp.7. num.3. & diſp.8. num.6.* P. Thomas
Sanchez *in ſumm. lib. 5. cap. 1. num. 20.* P.
Vazquez *in 1.2. diſp.165. cap. num.31.* &
alij.

Eidem aſſerto inſiſtentes aliter philoſo- 47
phantur Miranda *in manuali Prælator. tom.
1. quæſtion. 3. articul.4. concluſ.1.* Baſilius Le-
gionenſis *de matrimon. lib.7. cap.3.* aiunt
enim, inſtitutionem ſtatus Religioſi eſſe
de iure diuino, atque adeò præcedente con-
firmatione Ordinis per Sedem Apoſtolicam
ſtabilita,

ſtabilita. Chriſtum Dominum communicare Prælatis Regularibus prædictam poteſtatem. At id quid metaphyſicum eſt, nec ad praxim neceſſarium, cum vtrinque ſupponatur, poteſtatem, ac iuriſdictionem dari in Prælatis, & dubium vertatur, à quo illa immediatè proueniat, an à Chriſto D. an à Sede Apoſtolica.

48 Igitur olim Magiſter vniuſcuiuſque Ordinis de conſilio Seniorum, aut Monaſterij Fratres eligebant Priorem Clericum, ad quem ſpectabat munus Parochi proprij, eo quòd Magiſter non eſſet Ordinis Clericalis; Hæc electio poſt incorporationem Magiſtratuum Ordinum in Hiſpania ad Regiam Coronam pertinet ad Regem, vel ad ipſa Monaſteria, electique ab illis Priores fruuntur iuriſdictione in vtroque foro, tum reſpectu Clericorum Fratrum ſibi ſubditorum, tum reſpectu Eccleſiarum, & territorij exiſtentis ſub eorum poteſtate, quod nuncupatur *nullius diœceſis*, quia immediatè non ſubeſt alij Epiſcopo, aut Archiepiſcopo, niſi Priori, adeóque non diœceſis propriè dicta.

49 Cæterùm præcisè quatenùs Prælati Regulares ſunt prædicti Priores, ſolùm indigebant poteſtate, ac iuriſdictione ſpirituali erga ſubditos Religioſos, vt cernere eſt in Prælatis Ordinum non Militarium. At cum Ordinibus Militaribus plura oppida, & loca fuerint donata, Summi Pontifices eis indulſerunt iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem in ipſis, indéque pro foro interno, & externo ea potiuntur tam reſpectu ſubditorum Regularium, quàm cæterorum inibi commorantium, & aliunde non exemptorum. Ita docent Barboſa *de Iure Eccleſiaſtic. lib. 1. cap. 17.* referens plures. Innocentius *in c. quia propter, de elect.* Lupus *alleg. 84. n. 11.* Miranda *de perfect. Confeſſ. tom. 2. lib. 4. part. 6. tract. 3. doc. 2.* Azor *inſtit. mor. p. 1. lib. 12. cap. 29.* Suarez *tom. 4. de Relig. lib. 2. tr. 8. c. 2. num. 2.* Etenim de eis philoſophandum eſt eodem modo, ac de Abbatibus exemptis, quibus ea iuriſdictio quaſi Epiſcopalis competit, vt conſtat *ex c. Abbates, & ibi Gloſſ. de priuileg. in 6. cap. vt Apoſtolica, eodem tit. cap. decernimus, de iudic.* Quæ iuriſdictio in vtroque foro exercetur in ordine ad Eccleſias ſubditas, & ad regimen ſubditorum tam Clericorum, quam ſæcularium. Conſulendi ſunt Barboſa *de poteſt. Epiſc. p. 3. alleg. 93. n. 0. & de iure Eccleſiaſt. lib. 1. c. 17. n. 48.* Zerola *in praxi Epiſcop. part. 2. verbo, Abbas, verſ. 2.* Machado *vbi ſuprà à docum. 1.* cum pluribus *ibidem in margine* relatis.

50 Hinc non eſt opus noua confirmatione pontificis, cum quis in priorem eligitur à Magiſtro, ſeu Adminiſtratore Ordinis, vel à Fratribus Monaſterij, iuxta Ordinum ſpeciales definitiones, nam, poſita electione, ac acceptatione, pontifex ei iuriſdictionem tribuit abſque noua ipſius confirmatione. Sicut electo Abbati Monaſterij, v.g. Sanctæ Mariæ de Najera Ordinis Benedictini, aut Sancti Æmiliani de la Cogolla, aliorumque ſimilium, poſt ſolemnitates in ipſo Ordine requiſitas, pontifices concedunt iuriſdictionem pro vtroque foro in eorum territoriis, etiam reſpectu ſubditorum non Regularium. Idem præfatis prioribus contingit, & ea iuriſdictionis conceſſio conſtat ex Bullis pontificiis allatis in Bullariis Ordinum Militarium, quas hic repetere, eſſet prolixum, & ſuperfluum, cum omnibus peruiæ ſint.

Nec obſtat textus *in capit. auaritia, de electione, & electi poteſtate, lib. ſexto*, in quo requiritur pontificis confirmatio ad exercendam iuriſdictionem ab electo. Agitur enim ibi de Epiſcopis, & aliis Dignitatibus, quibus in Iure prohibita erat adminiſtratio ſuarum Eccleſiarum ante confirmationem pontificum. Prioribus autem non eſt prohibita adminiſtratio, quin potiùs conceſſa, abſque eo quòd confirmatio pontificia deſideretur; Sicut ille textus non aduerſatur Abbatibus Benedictinis, & Ciſtercienſibus, aliiſque ſimilibus, qui iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudent in vtroque foro in ſuis territoriis, & ad eam exercendam non expectant confirmationem pontificiam. Et certè in præſenti deciſione hæc eſt manifeſtiſſima inſtantia. 51

Nec aſſeri poteſt, olim priores electos à Magiſtris Ordinum, qui erant perpetui, confirmatos fuiſſe à pontificibus. Etenim ſimilis confirmatio non extat, nec reperitur in Scriniis ipſorum Ordinum. Quin etiam tunc priores amoueri poterant à Magiſtris, ſi cauſæ darentur ſufficientes iuxta ius commune; nec hi paterentur, confirmationem pontificiam expoſci, qua poſita, non remaneret penes ipſorum arbitrium amouere à Munere priores, dum concurrerent cauſæ in Definitionibus Ordinum deſignatæ, aut inſinuatæ, ſimiles his, quæ deſignantur ſufficientes ad tollendam à Commendatario Commendam. 52

Confirmatur adhuc tradita doctrina. Nam, deſignato in ſua diœceſi Officiali, & Vicario Generali ab Epiſcopo, abſque alia confirmatione iuriſdictio ei competit; idem eſt de Iudice Studij Salmantini ab Scholæ Magiſtro electo; idem etiam in pluribus Oppidis de Proprætore deſtinato à Prætore, 53

Hi etenim deſignantur in vi poteſtatis, quam Ius Canonicum, Pontifices, aut leges Regiæ concedunt, à quibus cenſentur nominari hoc ipſo, quòd ab illis eligantur, atque adeò iuriſdictione ordinaria gaudent, non delegata, vt docent Abbas, Narbona, & alij, quibus ſubſcribunt Pater Azor *tom.1. inſtitution. moral. lib.3. cap.43. quaſtion.5.* P. Thomas Sanchez *de matrimon. lib.3. diſputat.29. num.3.* Et id latè tradidi *tom. de Iure Academico, lib.1. quaſtion.24.* Pariter ergo, deſignatis Prioribus à Rege noſtro, aut à Monaſteriis, quibus hæc deſignatio indulta eſt à Sede Apoſtolica, competit iuriſdictio, non ſecùs ac ſi ab ipſa Sede immediatè nominarentur.

54 Itaque ſpecialia territoria cum ſuis Eccleſiis ſubiecta ſunt Ordinibus Militaribus, qui in ſuis Capitulis repræſentantur; at, cum iuriſdictio debeat continuò exerceri, ac per determinatas perſonas, & Capitula non ſemper ſint congregata, ac ſint quædam Communitates, ſeu plures perſonæ ſimul coniunctæ, hinc fit, deſignari priores, per quos iuriſdictio exerceatur. Vnde proprietas huius iuriſdictionis verſatur penes Ordines ipſos, exercitium autem penes eos, quos Rex, vt Adminiſtrator, vel Monaſteria, quæ ex Ordinis Statutis, habent ius eligendi priores, deſignauerint. Hinc priores viſitare poſſunt, & debent ſua territoria, & Eccleſias in illis ſitas, Ordinibuſque ſubiectas, per ſe, aut per alios. Et prætereà poſſunt Capitula Ordinum, aut etiam Adminiſtrator (cui id à pontifice eſt indultum in conceſſione generali deſignandi Regulares, per quos ſpiritualia exerceantur) deſignare Viſitatores generales, aut ſpeciales. Etenim quamvis prioribus conceſſa ſit iuriſdictio, Ordines tamen non abdicant à ſe liberam diſponendi facultatem ad rectum regimen ſubditorum. Sic etiam in Ordinibus non Militaribus, etiam poſt deſignatos Superiores locales, ac prouinciales, mitti ſolent Viſitatores ab Ordine ipſo, aut à Generali deſtinati.

55 Nec obſtat, in aliquibus Bullis pontifices loqui cum his, qui exercent iuriſdictionem in Ordinibus Militaribus. Indè enim non infertur, priuatiuè ad eos illam pertinere, ſeu eos à pontificibus ita in ſuo munere confirmari, vt nequeant vel amoueri ab officio per Ordinem, ſeu Adminiſtrationem, vel non poſſit alius deſignari, qui eandem iuriſdictionem exerceat. Etenim ſupponunt pontifices, iam fuiſſe conſtitutos, qui huiuſmodi iuriſdictione fungantur, & cum ſic conſtitutis, quicumque ſint, loquuntur, quin tollant, quòd Ordo ipſe, exigentibus cauſis, eos amoueat, aut aliis committat iuriſdictionis exercitium.

Viſitatores autem poſſunt ab Ordinibus 56 deſignari ad ſua territoria quoad ſpiritualia, & temporalia, cum ſit penes ipſos plenum dominium, & proprietas vtriuſque iuriſdictionis. Magiſter etiam, ſeu Adminiſtrator poteſt deſignare Viſitatores ſpeciales; De generalibus *infrà* agemus. Adminiſtrator namque, vt non ſemel aſſerimus *in hoc tractatu* idem valet præſtare, quod valebat Magiſter cuiuſque Ordinis, eo ſolùm animaduerſo, quòd nequit per ſe ipſum exercere iuriſdictionem in his, quæ ad ſpiritualia concernunt, ſed id eſt præſtiturus per Regulares ipſorum Ordinum à ſe electos. Poterat autem Magiſter eos deſignare Viſitatores in Ordine ad ſpiritualia, & temporalia, vt ſupremus Ordinis Prælatus. Obiter aduerte, priores, & Viſitatores, generales, quibus iuriſdictio competit, poſt deſignationem à Rege, aut à Monaſteriis factam, debere eſſe profeſſos, vt ſtatutum fuit à Pio V. in Bulla, quæ incipit, *Exponi nobis*, expedita anno 1567. & in alia, quæ etiam incipit, *Exponi nobis*, expedita ab ipſo, anno 1569. & extant in Bullario Ordinis de Alcantara, *pagin.163. & 165.* Quin ſpecialia requiſita exiguntur, vt priores eligantur. Videantur Statuta Ordinis Divi Iacobi *titul.12. capit.1.* Definitiones Calatrauæ *titul.2. capit.3.* Et Definitiones Alcantaræ, *titul.5. cap.17.*

Cæterùm ad quos actus, & omnia ſe extendat iuriſdictio, quæ eſt in ipſis Ordinibus, in prioribus, & in Viſitatoribus, ex dictis *ſuperiùs*, & ex dicendis decurſu conſtabit, cum ſanè ampliſſima ſit, & pontificum, ac Regum indultis plurima complectatur, vt in Bullis, & Diplomatibus Regiis cernitur. 57

Ex his liquet, olim abſque fundamento 58 in Capitulo Generali Ordinis de Alcantara, anno 1600. propoſuiſſe, ac contendiſſe Sacriſtam maiorem ipſius Ordinis, priorem Monaſterij de Alcantara non frui iuriſdictione pro vtroque foro in ſuo territorio, nec item priorem de Magacela in ſuo territorio Oppidi *de la Serena*, eo quòd à pontificibus non eſſent confirmati, proindéque oportere, Bullam à Sede Apoſtolica impetrari, in qua concederetur, vt electio priorum à Rege facta ſimul eſſet confirmatio; Vt conſtat *ex Actibus Capitularibus fol.14. 57. & 58.* Etenim, vt *infrà* aſſeremus, hi priores ſunt ex his, qui iuriſdictione in vtroque foro gaudent, & ex dictis conſtat, non indigere noua pontificum confirmatione, vt iuriſdictione exerceant, ſed ſufficere

ſufficere electionem perſonarum in eo Ordine Alcantaræ à Rege factam. Hinc præfatam iuriſdictionem in Prioribus Militaribus fatentur Paz *in praxi, tom. 2. pralud.* 1. *num.* 7. Narbona *ad leg.* 59. *Gloſſ.* 1. *num.* 67. *titul.* 4. *lib.* 2. Emanuël Rodriguez *in quæſtion. regular. tom.* 1. *quæſtion.* 36. *à num.* 6. Diana *part.* 3. *tract.* 2. *reſolut.* 95.

59 Nec id nouum eſt cenſendum, ſi attendatur id, quod difficilius apparet, & tamen docetur ab ipſo Emanuële Rodriguez *in ſumm. tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 49. *num.* 1. Flores de Mena *in variis quæſtion. quæſt.* 10. *num.* 4. Miranda *in manuali Prælat. tom.* 2. *de ſacris monial. quæſtion.* 6. *articul.* 5. *concluſ.* 4. P. Reginaldo *in ſumm. tom.* 1. *lib.* 9. *capit.* 7. *ſection.* 2. *num.* 117. Plures ſcilicet Abbatiſſas Monialium gaudere iuriſdictione Eccleſiaſtica reſpectu ſuorum Vaſſallorum, quam per ſe ipſas nequeunt exercere, ſed deſignant perſonas, vt eam exerceant, & illicò poſt deſignationem abſque confirmatione Pontificis, & ſine licentia alterius Prælati, eam exerceut; quia à Pontifice deriuatur in eos, hoc ipſo, quòd ab Abbatiſſis deſignentur, quæ deſignatio fit ex conceſſione, & priuilegio Sedis Apoſtolicæ. Inter quas Abbatiſſa Regij Cœnobij Ordini Ciſtercienſis *de Las Huelgas* propè Vrbem Burgos, pluribus vtitur indultis, tum deſignando Confeſſarios, qui in ſuo territorio Confeſſiones audiant, tum Viſitatores aliorum Cœnobiorum, quæ ei ſubiecta ſunt, & hi in Viſitatione iuriſdictionem ſpiritualem exercent, præcepta, & Cenſuras imponendo. Attamen ego propriùs loquendo, non aſſererem, eas Abbatiſſas gaudere iuriſdictione ſpirituali, ſed gaudere priuilegio, vt deſignent Viros Eccleſiaſticos, qua deſignatione facta, illi à Pontifice eam iuriſdictionem accipiunt. Quare Pontifex apponit vt conditionem, deſignationem perſonarum ab Abbatiſſis præſtandam, qua conditione appoſita, ac impleta, iuriſdictionem eis perſonis concedit, non expectato alio requiſito, nec confirmatione Pontificia. Sicut non aſſerimus Regem, aut Fratres Monaſteriorum gaudere iuriſdictione Eccleſiaſtica, quamvis Priores Militares poſſint ab eis eligi, qui ſtatim illa gaudent.

60 Itaque id, quod de Abbatiſſis à prædictis Authoribus docetur, nos tradimus de Adminiſtratore perpetuo Ordinum Militarium, & de Prioribus ac Viſitatoribus, qui ab ipſo ſeorſim, vel ſimul à Capitulo Generali, aut à Monaſteriis ex conceſſione Ordinis deſignantur; nempè hos frui iuriſdictione in vtroque foro reſpectu proprij territorij, ad quod deſtinantur, quin ſit neceſſaria noua confirmatio Pontificis, ſicut eſt neceſſaria confirmatio Epiſcoporum, quos ſolùm præſentandi ius habet Rex, nec ei eſt conceſſum, vt hi poſſint conſecrari, aut transferri ad alios Epiſcopatus, abſque confirmatione Pontificia, nec vti iuriſdictione Epiſcopali. Et idem euenit in pluribus Dignitatibus non Regularibus, vt *ſuprà* libauimus. Secùs autem contingit in noſtro caſu, iuxta iam ſtabilita.

Ad calcem huius quæſtionis obſeruandum eſt, conſentientibus, & ita ſtatuentibus ipſis Ordinibus Militaribus in ſuis Capitulis, electionem aliquorum Priorum (vtpotè in Ordine Divi Iacobi) ſpectare ad ipſa Monaſteria; electionem verò Adminiſtraroris Calatrauæ, & Priorum Monaſterij de Alcantara, de Magacela, de Zalamea, & de Rollan, ad Regem pertinere, qui ſolùm eligit perſonas, in quas Ordo transfert iuriſdictionem à Pontificibus acceptam, ipſique Pontifices eam conferunt perſonis ſic electis. 61

QVÆSTIO V.

Quinam in Ordinibus D. Iacobi, & Calatrauæ iuriſdictione gaudeant in vtroque foro? Vbi de Prioratu Monaſterij Monteſæ.

PRior Monaſterij de Vcles, ac Prior Sancti Marci Legionenſis, Ordinis Divi Iacobi, territoriis, & iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudent pro foro externo, Iudiceſque ſunt Ordinarij cum eo iuriſdictionis vſu, quo Epiſcopi in ſuis diœceſibus potiuntur; de quo latè *in ſequentibus* agemus. Veſtibus Pontificalibus ornati incedunt, & titulus Dominationis eis tribuitur, ſicut etiam, & Priori Monaſterij de Alcantara. Prior autem Monaſterij Divi Iacobi Hiſpalenſis non alia potitur iuriſdictione, quàm ea, quæ competit prælatis Regularibus reſpectu ſubditorum Regularium. Hanc etiam habent erga Religioſos domeſticos, quorum ſunt prælati immediati priores de Vcles, ac Sancti Marci, & prior Alcantaræ, necnon Adminiſtrator Conuentus de Calatraua. De qua plura etiam decurſu trademus. Præter priores præfatos dantur Vicariæ plures in Ordine Divi Iacobi, quas recenſebimus *diſquiſ.* 8. *quæſt.* 4. quæ etiam habent territorium, & iuriſdictionem ordinariam quaſi Epiſcopalem. Quid autem in territoriis eiuſmodi poſſint 62

præſtare

præſtare Archiepiſcopus Tolètanus, & alij Epiſcopi, ex praxi, & conſuetudine introſpiciendum eſt, cùm nequeat regula præfigi; Non enim exiguæ contentiones olim, & nunc inter Præſules Eccleſiarum, & Ordines Militares agitantur circa iuriſdictionis vſum, & exercitium; eſtò Ordo Alcantarenſis nulla ferè lite turbetur, poſtquam inter Epiſcopum Caurienſem, ac Eccleſiæ Cathedralis Capitulum, & Ordinem Alcantaræ concordia fuit inita, quam fusè *infrà quæſt.* 14. exponemûs. Nunc verò temporis, cum in Capitulo generali Ordinis D. Iacobi celebrato anno 1652. fuerit erecta ac inſtituta Vicaria *de Aledo, & Totana*, gravis inter Eminentiſſimum Cardinalem Archipræſulem Toletanum (Principem omni laude maiorem) & Ordinem Iacobæum lis eſt exorta. Vidi, & expendi allegationes Iuris valdè eruditas pro vtraque parte; at cum ad forum contentioſum cauſa ſit deducta, noſtrum non eſt, ferre iudicium, ſed ab integerrimis Iudicibus expectare ſententiam, tum circa id, tum circa ſimiles cum Epiſcopis lites, quæ variæ ſunt, nec poſſunt in compendium redigi, nec abſque offenſione decidi. Quod mihi eſt omnino vitandum; quare ſolùm proponam ea, quæ ex ſe, & generaliter competunt Prioribus, dum aliqua exceptio, fundamentum, conſuetudo, aut ſpeciale ius non obſiſtant.

63 In Ordine Calatrauæ nullus eſt Prior iuriſdictioue, & territorio gaudens. Quædam eſt Vicaria, nuncupata *de Martos*, in ipſo huius nominis Oppido ſita, quæ iuriſdictione ordinaria gaudet, non verò omnimoda, cum aliqua ſpectent ad Epiſcopum Giennenſem, qui hoc ipſo tempore obtinuit litem exortam ſuper approbatione præſtanda Confeſſariis, quam etiam ſubditis præſtare Vicario de Martos fuit denegatum, vt mihi ab ipſis Calatrauenſibus fuit relatum. In ſacro Conuentu Calatrauæ Prior non datur, ſed Adminiſtrator. Lis namque ſuper Prioratu vertitur; totam rei ſummam fusè referam *infrà diſquiſ. 9. quæſtion. 7.* Cæterùm obtinuit Rex noſter Philippus III. Ordinis perpetuus Adminiſtrator, à Pontifice facultatem, vt, dum ſententia proferretur, poſſet conſtituere Superiorem eius Conuentus non quidem ſub nomine Prioris, ſed Adminiſtratoris, qua vocè rectè deſignatur eius munus, eo quòd in Adminiſtratione ſit Dignitas Prioralis. Attamen Adminiſtrator propriè, & ſtrictè eſt Prælatus Regularis eius Monaſterij, vt obſeruauit. Frater Ioaunes de Sacramento (olim Calatrauenſis Clericus Frater) *de Priore clauſtrali, part. 2. n.* 28. Quippè Prælati Regulares variis nominibus poſſunt nuncupari, vt Abbas, Prior, Guardianus, Commendator, Corrector, Rector, Præpoſitus, & aliis ſimilibus; Eo autem ipſo quòd iuriſdictione ordinaria erga ſubditos Monaſterij, Domus, & Collegij gaudeant, Prælati ſunt Regulares, eiſque competunt omnia, quæ decurſu dicemus de Prælatis Regularibus. Huiuſmodi autem eſt Adminiſtrator Calatrauæ, cum ei competat iuriſdictio ordinariâ; nec aliter rectè fuiſſet prouiſum regimini eius Conuentus; & ea ille præſtat, quæ eius iuriſdictionis ſunt propria. At verò non gaudet his priuilegiis, & exemptionibus, quæ perſonaliſſimè Priori annectuntur; nec enim vti poteſt veſtibus Pontificalibus, nec in Pontificalibus celebrare; nec ſuffragium habet in Capitulis Generalibus, nec in illis ea munia exercet, quæ pro Prioribus Calatrauæ in Definitionibus Ordinis ſunt ſtabilita. Iuriſdictione ordinaria in territorio non potitur; Capitulum autem Generale ei deuuò committit poteſtatem, & iuriſdictionem ad corrigendum, & puniendum Clericos, qui in Campo Calatrauæ, Senatui Ordinum ſubjiciuntur. Subprior eſt in eodem Conuentu, de quo ſimul, ac de aliis Subprioribus plura dabimus *infrà quæſt.* 18. De eo ait Fr. Ioannes de S. Sacramento *vbi ſuprà*, adhuc præſente Adminiſtratore, poſſe bis, ſingulis hebdomadibus, cogere Conuentuale Capitulum; eidem præeſſe; culpas, ac exceſſus corrigere, pœnitentiaſque imponere, inuiolabiliter adimplendas.

Occaſione litis ſuper Prioratu Monaſterij Calatrauæ, obiter obſeruauerim, Monaſterio Monteſæ in Regno Valentiæ Priorem conſtitui Monachum Ciſtercienſem è Conuentu, quem vocant *de Sanctas Cruces*; Ordinem verò contendere; Fratrem Clericum ex ipſa Religione Militari Monteſæ in Priorem à Rege noſtro, vt ipſius Ordinis perpetuo Adminiſtratore, debere deſignari. Libellum ſupplicem ipſi Regi deſtinatum circa id ſcripſit anno 1627. F. Franciſcus Calaf, eiuſdem Ordinis Clericus Frater, hæc fundamenta proponens; Nempè quòd in Officiis non debet eſſe diſpar profeſſio; Id enim iuri, & rationi videtur conſonum; Quòd in Tridentino *ſeſſ. 14. de reformat. cap.* 10. ſtabilitur, Beneficia Regularia vacantia Religioſis tantùm illius Ordinis, & non aliis eſſe conferenda. Et *ſeſſ. 25. de Regular. cap.* 21. Tridentinum ait, ſe confidere, Pontificem Summum fore curaturum, vt Conuentibus Regulares Profeſſi eiuſdem Ordinis præficiantur; Et Addit 64

cap.22. ſingula in Superioribus Decretis contenta fore obſeruanda etiam à Religioſis Militiarum, non obſtantibus priuilegiis, conſuetudinibus, & præſcriptionibus immemorabilibus; Quod in Iure prohibitum eſt, alterius Ordinis Religioſum præfici in Monaſterij Superiorem; *in Clementin.1. de elect. lib.6. argumento textus in cap. nullus, cap. Metropolitano, diſt.61.* & in aliis. Rursùs exemplum Ordinis Calatrauæ affert hic Author, in quo Prior Monachus non admittitur. Idem ait de Ordine Alcantaræ; ſed in eo nunquam Prior Monachus extitit, ſicut in Monaſterio Calatrauæ. Affert etiam Bullam Sixti V. qua Magiſtratum Ordinis de Monteſa Regiæ Coronæ incorporauit anno 1585. & in ea Pontifex iniungit, fore exercenda, *Quæ ſpiritualia concernunt, per perſonas dictæ Militiæ de Monteſa Regulares,* à Rege ſcilicet deputandos. Demùm reſpondet fundamentis, quæ pro ſuo Iure habet Conuentus *de Sanctæ Cruces*; Nempè vnionem Ordinis de Monteſa ad Ciſtercienſem, & iuriſdictionem ſpiritualem reſeruatam Capitulo Generali Ciſtercienſi; poſſeſſionem Conuentus deſignandi Priorem Monachum, per trecentum annos, & ampliùs; Quæ poſſeſſio immemorialis eſt titulus ad præſentandum ad quodcumque Beneficium, & Dignitatem Eccleſiaſticam, iuxta Tridentinum *ſeſſ.24. cap.12. & ſeſſ.25. de reform. cap.9.* Hæc, & alia profert, quæ ad notitiam libaſſe ſufficiat.

QVÆSTIO VI.

Qui Priores in Ordine Alcantaræ gaudeant iuriſdictione in vtroque Foro; ac vti Pontificalibus, ſolemniter benedicere, & Indulgentias conferre poſſint?

65 MOnaſterij de Alcantara Prior iuriſdictione gaudet in vtroque foro tum in cauſis ciuilibus, tum in criminalibus reſpectu ſui territorij, quod ab Ordine ipſo eſt illi deſignatum. Etenim, cum penes Ordinem ſit iuriſdictionis proprietas, poſſitque eam, vel vni, vel pluribus impertire, vt commodiùs, ac opportuniùs exerceretur, eam inter aliquos Priores diuiſit, cuilibet territoria propria Ordinis deſignando, abſque dependentia vnius ab alio, & confirmationem à Sede Apoſtolica impetrauit priuilegiorum, quæ hanc iuriſdictionem fouent, & commendant, vt vſum Pontificalium in Diuinis Officiis, & poteſtatem concedendi indulgentias, aliaque ſimilia aliquibus Prioribus conceſſa, de quibus redibit ſermo, & *ſuperiùs* non pauca dedimus. *Infrà* autem de Concordia inter Priorem de Alcantara, & Epiſcopum, ac Eccleſiam Caurienſem, latè tractabimus.

Itaque Prior Alcantaræ non fungitur iuriſdictione reſpectu omnium locorum, quæ Ordini ſubiacent, ſed reſpectu eorum, quæ ei pro territorio proprio ſunt deſignata. Attamen inter cæteros Priores ſui Ordinis pluribus prærogatiuis potitur, cum ſit primus ex illis loco, ſede, & Dignitate; & Fratres in Monaſterio degentes ſint ei, vt Prælato Regulari, ſubiecti, nulluſque alius Prior ſit Fratrum Prælatus; & ipſe literas dimiſſorias concedat cuilibet Fratri totius Ordinis, vt initietur Ordinibus. & alia poſſit exequi, quæ decurſu conſtabunt, & extant *in Definitionibus Ordinis tit.5.* Gaudet etiam iuriſdictione ſpirituali erga Equites Ordinis, dum in Monaſterio extiterint, vel ob Nouitiatum, vel in pœnam; vt conſtat ex Definitionibus *tit.15. cap.2.* Eſt iudex ordinarius Parochorum Militarium in territorio Alcantaræ circa omnes cauſas, & ſemel ſingulis trienniis eos viſitat; Attamen non gaudet erga eos iuriſdictione propria Prælati Regularis, ſicut erga Fratres Clericos in Monaſterio degentes; ſed ſolùm iuriſdictione ordinaria quaſi Epiſcopali. 66

Prior etiam *de Magacela*, alio nomine, *de Villanüeua de la Serena*, fungitur iuriſdictione ordinaria in vtroque foro in Oppido *de la Serena*, eiuſmodi territorio, & in locis *de Heliche, & Caſtilleja* ei annexis; quare ſtatim ac à Rege noſtro eligitur, & mittitur in poſſeſſionem, ei à Pontifice iuriſdictio deriuatur iuxta dicta *ſuperiùs*. 67

Sed contra hanc iuriſdictionem, vt extat *in Actibus Capitularibus Ordinis anni* 1600. *fol.* 14. *& fol.* 58. oppoſuit olim Sacriſta maior ipſius Ordinis Don Fr. Franciſcus Becerra, non fore admittendam, eo quòd Prior poſt electionem non eſſet confirmatus à Pontificibus. Sed id iam *ſuperiùs* diluimus. Oppoſuit etiam, territorium *de la Serena*, & cætera Ordinis pertinere ad Priorem Monaſterij de Alcantara, à quo non erat commiſſa iuriſdictio Priori de Magacela. Sed id etiam *nuper* eneruauimus. Nam iuriſdictio penes Ordinem extat, &, cum totus Ordo eam exercere non valeat, inter aliquos Priores diſtribuit, abſque dependentia vnius ab alio, & ſolùm cum ſubordinatione ad ipſum Ordinem, cui diſtributioni ſubſcripſerunt Pontifices, dum ſingulis Prioribus ſpecialia priuilegia indulſerunt, 68

indulſerunt, vt inter ſe independentibus, & inter alias conſtat ex Bulla Clementis VII. quæ incipit, *Romani Pontificis*, expedita anno 1530. & reperitur *in Bullario Ordinis, pag.* 130.

69 At ille adhuc inſtabat, non fuiſſe ab Ordine ſeparatam iuriſdictionem vtriuſque Prioratus; nam Magiſter Ordinis Don Ioannes de Zuñiga impetrauit ab Alexandro VI. vt ſibi liceret, erigere Monaſterium in Oppido *de Villanüeua de la Serena*, in quo cum aliquibus Fratribus commoraretur, & Prior inibi exiſtens exerceret iuriſdictionem in eo territorio, quæ omnia, ipſo Magiſtro obeunte, ceſſarunt; quare aiebat, illud territorium fuiſſe Priori de Alcantara reſtitutum.

70 Sed quidem iuriſdictio in Priore de Magacela non ſumpſit exordium ab erectione prædicti Monaſterij in oppido *de Villanüeua*; Quippè Ordo gaudens iuriſdictione Eccleſiaſtica erga omnes Vaſſallos ex conceſſione Leonis X. aliorumque pontificum, eam diuiſit, ac diuerſis prioribus commiſit, inter quos priori de Magacela eandem iuriſdictionem, qua nunc fungitur, multò antè conceſſit.

71 Id ſuadetur primò ex traditione immemoriali ipſius Ordinis. Secundò ex Viſitationibus ab Ordine peractis, in quibus id apertiſſimè conſtat. Tertiò, quia in Capitulo Ordinis habito Metymnæ anno 1504. relato in *Definitionibus ipſius Ordinis, tit.* 7. *cap.* 6. Prior de Magacela Don Fr. Chriſtophorus Brauo, qui in Monaſterio de Villanüeua cum Magiſtro Don Ioanne de Zuñiga vitam egerat, allegauit, Anteceſſores ſuos fuiſſe Iudices Ordinarios in eo territorio, temporibus Magiſtrorum antecedentium. Quòd à Capitulo non fuit reiectum, quin potiùs in eo ſtabilitum, vt in eo priore, & ſucceſſoribus conſeruaretur iuriſdictio ſpiritualis in territorio *de la Serena*.

72 Iuriſdictione etiam ſpirituali gaudent prior de Zalamea, in eo Oppido, eiuſque territorio; ac prior de Rollan in Oppido de Rollan, eiuſque territorio, ac in parochia Beatæ Mariæ Magdalenæ ſita intra Vrbem Salmantinam. Quatuor igitur prædicti priores, & non alius, iuriſdictionem exercent ab ipſo Ordine acceptam, & pluribus Bullis pontificiis roboratam.

73 Ex his duo primi, nempè prior de Alcantara, & prior de Magacela poſſunt vti pontificalibus in diuinis Officiis celebrandis, in omnibus Eccleſiis ſuæ ditioni ſubiectis. Etenim anno 1523. in Capitulo celebrato Burgis Ordo popoſcit ab Imperatore Carolo V. Adminiſtratore Ordinum Militarium Hiſpaniæ, vt id efflagitaret à Romano pontifice in gratiam prioris de Alcantara. Et, quamvis tum mentio facta non fuit prioris de Magacela, attamen Imperator in gratiam vtriuſque prioris vſum pontificalium petiit à Clemente VII. Hic verò in ſua Bulla, quæ incipit *Romani Pontificis*, expedita ſexto Kalendas Maij, anno 1530. conceſſit prioribus de Alcantara, & de Villanüeua, ſeu Magacela (A diuerſis quippè locis territorij hæc cognomina ſortitur) eorumque ſucceſſoribus; *Vt mitra, baculo Paſtorali, annulo, dalmatica, chirotecis, ſandaliis, omnibuſque aliis ornamentis, & Inſignis Pontificalibus, in Officiis diuinis vti; ac poſt Miſſarum, Veſperorum, & Matutinorum ſolemnia, populo ad diuina audienda tunc intereſſenti, tam in dictis Prioratibus, quàm aliis Eccleſiis, etiam Parochialibus, & Capellis, eis pro tempore ſubiectis, & in quibus moderni Priores, & ſucceſſores præfati in Pontificalibus pro tempore celebrabunt, dummodò ibidem aliquis Antiſtes, ſeu Sedis Apoſtolicæ Legatus præſens non ſit; vel, ſi præſens fuerit, eius ad id expreſſus accedat aſſenſus, ſolemnem benedictionem, &c.* Poſtmodùm concedit eiſdem prioribus, vt valeant elargiri fidelibus, ſolemni ipſorum benedictioni aſſiſtentibus, eandem indulgentiam, quam Antiſtites poſſunt, & conſueuerunt concedere omnibus, qui eorum ſolemni benedictioni interſunt.

Ex quibus verbis, & indulgentiis conſtat primò, priores præfatos poſſe pontificalibus vti, vnumquemque in ſuo territorio, non verò alterum in alterius territorio abſque eius licentia. Deindè in Eccleſiis, ſeu Capellis in ſubiectis vti illis poſſunt; quare, ſi in Oppidis ditionis ipſorum ſint aliquæ Eccleſiæ exemptæ, ac eis non ſubiectæ, nequeunt in illis pontificalia exercere. Cæterùm conſtans eſt, priores de Alcantara, & de Magacela, tempore celebrationis Capituli Generalis in Curia Matritenſi non ſemel fuiſſe pontificalibus vſos in celebrandis Officiis diuinis, cum Capitulum intereſſet. Id tamen peractum eſt in Eccleſia Sancti Bernardi; &, cum Ordo Alcantaræ Fraternitatem cum Ordine Ciſtercienſi retineat, ea Eccleſia reputatur ipſius Ordinis, non abſolutè, ſed tempore Capituli, quod illud Cœnobium, & Eccleſiam elegit ad Capituli celebrationem, in quo totus Ordo repræſentatur; Abbas etiam eiuſdem Cœnobij manifeſtè id ratum habuit, atque adeò abſque vllius præiudicio ille vſus pontificalium, aliundè conceſſus prioribus, ibi fuit exercitus. Nec Toletanus Archipræſul potuit reſiſtere, cum vſus pontificalium 74

Pontificalium non ſit exercitium iuriſdictionis contentioſæ, nec fiat cum ſtrepitu iudiciali, nec in aliquam Eccleſiam ei ſubiectam ſe intromiſerint priores, ſed in Eccleſia exempta pontificalibus fuerint vſi, quin aliquid derogauerint iuriſdictioni, aut authoritati Archipræſulis Toletani; ſicut ipſi Abbates Ordinis S.Benedicti, & Ciſtercienſis poſſunt pariter pontificalibus vti in ſuis Eccleſiis, ac de facto eis vtuntur, quin Antiſtites id impedire valeant. Pariter ergo res ſe habet in caſu poſito, dum celebratur Capitulum, & Eccleſia eſt exempta, annuitque Abbas Monaſterij. Alij etiam priores Ordinum in Eccleſiis exemptis non ſemel pontificalia exercuere in Miſſæ celebratione, vt omnibus innoteſcit.

75 Conſtat deindè, non poſſe eos priores ſolemniter populo benedicere, ſi præſens adſit Legatus Sedis Apoſtolicæ, aut Antiſtes, quicumque is ſit, & cuiuſcumque diœceſis; hanc enim generalitatem præſeferunt verba relata Bullæ, *aliquis Antiſtes.* Poterunt tamen benedictionem ſolemnem impertiri, ſi expreſsè Legatus, aut Antiſtes aſſentiant.

76 Conſtat demùm, tunc, cum benedicunt ſolemniter populo, poſſe indulgentiam concedere, quam poſſunt Epiſcopi. Id eſt priuilegium ſpeciale, nam poteſtas conceſſionis indulgentiarum de iure diuino in ſolo pontifice Summo reſidet; pontifices autem cum limitatione eam poteſtatem Epiſcopis præſtiterunt, & dicitur in eis ordinaria, quia eorum Officio eſt annexa; non autem eam indulſerunt Abbatibus, aut Prioribus gaudentibus quaſi Epiſcopali iuriſdictione. De his videantur Antonius Gomez *in explicat. Bullæ, cap.*4. P. Henriquez *lib.*7. *de indulgent. c.*31. *n.*4. P. Suarez *tom.*4. *in* 3. *part. diſput.* 55. Cardinalis Lugo *tom. de pœnit. diſputat.*27. *ſect.* 8. Et Ego *tom. in Bullam Cruciat. diſputat.*6. *à num.*17. Quare ex ſpeciali priuilegio hac poteſtate concedendi præfatam indulgentiam priores prædicti fruuntur. Etenim, vt *loco nuper relato, num.* 20. tradidi, poteſt pontifex, cui maluerit, committere facultatem ad concedendas indulgentias, dum ſit capax clauium, & de facto variis perſonis pro diuerſitate euentuum ſolet eam committere.

77 Itaque illi priores poterunt, dum ſolemniter benedicunt fidelibus, eis concedere quadraginta dies indulgentiæ; (Quid autem per hos indulgentiæ dies ſignificetur; docui *ea diſput.* 6. *in Bullam Cruciat. cap.*1.) Etenim non amplius poſſunt Epiſcopi, niſi, cum ſit dedicatio alicuius Eccleſiæ, nam pro eo die valent concedere vnum annum indulgentiæ. Sed id non eſt extendendum ad priores, cum ſolùm eis pontifices tribuant facultatem concedendi indulgentiam aſſiſtentibus benedictioni ſolemni, qualem Epiſcopi ſimiliter aſſiſtentibus poſſunt concedere. At facultas concedendi vnum annum indulgentiæ non datur propter benedictionem Epiſcopalem; quare, etiam ſi Epiſcopus non benedicat populo, nec ſit in Eccleſia præſens, poteſt concedere, vt viſitantes eo die ipſam Eccleſiam, vnum annum indulgentiæ lucrentur.

78 Deindè Epiſcopus valet concedere indulgentiam quadraginta dierum ob varias cauſas, v. g. comitantibus Euchariſtiam, cum ad infirmos defertur; erogantibus eleemoſynam xenodochio; recitantibus Orationes aliquas ante imagines ſacras, & aliis huiuſmodi. Id autem non valent priores, quia limitatur priuilegium ad concedendas Indulgentias, dum ſolemnem benedictionem impertiuntur. Verba Bullæ ſunt; *Nec non omnibus, & ſingulis vtriuſque ſexus fidelibus, eidem benedictioni intereſſentibus, verè pœnitentibus, & confeſſis, pro qualibet vice, qua interfuerint, quam Antiſtites in eorum Ciuitatibus, & Diœceſibus, Chriſti fidelibus benedictioni illorum intereſſentibus, concedere poſſunt, & conſueuerunt, concedere, & elargiri, liberè, & licitè valeatis.*

79 Vbi obſeruandum eſt primò, primates, patriarchas, & Archiepiſcopos poſſe in ſua Diœceſi, nec non in tota ſua prouincia, dum eam viſitant, octoginta dies indulgentiæ concedere. At non eſt extendenda poteſtas priorum, vt totidem dies concedere valeant; licèt enim, dum ſolemniter benedicunt fidelibus, poſſint eandem indulgentiam elargiri, quam Antiſtites, & nomine Antiſtitis, ſeu Epiſcopi etiam in hac materia Archiepiſcopus comprehendatur, vt colligitur ex *cap. noſtro, de pœnit. & remiſſ.* tamen euidens eſt, pontificem ſolùm voluiſſe concedere facultatem prioribus, qua gaudent Epiſcopi, non qua Archiepiſcopi; id enim exprimendum ſpecialiter foret; nec præſumi poteſt, voluiſſe eis concedere ampliorem poteſtatem, quàm eſt ea, qua Epiſcopi funguntur; ſiquidem ſatis operatur priuilegium, ſi æqua ſit poteſtas; & adhuc in ipſa Bulla non concedatur prioribus poteſtas concedendi indulgentias æqualis poteſtati Epiſcoporum, ſed ad caſum benedictionis ſolemnis limitata.

80 Obſeruandum eſt ſecundò, requiri, vt

ſint verè pœnitentes, & confeſſi, qui hanc Indulgentiam ſint lucraturi. Quæſtio autem celebris eſt, an requiratur confeſſio actualis, cum quis eſt conſcius peccati lethalis, cum conceditur indulgentia *contritis, & confeſſis*, vel an ſufficiat contritio, qua quis ad gratiæ ſtatum reuocetur, qui omnino eſt neceſſarius ad obtinendam quamlibet indulgentiam. Probabilis valdè ſententia eſt, ſufficere contritionem abſque confeſſione actuali; Id tenent D. Antoninus, Gabriel, Paludanus, Cardinalis, Gerſon, Ioannes Andreas, Abbas, Felinus, P. Suarez, Cardinalis Toletus, Filiucius, & Diana, quos retuli *tomo in Bullam Cruciat. diſp. 6. num. 33.* Vbi contrariam ſententiam amplexus ſum cum Soto, Benzonio, Caietano, Nauarro, Villalobos, Antonio Gomez, Corduba, Trullench, Baſilio Legionenſi, Cardinali Bellarmino, P. Henriquez, Reginaldo, & aliis. Ibi ſum videndus, nam latè rem ſtabiliui, & repetitio eſſet prolixa. Et prætereà de diſpoſitione requiſita ad lucrandas indulgentias tractaui *in ſtatera opinionum benignarum diſſ. 13. num. 104.*

81 Obſeruandum eſt demùm, non obſtare, quòd Priores fortaſſis non conceſſerint adhuc prædictam indulgentiam; nam priuilegium non eſt ideò amiſſum, nec in hoc poteſt dari poſitiua conſuetudo contraria, ſed negatiua, quæ non officit; nam cum quis potens facere quidquam, pro ſuo libito non facit, quin ei aliundè reſiſtatur, non amittit faciendi poteſtatem, quod innumeris exemplis poſſet oſtendi. Obſerua in præſenti, Priorem Alcantaræ ab exordio Ordinis Parochum eſſe omnium perſonarum illius; nam, cum id munus Magiſtri non poſſent per ſe exercere, per Priorem à ſe deſignatum exequebantur. Indè Alexander IV. & Benedictus XIII. vt extat in Bullis allatis in Bullario Ordinis, *fol. 35. & 40.* conceſſerunt Priori poteſtatem ad abſoluendum omnes ex Ordine à cenſuris reſeruatis Sedi Apoſtolicæ, & ad diſpenſandum cum illis in aliquibus irregularitatibus. Prætereà Prior Alcantaræ licentiam præbet omnibus ex Ordine, vbicumque exiſtant, vt poſſint audire Confeſſiones ipſorum Regularium Ordinis. Cæteri autem priores non gaudent iuriſdictione circa perſonas Ordinis, ſed circa ſubditos ſæculares.

QVÆSTIO VII.

An Priores Militiarum iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentes poſſint concedere omnibus ſubditis literas dimiſſorias, vt Ordinibus initientur, & minores Ordines conferre ipſis, aliſque non ſubditis literas dimiſſorias à ſuis Prælatis afferentibus?

ANte Concilium Tridentinum expediebantur literæ dimiſſoriæ ad Ordines à gaudentibus quaſi Epiſcopali iuriſdictione, quin eis Epiſcopi obſiſterent, aut ſaltem non adeò, ac nunc, ipſis refragarentur. 82 Poſt diſpoſitionem verò Tridentini acris hinc inde fuit excitata controuerſia; Quæ vt decidatur, præponere oportet verba Concilij. Igitur. *ſeſſ. 23. cap. 10. de reformat.* ſic ait: *Abbatibus, ac aliis quibuſcumque quantumuis exemptis, non liceat in poſterum, intra fines alicuius diæceſis conſiſtentibus, etiam ſi nullius diæceſis, vel exempti eſſe dicantur, cuiquam, qui Regularis ſubditus ſibi non ſit, Tonſuram, vel minores Ordines conferre. Nec ipſi Abbates, & alij exempti, aut Collegia, vel Capitula quæcumque, etiam Eccleſiarum Cathedralium, literas dimiſſorias aliquibus Clericis ſæcularibus, vt ab aliis ordinentur, concedant, ſed horum omnium ordinatio, ſeruatis omnibus, quæ in huius ſacroſanctæ Synodi Decretis continentur, ad Epiſcopos, intra quorum diæceſis fines exiſtunt, pertineat.* Circa ſubditos Regulares nihil innouat Concilium, quin potiùs eos excipit (hincque Abbates Benedictini, & Ciſtercienſes, ac ſimiles Tonſuram, & minores Ordines ſuis ſubditis Regularibus concedunt.) Quare priores Militiarum, qui iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudent, & Monaſteriis præſunt, literas dimiſſorias poſſunt ſubditis Regularibus concedere, vt à quovis Antiſtite ordinentur. Quin prælati Regulares, mediati, aut immediati iuxta cuiuſque Religionis priuilegia, poſſunt concedere ſubditis Religioſis, vt à quovis Antiſtite Ordines ſuſcipiant; Et noſtri Societati IESV ampla circa hoc priuilegia conceſſerunt Paulus III. & Gregorius XIII. quæ extant in noſtro Bullario *pag. 36. & 131. & 212.* ac in *Compendio priuilegiorum Societatis, verbo, Ordines.*

Itaque lis eſt circa ſubditos ſæculares, 83
quibus

quibus poſt Tridentinum non poſſe literas dimiſſorias concedi ab Abbatibus, ſeu Prioribus iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentibus, tuentur Maiolus *de irregularit. lib.4. cap.5. n.5. & cap.8.* Rebuffus *in praxi lib,1. cap.9. num.6.* Graffis *p.1. lib.3. cap.5. n.14. & 156.* Ignatius Lopez *in addition. ad Bernardum Diaz, in praxi, verbo, ſine licentia ſui Præſulis, cap.16. verſu hodie.* Miranda, *in Manuali Prælat. tom.1. quæſt. 38.* Zerola *in praxi Epiſcop.2. p. verbo, dimiſſoria, §.5.* Antonius Cucus *tom.3. inſt. lib. 8. fol. 261. column. 2.* P. Henriquez *in ſum. lib.10. cap.22. in fin. & c. 25. num. 4.* P. Azor *inſtitut. moral. tom.2. lib.3. cap.49. q.3.* Fundamentum huius ſententiæ eſt conſtitutio relata Tridentini. Idque mouet plures Antiſtites, vt nolint Ordinibus initiare eos, qui à prædictis afferunt literas dimiſſorias.

84 Sed adhuc poſt Concilium Tridentinum, poſſe Abbates, & alios ſimiles iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentes, literas dimiſſorias ſubditis ſæcularibus concedere, eſt ſententia valdè communis, & mihi probabilior. Eam defendunt Stephanus Gratianus *tom.2. diſcept. forenſ. cap.12.* Tamburinus *de iure Abbatum, tom.2. diſp. 2. quæſt.16.* Barboſa *de poteſt. Epiſcop.2. p. allegat.7. num.7. Et in Collectaneis Iur. Canon. tom.1. cap. ſignificaſti, de officio Archidiaconi.* Narboua *ad legem 59. lib.2. cap.4. num.64.* Sayrus *in claui Regia, lib.6. cap.11. num.83.* Villalobos *in ſum.1. part. tract. 11. diffic.9. num. 4.* Hieronymus Rodriguez *in comp. quæſt. regular. reſol.1. num.26.* Ledeſma *in ſum. tom.1. de Sacram. pœnit. cap.8. poſt ſecundam concluſionem.* Emanuël Rodriguez *tom.1. quæſt.36. art.6.* Diana *part.3. tract.2. reſolut.9. & part.4. tract.2. miſcellan. reſol. 147. verſu, Nota etiam.* P. Thomas Sanchez *tom.2. conſilior. cap.1. dub.19. num.20.* Antonius Quintanadueñas *in inſtruct. Confeſſar. p.3. §.5. num.12. & tom.1. ſingular. tract.6. ſingular.5. num.4.* Machado *de perfecto Confeſſario, tom.2. lib.4. part.6. tract. 3. docum.3.* Couarruvias *lib.4. variar. cap. 16. num.6.* Felinus *in cap. nonnulli, de reſcript.* Archidiaconus *in cap.1. de conſtitut. in 6.* Aragon. Ioannes de la Cruz, Ledeſma, Molfeſius apud P. Quintanadueñas *vbi ſuprà.* Extatque Declaratio Cardinalium præſtita die 29. Ianuarij anno 1600. à Cardinali Mathei ſubſcripta, quæ aſſeruatur in archiuo de Vcles. Et probabile iudicat Florez Diaz de Mena *in pract. quæſt. cap. 24.* Et in terminis loquendo de Prioribus Militaribus hanc ſententiam docent Villalobos, Sayrus, & Emanuël Rodriguez *locis relatis.* Quin cum id dubium Salmanticæ conſuleretur circa Alcantarenſem Priorem de Rollam, eius poteſtati ad concedendum literas dimiſſorias ſubſcripſerunt Illuſtriſ. Dom. Don Martinus Lopez de Hontiueros, in Academia Salmantina Primariæ Canonum Cathedræ Anteceſſor emeritus, nunc Epiſcopus Calaguritanus; Vir quidem ſapientiſſimus; M. Fr. Gaſpar de Ouiedo, Auguſtinianus, Primarius Theologiæ Moderator inſignis, & alij, quorum vidi ſententias.

85 Non dubitant etiam ipſi aduerſantes, ante Tridentinum potuiſſe prædictos Abbates, ac ſimiles iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentes expedire literas dimiſſorias ad Ordines ſuſcipiendos; vt habetur *in cap. quoniam, diſt.69. & in cap.1. de Clerico peregrinante.* Et Prioribus Militaribus conceſſit id Eugenius IV. in Bulla expedita die 1. Maij, anno 1434. Quare non eſt neceſſum, aliter probare concluſionem, & ſententiam noſtram, niſi oſtendendo, Tridentini diſpoſitionem neutiquam eſſe contrariam, indeque ſimul fundamento aduerſantium ſatisfiet. Primò igitur poteſt dici ex ſententia aliquorum, Tridentinum ſolummodò prohibuiſſe, literas dimiſſorias concedi ab Abbatibus, qui eas expedire intendebant ex vi ſuæ exceptionis, aut exemptionis tantum; non verò ad eos, qui, tanquam exercentes omnia, quæ ad Epiſcopum pertinent, & gerentes ſe, velut Epiſcopos, non debent includi ſub illa generali diſpoſitione, quæ ſolùm reſtringenda eſt ad eos, quæ non ſunt eiuſdem generis.

86 Secundò, Tridentinum aſſerit, pertinere ad Epiſcopos, intra quorum diœceſis fines exiſtunt ordinandi, literas dimiſſorias eis concedere. At ſubditi Priorum Militarium vt in plurimum non exiſtunt intra fines alicuius diœceſis, ſed extra, & in territorio ſeiuncto, ac ſeparato, quod vicinum eſt diœceſibus Epiſcoporum, quare cum his non eſt ſermo Tridentini. Hinc etiam oritur, ſubditos eiuſmodi Priorum, ſi ab his non acciperent literias dimiſſorias, non habituros Ordinarium, à quo eas poſcerent; nam ſolent territoria æquè eſſe confinia duabus, aut tribus diœceſibus, nec eſſet ratio, cur vnus potiùs Epiſcopus, quàm alius eas conceſſurus foret, vel Ordines præſtiturus; Et, cum à proprio Epiſcopo, quis debeat Ordinibus initiari, iuxta Tridentinum *ſeſſion.23. cap.8.* nullus poſſet cenſeri Epiſcopus proprius; & aliundè non poteſt quis duos, aut tres Epiſcopos proprios habere.

87 Et quamvis ſubditi Priorum ſint quaſi intermixti in diœceſi alicuius Epiſcopi, tamen formaliter non exiſtunt intra fines diœceſis illius, cum non ſint eius ſubditi, atque adeò non erit, qui eis vt ſubditis, literas dimiſſorias conedat, præter Priores. Quare Tridentinum ſolùm inteudiſſe videtur, quòd Abbates qui ratione priuilegij, aut Dignitatis contendebant, poſſe expedire literas dimiſſorias, etiam reſpectu ſubditorum Epiſcopi, eas deinceps non concederent; non verò loquitur cum his, qui iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudent, Etenim, ſi Tridentinum voluiſſet, quòd ſubditi eiuſmodi Abbatum, ſeu Priorum impetrarent literas dimiſſorias ab Epiſcopis vicinis; quorum ſubditi non erant, pariter id ipſum diſpoſuiſſet de ſubditis Capituli Sede Vacante; quibus tamen non concedit, vt poſſint literas dimiſſorias conſequi ab Epiſcopo vicino; ea, vt credo, ratione, quia eius ſubditi non ſunt; ergo pariter in præſenti non diſponit de ſubditis Priorum, qui ſubditi Epiſcoporum non ſunt.

88 Tertiò conſuetudo iuxta vulgata principia eſt optima legum interpres. At poſt Tridentinum conſtanter Priores Militiarum iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentes conceſſerunt literas dimiſſorias ſuis ſubditis ratione territorij, aut Beneficij, vt Ordinibus initiarentur, ergo Tridentinum id non prohibuit; aliàs per tot annos in Hiſpania Tridentini obſeruantiſſima id non fuiſſet toleratum à Nuntiis Apoſtolicis, nec à Viris ſapientiſſimis ſubſcriptum, & Apoſtolica Sedes, ac Sacra Congregatio Concilij huius rei conſcia non permiſiſſent; ita executioni mandari. Et, quamvis plures Epiſcopi ſoleant rejicere eiuſmodi literas dimiſſorias, attamen non ideò Priores ab incepto deſtiterunt; illi quidem ſuam iuriſdictionem, & poteſtatem promouere conantur, & opinioni probabili inſiſtunt; hi verò pariter ſuam iuriſdictionem tuentur, & ſententiam plurimis Authoribus firmatam ſequuntur; quorum authoritas ſufficit, vt rectè operentur, & vt ſubditi vtentes eiuſmodi literis dimiſſoriis nullam pœnam contrahant, vt adnotarunt Flores de Mena, & Emanuel Rodriguez *vbi ſuprà*.

89 Quartò: plures Epiſcopi temporis decurſu literas dimiſſorias à Prioribus Militiarum conceſſas admiſerunt; & admittunt; quo facto firmatur Priorum iuriſdictio. Et aliquando ſanè nolunt initiare Ordinibus eos, qui illas afferunt ſimul cum aliqua Capellania Prioribus conceſſa; eo quòd fraus interuenire ſoleat, cum illa admittatur dumtaxat ad titulum, vt quis ordinetur, & illicò dimittatur; quo fit, vt eadem met Capellania pluribus breuiſſimo tempore conferatur, & ſinguli eam deſerant. Quod omnino eſt contra ſanctiones Canonicas, à Tridentino innouatas. Quare Epiſcopi rectè operantur, dum hanc fraudem explorant, nec ad Ordines admittunt eos, quos, veroſimiliter creditur, renuntiaturos fore Capellaniæ, poſtquam Ordinibus fuerint initiati. Verùm, ſi aliquando Priores abſque ſufficienti notitia eiuſmodi fraudis literas dimiſſorias expedierunt, deinceps non id erit timendum, cum Ordines ipſi de hoc certiores facti, ſeuerè præceperint, quòd non niſi ritè, debito modo, abſque fraudis interuentu, & iuxta Iuris diſpoſitionem, literæ eiuſmodi impertiantur: quod ſanè abſque dubio obſeruabitur.

Demùm Tridentinum mentionem non 90
facit priuilegij conceſſi Abbatibus, & Prioribus præfatis inſerti in Iure communi, & à Synodo generali ſtabiliti *in relato cap. quoniam, diſtinct.* 69. & in aliis capitibus *ſuprà* allatis. Quare illud non derogaſſe, eſt cenſendum. Hinc loquens de noſtra ſententia Machado *vbi ſuprà*, & eam probans, addit; *Lo qual tiene en eſtos tiempos tan admitido, y aſentado la practica, vſo, y comun eſtilo, que es, Nodum in ſcirpo quærere, querer reducirla à diſputa, y controuerſia, ni es razon en las coſas tan aſentadas, y practicadas en la Igleſia con tolerancia, y ciencia del Pontifice, que la gouerna.*

Ex his ſecunda etiam quæſtio dirimitur. 91
Tenendumque eſt, Priores iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentes, ſi aliundè priuilegio gaudeant vtendi Pontificalibus (ſine quibus Ordines nequeunt conferri) poſſe conferre primam Tonſuram, & Ordines Minores ſuis ſubditis, etiam ſæcularibus, nec non aliis quibuſcumque non ſubditis, ſi ad id literas dimiſſorias à ſuis Prælatis afferant. Etenim iure communi id licet Abbatibus, & Prioribus exemptis, vt conſtat *ex cap. cum contingat, de ætate, & qualitate Ordin. cap. Abbatibus, de priuileg. num.* 6. Per Tridentinum autem non fuiſſe derogatam hanc poteſtatem, conſtat ex rationibus *nuper* libatis circa literas dimiſſorias, cum omnino pariter in vtroque militent, & idcircò Authores eodem modo loquuntur. Quare pro hac concluſione ſtant Couarruvias, Felinus, Archidiaconus, Machado, Pater Thomas Sanchez, & alij *ſuperiùs* adducti, necnon plures relati à Diana 4. *part. tractat.* 4. *reſolut.* 147. Et quidem Ius commune, & Decreta Concilij generalis

generalis non cenſeri reuocata, niſi de illis ſpecificè fiat mentio, traditur à Couarruuia, Nauarro, Gregorio Lopez, & pluribus aliis, quos adducunt Pater Thomas Sanchez, & Pater Quintanadueñas *vbi ſuprà*: Qui hanc ſententiam tuetur *eo tom.1. ſingular. tract.2. ſingul.5. num.7.*

92 Certè Epiſcopi, cum literas dimiſſorias ad Minores Ordines concedunt, in eis aſſerere ſolent, ſe facultatem præbere, vt quis à quovis Antiſtite Ordines accipiat, *Abbatis excluſis.* Qua limitatione intendunt non ſuffragari poteſtati Abbatum, ſeu Priorum (vt *ſuprà* notaui,) ſed ſimul oſtendunt, illos ſolere initiare Minoribus Ordinibus, alias fruſtranea eſſet illa limitatio; quare, dum exercitium poteſtatis eis addere nolunt, poteſtatem fatentur, ſaltem in communi exiſtimatione conſtantem, ſeu valdè probabilem. Quin etiam de hac poteſtate conferendi Ordines Minores, tanquam admiſſa, & conſuetudine recepta loquitur Machado in verbis *ſuprà* tranſcriptis, quæ cadunt ſupra poteſtatem tum conferendi literas dimiſſorias, tum Ordines Minores.

93 Sed oppones deciſionem Rotæ ſtabilitam die 22. Februarij, anno 1631. qua declaratum fuit, ſubditos Abbatum, & ſimilium, qui ſunt nullius diœceſis, poſſe abſque eorum literis dimiſſoriis ab Epiſcopo viciniori Ordines accipere; vndè fit, reſpectu Ordinum non ſubiacere Abbatibus, ſeu Prioribus, ac proindè nec poſſe ab illis literas dimiſſorias impetrare, nec Ordines ſuſcipere. Adducit hanc deciſionem Bellamera *in ſelect. cap.19. num. 29.* eamque refert Barboſa *in Collectan. ad Concil. Tridentin. ſeſſion.23. cap.10. de reformat. num.11.*

94 Reſpondeo in primis, de hac Deciſione non conſtare, nec authenticam fore iudicandam, dum ab vnico Authore refertur, cum vnius aſſerto non ſit neceſſariò ſtandum in his euentibus, vt communiter Doctores animaduertunt. Deindè, eſtò ſit certa illa Deciſio, authoritas illius non eſt præceptiua, nec Sedis Apoſtolicæ eſt declaratio; quamvis ſit maximi ponderis, vtpotè Doctiſſimorum Sacræ Rotæ Auditorum, qui tamen vt Doctores Claſſici ſunt cenſendi, ac venerandi. Id autem non tollit, quòd ſententia appoſita ſit valdè probabilis, in praxi tuta, & ob authoritatem extrinſecam, præter fundamenta, quibus fulcitur, adhuc probabiliorem, vt ſatis ex dictis liquet. Ac profectò, ſi à viciniori Epiſcopo poſſent liberè ordinari hi, qui ſunt nullius diœceſis, cum ſoleant æquè diſtare à duobus vel tribus Epiſcopis, vt iam attigimus, non eſſet, cur potiùs ab vno, quàm ab altero Ordines ſuſciperent, nec id poſſet diſcerni; & prætereà tam ab vno, quam ab altero poſſe Ordinibus initiari, ex ſe apparet abſurdum, cum indè fieret, eſſe ſubditos plurium Epiſcoporum, quo ad Ordines, & plura habere capita, quod in corpore myſtico, non aliter ac in naturali monſtrum cenſetur; quæ abſurditas debet vitari, & in noſtra dumtaxàt ſententia vitatur. Ad calcem obſerua, literas dimiſſorias conceſſas à Priore, etiam ſi hic moriatur, non expirare; quod de literis conceſſis ab Epiſcopo, itidem eſt dicendum. Ita docent Emanuel Rodriguez, Ledeſma, Velaſco, Quaranta, Panuinus, Ioannes de la Cruz, P. Enriquez, & alij, quos refert, & ſequitur P. Quintanadueñas *tom.1. ſingular. tract.6. ſingular. 8. num. 4.* Conſequenter addicta poſſunt præfati Priores diſpenſare ex cauſa in interſtitiis ad Ordines ſuſcipiendos, vt tenent Authores *ſuprà* relati.

QVÆSTIO VIII.

An, vacantibus Prioratibus Militiarum, quibus annexa eſt iuriſdictio quaſi Epiſcopalis, Vicarij, ſeu Subpriores poſſint literas dimiſſorias conferre ſubditis, vt Ordinibus initientur?

ASſerendum eſt, (ſtando Iuri communi) non poſſe literas dimiſſorias concedi ſubditis ſæcularibus ab eiuſmodi Vicariis, ſeu ſubſtitutis. Quòd ſi concedantur, ij incident in pœnam ſuſpenſionis ipſo iure ab officio, & Beneficio, dum intra annum à vacatione Prioratus eas concedant, niſi is, cui conceduntur, promotus ſit ad Beneficium Eccleſiaſticum, quod exigat Ordines, ad quos dimiſſoriæ expediuntur, vel arctatus ſit ad Beneficium recipiendum. Illi autem, ſi acceptis dimiſſoriis intra annum, & non arctati occaſione Beneficij Eccleſiaſtici recepti, aut recipiendi, ordinentur, & in minoribus Ordinibus conſtituantur, nullo priuilegio Clericali, præſertim in criminalibus, gaudebunt; conſtituti verò in maioribus Ordinibus, ab executione Ordinum, ad beneplacitum futuri Prælati, manent ipſo iure ſuſpenſi. 95

Ratio huius doctrinæ eſt, nam hæc diſpoſitio, & pœnæ à Tridentino ſunt ſtabilitæ *ſeſſ.7. cap.10. de reformat & ſeſſ.23. cap.10. de reform.* contra Adminiſtratorē Epiſcopatus, 96

Sede Vacante, & aduerſus accipientes ab eo literas dimiſſorias, & ordinatos intra annum, niſi vrgeat Beneficium, & præterea pœna interdicti Capitulo, Sede Vacante, indicitur à Tridentino ipſo, ſi prædictas literas dimiſſorias intra annum expediat. At hæc diſpoſitio eandem vim habet reſpectu Adminiſtratoris, Vicarij, aut Subſtituti Prioratus, cum ſit ſimilis omnino ratio, atque adeò idem ius. Etenim ex ſimilitudine in iuriſdictione, quam Priores cum Epiſcopis habent, colligitur poteſtas expediendi literas dimiſſorias; ergo pariter ex ſimilitudine vacantis Prioratus, & vacantis Epiſcopatus, colligitur eadem diſpoſitio tradita à Tridentino. Abſurdumque eſſet, plus licere, vacante Prioratu, Vicario illius, quàm vacante Epiſcopatu, Capitulo, ſeu Vicariis generalibus; neque eſt vnde maior poteſtas, aut priuilegium valeat depromi, nec Pontifices id ſpecialiter Ordinibus Militaribus indulſerunt, vt conſtat ex Bullis in fauorem ipſorum expeditis, vnde Iuri, & diſpoſitioni communi debet ſtari.

97 Et quidem idem finis prohibitionis ſtatutæ à Tridentino vtrobique repetitur; voluit quippè Concilium obuiare incommodis, quæ ſequi poſſent, ſi literæ dimiſſoriæ ad Ordines ſuſcipiendos expedirentur, Sede vacante; tunc enim minùs rigidè res ſolent diſponi, nec adeò accuratè aptitudo, ac ſufficientia examinari; vnde ne creſceret Ordinandorum multitudo, & fortaſſis parùm idonei approbarentur, Tridentinum prohibeit, literas dimiſſorias concedi; cum ſpatio vnius anni communiter ſoleat alius Epiſcopus ſuccedere, qui pro ſuo munere, non perfunctoriè de Clericis idoneis Eccleſiæ prouideat; & aliundè ſupponitur, non vrgere receptionem Beneficij, nec Eccleſiis damnum inferri, ſi quidem hoc caſu tam Capitulum, Sede Vacante, quàm Vicarius Prioratus vacantis non prohibentur literas dimiſſorias, concedere, Ecce militat reſpectu Epiſcopatuum, & Prioratuum vacantium idem finis; vnde & eadem diſpoſitio vtriſque adaptatur. Priores Monaſterij de Alcantara, ob Concordiam cum Epiſcopo Caurienſi non concedunt literas dimiſſorias ſubditis ſæcularibus, quare de Subprioribus eius Monaſterij, vacante Prioratu, non eſt quæſtio.

98 Sed oppones primò, prædictos Vicarios à Rege noſtro, ſeu Regio Senatu, aut ex vi Definitionum deſignatos ſolitos fuiſſe literas dimiſſorias ad Ordines conferre, atque adeò id videri conſuetudine præſcriptum. Reſpondeo, reclamatum fuiſſe à pluribus Viris doctis, quoties id præſtabatur, & abſque fundamento præſtitum, eum nec Authores id poſſe fieri ſentiant, nec in Ordinibus Militaribus extet aliquod indultum, aut Definitio, per quam liceat; vnde abuſus potiùs, & corruptela, quàm vſus, & conſuetudo debet appellari. Quare in Capitulis Generalibus ipſorum Ordinum, qui celebrati ſunt in Curia Matritenſi anno 1652. prohibitum eſt eiuſmodi Vicariis, concedere literas dimiſſorias, quaſi quid ipſorum poteſtatem excedens.

99 Oppones ſecundò. Prioratus Ordinum Militarium, vel ſunt ad tempus, aut ſaltem amouibiles ad nutum; quare non tam reſpiciendum eſt ad eum, qui nomine, & titulo Prioris gaudet, quàm ad eum, qui iuriſdictionem exercet, cum autem Rex, ſeu Regius Ordinum Senatus, ſeu Ordo conſtituat Vicarios, qui iuriſdictionem exerceant, & ad hanc ſpectet, expedire literas dimiſſorias, parùm refert, quòd conſtitutus in eo munere ſit Prior, aut Vicarius; maximè cum Pontifex eam iuriſdictionem ſpiritualem conferat illi, qui à Rege, aut Ordine fuerit deſignatus, quin indigeat noua confirmatione impetrata ab ipſo Pontifice.

100 Reſpondeo, iuriſdictionem deriuari à Pontifice in eum, qui Prior deſignatur, in ordine ad concedendum literas dimiſſorias, non in Vicarium; eſtò in hunc iuriſdictio ad alia munia deriuetur. Nam Pontifex conceſſit Regi Hiſpaniarum, vt Adminiſtratori perpetuo Ordinum, ſeu Ordinibus ipſis, quòd deſignarent perſonas Regulares ipſorum Ordinum, per quas iuriſdictio ſpiritualis exerceretur, tum Priores, tum Vicarios; quænam autem iuriſdictio per ſingulos eſſet exercenda, ab Apoſtolica Sede ſtatuitur, ſicut ſtatuitur, quæ ſit exercenda per Capitulum Sede Vacante; nec liberum eſt Regi, aut Senatui, vel Ordini, vt quicumque, & quocumque titulo deſignetur ab ipſis, poſſit literas dimiſſorias concedere, cum hæc iuriſdictio à Sede Apoſtolica dimanet, & limitata ſit in Tridentino, ita vt Vicariis non competat. Quod à paritate in caſu non diſſimili conſtat; nam liberum non eſt Regi, aut Senatui, vel Ordini deſignare Vicarium, cui competat poteſtas conferendi Ordines Minores, quamvis Prior eos conferre poſſit; quia ea poteſtas à Sede Apoſtolica dimanans non extenditur ad Vicarios, & limitata eſt ad Priores, qui ſoli poſſunt Pontificalibus vti, (& quidem non omnes) & Ordines minores conferre. Itaque Regi, aut

ſupradictis

ſupradictis aliis incumbit, eligere hos, & illos Priores, ac Vicarios; his verò deſignatis, inſpiciendum eſt, quæ poteſtas vnicuique competat conceſſa à Pontifice; nam Rex, vel Ordo poteſtatem ſpiritualem minimè concedit, ſed eligit perſonas, quibus à Sede Apoſtolica poteſtas confertur.

101 Inquires, an Vicarij Prioratuum vacantium poſſint dimiſſorias concedere ad Ordines ſuis ſubditis Regularibus? Reſpondeo, inſpecto Iure communi poſſe. Nam id à Tridentino non prohibetur, loquitur enim dumtaxàt de ſubditis ſæcularibus. In omnibus autem Religionibus id commune eſt, vt Prælati, ſiuè Generales, ſiuè Prouinciales, aut Superiores immediati (iuxta cuiuſque Ordinis ſanctiones) poſſint concedere ſubditis literas dimiſſorias, vt Ordinibus initientur à quovis Antiſtite. Id autem competit etiam Vice-Prouincialibus, aut Vicariis Generalium, ſeu his, qui vices gerunt eorum, qui Religionem gubernant, ad cuius regimen ſpectat, vt ſit Superior, qui poſſit literas dimiſſorias concedere; cum contingat, Domus, vel Monaſteria ob varias circunſtantias deſtitui Religioſis Ordinatis, qui Miniſteria propria exequantur; vel ſpeciale commodum Monaſterij ſit, quòd tali, aut tali tempore Religioſi ordinentur, vt vitentur ſumptus faciendi, ſi ad aliud tempus differatur Ordinum ſuſceptio, aut alij detrimento occurratur. Quod pariter militat in Vicariis deſignatis in Monaſteriis Militiarum, vt poſſint ſubditis Fratribus literas dimiſſorias ad Ordines conferre. Quare intra annum etiam vacantis Prioratus eis competit prædicta poteſtas, quatenùs Superiores Regulares ſunt, & gerunt vices eorum Superiorum, qui literas eiuſmodi concedere poſſunt. Ita Tamburinus *de iure Abbat. tom. 2. diſp. 2. quæſt. 28.* Ioannes de S. Sacramento *de Priore Clauſtrali, part. 3. num. 236.* Dixi, *inſpecto Iure communi*, nam Definitionibus Ordinum ſtandum eſt, cum Senatus Ordinum, & Capitula poſſint hanc poteſtatem limitare, vt de facto limitant, & in euentibus ſpecialibus ſolent committere Subprioribus, vt eas literas concedant.

102 Cæterùm poſt annum vacantis Prioratus poterunt Vicarij literas dimiſſorias ad Ordines conferre omnibus ſubditis, ſicut poteſt Capitulum Sede Vacante, cui aſſimilantur; nam Tridentinum ſolummodò prohibet, eas literas intra annum concedi, & exceptio firmat regulam in contrarium; quare extra annum expedita manet poteſtas ad concedendum eiuſmodi literas.

QVÆSTIO IX.

An Eques Militaris, ſi Ordinibus ſit initiandus, teneatur poſcere literas dimiſſorias à Priore Monaſterij ſui Ordinis?

PArs negans poteſt ſuaderi, quia Priores, quos ſupponimus gaudere iuriſdictione quaſi Epiſcopali, non ſunt Prælati Equitum, qui extra eorum territoria degunt, nec poſſunt in eos cenſuras ferre, nec tenentur hi obedire illis; ergo non tenentur, imò nec valent accipere ab illis literas dimiſſorias, quas nequit concedere, niſi proprius Prælatus. Confirmatur, nam, Equites, cum cauſa pœnitentiæ, aut probationis degunt in Monaſteriis, ſtatuitur in Definitionibus Ordinum, debere obedientiam præſtare Prioribus; ergo extra eorum obedientiam ſunt, dum ibi non degunt, cum exceptio firmet regulam in contrarium. Roboratur. Nam hi Equites, etiam dato caſu, quòd literas dimiſſorias à Prioribus acciperent, à proprio Epiſcopo territorij, in quo habitant, aut in quo Beneficio Eccleſiaſtico potiuntur, debent ordinari, cum non videatur, poſſe liberè à quovis Epiſcopo Ordines recipere; ergo habent Epiſcopum, & Ordinarium proprium; non igitur opus eſt, confugere ad alium, nec ſimul poſſunt eſſe ſub duobus Ordinariis. 103

Adhuc ſtabilitur. Nam Epiſcopus loci, in quo ſuam habet ſedem Eques, poteſt illum cenſuris coërcere, cumque comprehendunt cenſuræ generales, quæ ab Epiſcopis feruntur contra facientes, aut omittentes hoc, vel illud; quod ſibi perſuaſum habere Equites, credideris. Aliàs, ſi Epiſcopi non poſſent agere contra illos armis ſpiritualibus, non eſſet in illos coërcitio, ſiquidem Rex, aut Senatus Regius Ordinum nequit attendere ad ſingulorum Equitum actiones; nec facilè adiri poſſunt, vt ſingulos in ſuo munere contineant, maximè cum plurimi degant extra Hiſpaniam. Et quis dicat; Equitem Militarem in Inſulis Philippinis non poſſe ab Epiſcopo reprehendi, coërceri, ac excommunicari, ſi v.g. ſcandaloſè viueret, & expectandam fore correctionem à Senatu Regio Ordinum? Signum ergo eſt, Epiſcopum eſſe Prælatum, & Ordinarium Equitum. 104

Pars affirmans poteſt probari. Primò, quia Equites in plurium ſententia, ſunt ſtrictè, & propriè Religioſi; ergo iuxta eam ſententiam exempti ab Epiſcopis, ſicut 105

cæteri Religioſi non Militares; vnde ſubiacent Regi vt Adminiſtratori, qui, cum nequeat per ſe literas dimiſſorias expedire, deſignat perſonam, à qua conferantur, iuxta poteſtatem Regi ab Adriano VI. conceſſam; ij autem, qui deſignantur, ſunt Priores D. Iacobi de Veles, & S. Marci Legionenſis, erga Equites Ordinis D. Iacobi, reſpectu habito ad Prouincias, in quibus degunt; de quo Mota *in reg. Ordin. lib. 2. c. 4. n. 8.* & Prior Calatrauæ, ſi detur, & Alcantaræ, quos (quoad id munus) Rex Prælatos omnium Equitum Calatrauenſium, & Alcantarenſium conſtituit. In hac ſententia (de qua egimus *diſq. 2. q. 2.*) itur obuiam præcipuis fundamentis pro parte negante praiactis, & conſequenter ad eam aſſeri debet, poſſe Equites à quouis Epiſcopo ordinari, ſicut poſſunt cæteri Religioſi, acceptis literis dimiſſoriis à ſuis Superioribus, & non poſſe cenſuris coërceri ab Epiſcopis, ſicut cæteri Religioſi non poſſunt, niſi in caſibus in Iure expreſſis. Ita Miranda *in Manual. Prælat. tom. q. 35. art. 11. concl. 5.* Inconueniens autem propoſitum in Equitibus diſtantibus (nam reſpectu aliorum non difficulter aditur Rex noſter, aut Senatus Regius Ordinum) aliis viis poteſt præcaueri; tum quia Gubernatores ſæculares poſſunt præſtare erga Equites, quod ad vtilitatem publicam, & ad imminens damnum præcauendum ſpectat; tum quia Rex noſter, ac Senatus ſuam iuriſdictionem poſſunt committere tum Epiſcopis, tum Gubernatoribus Regionum diſtantium, & prouidere opportuna media, quibus Equites vbique in ſuo officio coërceantur.

106 Confirmatur. Quippè Priores ſunt Parochi generales, & patres ſpirituales, ſeu Superiores ad ſpiritualia deſignati Ordinum Militarium, ad idque munus fuerunt electi, & aſſumpti; vnde ad eos pertinet, literas dimiſſorias omnibus intra Ordines concedere, ſicut pertinet ad Superiores aliarum Religionum ob eam rationem; maximè cum Equites ſiant quoad hoc ſubditi Priorum. Roboratur; nam olim Equites, cum Magiſtris erant ſubditi, præcipuè, qui intra Monaſteria cum illis degebant, ſi ordinandi eſſent, à Prioribus literas dimiſſorias erant accepturi (nam à quo alio?) Id autem priuilegium non eſt reuocatum, & Ordines perſeuerant ſub eodem Inſtituto, & exemptionibus, quare nunc idem eſt obſeruandum, cum idem præſtet Rex, ac Magiſtri; deſignatis prætereà perſonis, qui ſpiritualia exerceant; & cur negetur Ordinibus Militaribus exemptis, quod cæteri ſacri Ordines exercent, cum circa exemptionem tot priuilegiis Pontificiis illi fruantur?

Dices, in Statutis Ordinis D. Iacobi, *in Regula cap. 4. fol. 41.* cum præſcribatur orationes quotidie perſoluendæ à Fratribus, & Equitibus, aſſeritur; *Por ſu Obiſpo digan vn Pater noſter.* Ergo Epiſcopum proprium habent. Reſpondeo, id eſſe commune omnibus Religioſis, vt ſit ſuus Epiſcopus ille, qui eſt Epiſcopus territorij, in quo verſantur; Et ideò in Canone Miſſæ cum exprimunt in verbis, *Antiſtite noſtro N.* Cui prætereà in pluribus ſubduntur: nec enim abſque eius approbatione poſſunt audire Confeſſiones ſæcularium ei ſubditorum iuxta Tridentinum, quod expreſsè declarauit Innocentius X. & ego tradidi *tom. in Bull. Cruciat. diſp. 22.* Nec alia ſimilia valent exercere in eius territorio; cum quo ſtat eſſe exemptos ab illo. Id ipſum aptaueris Equitibus, & Fratribus Clericis Ordinum Militarium. Adde, Alexandrum III. in Bulla Confirmationis Ordinis D. Iacobi, exprimere, quòd ſi in poteſtatem Ordinis aliquis locus deueniret, in quo Epiſcopus eſſe deberet, ille ibi remaneret percipiens ſuos fructus, & itidem Clerus ſuos perciperet, reliqua verò cederent in vſus Equitum. Ecce ergo caſum, in quo orationes pro Epiſcopo loci ſui eſſent fundendæ. Deindè in eadem Bulla deſignatur diœceſanus Epiſcopus ad Ordines ab illo ſuſcipiendos, & ad alia per ipſum præſtanda. Quare rectè in Statutis prouiſum eſt, vt Orationes pro Epiſcopo ſuo funderent Iacobæi, quamuis ſtrictè Religioſi defendantur. Cæterùm in ſententia tuente, Equites non eſſe ſtrictè Religioſos, dicendum eſt, ab Epiſcopo non eſſe exemptos, nec poſſe literas dimiſſorias à Prioribus accipere, ſed vnumquemque à ſuo Antiſtite fore Ordinibus initiandum.

QVÆSTIO X.

An Priores Militares gaudentes iuriſdictione quaſi Epiſcopali poſſint abſoluere omnes ſubditos à caſibus reſeruatis, à quibus poſſunt ſuos ſubditos Epiſcopi abſoluere? Et an in irregularitate diſpenſare?

Licet Epiſcopis, iuxta Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 6. de reformat.* abſoluere ſuos ſubditos à quibuſcumque caſibus, etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, per ſe ipſos, aut per Vicarium ad id ſpecialiter deputandum 108

in

107

in foro conſcientiæ, dummodò ſint caſus occulti. Licet etiam ipſis, diſpenſare in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis his, quæ ad forum contentioſum ſunt deductæ.

109 Id ipſum licere Prioribus Militaribus reſpectu ſubditorum, eſt tenendum. Ita docent Sayrus *in Claui Regia lib.6. cap.11. num.83. in fin.* Emanuel Rodriguez *tom.2. ſumm. cap.10. concluſion.6.* Barboſa *in remiſſ. ad Trident. ſeſſ.24. cap.6. num.2.* Bonacina, & alij, quos refert Diana *part.4. tract.4. miſcell. reſol.121.* P. Auila *de cenſur. part.7. diſput.10.* P. Thomas Sanchez *lib.8. de matrimon. diſp.2. num.22.* cum aliis à ſe allatis; Moneta, Fragoſus, Marchinus, Tamburinus, Martinus de S. Ioſeph, P. Suarez, P. Caſtro Palao, quos refert, & ſequitur D.D. Vrritigoyti *in Paſtorali interno, tract.2. quæſtion. 2. num.4. & 9.* Qui loquuntur de omnibus Prælatis iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentibus.

110 Probatur primò ex praxi. Sic enim præſtatur ab eiuſmodi prælatis; nec, ſi non liceret, præſtaretur. Secundò, quia Decretum Tridentini, licèt videatur reſtrictiuum Iuris communis, iuxta quod Pontifex pro vtroque foro abſoluebat, & diſpenſabat (cui rationi innituntur Authores aliqui oppoſiti) tamen fauorabile eſt reſpectu ſubditorum, proindeque ampliandam. Nec deterioris debent eſſe conditionis ſubditi Priorum Militarium, quàm cæteri, ita vt hi poſſent abſque recurſu ad Pontificem abſolui, & diſpenſari in prædictis caſibus, & non illi, cum nulli ſubſint Epiſcopo; atque adeò non videtur mens eſſe Tridentini, excludere illos ab hoc fauore. Confirmatur. Tridentinum in ea diſpoſitione conſtituit ius commune, vnde diſpoſitio etiam iuxta ius commune eſt intelligenda; ſed iuxta ius commune præfati Priores veniunt nomine Epiſcoporum, vt, innumeris Authoribus relatis, docent Barboſa *in paſtor. allegat.36. num.11.* Diana *part.7. tract.2. reſol.5.* P. Caſtro Palao *tom.1. tract.4. diſp.4. punct.3. §.1.*

111 Conſequenter dicendum eſt, poſſe Priores Militares diſpenſare in irregularitatibus occultis erga ſuos ſubditos, in quibus Epiſcopi poſſunt circa ſuos; Eædem enim militant rationes, idemque ius in præſenti datur circa abſolutionem, & diſpenſationem ex vi Tridentini. Sic docent Mirauda *in Manuali Prælator. tom.2. quæſt. 31. art.3.* Ioannes de la Cruz *de ſtatu Regular. libro 1. cap.6. dub.5. concl.6.* Sigiſmundus à Bononia *de elect. & poteſt. Prælator. Regul. dub.87. n.3.* D.D. Vrritigoyti *vbi ſuprà, num.12.* Emanuel Rodriguez *tom.1. quæſt. Regular. quæſt.24. art.17. verſu, Et per conſequens*, & alij; Qui omnes loquuntur indiſtinctè de omnibus Prælatis, ſiuè Abbatibus, ſiuè Prioribus, ſeu alio quouis nomine nuncupatis, qui territorium, & iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habeant. Quædam declaratio contraria affertur à P. Suarez *tom.4. in 3. p. diſp.30. ſect.2. num.6.* Sed vel de ea authenticè non conſtat, vel reuocata eſt, cum tot, tamque graues Authores poſt illam tueantur noſtrum aſſertum. (De irregularitatibus autem, in quibus Priores poſſunt diſpenſare cum ſubditis, quatenus, Prælati Regulares ſunt, *infrà* agemus, cum de Subprioribus loquemur.).

Ex his decidendum eſt, an Priores prædicti valeant abſoluere per ſe ipſos, non quidem per Vicarium, à crimine hæreſis externæ occultæ, in foro conſcientiæ. Etenim Tridentinum *relato cap.6.* hanc poteſtatem abſoluendi concedit Epiſcopis, non eorum Vicariis. At dubium grauiſſimum exortum eſt, vtrùm in Prouinciis, in quibus dantur Sacræ Fidei Tribunalia, poteſtas illa ſit reuocata, eo quòd à Sede Apoſtolica priuatiuè ſit conceſſa facultas abſoluendi ab hæreſi Quæſitoribus Sacræ Fidei. Hoc dubium latè exagitaui *tom. in Bullam Cruciat. diſp.23. cap.8. à num.78.* Vbi attuli plures, & graues Authores tuentes, poſſe adhuc Epiſcopos abſoluere à crimine occulto hæreſis; idque per eam authoritatem extrinſecam eſſe probabile, videtur cenſendum. Cæterùm contrariam ſententiam tenui, eamque innumeris Authoribus, & validis fundamentis ſtabiliui, quæ non ſunt repetenda, ſed videnda. Et ad caſum præſentem, quod de Epiſcopis aſſeritur, Prioribus Militaribus eſt aptandum; nempè, iuxta eam ſententiam, non poſſe abſoluere à crimine hæreſis occultæ, ſi iuriſdictionem exerceant in prouinciis, in quibus ſedem habent Tribunalia Fidei; nam, ſi in aliis ea iuriſdictione gaudeant, ſicut in illis abſque controuerſia valent Epiſcopi abſoluere à crimine hæreſis occultæ iuxta Tridentinum, ita valebunt Priores Militares, ſtando doctrinæ *ſuprà* traditæ, dum tamen hanc abſoluendi poteſtatem per ſe ipſos, & non per Vicarium, exerceant; ſic enim limitatur à Tridentino ſpecialiter in abſolutione ab hæreſi occulta; A publica autem nequeunt Epiſcopi abſoluere, vt eſt conſtans; atque adeò nec Priores. 112

Scio, plures Authores, quos refert, & 113

ſequitur

ſequitur D. D. Didacus Frances de Vrriti-goyti *in Paſtorali suterno*, *tract.2. quæſt. 2. num.* 11. tueri, diſpoſitionem Tridentini non extendi ad Abbates, & Priores quoad abſolutionem ab hæreſi, ex eo quòd ibi dicatur, committi abſolutionem *Epiſcopo tantùm*. Verùm vox *tantùm* ibi eſt excluſiua Vicarij, ita vt ſic intelligenda ſit, quòd Epiſcopus per ſe ipſum, & non eius Vicarius, poſſit abſolutionem præſtare. At, cum prædicti Authores admittant, ſub nomine Epiſcopi intelligi, quoad alios caſus, Abbates, & Priores gaudentes iuriſdictione quaſi Epiſcopali, conſequens eſt, vt etiam intelligantur quoad abſolutionem ab hæreſi, adhibita in ipſis limitatione, quæ in Epiſcopis adhibeaur, per vocem *tantùm*, nempè quòd per ſe ipſos dumtaxat eam valeant abſolutionem impertiri. Quare Priores poſſe abſoluere ab hæreſi occulta, ſi poſſint Epiſcopi, & diſpenſare in irregularitatibus, in quibus Epiſcopi poſſunt diſpenſationem impertiri, docent P. Henriquez, Thomas Sanchez, Auila, Emanuël Rodriguez, Flores de Mena, & alij, quos ſequitur, & refert in margine Machado *de perfect. Confeſſ. tom.2. lib.4. part.6. tract.3. docum.4. num.3.*

114 Sed tamen videndum eſt, an doctrina *ſuperiùs* ſtabilita locum habeat de facto in Priore Monaſterij, ac territorij de Alcantara, ob ſpecialem rationem, quæ aduerſus ipſum vrget. Quippè inter Epiſcopum, Decanum, ac Capitulum Eccleſiæ Caurienſis concordia quædam interceſſit cum Ordine Alcantaræ, ex qua videtur priuatiuè ſpectare ad prædictum Epiſcopum omnia munia ad Dignitatem Epiſcopalem pertinentia, intra fines diœceſis Caurienſis, intra quos Prioratus de Alcantara iacet, atque adeò ad Epiſcopum priuatiuè pertinere facultatem ſuprà dictam abſoluendi, ac diſpenſandi, vtpotè quæ eſt propria Dignitatis Epiſcopalis. Inferiùs autem Concordiam tranſcribemus.

115 Sed his non obſtantibus; tenendum eſt, poſſe Priorem de Alcantara abſoluere ſuos ſubditos, & diſpenſare, eo modo, quo Epiſcopi poſſunt. Quippè is Prior eſt Iudex Eccleſiaſticus Ordinarius in toto ſuo territorio, vt conſtat ex præfata Concordia *num.*2. Iuxta quam omnimoda iuriſdictio ordinaria reſidet penes Priorem Alcantaræ in ſuo territorio, quin ea reſideat penes Epiſcopum; ſed poteſtas tradita abſoluendi, & diſpenſandi fundatur in iuriſdictione ordinaria Epiſcopali, aut quaſi Epiſcopali, ergo ea poteſtas datur in Priore Alcantaræ.

116 Confirmatur à ſimili. Capitulum Sede Vacante (committendo id ſpecialibus perſonis) poteſt à caſibus reſeruatis occultis abſoluere; quamvis non valeat exercere pontificalia; at Prior Alcantaræ eadem iuriſdictione fungitur circa ſuos ſubditos in prima inſtantia, qua Capitulum gaudet erga ſuos, vt ex ipſa relata Concordia conſtat; ergo Prior ille abſoluere poteſt ſubditos à caſibus reſeruatis, de quibus agimus. Prædictam autem poteſtatem eſſe in Capitulo, Sede Vacante, defendunt Sayrus *in claui Regia, lib.6. cap.11. n.84.* Barboſa *in remiſſionib. ad Tridentinum ſeſſ.24. cap.6. n.5.* Diana *part.4. tract.4. miſcell. reſolut.* 211. P. Thomas Sanchez *tom.2. ſum. lib.2. cap.11. num.4.* Qui præſcribit formam, qua id eſt præſtandum; Et *lib.2. de matrimon. diſput.* 40. *num.* 17. docet, poſſe Epiſcopum ſuas vices, ac poteſtatem ad abſoluendum alteri delegare, eo quòd Tridentinum non eligat induſtriam perſonalem Epiſcopi, ſed eius iuriſdictionem. Inde etiam fit, poſſe Priorem Militarem eiuſmodi poteſtatem delegare.

Confirmatur rursùs alio ſimili. Nam 117 Epiſcopus electus, ac confirmatus, adhuc non conſecratus, quamvis nequeat exercere pontificalia, valet abſoluere à prædictis caſibus, vt tradunt Barboſa *vbi ſuprà num.*3. P. Suarez *tom.4. in 3. part. diſp.* 30. *ſect.2. n.* 4. P. Thom. Sanchez *vbi ſuprà num.* 3. Ioannes Gutierrez, & alij; ergo ſimiliter Prior Alcantaræ, eſtò nequeat ob Concordiam exercere pontificalia, poterit abſoluere à reſeruatis, ſiquidem iuriſdictione ordinaria fungitur, ob quam Epiſcopus confirmatus non conſecratus ea poteſtate abſoluendi à reſeruatis gaudet.

Nec oppoſitum ſuadetur ex verbis prædictæ Concordiæ. Etenim, quamvis Epiſcopus Caurienſis ob Concordiam exerceat pontificalia in territorio Alcantaræ, & alia exequatur in verbis Concordiæ contenta, tamen Prior ſuam iuriſdictionem ordinariam retinet, & ratione huius poteſtas abſoluendi ei competit. Nec obſtat, quòd cauſæ in ſecunda inſtantia ad Epiſcopum Caurienſem deferantur; ſicut non obeſt Epiſcopis, quòd ab eorum ſententiis ad Metropolitanos appelletur; vtrumque enim præſtatur abſque iuriſdictionis ordinariæ læſione; De quo videri poteſt Emanuël Rodriguez *tom.2. ſum. c.*10. *num.6.* 118

Iam verò ad doctrinam generalem in 119 aſſertis poſitam redeundo, ex illa decidenda erit ea quæſtio, an Priores Militares præfati poſſint diſpenſare pro foro interno in irregularitate proueniente ex infamia occulta, ſi procedat ab hæreſi? Et quidem iuxta

iuxta meam ſententiam non poſſunt, cum iuxta eam non valeant abſoluere ab hæreſi in Regnis Hiſpaniarum, vbi Fidei Sacræ Tribunalia vigent; pariter enim prohibitio militat in abſolutione ab hæreſi, & irregularitate propter illam contracta, hæc enim inter ſe connectuntur quoad poteſtatem; à qua ſunt exercenda. Sic docet Tamburinus *de iure Abbatum tom.2. diſp.17. quæſt. 7. à num.* 8. & plurimi alij. E contrà verò; propter eandem rationem, in ſententia tuente, poſſe prædictos Priores abſoluere ab hæreſi occulta pro foro interno, aſſerendum erit; valere etiam in eiuſmodi irregularitate diſpenſare.

120 Ex eadem illa doctrina generali infertur, poſſe Priores Militares præfatos abſoluere ſuos ſubditos extra mortis articulum ab omnibus caſibus in Bulla Cœnæ contentis, & alibi reſeruatis Pontifici; (hæreſim excipe, de qua iam diximus) quando ſubditi legitimè impediti ſunt adire Pontificem, quamvis caſus non ſint occulti. Etenim in eo euentu poſſunt Epiſcopi ſuos ſubditos abſoluere, de iure communi iuxta *cap. de cætero; de ſent. excomm.* & ibi Gloſſa, *verbo licèt*, & Panormitanus. Docent Nauarrus *in Manuali cap.* 27. *num.* 89. Sairus *de cenſur. lib.3. cap.*28. *num.* 29. Bonacina *de cenſur. diſp.2. q.2. punct.*5. P. Thom. Sanchez *in ſumm. lib.2. cap.*13. *num.*4. Diana *part.7. reſ. mor. tract.* 10. *miſcell. reſol.*23. Et eſt communis Authorum ſententia.

121 Vnde, cum Priores Militares iuriſdictione quaſi Epiſcopali, ac territorio gaudentes, nomine Epiſcoporum quoad hanc poteſtatem iuriſdictionis comprehendantur; fit, vt valeant ſuis ſubditis eam abſolutionem impertiri; Quod ita tradunt Duardus *in Bull. Cœnæ lib.*3. *§.2. q.8. num.* 52. Illuſtriſ. & doctiſ. Epiſcopus de Barbaſtro D. Vrritigoyti *in paſtorali interno, tract.*4. *quæſt.*4. *num.*3. Tamburinus *vbi ſuprà, diſp.* 14. *q.*15. *num.*4. Quod autem dicatur iuſtum impedimentum adeundi Pontificem; &, an ceſſante impedimento, teneantur ſubditi abſoluti comparere coram Pontifice, ac aliæ ſimiles quæſtiones, non ſunt ſpeciales reſpectu Priorum Militiarum, ſed communes reſpectu Epiſcoporum, ideoque in præſenti non ſunt diſcutiendæ. Videantur P. Layman *lib.*1. *tract.*5. *p.*2. *cap.*6. Hugolinus *in Bull. Cœnæ* 3. *p.* P. Henriquez, *lib.6. de excomm. cap.* 10. Ludouicus Caſpenſis *in curſu Theologico, tom.2. tract.*25. *diſp.*2. *ſec.*12. Barboſa *in Paſtorali, alleg.*25. & alij *ſuprà* relati, qui plures Authores de hoc agentes allegant. Id obſerua, ad Priores ex ſe pertinere approbare Sacerdotes ad audiendas Confeſſiones in ſuis territoriis, niſi aliud cum Epiſcopis fuerit tranſactum; &, ſicut poteſt Epiſcopus de nouo adueniens obligare Sacerdotes, etiam Religioſos ad nouum examen ad concionandum, & audiendum Confeſſiones, vt tradit Ioan. Sanchez *in ſelect. diſput.*48. *num.* 50. ſic poſſe Priores id præſtare. Demum quatenus Prælati Regulares ſunt, nequeunt ſubditos Regulares ab hæreſi occulta abſoluere, vt tradidi *in ſtatera opinionum benignarum diſſert.*1. *ex n.*56.

QVÆSTIO XII.

An nomen Prioris Militaris iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentis apponendum ſit, vbi in Miſſa dicitur, Et Antiſtite N.

§. I.

Proponitur ſententia negans.

122 IN Canone Miſſæ, ſtatim in exordio, preces funduntur pro Pontifice, & Antiſtite, apponunturque nomina pontificis, qui Eccleſiam regit, & Antiſtitis eius diœceſis, in qua quis verſatur, domicilium, aut quaſi domicilium habens, quamvis caſu, & per accidens; alicuius negotij cauſa in aliena diœceſi per exiguum tempus celebrans exiſtat. Deindè eadem nomina apponuntur in Collecta *& famulos tuos*, quam dici poſſe in Miſſa in Regno Hiſpaniæ, eſt priuilegium conceſſum à Sede Apoſtolica. Et quamvis aliqui exiſtimauerint, peccare Sacerdotes, qui eam Collectam ſemper; aut frequenter omitterent, attamen in omiſſione illius nec peccatum veniale interuenire, eſt tenendum, quod non vacat probare; ſufficiat adducere verba ex obſeruationibus Gauanti, & Decretis Sacræ Rituum Congregationis congeſtis à D. Laurentio Vvander Hammen, vbi *part.*5. *fol.* 301. hæc habet; Additio hæc, *Et famulos tuos, &c. ex conceſſione S. D. N. Papæ Pij V. & Gregorij XIII. confirmatione, poteſt dici in omnibus Regnis Hiſpaniæ, tam per Sacerdotes ſæculares, quàm per Regulares, & tam in priuatis Miſſis, quàm in Conuentualibus, quamvis ſint ex ſolemnioribus, & colendis. Neque obligat, ſed ad libitum tantùm, & dicitur in prima Oratione Miſſæ, in Secreta, & in Oratione poſt Communionem.* Videat, qui velit, Patrem Antoninm de Quintanaducñas *tom.*1. *ſingularium, tract.*7. *ſingular.*

ſingular. 35. Vbi etiam agit, an Sacerdos Hiſpanus poſſit hanc Collectam in Miſſa dicere, ſi verſetur extra Hiſpaniam.

123 In Canone Miſſæ loco Epiſcopi nequeunt Regulares apponere n men Superioris ſui Ordinis. Sic declarauit Congregatio Cardinalium die 17. Nou mbris, anno 1615. conſulta à Cæſare Epiſcopo Nouarienſi, in Hiſpaniis Nuntio; quæ declaratio affertur ab Emanuële Rodriguez *tom.* 4.*ſum.cap.* 51.*num.*13. & ab aliis. Ex qua infert Diana 1.*part. tract.*14. *reſol.*40.peccare mortaliter Religioſum, qui loco Epiſcopi Generalem ſuæ Religionis apponeret; Sed à mortali eum excuſant plures allati à P. Quintanadueñas *vbi nuper*, *ſingulari* 36. Nomen autem Generalis Ordinis nec in Collecta poteſt loco Epiſcopi præfigi, quod ob identitatem rationis colligitur ex Declaratione præfata.

124 Iam ergo dubium eſt, vtrum nomen Prioris Militaris exempti, gaudentis iuriſdictione quaſi Epiſcopali erga ſubditos ſæculares, & Regulares, ſit apponendum loco Epiſcopi in eius territorio, cum in eo non ſit vllus Epiſcopus, qui in Canone, & Collecta apponantur? ſiquidem Eccleſia dirigit eas preces, vt Epiſcopus rectè ſuas oues gubernet, quæ ratio ceſſat reſpectu Epiſcoporum in prædicto territorio, cuius gubernatio ad eos non ſpectat.

125 Pro ſententia negante, apponendum eſſe nomen Prioris (idem eſt de quouis Abbate exempto) hæc proponuntur fundamenta. Primum, quia Congregatio Cardinalium in Declaratione relata addit; *Cum ſit ad vnguem Miſſale obſeruandum.* Vbi de medio tolluntur interpretationes, & rigor literæ obſeruari præcipitur; Vnde, cum nomen Antiſtitis rigoroſè, in acceptione vſitata, ſolùm ſignificet Patriarcham, Archiepiſcopum, aut Epiſcopum, fit, vt nequeat ſub nomine Epiſcopi nomen Prioris apponi.

126 Secundò, loquens in propriis terminis Gauantus *part.*2. *Rubric.ad Miſſ. tit.*8.*leg.*7. & ex ipſo Vander *part.*1.*fol.*13. aiunt; *Neque nominandus eſt Abbas exemptus, ſed Epiſcopus vicinior, ad quem pro Ordinatione itur, neque enim Abbas eſt Antiſtes.* Quæ verba appoſita iam prodierunt in Miſſalibus excuſſis Matriti anno 1637. Ex Typographia Regia, & deinceps; ac reperientur poſt Miſſas Sanctorum Hiſpaniæ in Rubrica; quæ præfigitur ad Collectam, quæ addi poteſt ad Orationes communes. Vnde id videtur iam eſſe pro regula obſeruanda præſcriptum.

127 Hinc, ſi Abbatiæ, aut Prioratus ſint exempti, dicat quis, omittenda eſſe illa verba, *Et Antiſtite N.* Nam Regula ſuprà dicta ſolùm poteſt obſeruari, in ordine ad hoc, quòd Abbas, aut Prior non nominentur; at nequit obſeruari in ordine ad nomen Epiſcopi apponendum. Primò, quia poſſunt eſſe æquè vicini duo Epiſcopi, aut plures, ſi territorium Prioris, vel Abbatis ſit in confinio duarum, aut trium diœceſum; non poteſt autem apponi nomen tot Epiſcoporum, niſi ſolùm vnius; non eſt verò ratio, cur potiùs vnius, quàm alterius nomen præfigatur, vnde nullus erit nominandus. Secundò, quia non itur ad Epiſcopum viciniorem pro Ordinibus accipiendis, ſiquidem Priores huiuſmodi, & Abbates dimiſſorias concedunt ſubditis, vt à quocumque maluerint Catholico Antiſtite, Ordines ſuſcipiant.

In hac tamen ſententia obſeruandum erit à ſubditis Ordinis de Alcantara in territorio Archipresbyteratuum de Alcantara, & Valencia, quod nomen Antiſtitis Caurienſis ab ipſis eſt præfigendum; eo quòd ratione Concordiæ Antiſtes ille in his Archipresbyteratibus priuatiuè Ordines confert; quare ibi Regula *ſuperiùs* appoſita vim habet, quòd nominandus eſt *Epiſcopus vicinior, ad quem pro Ordinatione itur.* 128

At verò adhuc in hac ſententia, intra ipſum Monaſterium de Alcantara Religioſi non tenentur apponere nomen Antiſtitis Caurienſis, ſed poſſunt ea verba omittere. Etenim, quamvis ea Regula ſoleat præfigi, (vt videre eſt apud Gauantum, Vander, Quintanadueñas, & alios ſuprà allatos) quòd ſemper Antiſtes nominandus eſt *etiam in Monaſteriis, Eccleſiis, Capellis Regiis, vel exemptis*; attamen hæc exemptio intelligitur in præſenti de communi exemptione, non de ſpecialiſſima, qualis reperitur in Monaſterio de Alcantara. Rem explico. Salmantina Regularium Cœnobia, exempta ſunt ab Epiſcopo Salmantino; tamen omnes Religioſi in ſuis Eccleſiis celebrantes tenentur nominare Epiſcopum Salmantinum in Miſſa; Et præthereà omnes ſubditi Epiſcopi, quamvis celebrent in Eccleſiis exemptis, eius nomen apponere debent; & id præcipit ea Regula. Quippè is eſt Ordinarius loci; & ab eo obtinendæ ſunt licentiæ, vt Religioſi concionentur, & Confeſſiones audiant in ea diœceſi; & ea Cœnobia obſeruare debent interdicta, ac ceſſationes à diuinis, quæ in eo loco ab Epiſcopo promulgantur, aliaque huiuſmodi. 129

Alia eſt exemptio ſpecialior, cum ſcilicet aliqua Eccleſia ita ſita eſt in aliquo territorio, 130

territorio, vt perindè ſe habeat, & eadem priuilegia exemptionis omnimodæ conſeruet, ac ſi ibi non eſſet ſita. Monaſterium autem de Alcantara ſic ſe habet. Et in primis, quamvis propter Concordiam cum Epiſcopo Caurienſi ſubditi eius territorij Ordines ab illo ſint ſuſcepturi, attamen Religioſi Monaſterij indè excipiuntur, & poſſunt à quocumque Antiſtite Ordinibus initiari, quare Regula *ſuperiùs* præfixa de Antiſtite viciniori, ad quem pro Ordinatione itur, neutiquam eos comprehendit. Deiudè hoc Monaſterium ad Alcantaram fuit tranſlatum ex loco Sancti Iuliani del Pereiro, & omnia ſua antiqua priuilegia, indulta, & conceſſiones Pontificias abſque vlla controuerſia cum Epiſcopis Caurienſis retinuit; ex quibus liquet, non ſolùm eſſe immediatum Sedi Apoſtolicæ, ſed caput eſſe totius Ordinis, ad quod primario Bullæ diriguntur, priuilegiaque præſtantur, quin Epiſcopus erga illud vlla iuriſdictione fungatur, nec Monaſterium teneatur vlla lege diœceſana. Quare intra Monaſterium poteſt Prior exercere Pontificalia, & aſſiſtentibus ad benedictionem ſolemnem concedere quadraginta dies indulgentiæ.

131 Hinc Monaſterium prædictum omnino, & ſpecialiſſimè eſt exemptum, tum ratione perſonarum, tum ratione loci; cum ſe habeat, ac ſi alibi eſſet ſitum, & inibi poſſit Prior Pontificalia exercere, indulgentias concedere, & alia huiuſmodi præſtare, quæ non reperiuntur in aliis Monaſteriis Regularibus exemptis, ſeu in aliis Eccleſiis exemptione gaudentibus. Vnde fit, Religioſos in eo Monaſterio verſantes non teneri apponere nomen Antiſtitis Caurienſis. Attamen alij Sacerdotes eius territorij, ſi in Eccleſia Monaſterij celebrent, nomen eius Antiſtitis apponere tenentur, ſicut dicebamus de his, qui per tranſitum ſunt in aliena diœceſi, & ſuum proprium Antiſtitem apponere debent. Proportionatè autem eadem hic ratio militat.

132 Vt autem clariùs ea exemptio Monaſterij de Alcantara conſtet, breuiter afferam aliquas priuilegiorum clauſulas. Lucius III. in Bulla, quæ incipit, *Dilectis filiis*, ait; *Cum locus veſter in Sarracenorum faucibus conſtitutus, ſicut ex literis Epiſcoporum, & aliorum Religioſorum nobis innotuit, nulli Pontifici hactenùs fuerit diœceſana lege ſubiectus.* Et inferiùs; *Et locum veſtrum, in quo diuino emancipati eſtis obſequio, in ius, & proprietatem B. Petri, Eccleſia Romana recipimus, & præſentis ſcripti priuilegio communimus. Statuentes, vt, præter Romanum Pontificem, nullus locum ipſum interdicto ſupponat, vel in Fratres in eo commorantes excommunicationis, vel ſuſpenſionis ſententiam ferre præſumat.* Et intrà; *Chriſma verò, Oleum Sanctum, Conſecrationes Altarium, ſeu Baſilicarum Ordinationes Clericorum, ſeu Monachorum, qui ad Sacros Ordines fuèrint promouendi, à quocumque malueritis Catholico ſuſcipiatis Epiſcopo.* Gregorius IX. in Bulla, quæ incipit, *Religioſam*, inquit; *Inſuper authoritate Apoſtolica inhibemus, ne vllus Epiſcopus, vel quælibet alia perſona ad Synodos, vel Conuentus Forenſes vos ire, vel iudicio ſæculari de veſtra propria ſubſtantia, poſſeſſionibus veſtris ſubiacere compellat; nec ad Domos veſtras cauſa Ordines celebrandi, & cauſas tractandi, vel aliquos publicos Conuentus conuocandi venire præſumat.* Clemens VII. in Bulla, quæ incipit, *Romani Pontificis*, fatur; *Cum itaque, ſicut accepimus, S Benedicti de Alcantara, & eiuſdem S. Benedicti de Villanueua, Militia de Alcantara, Ciſtercienſis Ordinis, nullius Diœceſis Prioratus, ab omni iuriſdictione ordinaria exempti ſint, & illorum Priores pro tempore exiſtentes, in ipſis Prioratibus iuriſdictionem, viſitationem, & correctionem habere conſueuerint.* Extant hæ Bullæ in Bullario Ordinis de Alcantara, *fol.* 6. 21. & 130. Ex quibus ſatis apertè liquet exemptio præiacta.

§. II.

Proponitur ſententia affirmans, nomen Prioris, ſeu Abbatis exempti apponendum eſſe in Miſſa, Noſtrúmque iudicium.

PRo ſententia affirmante, in Canone Miſſæ, & in Collecta apponendum eſſe nomen Priorum Militarium, ſeu Abbatum, de quibus loquimur, id eſt fundamentum primum, quòd hi ſunt Antiſtites, & ſub hac voce comprehenduntur, cum iuriſdictione quaſi Epiſcopali in ſuis territoriis gaudeant; indeque eos paſſim vocat Antiſtites Caramuel *in Comment. Regulæ S. Benedicti*, nec non alij Authores ipſum nomen illis, vt proprium adaptant; ac ſæpiſſimè D. Baſilius Abbates nuncupat Antiſtites, vt videre eſt apud Benedictum Haëtfenum *in diſq. Monaſtic. lib. 3. tract. 5. diſq. 2. num. 3.* 133

Secundum; Nam Eccleſia intendit à Deo exorare, vt Prælatis auxilium præbeat ad rectè gubernandum populum ipſis commiſſum, quod in Prælatorum, & populi vtilitatem cedit ingentem; vt tradit Gabriel Biel *in Canone Miſſæ, lect.* 13. *in fin.* Cum autem in eis territoriis non ſint alij Prælati, 134

quam Abbates, ſeu Priores præfati, ſanè Eccleſiæ intentio videtur eſſe, vt pro illis preces in Miſſâ fundantur; aliàs, ſi ea deprecatio omittitur, (ſiquidem, vt diximus, non eſt ratio, cur Epiſcopus extraneus, qui non regit illos populos, nominetur) frangantur tum ipſi Prælati, tum ſubditi beneficiis à Deo per preces in Sacrificio Miſſæ oppoſitas obtinendis, fiuntque peioris conditionis, quàm cæteri alij ſubditi Epiſcoporum, cum tamen nihil cauſæ ſit penes illos, cur exortes reddantur harum Eccleſiæ precum. Quis enim inficietur, Deum à precibus in Miſſis quotidianis, & frequentibus fuſis moueri, ac allici, vt Prælatos dirigat, & ſpecialiter aſſiſtat, ad regendum ſalubriter gregem ipſis commiſſum, & hinc ſubditos ipſos magnam capere vtilitatem? Quid ergo commiſerunt ſubditi nullius diœceſis, vt his bonis priuentur, & Eccleſia eos ſub illis precibus non includat? Etenim in ipſos redundat Prælatorum zelus, ſpiritus, conſilium, & opportuna gubernatio.

135 Tertium, quia nullum verbum appoſitum in Canone Miſſæ eſt omittendum, cum abſque aliquo abſurdo poteſt proferri; nullum autem eſt abſurdum in proferenda illa voce, *Antiſtite noſtro*, apponendo nomen Prioris, aut Abbatis; quin potiùs, vt *nuper* aſſeuerauimus, in eo eſt magna vtilitas, pietas, ac executio intentionis Eccleſiæ. Imò, niſi expreſſa ſit Miſſalis Rubrica, aut Declaratio Pontificia, vel Sacræ Congregationis Rituum, intimata, & publicata, ita vt de ea ſufficienter conſtet, non poteſt omitti aliquod verbum in Canone Miſſæ præfixum, alias exponeretur arbitrio, & opinationi, an id, an illud verbum eſſet omittendum, quod ex ſe cernitur abſurdum. Nulla autem eſt in Miſſali Rubrica, nec declaratio Pontificia, aut Sacræ Congregationis Rituum authenticè conſtans, per quam iniungatur, vt in territoriis nullius diœceſis omittatur illa vox *Antiſtite noſtro*. Nam verba contrarium præcipientia, quæ in nouis Miſſalibus appoſita ſunt, ex Gauanto fuere deſumpta, nec conſtat, emanaſſe à Sede Apoſtolica, nec à Sacra Rituum Congregatione, vnde vim obligandi non habere videntur.

136 Aliud eſt, cum Sedes Pontificalis, aut Epiſcopalis vacat; tunc enim omittuntur reſpectiuè ea verba, *Papa noſtro, N. Antiſtite noſtro, N.* Quæ aptari nequeunt Capitulo, aut Conclaui, Sede Vacante; & per exiguum tempus omittuntur, interimque Eccleſia alias preces fundit, vt Deus Paſtorem Optimum ſuo gregi prouideat. At in territoriis nullius diœceſis, quæ ſunt plurima, & ampla, ſemper forent ea verba omittenda, quod non facilè ſuſtineri valet. Ex his reſpondetur ad fundamenta primæ ſententiæ negantis; cum potiùs ad vnguem Miſſale obſeruetur, ſi apponatur nomen Prioris, vel Abbatis, qui in vſurpatione ſatis communi Antiſtites appellantur; quàm ſi omittatur omnino illa vox *Antiſtite:* Omiſſio enim hæc non eſt obſeruatio ad vnguem; & prætereà ſufficienter eneruatur fundamentum deſumptum ex verbis Gauanti, & Vander; quæ, non conſtat authenticè, fuiſſe deprompta ex aliqua declaratione Congregationis ſacræ Rituum. Hanc ſententiam latè proponit, & firmat P. Quintanadueñas *tom. 2. ſingular. tract. 2. ſingular. 6.* Vbi quandam Pontificis declarationem ab Emanuële Rodriguez allatam, & alia fundamenta pro oppoſita opinione diluit, & plura affert noſtrum aſſertum roborantia, quæ *ibi* ſunt videnda, ne transcribantur. Ob rationes appoſitas pariter tenendum eſt, in territorio Alcantaræ nomen Prioris eſſe etiam præfigendum; quamvis enim ad Epiſcopum Caurienſem pro Ordinibus ſuſcipiendis eatur, attamen vbi Prior eſt Iudex Ordinarius, propriaſque oues habet, militant reſpectu eius fundamenta propoſita, cum aliundè iuriſdictione quaſi Epiſcopali fungatur, & poſſit ea omnia peragere, quæ attingemus *quæſt.* 14.

QVÆSTIO XII.

Exponuntur aliqua dubia circa poteſtatem, & obligationes Priorum Militarium, iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentium.

Dvbitabis primò, an hi Priores Militares poſſint incedere ornati Inſignibus Epiſcopalibus? Reſpondeo ex ſe poſſe; Etenim hi Priores ſunt veluti Abbates Militares, (ita loquitur Machado *tom. 2. de perfect. Confeſſar. lib. 4. part. 6. tract. 3. docum. 2.*) eiſque competit, quidquid in iure Abbatibus exemptis gaudentibus iuriſdictione quaſi Epiſcopali conceditur; Abbates autem eiuſmodi ſunt propriè Prælati ſuarum Eccleſiarum, & ſubditorum, indeque Eccleſiæ, eis deficientibus, dicuntur ſuis ſponſis viduatæ; & pro vtroque foro eadem, qua Epiſcopi, poteſtate funguntur, præter ea, quæ Ordinis Epiſcopalis ſunt priuatiuè propria; indeque à Iure eis indulgetur, vt veſtes, & ornatum Epiſcopalem geſtent. Conſtat id ex *relato cap.* 137

cap. Abbates, & ex cap. decernimus, de iudicijs Firmant Innocentius *in cap. quia propter, de elect.* P. Suarez *tom.4. de Relig. lib.2. in add 8. cap.2.* P. Azor, Tamburinus, ac plurimi alij, quos congerit Barboſa *de iure Eccleſiaſt. lib.1. cap.17.* Cæterùm de facto non omnes Priores ita incedunt ornati; & ob deſuetudinem huius prærogatiuæ forſan ſpeciale indultum Pontificium depoſcitur ad vſum eiuſmodi veſtium.

138 Dubitabis ſecundò, an Priores Militares, cum per oppida incedunt, poſſint benedictionem occurrentibus impertiri, ſicut præſtant Epiſcopi? Certum eſt, in Eccleſia poſſe ſolemniter benedicere populo poſt Miſſam ſolemnem, Veſperas, & Matutinum, dum ibi non adſit aliquis Epiſcopus, aut Superior Prælatus; habetur *in cap. denique 21. diſtinct. c. miniſtrare 26. q.6.* Cæterùm Barboſa *vbi nuper, lib.1. cap.17.* affert Declarationem Cardinalium *in vna Burgenſi, 24. Auguſti, 1609.* ne valeant Abbates extra Eccleſiam populo benedicere. Cui ſtandum eſt, niſi detur conſuetudo contraria, quæ poteſt inducere poteſtatem, non ſecùs ac ipſæ leges poſſunt; vt communiter probatur *ex leg. de quibus ff. de legib. leg. 2. Cod. quæ ſit longa conſuetudo, §. ex non ſcripto, inſtit. de iure natur. gent. & ciuil. cap. conſuetudo, diſtinct.1.* Hinc poterunt Priores Militares extra Eccleſiam benedictionem præſtare, vbi id fuerit conſuetudine inductum, vt docet Machado *vbi ſuprà, doc.3. num. 2.*

139 Dubitabis tertiò, an Priores Militares poſſint benedicere Ornamenta omnium Eccleſiarum, quæ ipſis ſubduntur, & prætereà conſecrare Calices, Aras, Templa, & cymbala? Barboſa *vbi ſuprà num.61. & 64.* affert duas declarationes Cardinalium negantes Abbatibus exemptis hanc poteſtatem. In primis aſſero, benedictionem Ornamentorum videri eis conceſſam *in c. vt Apoſtolicæ, de priuileg. in 6.* Nec eſt, cur illis id denegetur, ſicut non denegatur benedictio ſolemnis populi; nec cenſeri debet quid priuatiuè ſpectans ad poteſtatem Pontificalem Epiſcopi, ſicut ea populi benedictio nequaquam talis cenſetur. Quod euidenter conſtat, nam Prælati Religionum ex priuilegio Pontificio benedicunt Ornamenta Eccleſiarum, vtentes einſmodi priuilegio iuxta normam communicationis ipſius; igitur benedictio Ornamentorum non eſt quid priuatiuè pertinens ad poteſtatem Pontificalem Epiſcopi; quare, cum Prioribus præfatis liceat, quidquid Epiſcopus poteſt, dum non pertineant priuatiuè ad Ordinem Epiſcopatus, licebit ſanè ornamenta benedicere; Ita confirmant Syluester *verbo, benedictio, num.5.* Emanuel Rodriguez, *tom.1. qq. regul. quæſt.59. art.2.* Miranda *in Manuali Prælator. tom.1. quæſt.42 art.3.* & alij plures; Facultas prætereà benedicendi Ornamenta, & Eccleſias, quæ competit Prioribus, quia ſunt Prælati Regulares Monaſteriorum, conſtabit *infrà quæſt.18. num. 232.*

140 Deinde aſſero, ex ſe, & ex munere ſuo poſſe etiam Priores Militares conſecrare Vaſa ſacra, Aras, & Eccleſias, nec indigere ad id ſpeciali priuilegio, vt vult Machado, *vbi ſuprà docum.3. num.3.* Moueor ex principio generali præiacto, ex quo hæc infertur deciſio. Quippè prædictis Prioribus Militaribus ex iure communi licent omnia, quæ Epiſcopis, eademque, qua illi iuriſdictione, & poteſtate funguntur, niſi in his, quæ Ordinem Epiſcopalem exigunt; ſed conſecratio Calicis, Aræ, & ſimilium non exigit eam poteſtatem; ergo competit poteſtas ad conſecrandum his Prioribus. Minor probatur. Si eiuſmodi conſecrandi poteſtas eſſet priuatiuè propria Epiſcoporum, nullus alius, niſi ipſi, poſſent conſecrare; alij autem, præter ipſos conſecrant Aras, & ſimilia, nempè Abbates Benedictini, & Ciſtercienſes, ac ſimiles, vt omnibus innoteſcit; Quare idem poterunt præſtare Priores Militares. Quin id ipſum ſtabilitur ampliùs in Prioribus Calatrauæ, & Alcantaræ, (eſtò nunc nullus Prior Calatrauæ detur,) qui ſunt veluti Abbates Ciſtercienſes; vnde, quamvis ex priuilegio competat ea poteſtas illis Abbatibus, poterunt ea vti Priores, quia Ordines Calatrauæ, & Alcantaræ participant priuilegia Ordinis Ciſtercienſis, vt non ſemel repetimus; vnde, licèt ex Iure non congrueret eis poteſtas conſecrandi, ex priuilegio ſpeciali eis conueniret, quod Machado, *vbi ſuprà* deſiderabat. Hinc Declarationibus Cardinalium vel per conſuetudinem, vel per priuilegium obſiſtitur. Eas autem declarationes etiam affert Dom. Vrritigoyti *in Paſtorali Regularium part. 2. quæſt.18. n. 4.* & oppoſitam ſententiam tuetur cum P. Suarez, & Tamburino.

141 Dubitabis quartò, an Priores Militares gaudeant omnibus priuilegiis, quæ Epiſcopis ſunt conceſſa? Reſpondeo ex præiacto principio, gaudere; exceptis his, quæ iam attigimus. Nam Priores in Iure, ſeu Abbates exempti, gaudent eadem poteſtate, qua Epiſcopi, poſſunt ſuo territorio idem, ac illi in ſuis, & aſſimilantur, ac æquantur ipſis in omnibus, quæ ad Dignitatem Pontificalem non ſpectant.

142 Vnde Priores eiuſmodi (quod ipſis adhuc expreſsè conceſſum eſt) poſſunt ſibi eligere Conſeſſarium. Conſtat *ex cap. omnis, de pænit. & remiſ.* ibi; *Permittimus Epiſcopis, & aliis Superioribus, necnon minoribus Prælatis exemptis, vt etiam præter ſui Superioris licentiam poſſint ſibi diſcretum eligere Confeſſarium.* Qui Confeſſarius iuxta communiorem ſententiam, quam docent P. Suarez *de pænitent. diſput.* 27. *ſect.* 1. *num.* 4. P. Filiucius, & alij, accipit iuriſdictionem à Pontifice, non ab ipſo eligente illum; poteſtque abſoluere eum ab omnibus caſibus, & diſpenſare cum illo in irregularitatibus, in quibus ipſe poteſt diſpenſare, & à quibus poteſt abſoluere ſubditos. Sic docent Maiolus *de irregularit. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 12. P. Henriquez *lib.* 14. *de irregular. cap.* 18. §. 3. Pater Suarez *de cenſur. diſput.* 41. *ſect.* 2. *num.* 9. P. Thomas Sanchez *de matrim. lib.* 8. *diſput.* 3. *num.* 3. Plures apud Barboſam *in addit. ad Concil. ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *num.* 12. Quidquid dicat Marius Alterius *de cenſur. tom.* 2. *diſp.* 8. *cap.* 3. *concl.* 4. Attamen nequit Epiſcopus eligere Confeſſarium non ſubditum, qui non ſit approbatus; Si enim ſit aliquo modo ſubditus, ipſe eum approbat quoad ſe, dum eum eligit. Ita docui *tom. in Bullam Cruciat. diſp.* 22. *num.* 16. Poſſunt etiam Epiſcopi ſuam familiam excipere à proprio Parocho, vt dixi *ibidem num.* 15. Rursùs expediunt diſpenſationes matrimoniales Romæ obteutas, vt exprimit Clemens VIII. in Bulla data die 3. Aprilis, anno 1596.

143 Deinde poſſunt Priores Militares in ſuis Domibus habere Oratoria, in quibus Miſſam celebrent; id enim Epiſcopis conceditur *in cap. quoniam, de priuileg. in* 6. Vbi *gloſſa, & DD.* videantur. Rursùs valent in itineribus vti altari portatili, vt conſtat ex *eo capite quoniam.* Quod videtur extendi ad hoc, vt poſſint eo vti altari intra domum, ſi nequeant aliter, v. g. ob ægritudinem, celebrare, vel audire Sacrum, vt tenet Marchinus *de Sacram. Ordin. tr.* 3. *p.* 3. *c.* 9. *n.* 4. Et, quamvis de vſu horum priuilegiorum dubitauerint Nauarrus *conſil.* 16. *de priuileg.* & alij, eo quòd Tridentinum *ſeſſ.* 22. *in Decreto de obſeruand. in celebrat. Miſſar.* prohibuerit celebrari, niſi in locis ad id deputatis, qualia ſunt templa; Attamen receptior ſententia docet, ea priuilegia non fuiſſe reuocata. Ita Marchinus *vbi nuper, n.* 11. Vgolinus *de poteſtat. Epiſc. c.* 2. *à n.* 4. P. Azor *tom.* 1. *inſtitut. moral. lib.* 10. *c.* 16. *quæſt.* 4. Quin contra Nauarrum tuetur Vgolinus, id poſſe præſtare Epiſcopum etiam in aliena diœceſi. Poſſunt præterea præfati Priores, ſicut Epiſcopi, cum itinerantur, Miſſam celebrare vna hora ante Auroram, & alia poſt meridiem; Conſtat ex gloſſa *in c. vlt. de priuil. in* 6. & tuetur Marchinus *vbi ſuprà* cum Nauarro, & aliis.

Rursùs Priores Militares præfati non 144
incurrunt in ſuſpenſionis, & interdicti pœnam, cum hæc in Iure infligitur in generali, quin exprimantur Epiſcopi. Quippè id Epiſcopis eſt conceſſum *in cap. quam periculoſum, & ibi Gloſſa, de ſent. excom. in* 6. *cap. ſi compromiſſarius, §. huiuſmodi, de elect. in* 6. Et quamvis *in eo cap. quam periculoſum,* de ſuſpenſione ab Officio ſolùm agatur, tamen extenditur ad ſuſpenſionem à Beneficio in prædicto *cap. ſi compromiſſarius,* & docet cum aliis Vgolinus *de offic. Epiſc. c.* 2. §. 2. *n.* 4. Quin Maiolus *lib.* 1. *de irregul. c.* 1. *n.* 7. tuetur, Epiſcopos non comprehendi ſub pœna excommunicationum maiorum, quæ in Iure proferuntur, nec in irregularitatibus, ſi eorum expreſſa mentio non fiat. Verum parti contrariæ aſſentiunt P. Gaſpar Hurtado *de irregul. diſp.* 1. *diffic.* 7. *n.* 26. P. Turrianus *de cenſur. lib.* 8. *diſp.* 59. *dub.* 1. Diana *p.* 4. *tr.* 2. *reſ.* 53.

Adhuc qui in Priores Militares manus 145
violentas iniecerit, incurrit excommunicationem in Bulla Cœnæ contentam *conſt.* 11. contra injicientes manus in Epiſcopos, & etiam contra inſequentes eos hoſtiliter.

Præterea Domus prædictorum Priorum 146
Militarium gaudent immunitate Eccleſiaſtica, ſicut Palatia Epiſcoporum, quibus id conceditur *in c. id conſtituimus* 17. *q.* 4. An autem ea gaudeant, ſi vltra quadraginta paſſus ab Eccleſia Matrice diſtent, controuerſia eſt inter Doctores, & ferè tot ſunt pro parte affirmatiua, quot pro negatiua. Videatur Machado *tom.* 2. *de perf. Confeſſ. lib.* 4. *p.* 6. *tr.* 2. *doc.* 5. *n.* 3. Et ego *tom. de Iure Academ. lib.* 3. *n.* 331. Imò Diana *part.* 4. *t.* 1. *reſ.* 40. docet cum aliquibus, Epiſcopi domum, ſi quam extra diœceſim habeat, gaudere immunitate Eccleſiaſtica. Communior, & receptior ſententia eſt oppoſita; de qua vide Marinis *quotid. reſol. c.* 180. Peregrinum *de immunitate, c.* 4. *n.* 73.

Demùm circa forum familiæ laïcalis 147
Priorum Militarium, & circa Miniſtros Tribunalis ipſorum, vtpotè: Fiſcales, Notarios, Lictores, Cuſtodes carceris, ac ſimiles, tenendum erit, quod circa hos ipſos teneatur reſpectu Epiſcoporum. Etenim Pereyra *in tr. de manu Regia, p.* 1. *c.* 19. *n.* 1. Ceuallos *tr. de cognit. per viam violentia, p.* 2. *q.* 58. *n.* 10. docent, prædictos non gaudere foro Eccleſiaſtico, quia non includuntur inter illos, qui ad gaudendum eo foro deſignantur à

Tridentino

Tridentino *cap.6. de reform. ſeſſ.23.* Verùm pro ſententia affirmante ſtant Belletus *in diſquiſ. Cler. p. 1. tit. de fauore Cleric. §. 1. n.13.* Sellius *in ſelect. Canonic. n.25.* vbi tres Declarationes Cardinalium affert; Narbona *in 3.p. Recopilat. leg.20. tit.4. libr.1.* Alij verò relati à Diana *vbi ſuprà*, ſolos eos, qui intra domum Epiſcopo famulantur,gaudere eo foro contendunt. Ad nos non ſpectat, hanc controuerſiam diſcutere, ſed aſſerere, aptandum eſſe famulantibus, & Miniſtris Priorum Militarium, quæ de ipſis circa Epiſcopos decidatur; & partem affirmatiuam eſſe probabilem, ſaltem ob authoritatem extrinſecam, & prædictas declarationes Cardinalium, videtur non poſſe negari.

148 Cæterùm Priores nequeunt Sacramentum Confirmationis conferre. Abbates poſſe id præſtare de licentia Epiſcopi loci docent Barboſa *in Trid. ſeſſ.7.c.1.* P.Quintanadueñas *tom.1. ſingul. tr.2. ſing.5.* Qui addit, poſſe alium, quàm Epiſcopum, eſſe Miniſtrum huius Sacramenti ex conceſſione Iuris, aut ex commiſſione Pontificis; Quod etiàm plures Authores tradunt; Et praxis ſuadet, cum in Indiis ex Pontificia commiſſione id præſtiterint non pauci Sacerdotes. Verùm opinioni Barboſæ non ſubſcribo. Quippè nunquam adhuc per retrò acta ſæcula vllus Epiſcopus delegauit poteſtatem ad Confirmandum alicui Abbati, aut Priori Militari, cum tamen plures diœceſes ſint latiſſimæ, quæ nequeunt omnino percurri, & plures Epiſcopi ſenes, ac impediti, indeque plurimi ex defectu Miniſtri hoc Sacramento careant; Signum ergo eſt, Epiſcopos non poſſe hanc poteſtatem delegare, alias culpabiles eſſent, ac parùm ſolliciti de ſuis Ouibus,quod nequit dè piiſſimis, & doctiſſimis Epiſcopis præſumi. Vnde hæc praxis referenda eſt in impotentiam delegandi poteſtatem ad Confirmandum; & ex ea praxi infertur, hanc poteſtatem,quamvis ſit iuriſdictionis ordinariæ, reſtrictam fuiſſe à Sede Apoſtolica, vt potuit reſtringi, ne ab Epiſcopis delegetur. De quo vide Me *in Statera opinionum benignarum diſſert.12. ex n.43.*

149 Dubitabis denique, quæ ſint requiſita, & obligationes Priorum Militarium? Epiſcopi vt eligantur,triginta ætatis annos debent habere, vt liquet ex *cap. cum in cunctis, §.inferiora,de elect.* Tridentin.*ſeſſ.24. de reform. cap.12.* Abbatibus autem, & Prioribus ætas non præſcribitur; quod ipſum oſtendere,Ius eadem regula illos metiri,ac Epiſcopos, affirmant Panormitanus *in prædicto c. cum in cunctis num.6.* Rebuffus *in praxi, tit. de non promouendis infra annum n.25.* & plures Summiſtæ *verbo, Abbat.* Attamen ſufficere in illis vigeſimum quintum annum inceptum, tuetur cum aliis Tamburinus *tom.1. de iure Abbat. diſp.5. q.9.* eo quod hæc ætas ſolùm requiratur, vt quis Dignitatem Eccleſiaſticam cùm animarum cura obtineat. Cui opinioni poterit ſe conformare eligens Priores Militares, ſi in ea ætate ſint apti; nam de qualitatibus aptitudinis debet exactè informatio fieri, ad modum quo in Conſiſtorio Pontificis fit inquiſitio qualitatum eorum, qui in Abbates, ſeu Priores ſunt eligendi. De quo vide Barboſam *de iure Eccleſ. lib.1. c.8. & 17.* Obligationes autem Priorum Militarium ſunt eædem ferè, ac Epiſcoporum, ac ſanè ingentes, vtpotè quibus incumbit cura omnium ſubditorum, & de illis ſunt rationem reddituri; & præterea vrgent eos ſpeciales obligationes ſuorum Ordinum, maximè ſi ſint Priores Monaſteriorum. Plura ex his iam attigimus, & alia decurſu attingemus. Id præ oculis habeant, quòd Parochis ſumma diligentia euigilent, vt illi exactè ſuum munus obeant.

QVÆSTIO XIII.

Alia dubia deciduntur de poteſtate Priorum Militarium iuriſdictione quaſi Epiſcopali in ſuis territoriis gaudentium.

Circa poteſtatem Priorum Militarium, qui in ſuis territoriis iuriſdictione quaſi Epiſcopali funguntur, poſſunt alia dubia excitari, quæ ſequentibus aſſertis elucidantur, & facilè diluuntur ex principio præiacto, quòd prædicti Priores æquiparantur Epiſcopis, in his,quæ ratione poteſtatis Ordinis, & Conſecrationis non ſunt perſonaliter ipſorum Epiſcoporum propria; Vndè poſito, quòd aliquid Epiſcopis competat, ſequitur, & Prioribus competere. 150

Poſſunt ergo Priores (niſi à Senatu Ordinum coarctentur, quæ conditio in pluribus eſt ſubintelligenda) Statuta, etiam pœnalia,in ſuis territoriis condere, excommunicationem,ſuſpenſionem,interdictum, & ceſſationem à diuinis iodicere. Id enim licet Epiſcopis in ſuis diœceſibus, vt colligitur *ex c.fin. de conſt. lib.6. & ex c.omnes, de maiorit.& obed.* & ibi docet communis. Poſt mortem, aut amotionem Priorum, obligant cenſuræ, & præcepta lata ab ipſis per modum ſtatuti,non verò alia edicta,& cenſuræ aliter latæ, iuxta *c.final.de offic.delegat.* 151

& argumento textus in c.cum ceſſante, de appell. & tradunt Vgolinus *de offic. Epiſcopi cap.47. §.1. num.2.* P. Auila, & alij.

152 . Iuxta Tridentinum *ſeſſ. 24. cap.2. de reform.* Epiſcopi poſſunt, & tenentur quotannis congregare Synodum diœceſanam, in qua ſtatuantur ea, quæ ad morum reformationem, & Eccleſiarum vtilitatem expedire iudicentur. Quod in aliquibus diœceſibus, vt in Ouetenſi quotannis præſtatur; in aliis verò non adeò frequenter ob varias cauſas, quæ ſufficientes cenſentur, vt Synodi protrahantur. Igitur id competere in ſuis territoriis Militiarum Prioribus, eſt teneudum cum Ledeſma 2. *p. tr.7. pag. 162. verſu, De la reſolucion.* Ac de facto Priores congregarunt Synodos, & nunc in territorio de Vcles obſeruantur Conſtitutiones Synodi coactæ anno 1578. Et quidem territoria Priorum non debent eſſe peioris conditionis, quàm aliæ diœceſes, atque adeò curandum eſt per Statuta, & leges, vt mores in eis reformentur, ac Eccleſiaſtica diſciplina promoueatur. Id nequeunt ibi Epiſcopi præſtare, cum territoria ſint ab ipſis exempta; nec alius eſt, niſi Priores, quibus id incumbat, aliundeque iuriſdictionem ordinariam habent ad ea Statuta in Synodis peragenda; ergo ad eos id ſpectat, Tridentinique lex eos vrget. Niſi fortè excuſationem obtendant ex eo, quòd Senatus Ordinum præcipit, quæ videntur opportuna, ac neceſſaria ad eiuſmodi gubernationem, & reformationem. Verùm non addubito, cum proximiùs res intra ipſa territoria introſpiciantur, expedire, & debere quandoque Synodos congregari, monito priùs Senatu Ordinum, à quo in rebus adeò grauibus debet expectari iudicium. An autem Religioſi exempti (nempè in eiuſmodi territoriis non Militares) teneantur obſeruare Statuta Synodalia, contentio eſt inter Authores; Ob decentiam, & ad vitandum ſcandalum, ſi inde ſequeretur, teneri, non verò aliter, docet Pater Granado *in 1.2. controuerſ.7. tract. 3. part.1. diſputat. 6. ſection. 3. num.13.* Lorca, Suarez, Diana, & alij; exceptis interdictis, & diebus feſtis, quæ obſeruare tenentur, vt habetur in Tridentino *ſeſſion.25. cap.12. de Regularibus*; Attamen per priuilegia, quæ reuocata non ſunt, valent certis diebus feſtiuis in Religione non obſeruare interdicta. Ita Pater Henriquez *lib.13. cap.48. §.1.* Emanuël Rodriguez, Ioannes à Cruce, & alij. Videndus Ego *tom. in Bullam Cruciat. diſp.15. num.9.*

153 Poſſunt Epiſcopi diſpenſare in impedimentis occultis matrimonij, dummodò non detur facilis recurſus ad Pontificem, & timeatur ſcandalum, aut graue damnum ex ſeparatione, (ſi impedimentum ſit cognitum poſt contractas nuptias) & ante eas contractas, ex dilatione. Ita communiter Authores. Valent etiam diſpenſare ad petendum debitum cum eo, qui votum ſimplex Caſtitatis emiſit, & abſque diſpenſatione nuptias contraxit; & cum eo, qui conſanguineam vxoris vſque ad ſecundum gradum illicitè cognouit, ac exindè affinitatem cum vxore contraxit. Ac generaliter loquendo Epiſcopi diſpenſare queunt in Iure poſitiuo ex iuſta cauſa, tum ſi in ipſo Iure diſpenſatio committatur; tum, ſi nec committatur, nec prohibeatur, vt docent Couarruvias *in cap. Alma mater, 1. p. §.7. n. 8.* Sotus *in 4. diſt. 27. q.1. art.4.* P. Caſtro Palao *tom.1. tr. 3. diſp.6. p.4. n.7.* & plures apud Barboſam *de poteſt. Epiſc. allegat. 23. num. 17.* Quin etiam ſi in ipſo Iure prohibeatur Epiſcopo diſpenſatio, ſeu materia ſit reſeruata, in caſu tamen extraordinario, & vrgente graui neceſſitate, poſſe Epiſcopum diſpenſare, cum pluribus tuetur Machado *tom. 2. de perfect. Confeſſ. lib.4. part.6. tr.6. doc.5. ex n.4.* Quando autem dubitat Epiſcopus, an poſſit diſpenſare, necne; & quando dubitatur an caſus indigeat diſpenſatione, poſſe eum diſpenſare tuentur P. Thom. Sanchez *lib.4. ſum. cap.44. n.10.* P. Layman *lib.1. tractat.4. cap.22. n.4.* & plures alij. Hæc omnia pariter licent prædictis Prioribus Militaribus.

Poſt Decretum Vrbani VIII. nequeunt Epiſcopi inſtituere dies Feſtos in ſuis diœceſibus, præter dies Patroni diœceſis in tota diœceſi, & Patroni ſingulorum Oppidorum in ipſis oppidis. Ad Epiſcopos attinet, de conſilio Virorum Sapientum, ac proborum, approbare Sanctorum miracula, iuxta Tridentinum *ſeſſ.25. de inuocat. & venerat. Sanctor.* & non ſolùm miracula Sanctorum, qui iam Eccleſiæ faſtis ſunt adſcripti, verùm & Virorum, qui ſama ſanctitatis viguerunt, nec adhuc à Sede Apoſtolica inter Sanctos recenſentur, vt ex Declaratione Cardinalium affirmat Barboſa *in Collectaneis ad prædictum cap. Tridentin.* In eodem Tridentini loco committitur Epiſcopis facultas approbandi Reliquias Sanctorum; Quod intelligi de Reliquiis nouiter repertis alicuius Sancti iam ab Eccleſia culti, non verò aliter, docet ipſe Barboſa *de poteſtat. Epiſcop. allegation.97. ex num.11.* Declarationem afferens Cardinalium. Hæc etiam pertinent ad Militares præfatos Priores. 154

Epiſcopo,

155 Epiſcopo, vt Delegato Sedis Apoſtolicæ, conceſſit Tridentinum *ſeſſ.* 22. *de reform. cap.* 6. *& ſeſſ.* 25. *de reform. cap.* 4. vt concurrente iuſta, & neceſſaria cauſa, poſſit commutare diſpoſitiones Fundatorum circa Opera pia in alia æqualia, aut meliora. Atque Comitolus *in reſponſ. mor. lib.* 7. *quæſt.* 9. *num.* 2. particulam *&* in eis verbis *iuſta, & neceſſaria*, habere diſiunctiuæ, ita ita vt ſufficiat cauſa neceſſaria, aut iuſta; Quænam autem hæc ſit, attentis omnibus circunſtantiis, penſanda eſt arbitrio ipſius Epiſcopi; Aliquas cauſas affert Barboſa *de poteſt. Epiſc. alleg.* 83. *ex num.* 7. An autem ad hanc commutationem neceſſarius ſit conſenſus hæredum, & Eccleſiæ, cuius in vtilitatem opus pium fuerat fundatum, diſceptatur; Conſenſum requiri, communis eſt ſententia; Quòd ſi requiſiti conſentire renuant, poſſe ſolùm Epiſcopum peragere commutationem, docent Genuenſis *in pract. cap.* 19. *n.* 3. Barboſa *vbi ſuprà*, *& alij*. Ipſum Tridentinum *ſeſſ.* 5. *cap.* 2. *in fin. & ſeſſ.* 21. *cap.* 9. *de reformat.* prohibuit, exigi eleemoſynas ad ſubleuandas neceſſitates publicas, vel priuatas, niſi Epiſcopus, aut eius Vicarius, poſt examen cauſæ, licentiam præbuerint; ac aliter exigentes poſſunt ab eo excommunicari, & puniri. Similiter hæc Prioribus Militaribus territorio gaudentibus aptaueris.

156 An Epiſcopus poſſit familiam armatam habere ad iuſtitiæ executionem, vel debeat, quoties opus ſit, ad id inuocare auxilium brachij ſæcularis, contendunt inter ſe Authores. Negant plures. Affirmant D. Ioannes de Solorzano *tom.* 2. *de iure Indiar. lib.* 3. *c.* 7. *n.* 81. D. Ioan. de Larrea *in diſcept. Granat. c.* 2. *n.* 6. Tuſchus, Barboſa, & alij videndi apud Dianam *part.* 4. *tr.* 1. *reſ.* 17. Tridentinum concedit Epiſcopis *ſeſſ.* 24. *cap.* 8. *in fin. & ſeſſ.* 25. *de reform. cap.* 3. vt Fiſcum poſſint habere, cui applicentur aliquæ pœnæ pecuniariæ, expendendæ in vſus pios, & non in ſuſtentationem, aut ſtipendium Familiæ, vel Officialium, ne auaritia ſubrepat. Cæterùm, vbi Bulla Cruciatæ viget, vt in Hiſpania noſtra, ex Pontificum præcepto applicandæ ſunt pœnæ Fiſci ad ſubſidium belli contra Infideles; ex his medietatem Philippus II. Rex Hiſpaniarum conceſſit ipſis Prælatis, vt eam piis operibus applicarent. Plura de his tradidi *tom. in Bullam Cruciat. diſp.* 37. *ex num.* 1. Epiſcopi rurſus poſſunt ad cuſtodiam Reorum vincula, & carceres habere; ac inuocare auxilium Brachij ſæcularis; Iudices autem ſæculares non teneri ad præſtandum auxilium, niſi per ſummarium reſcriptum eis conſtet de iuſtificatione cauſæ, diſpoſitum eſt *in leg.* 14. *&* 15. *titul.* 1. *lib.* 4. *Recopilat.* Vbi etiam ſtatuitur, Epiſcopum, eiuſque Miniſtros non poſſe abſque auxilio brachij ſæcularis in carcerem detrudere ſæculares perſonas, aut eorum bona perſequi. Prioribus Militaribus prædictis hæc cuncta conueniunt.

Non ſolùm Epiſcopus, ſed etiam eius Vicarius, abſque ſpeciali mandato poteſt cenſuras proferre ob iuſtas cauſas, vt fert communior opinio. Videantur Gutierrez *in quæſtionib. Canonic. lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 8. P. Suarez *de cenſur. diſputat.* 20. *ſection.* 1. Præcedere autem debent monitoria iuxta formam præſcriptam à Tridentino *ſeſſ.* 25. *de reform. cap.* 3. Alias erit illicita prolatio cenſurarum; Non autem eſſe inualidam, aliquibus contrarium ſentientibus; tenent Nicolaüs Garcia *in addit. ad tract. de benefic. part.* 3. *cap.* 5. *n.* 587. Barboſa, & alij. Poteſt etiam Epiſcopus ſententiam ſuſpenſionis proferre, iuxta *c.* 1. *de ſentent. excom. lib.* 6. Interdictum perſonale, locale, aut mixtum, & hoc itidem totale, aut partiale indicere, vt habetur *in cap. quæſiuit, de his, quæ fiunt à maiori parte Capituli*; Et conſuetudo obtinuit contra Iuris diſpoſitionem, ne ad id Capituli conſilium requiratur, vt docent cum aliis Eligius Baſſeus *in ſumm. verbo, Interdictum*, 4. *n.* 1. Bonacina, Nauarrus, & Filiucius. Si interdictum à Prælato ſuperiore indicatur, ſitque interdictum ab homine, nequit ab Epiſcopo ſuſpendi; ſic verò, quando indicitur à Iure, vel ab ipſo Epiſcopo, vt tuentur P. Suarez *de cenſur. diſput.* 38. *ſection.* 3. Diana 5. *part. tract.* 10. *reſol.* 69. Similiter ceſſationem à diuinis (non niſi ex manifeſta, & grauiſſima cauſa infligendam) valet Epiſcopus imponere, vt liquet *ex cap. ſi Canonici, & cap. quamvis, de officio Ordinar. lib.* 6. Hæc omnia præſtare queunt relati Priores Militares. 157

Poteſt Epiſcopus Clericum deponere, iuxta Tridentinum *ſeſſ.* 13. *c.* 4. Depoſitio autem eſt pœna ab Eccleſia impoſita priuans Clericum omni officio, & Beneficio Eccleſiaſtico abſque ſpe veniæ, quin tamen ille priuilegium fori Clericalis amittat. Quam pœnam, ſumma tamen cum maturitate iudicij poſſunt infligere Priores Militares; gravis enim adeò poteſt eſſe culpa Clerici ſubditi, vt non aliter condignè puniri poſſit; non autem excedit eorum ordinariam iuriſdictionem hæc punitio. Tamen iudico, quamvis Epiſcopi, cum ſolemnitatibus præfixis in Tridentino *vbi nuper*, degradare poſſint Clericos in Sacris conſtitutos, non poſſe id à Prioribus præ- 158

ſtari; Etenim degradare ex ſe videtur exigere poteſtatem iuriſdictionis, & ſimul Ordinis Epiſcopalis, indeque Vicarius Generalis non poteſt degradare, quamvis eandem cum Epiſcopo iuriſdictionem habeat. Præterea Priores Militares conferre non poſſunt Ordines Sacros, neque Gradum, in quo Ordines Sacri Clericum conſtituunt; ergo neque poſſunt degradare, ſeu ab eo gradu remouere quempiam; cum videatur, proportionatè in omnibus materiis, rem, ſi diſſoluenda ſit per eaſdem cauſas diſſolui, per quas naſcitur; niſi ſpecialiter ſit indulta poteſtas degradandi à Sede Apoſtolica alicui non potenti conferre Sacros Ordines; non autem indulta eſt Prioribus præfatis. Quare, ſi ſubditus Sacris initiatus relaxandus ſit ad brachium ſæculare à Priore Militari, is debet eum remittere alicui Epiſcopo, eique ſubdere, vt illum degradet; aut Senarum Ordinum monere, vt id Epiſcopo committat.

159 Quoad ſæculares perſonas; quæ etiam ſunt oues Epiſcoporum curæ commiſſæ, ipſi poteſtatem, ac iuriſdictionem habent ad compellendum eos, vt media apponant, quibus animarum ſalus obtineatur, ac peccata, & ſcandala vitentur, veluti ad prohibendum ſpectacula turpia, ornatus laſciuos, ſeparationes inter ſe coniugum; ad aliaque ſimilia, quibus occurrere valent per cenſuras, & cætera Iuris remedia. Videatur Vgolinus *de poteſt. Epiſcop. cap.* 8. Id ipſum Prioribus Militaribus competit in ſuis territoriis.

160 Epiſcopi agnoſcunt de cauſis matrimonialibus, iuxta Tridentinum *ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 20. Et de cauſis natalium, vtpotè quia legitimitas filiorum à legitimitate matrimonij pendet; iuxta *cap. lator.* 5. *cap. cauſam, quæ,* 7. *Qui filij ſint legitimi; cap. tuam de ordine cognit.* Cognoſcunt etiam de cauſis temporalibus laïcorum, ſi hi ſint Actores, & Eccleſiaſtici ſint Rei, cum Rei forum ſequatur Actor. Præterea de cauſis piis, & ad pauperes ſpectantibus cognitio ſpectat ad Epiſcopos; quin poſſunt compellere, ne victus vltra iuſtum pretium vendatur, vt pauperes fame non pereant. Sic obſeruat Mantica *de ambig. conuent. lib.* 4. *tit.* 4. *num.* 12. Cura executionis teſtamentorum, & cognitio ad Epiſcopos ſpectat; iuxta *cap. nos quidem, cap. ſi hæredes, cap. Ioannes; cap. tua nobis, de teſtam.* Sunt etiam cauſæ criminales laïcorum, quæ ad Epiſcopos priuatiuè ſpectant, vt vſura, ſimonia, & eiuſmodi alia delicta; Aliquæ autem cauſæ ſunt mixti fori, pertinentes æquè ad forum Eccleſiaſticum, ac ſæculare, vt adulterium, acceſſus intra Monaſteria Monialium ad finem turpem, & ſimilia; De quibus conſulatur Machado *tom.* 2. *de perfect. Confeſſ. lib.* 4. *part.* 6. *tract.* 6. *docum.* 5. Et hæc omnia Prioribus Militaribus adæquaueris.

Gaudent Epiſcopi iuriſdictione erga omnes Eccleſias (quæ non ſint exemptæ) & eas poſſunt, ac debent per ſe, aut per alios viſitare, & inſimul ornamenta, altaria, Sacramenta, Confraternitates, libros, & quævis alia pertinentia ad Eccleſias ipſas, Xenodochia, & Opera pia. Poſſunt etiam vnire Beneficia Parochialia exigua, ſine præiudicio Parochorum. Primum competit Prioribus Militaribus. Secundum ipſis Ordinibus. Cum enim ſint Beneficia propria ipſorum Ordinum, hi ſibi diſpoſitionem circa illa reſeruant. 161

Circa Religioſos ſuæ diœceſis Epiſcopus poteſtate gaudet approbandi eos ad Confeſſiones ſæcularium audiendas. De qua approbatione plura ego tradidi *in ſtatera opinionum benignarum differt.* 13. *ex n.* 295. Deindè Religioſi, vt in ſuis Domibus concionentur, benedictionem ab Epiſcopo poſcere tenentur; licentiam verò expreſſam, ſi ſint concionaturi extra Eccleſias ſui Ordinis, iuxta Tridentinum *ſeſſ.* 5. *de reformat. cap.* 2. Idem aptandum in propriis territoriis Prioribus Militaribus; Quibus etiam competunt reſpectu Monialium exemptarum, quæ in prædictis territoriis extiterint, ea, quæ *diſquiſ.* 14. aſſeremus, competere Epiſcopis erga Moniales exemptas, ac ipſis non ſubditas. Iuxta Sacros Canones ius erat Epiſcoporum proprium *Cathedraticum*, nempè duo ſolida aurea, quæ eis ſingulæ Eccleſiæ contribuebant in honorem Cathedræ Epiſcopalis; ſed iam id ferè nullibi eſſe in vſu, teſtatur D. Ioannes de Solorzano *tom.* 2. *de iur. indiar. lib.* 3. *cap.* 32. *in fin.* Videatur Fileſacus *de Sacra Epiſcop. authorit. cap.* 18. Petrus Gregorius *in partit. Iur. Canon. lib.* 5. *cap.* 2. *tit.* 2. Obſerua in præſenti, in Sacris Fidei Tribunalibus Priores cum ſuffragio per ſe, vel per alios ab ipſis deſignatos, adſtituros ad cauſas Fidei, quæ pertineant ad ſubditos ſui territorij; ſicut Epſcopi ad cauſas ſuorum ſubditorum, cum ſemper requiratur in eis iudiciis aſſiſtentia Ordinarij. 162

QVÆST. XIV.

QVÆSTIO XIV.

De Concordia Ordinis de Alcantara cum Epiſcopo, & Eccleſia Matrice Caurienſi.

§. I.

Proponitur Concordia.

163 DIu inter Epiſcopum, ac Eccleſiam Cathedralem Caurienſem cum Ordine Alcantaræ lites controuerſæ ſunt ſuper decimis, iuriſdictione, & aliis cauſis; Vt autem componerentur, Gregorius XIII. delegauit Regi Philippo II. & confirmauit Clemens VIII. vt definitiuam ſententiam Concordiæ proferret. Ita præſtitit; & ei deinceps vtraque pars ſtetit. Vt autem circa eam aliqua occurrentia exponamus, operæpretium eſt, ipſam tranſcribere, quia à nullo Authore circumfertur, nec breuiùs poſſumus præſtringere capita, quæ continet, quàm ſi de verbo ad verbum eam præfigamus. Sic ſe habet.

* *Don Phelipe por la gracia de Dios, &c. Por quanto el Papa Gregorio Decimotercio de felice recordacion, ſiendo informado de los pleytos, è diſerencias, que auia entre los Prelados, Cabildos, è otras perſonas Eccleſiaſticas deſtos Reynos, è Señorios con la Orden de Alcantara, Comendadores, Conuentos, Priores, Freyles, è otras perſonas della, aſſi en Corte Romana, como en otras partes, ſobre diezmos, viſitas, Beneficios, iuridicion, y otros derechos, è preeminencias Eccleſiaſticas, y eſpirituales, deſeando ſu Santidad, que con amigable Concordia ſe acabaſen dichos pleytos, por ſu Breue los ſuſpendio, è remitio dicha concordia, è compoſicion dellos à mi, como ſe contiene en dicho Breue, que fue confirmado por la Santidad del Papa Clemente Octauo, que de preſente preſide en la Silla Apoſtolica; los quales dichos Breues fueron por mi aceptados. Y tratandoſe pleyto entre el Procurador General de dicha Orden de Alcantara de la vna parte, è Don Petro Garcia de Galarza Obiſpo de Coria del mi Conſejo, y el Cabildo de la Santa Igleſia de dicha Ciudad de la otra, ſobre la iuridicion Eccleſiaſtica, y eſpiritual, diezmos, Beneficios, y viſitas, en los partidos de Alcantara, è Valencia de dicha Orden, è Sierra de Gata, è otras coſas deducidas en dicho pleyto, è auiendo yo dado ſentencia de interim, quanto à la poſeſion en fauor de dicho Obiſpo, è Cabildo, por ſu parte ſe obtuuo Breue de la Santidad del Papa Sixto V. para que dicha cauſa ſe boluieſe à la Rota, donde ſe auia introducido, y en virtud del pretendieron, ſer nullo lo actuado deſpues de ſu intimacion; Y por parecer de dicha Orden ſe contradijo la pretenſion de dichos Obiſpo, y Cabildo, y la Santidad del Papa Clemente VIII. por dicho ſu Breue en confirmacion del de la Santidad del Papa Gregorio VIII. me lo torno à cometer, è cometio de nueuo, para que con dicha amigable Concordia ſe acabaſen dichos, pleytos, è queriendolos componer conforme à dichos Breues, para reſoluerme con mas iuſtificacion de dicha cauſa, è ſatisfacion de dichas partes, cometi à algunos de los de mis Conſejos Real, è de Ordenes, que oyendolas, lo que dezir, y alegar quiſieſen, ſe informaſen de todo lo que era neceſſario, para tratar entro ellos de vna honeſta Concordia. En cumplimiento de lo qual los dichos del mi Conſejo mandaron citar, y citaron dichas partes, è ſe concluyo dicho pleyto definitiuamente; è viſto por los de mi Conſejo, me conſultaron, lo que de cerca dello debia mandar, y determinar.*

Vſando de dicha authoridad Apoſtolica à mi concedida por dichos Breues, y en execucion dellos, auiendome enterado del derecho, è iuſticia de las partes; por la preſente declaro; Que dicho Obiſpo, ni ſus Succeſſores no han de tener iuridicion alguna en los Religioſos, ni Caualleros de la Orden en primera, ni ſegunda inſtancia, ſiendo Reos; porque ſiendo Actores, han de ſeguir el fuero del Reo; ſino que dicha iuridicion ha de ſer de la Orden, è del Conſejo de las Ordenes priuatiuamente aſi en ciuil, como en criminal indiſtintamente; ni dicho Obiſpo, ni ſus ſucceſſores no han de tener iuridicion alguna en dichos Religioſos, ni por razon de oficio, ni Beneficio de la Orden. 1

Item en lo que toca à los demas vaſallos de la Orden, Clerigos de S. Pedro, toda la iuridicion ciuil, y criminal en primera inſtancia, de Tajo à la parte de Alcantara, è Valencia con mas quatro lugares de dicho Tajo à la parte de Coria, que ſon Zeelauin, Zarça Piedras albas, y Eſtorninos, ha de quedar, y quede à dicha Orden priuatiuamente, excepto en lo que toca à la cobranza de las rentas de dicho Obiſpo, è Cabildo, porque en quanto à eſo ſe queda à dicho Obiſpo, è ſus Succeſſores toda la iuridicion en primera inſtancia priuatiuamente. E declaro, que dichos lugares ſon los ſiguientes, Alcantara, Brozas, Mata, Aldea del Rey, Ventas del Madroño, Herreruela, Solorino, Membrio, Caruajo, Valencia, Herrera, Santiago, San Vicente, Maiorga, Piedrabuena, Azagala, Alcorneo. Y los quatro de Tajo à la parte de Coria, que como eſta dicho, ſon Zeelauin, Zarza, Piedras albas, y Eſtorninos, con todos los terminos, de dichos lugares, è lo que en ellos ſe problare; por que en dichos lugares ſe da a la Orden dicha 2

iuridicion

iuridicion en primera inſtancia, aſi en cauſas ciuiles, como en criminales, matrimoniales, decimales, Beneficiales, excepto dicha cobranza.

3 *Item declaro, que dicho Obiſpo, y ſus Succeſſores han de quedar con poder exercer en dichos lugares los actos Pontificales, como ſon, confirmar, bendecir, conſagrar, hazer Ordenes, è dar Reuerendas para ordenar priuatiuamente; con que las prueuas, que ſe vuie ren de hazer de la qualidades de los Ordenantes, las cometa dicho Obiſpo à los Iuezes de Orden; y ſiendo neceſſario acudir à Obiſpo, ſe ha de acudir à dicho Obiſpo de Coria, è no à otro alguno, en las coſas, que no pueden exerceer los Ordinarios; y en el dar las Reuerendas à los Freyles Religioſos las den los Priores del Conuento.*

4 *Item de Tajo à la parte de Coria, excepto en los lugares ſobredichos Zeclauin, Zarça, Piedras Albas, y Eſtorninos, ſe queda à dicho Obiſpo è ſus Succeſſores toda la iuridicion en primera inſtancia priuatiuamente en los lugares ſiguientes, Moraleja, Cillero, Valuerde, Gata, Torre, Saasibañez, Majadas, Villaſbuenas, Freſno, Cadahalſo, Campo hernanperez, Torrecilla, Arquillo, Portezuelo, Azauche, con todos los terminos de dichos lugares, y con lo demas, que ſe probare en dicho partido.*

5 *Item que dicho Obiſpo, y ſus Succeſſores, è ſu Viſitador en los lugares, que quedan à la Orden, como arriba ſe contiene en el ſegundo capitulo, ha de viſitar, y viſite el Santiſſimo Sacramento, Oleos, Pila, baptiſmal, abſuelna los defuntos, y los Clerigos acompañen à dicho Obiſpo todos, y al Viſitador los neceſſarios para ſu viſita, ſopena de doze reales, à los que no lo hizierea pudiendo; la execacion de la pena haga el Obiſpo, ò ſa viſitador, vlleuen los derechos acoſtumbrados, è den les poſada de gracia à el, è à ſus Miniſtros. E de Tajo à la parte de Coria, en que ſe le queda la iuridicion, viſite enteramente, como haſta aqui.*

6 *Item los Viſitadores Generales de la Orden de Tajo à la parte de Coria viſiten tambien las fabricas de las Igleſias, y ſus haziendas, è tomen quentas, è hagan alcanzes, è lo que han hecho haſta aqui, conque no viſiten el Santiſſimo Sacramento, ni Santos Olios, ni Pila Baptiſmal, ni den licentia, para adminiſtrar Sacramentos. Pero yendo Religioſo de la Orden à dicha viſita por Viſitador, pueda hazer lo ſuſo dicho, excepto dar licentias, para adminiſtrar Sacramento.*

7 *Item los Monaſterios de Monjas, que ſon de la Obediencia del Obiſpo, quedan à ſu obediencia, è de ſus Succeſſores, es à ſaber el de Santa Clara de Zeclauin, y el de nueſtra Señora del Remedio de Alcantara, en ſus perſonas, regla, y conuentos; quedandoſe, en quanto à los pleysos de hazienda, à la iuridicion de dicha Orden en primera inſtancia.*

8 *Item las Igleſias, hermitas, è Monaſterios no ſe paedea edificar en la Orden ſin licencia del Capitulo, ò del Conſejo de Ordenes, aſi de vaa parte del Tajo, como de la otra.*

9 *Item las apelaciones, è iuridicion en ſegunda inſtancia de las cauſas, de que han de conocer los Iuezes de la Orden en primera inſtancia, como dicho es, han de ir, y vayan à dicho Obiſpo, è ſus Succeſſores en ſegunda inſtancia priuatiuamente, excepto en las cauſas de los Religioſos, que ſe ha de guardar lo diſpueſto en el capitulo primero.*

10 *Item los diezmos ſe repartan, como haſta aqui en eſta forma. De Salor alla lleuea el Obiſpo, y Cabildo la ſeſma. De Salor aca la tercia, dos partes el Obiſpo, è vna el Cabildo, ſegun è como haſta aqui ſe han repartido, è la Orden lleue lo de mas, ſin que dicho Obiſpo, y Cabildo ſean obligados à contribuyr por dicha ſeſma, y tercias partes à las Fabricas, ni ornamentos, ni otros inſtrumentos de las Igleſias, ni à los Curas, ni à los mil ducados, ni corridos, que la Orden pedia, porque eſto eſtà à cargo de la Orden, por lleuar, como lleua, los nouenos de las Fabricas, y de los Curas.*

11 *Item de las dehesſas de Encomiendas, que haſta agora no han pagado diezmos, no los paguen, ni el Obiſpo, è Cabildo ſe los puedan demandar; E las demas deheſas de Encomiendas, que haſta aora han pagado dichos diezmos, è los Caualleros, è Comendadores de dicha Orden ſigan ſu iuſticia ante mi, è dichos mis Iuezes, que tengo nombrados, ò ſe nombraren por virtud de los dichos Breues, para que conozcan de ſemejantes cauſas, ſobre ſi los deben pagar, ò no, ò de què modo los han de pagar.*

12 *Item à los Arcipreſtazgos, y Beneficios curados, è otros qualeſquiera, que ſean de preſentacion de la Orden, de la vaa, y otra parte del Tajo, preſente la Orden, examine el Conſejo de las Ordenes, è haga las colaciones el Obiſpo, è ſus Succeſſores, como haſta aqui, ſin lleuar derechos à los Freyles, è ſin examen, ni condicion, ni iuramento, mas que dicha colacion, è proteſtacion de la Fe, aſi à los Religioſos, como à los Sacerdotes de San Pedro; mas, que, como eſtà dicho, à los Clerigos de San Pedro pueda lleuar derechos.*

13 *Emando, qae dichas partes en quanto à lo ſuſodicho ſe abſtengan de la proſecucion de dicho pleyto, è de otro qualquiera, que ſobre ello tuuierea ante qualeſquiera Iaezes, ſobre lo qual ſe les imponga perpetuo ſilencio; è que eſta*

eſta mi determinacion, è Concordia tengan por vltima ſentencia, è no otra alguna, guardandola, cada vno, en lo que, le toca, inuiolablemente para ſiempre iamas. De lo qual mando, ſe le de à cada vno, que lo pidiere, carta executoria deſta mi ſentencia, para guarda de ſu derecho, que es dada en Madrid à doze dias del mes de Hebrero de 1594. *años.* * Hucvſque ſententia Concordiæ. Olim anno 1253. alia Concordia inter Epiſcopum, Eccleſiamque Caurienſem; & Ordinem Alcantaræ fuit peracta; alia anno 1296. alia anno 1327. Quæ tunc obſeruabantur. Alia anno 1553. tempore Caroli V. Imperatoris, quam Ordo non acceptauit. Alia anno 1579. tempore Philippi II. Regis, quam non acceptarunt Epiſcopus, & Eccleſia. Quoad iuriſdictionem dumtaxat in Rota Romana, vna fuit ſententia lata in fauorem Epiſcopi, & Eccleſiæ duplex verò in fauorem Ordinis. Hæc omnia vidi, & perlegi; ſed cum iam ſolùm vigeat Concordia *nuper* tranſcripta, ſuperfluum eſſet referre in præfatis Concordiis contenta.

§. II.

Obſeruationes circa Concordiam Ordinis de Alcantara cum Epiſcopo, & Eccleſia Matrice Caurienſi.

164 OBſeruandum eſt primò, ſi in aliquo euentu (qui non continget, cum ſententia definitiua virtute literarum Apoſtolicarum pronuntiata ab vtraque parte fuerit acceptata, & per ſexaginta iam annos viguerit,) hæc Concordia violaretur, nec ei ſtarent Epiſcopus, ac Eccleſia Caurienſis, Ordinem Alcantaræ adhuc fore potiturum his omnibus, quæ in ea ipſi conceduntur vt fauorabilia. Etenim Ordo priuilegia habet ad fruendum prædictis fauoribus, ex vi quorum, adhuc ante Concordiam, contendebat, ſibi fore ſeruanda, imò & alios, qui Epiſcopo, ac Eccleſiæ in ea Concordia tribuuntur, ad quorum vſum priuilegiis Pontificiis gaudet; Vnde ex vi illorum in præfato euentu ea omnia exerceret; atque vt ab vſu, & exercitio deturbaretur, opus eſſet ſententia Iudicis competentis, & titulo probaro poſſeſſionis, ſeu proprietatis. Itaque in hac Concordia non concedit Rex Ordini quidquam, quod ipſe Ordo non intenderet, ſibi deberi ex vi priuilegiorum; ſed quia contra hæc, vel ratione poſſeſſionis, vel aliis titulis, lites exortæ crudeſcentes pacem turbabant, & ſumptibus immodicis anſam præbebant, res ad compoſitionem, & Concordiam fuit redacta.

Obſeruandum eſt ſecundò, à ſententia 165 Viſitatorum Generalium Ordinis, non appellari ad Epiſcopum Caurienſem, nec penes hunc reſidere iuriſdictionem in ſecunda inſtantia reſpectu Viſitatorum; quod conſtat ex praxi, & ſtilo nunquam interrupto, cum ſemper ad Senatum Regium Ordinum appelletur ab illorum ſententias & prætereà in Concordia non permittitur Epiſcopo ea iuriſdictio, niſi reſpectu Iudicum Ordinariorum, qui in territorió, & confinio Caurienſis diæceſis ſuum habent ſtabile Tribunal.

Hinc pariter nec vllam iuriſdictionem 166 Epiſcopus habet circa ea omnia, quæ ad Ordinis Statuta, & Definitiones ſpectant, nec circa ea, quæ Rex, vt Adminiſtrator, Capitulum Generale, vel Senatus Regius Ordinum, præcipiunt ſuis ſubditis in prædictis territoriis, dummodò non ſint expreſſa in præfata Concordia. Nec circa ea, quæ Prior Alcantaræ ex commiſſione ſpeciali Régis, Capituli, aut Senatus, iniunxerit, aut etiam per cenſuras præceperit, in ordine ad gubernationem, in quibus non ſe habet vt Iudicem ordinarium, ſed Delegatum, ſicut ſi ea alius Religioſus, aut Viſitator præſtaret; atque adeò ea omnia ſunt peragenda abſque alio effugio, niſi ad ipſum Ordinem; hæc enim ad ipſius regimen attinent, nec ſub Concordia includuntur, nec ante illam fuit vlla de eis lis, aut controuerſia. In his autem, quæ ſub lite non fuerunt, nihil eſt innouatum.

Obſeruandum eſt tertiò, in territorio 167 Ordinis, adhuc in locis, quæ reſeruata ſunt in Concordia iuriſdictioni Epiſcopi Caurienſis in prima inſtantia, non poſſe ipſum licentiam concedere ad ædificanda Monaſteria, ſeu Eccleſias quaſcumque; Etenim id ſpectat ad Patronatum Regium, vt de eo loquens ſtabiliui *diſquiſ.* 1. vbi libaui praxim, quæ in extruendis Monaſteriis, Eccleſiis, Capellis, & Eremitoriis ſeruatur. Nec in Concordia aliquid circa hoc eſt derogatum Et id ipſum expreſsè aſſeritur in Concordia *num.* 8. Hic obſerua, *ſupra diſq.* 1. *quaſt.* 13. *n.* 232. *pag.* 29. aſſeri, non poſſe abſque licentia Epiſcopi ibi erigi Monaſteria. Qui error fuit Amanuenſis tranſcribentis Codicem, ac interturbantis marginem quandam illius. Qui error, poſt excuſſam prælo illam paginam, apparuit.

Obſeruandum eſt quartò, Priorem de 168 Alcantara poſſe celebrare Sacrum in Pontificalibus in omnibus Eccleſiis ſui territorij. Etenim licèt in Concordia *num.* 3. aſſeratur, Epiſcopum priuatiuè exerciturum fore Actus Pontificales, non tamen intelligitur

gitur id de Miſſa in Pontificalibus celebrata; Quod ſuadetur primò ex verbis Concordiæ, in quibus deſignantur Actus Pontificales, qui competunt Epiſcopo Caurienſi, nempe conſecrare, benedicere, Confirmare, Ordines conferre, & dimiſſorias præſtare priuatiuè; nec fit de Miſſa verbum; ergo, quia ibi non comprehenditur; incredibile namque apparet, omiſſum fuiſſe Actum Pontificalem frequentiorem, & ſuper quo plures poſſent exoriri controuerſiæ, dum exprimuntur alij Actus, etiam minùs frequentes, qualis eſt conſecratio. Confirmatur id ipſum ex mente Regis, ac Iudicum, qui hanc diſpoſuere Concordiam; quippè, cum ad initiandum Ordinibus ſacris, & ad confirmandum, neceſſarius eſſet Epiſcopus, & nequeant ea muuia præſtare Priores, ſtabilitum fuit in Concordia, nullum alium Epiſcopum fore aduocandum, ſed Caurienſem id præſtiturum, & ſimul alij Actus Pontificales, ei annectuntur ibidem expreſſi, quæ expreſſio eſt exceptio cæterorum, quoad hoc vt ei priuatiuè competant.

169 Dices, ſi ex vi Concordiæ non competit priuatiuè Epiſcopo celebrare Miſſam in Pontificalibus in præfato territorio, ergo nullo modo id illi competet, nam quod circa Actus Pontificales ei ibi indulgetur, priuatiuè ipſi competens conceditur, atque adeò nulla circa id conceſſione gaudebit, & conſequenter indigebit facultate Prioris ad celebrandum in Pontificalibus in eo territorio; quod dici non valet, ſi quidem Epiſcopus Caurienſis non ſolum celebrat, quoties vult, in pontificalibus ibi (non verò intra Monaſterium ipſum Alcantaræ ob ſpecialiſſimam exemptionem. Vide Bullam Gregorij IX. in Bullario *fol. 24. & alias*) verùm & contendit, non poſſe Priorem de Alcantara in Pontificalibus celebrare. Sed in primis id contendit Epiſcopus cenſens, in ea conceſſione Concordiæ exercendi actus Pontificales, includi etiam celebrationem eiuſmodi Miſſæ; & hos actus competere ei priuatiuè; at non includi, ſuadetur ex dictis, & dicendis. Deindè reſpondeo, quamvis id non competat Epiſcopo Caurienſi ex vi conceſſionis priuatiuæ repertæ in Concordia, competere ex eo, quòd in illo territorio iuriſdictione gaudet Epiſcopus, etſi limitata, quod ſufficit, vt Miſſam celebrare queat in Pontificalibus. Prætereà in Concordia conceduntur ei expreſsè Actus Pontificales, quibus annexa eſt Miſſa eiuſmodi; nam, ſi conſecraret Eccleſiam, vt poteſt, Miſſam in Pontificalibus celebrare deberet; vbi ergo ſemel ei licet ita celebrare, non eſt, vnde poteſtas limitetur. Demùm, vt illicò dicam, Epiſcopi, iuxta valdè communem ſententiam, poſſunt in aliena etiam diœceſi Miſſam in Pontificali ornatu celebrare.

Suadetur ſecundò aſſertum poſitum, 170
quaſi per contrariam viam incedendo. Etenim communis valdè ſententia contra aliquos Authores tenet, Epiſcopum poſſe celebrare in Pontificalibus in aliena diœceſi abſque licentia Ordinarij; Ita docent Couarruvias *lib. 3. variar. cap. 9.* Barboſa *in Collectan. tom. 3. lib. 5. tit. 7. Clem. 2. num. 6.* Tabiena *verbo, Patriarcha, num. 4.* Hoſtienſis *ad gloſ. in Clementin. Archiepiſcopo, de pœnis, verbo, etiam celebrare.* P. Henriquez *lib. 3. cap. 6. num. 6.* Machado *de perfect. Confeſſ. tom. 2. lib. 4. part. 6. tractat. 17. docum. 9. num. 2.* P. Layman *lib. 1. tractat. 4. cap. 5. n. 5.* Eorum fundamentum eſt, quia, eſtò Tridentinum *ſeſſ. 6. c. 5. de reform.* ſtatuerit, Epiſcopos non poſſe exercere Actus Pontificales abſque licentia Ordinarij in aliena diœceſi, tamen hæc prohibitio intelligenda eſt de actibus pertinentibus priuatiuè ad Ordinem Epiſcopalem, quales ſunt conſecrare Chriſma, Ordinibus ſacris initiare, & ſimiles, qui ſunt exercitium pontificalium; at celebrare Miſſam huiuſmodi non eſt appellandum exercitium, ſed vſus pontificalium, qui in Tridentino non prohibetur.

Ex hac ſententia, (quam examino) pro- 171
pter authoritatem tot Virorum grauium, & Sapientum, valdè probabili, &, vt Machado ait, communiore, & magis recepta, inferret aliquis, poſſe Priores Militares, & Abbates exemptos iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentes in aliena diœceſi vti pontificalibus in Miſſæ celebratione, abſque licentia Ordinarij; quæ illatio, ſi doctrina introſpiciatur, & poteſtas Priorum, & Abbatum attendatur, eſt legitima. Et, quamvis contraria ſit conſuetudo, poſſet dici, id prouenire ex eo, quòd Ordinarij contrariam ſententiam, vt ſuæ iuriſdictioni fauentem, ſequuntur, atque adeò non permittere vſum pontificalium in ſua diœceſi abſque ſua licentia; indeque hanc expoſci, vt vitentur lites, & contentiones, ac vrbanitati conſulatur.

Ex eadem ſententia probatur, poſſe 172
Epiſcopum Caurienſem, quoties voluerit, celebrare in pontificalibus in territorio Alcantaræ. Nam licèt in Concordia aſſeratur, pertinere ad Epiſcopum Caurienſem exercere pontificalia, & nomine exercitij non comprehendatur prædictus vſus in Miſſæ celebratione; tamen hic vſus abſque expreſſione licet. Conſequenter ad hæc poterit prior Alcantaræ aſſiſtere in ſuo territorio

territorio Horis Canonicis ornatus Pontificalibus, & poſt Veſperas, & Miſſam populo ſolemniter benedicere.

173 Demùm plura diximus, concedentes, Epiſcopo Caurienſi competere priuatiuè, exercere Pontificalia. Verùm aliter verba Concordiæ videntur intelligenda; Declarat enim Rex, quos actus poſſit Epiſcopus exercere; non quidem priuatiue, ſed liberè, & abſque licentia Prioris Alcantaræ, quæ aliàs eſſet neceſſaria, vt in eius territorio eus exerceret, & addit, ei competere, dimiſſorias concedere *priuatiuè*; Quæ vox ſolùm cadit ſupra conceſſionem dimiſſoriarum. Vndè, cum cæteri actus Pontificales ei priuatiuè non competant, Prior liberè eos, quos ex munere poteſt, exercere valebit. Quod adhuc roboratur ex verbis ſequentibus Concordiæ *n.* 3. quòd in rebus, quas non poteſt ipſe Prior peragere, non ad alium, niſi ad Epiſcopum Caurienſem, eſt confugiendum. Id autem certiſſimum eſt Priorem poſſe in ſuo Conuentu Alcantaræ celebrare in Pontificalibus; ſicut Abbates Benedictini, & Ciſtercienſes in ſuis Monaſteriis, quamvis ſint in aliena diœceſi, & non habeant iuriſdictionem in territorio. De hoc enim non potuit eſſe controuerſia, ſicut non eſt inter Epiſcopos, & Abbates, ac Priores Militares S. Marci, & de Veles, qui ſunt in diœceſibus Legionenſi, & Conchenſi.

174 Obſeruandum eſt quintò, non tolli à Priore Alcantaræ poteſtatem benedicendi Ornamenta, & conſecrandi aras, & ſimilia ad cultum diuinum neceſſaria, tum ipſius Monaſterij de Alcantara, tum aliarum Eccleſiarum; nam hac poteſtate gaudet, quatenùs Prælatus Religioſus Ciſtercienſis eſt, & participans priuilegia Prælatorum Ciſtercienſium; Prælati autem Regulares ea poteſtate fruuntur, & Abbates Ciſtercienſes benedicunt ornamenta cuiuſvis Eccleſiæ, quæ ad eos deferuntur benedicenda: & conſecrant aras, & ſimilia. Quare in Concordia ſolùm tenditur ad ea, quæ Prior contendebat, ſibi competere, ratione iuriſdictionis quaſi Epiſcopalis reſpectu territorij, & ſubditorum extra Monaſterium degentium; non verò ad ea, quæ illi competunt, præcisè quà Prælatus Regularis Ciſtercienſis eſt. Hinc in ipſa Concordia, cum aſſeratur, Epiſcopum Caurienſem fore conceſſurum literas dimiſſorias, cauetur, Priorem eas præſtiturum Fratribus Religioſis; quaſi innuendo, id conuenire Prælatis Religioſis, quà tales ſunt, indeque circa id nihil fore immutandum reſpectu Prioris; Benedicere autem Ornamenta, ac conſecrare aras, & ſimilia, competit ei, quia eſt Prælatus Ciſtercienſis.

Obſeruandum eſt ſextò, quid dicendum ſit in ea quæſtione, an à ſententia interlocutoria (vulgò *autos interlocutorios*) Prioris de Alcantara appellandum ſit ad Epiſcopum Caurienſem, an ad Senatum Regium Ordinum? Breuiter aliter ſuppono. Primò de iure ciuili non dari appellationem à ſententia interlocutoria, cuius grauamen poteſt in definitiua reparari, ſecus, ſi reparari nequit, *leg.* 2. *de appellat. recip. l. ante ſententiam, Cod. quorum appell. non recipiantur*, cum aliis, quas Doctores communiter afferunt. De Iure autem Canonico antiquo appellatio dabatur, *cap. ſuper eo, cap. vt debitus honor, de appellat.* At in Tridentino id redactum eſt ad terminos Iuris Ciuilis, & impedita eſt appellatio, *in ſeſſ.* 13. *de reform. c.* 1. *in fin. & ſeſſ.* 24. *c.* 20. *& in Regul.* 36. *Cancellariæ.* Videantur Gonzalez *ibi, in annot. contra nullitates n.* 17. *&* 189. Ruginellus *tr. de appell. c.* 3. *num.* 477. Secundò ſuppono, Doctores aſſignare capita, ex quibus ſit dignoſcendum, quando ſententia vim interlocutoriæ retineat, aut tranſeat ad definitiuam; nempè cum poſt ipſam alia ſententia non expectatur; cum, ea prununtiata, Iudex ſuum finit officium; cum non definitur articulus ſubſtantialis in cauſa principali; & demùm cum ſententia non continet, aliquid dari, vel fieri à parte. 175

176 His præiactis, videtur aſſerendum, non dari appellationem à ſententia interlocutoria Prioris de Alcantara ad Epiſcopum Caurienſem. Etenim id non continetur in Concordia, niſi ampla interpretatione donetur; non autem amplè, ſed ſtrictè interpretandæ ſunt compoſitiones; iuxta *leg. quidquid adſtringendæ; in princ. ff. de verb. oblig. l. ſub prætextu,* 1. *Cod. de tranſact. leg. qui cum tutoribus, §.* 1. *ff. de tranſact. c. ſanè de renuntiat.* Videatur Calderinus *conſil.* 5. *de præbend.* & alij. Quare, poſtquam Iudices Ordinis cognoſcunt de cauſa, in ſecunda inſtantia appellandum eſt ad Epiſcopum Caurienſem; & non priùs, indeque gradatim à ſententia interlocutoria, quæ poteſt in definitiua reparari, ad Senatum Regium eſt appellandum, & poſt definitiuam ad Epiſcopum Caurienſem. Et ſanè Concordia ad id tetendit, vt diſcordiæ vitarentur, & tota cauſa vſque ad definitivam concluderetur apud Iudices Ordinis; aliàs anſa daretur, vt in Tribunali Caurienſi cauſæ differrentur, maximè interueniente iuriſdictionis competentia.

177 Confirmatur, nam ſententia definitiua finem

finem imponit primæ inſtantiæ, vt notant Doctures *ad leg. properandum, Cod. de iudiciis; leg. cum quærebatur, leg. cum lite mortua, ff. iudicatum ſolui*; vnde ante illam Concordiæ caput non adimpletur, nec ceſſat Prior Alcantaræ eſſe iudex, &, donec ipſe ceſſet, & finem faciat primæ inſtantiæ proferens definitiuam ſententiam, non habet locum inſtantia ſecunda. Hinc ratione Concordiæ non valet Epiſcopus Caurienſis appellationem præfatam admittere. Dices, cum ſe habere inſtar Metropolitani reſpectu Prioris de Alcantara; ad Metropolitanum autem appellatur à ſententia interlocutoria ſuffraganeorum, iuxta *cap. per ſingulas, 2. cap. conqueſtus; 9. quæſtion. 3. cap. duo, cap. paſtoralis, de officio Ordinarij*, cum pluribus aliis. Reſpondeo, negando aſſumptum, nam in Concordia ita conceditur ſecunda inſtantia Epiſcopo Caurienſi, vt ſimul aſſeratur, eum non fore Superiorem Prioris, & Religioſorum de Alcantara, nec aduerſus eos functurum eſſe iuriſdictione ratione officij, vel Beneficij; quare ei denegatur ea Superioritas, qua gaudent Metropolitani erga ſuffraganeos; nec ſecunda inſtantia ei conceſſa debet menſurari abſolutè cum his, qui ſunt Iudices in ſecunda Inſtantia, ſiquidem per Concordiam, & compoſitionem limitationes conducentes appoſitæ ſunt, nempè ne Epiſcopus Caurienſis ſit Superior Prioris de Alcantara, nec de cauſis cognoſcat, niſi finita prima inſtantia; & quæ, ea durante, eueniunt, Iudicibus Ordinis reſeruantur, adeóque appellatio à ſententia interlocutoria ad Senatum Ordinum videtur deferenda. Hæc ſecundùm ſe rationi conſona videntur. Stylo tamen, & conſuetudini eſt ſtandum.

178 Obſeruandum eſt ſeptimò, Epiſcopum Caurienſem non poſſe pœnam excommunicationis infligere contra Priorem Alcantaræ, eum aduersùs illum inhibitiones expedit. Etenim, quatenùs Prælatus Regularis exemptus eſt ab illius iuriſdictione, vt cæteri Regulares, & hanc exemptionem in pluribus Bullis concedunt Regularibus Militiarum, & Alcantarenſibus Pontifices, vt paſſim videre eſt *in Bullar. Ordin.* Et præterea in Concordia cauetur, Epiſcopum Caurienſem nulla iuriſdictione potiturum nec in prima, nec in ſecunda inſtantia in Priorem Alcantaræ, & Religionem. Vnde nullum reſtat caput, ex quo poſſit cenſuras ferre, cum hic eſſet actus iuriſdictionis. Dices: poſſe ferre cenſuras contra illum, non quà Prælatus Regularis, ſed quà Iudex eſt. Contrà, nam quà Iudex eſt, non ſubditur Prior Epiſcopo, nec habet ſe inſtar ſuffraganei reſpectu Metropolitani, ſiquidem ratione Officij, & Beneficij ab eius iuriſdictione in Concordia eſt exemptus; & ratione limitationum, quæ in ea præfiguntur, ita ſecunda inſtantia manet apud Epiſcopum Caurienſem, vt nihil iuriſdictionis poſſit exercere in Priorem. Dices, ad hanc ſecundam inſtantiam exequendam neceſſarium eſſe, cenſuras quandoque infligere; quare, cum illa Epiſcopo conceditur, pariter conceduntur, quæ ſunt neceſſaria ad eius effectum. Reſpondeo, impoſitam eſſe pœnam pecuniariam non obſeruanti Concordiam, & ſub executione huius pœnæ, moneri poſſe Priorem Alcantaræ ab Epiſcopo Caurienſi, vt ſeruet Concordiæ pacta; &, ſi ea violet, poteſt, interuentu Senatus Ordinis, qui Superior eſt Prioris, ad pœnam exequendam procedere. Dices demùm, Epiſcopum ferre de facto cenſuras, & tuliſſe, hincque præſcripſiſſe iuriſdictionem. Reſpondeo, non tuliſſe cenſuras, quin à Prioribus reclamaretur, vt videre eſt *in Informatione iuridica* Petri Xuarez Priorem defendentis; & præterea iuriſdictio eſt propria Ordinis, cui non præiudicant Actus Priorum triennalium, dum Ordo non annuit, quin potiùs repugnat; & Concordia cum ordine eſt facta; & ſicut actus ſpeciales Religioſorum in aliis Religionibus non præiudicant priuilegiis Religionum, ita in præſenti contingit.

Obſeruandum eſt octauò, Priorem Alcantaræ eſſe propriè Ordinarium in ſuo territorio, cum ad eum pertineant omnes cauſæ in prima inſtantia, excepto caſu in Concordia deſignato *n.2.* Quare Epiſcopus nequit nomen Ordinarij in præiudicium illius aſſumere, vt generaliter in ſimili docet Camill. Gallinus *lib.5. de verb. ſignific. c.20.n.171.* & plures alij; ſiquidem dumtaxat eſt iudex appellationum, & in ſecunda inſtantia, niſi in eis caſibus ſingularibus exceptis. Et ſicut Epiſcopus eſt Ordinarius in locis, in quibus habet primam inſtantiam iuxta Concordiam, ſic & Prior in locis, in quibus eam habet. 179

Obſeruandum eſt nonò, non poſſe appellari ad Epiſcopum Caurienſem à mandatis, quæ Prior Alcantaræ, aut Viſitatores ab eo deſignati, proferunt, dum ſuum territorium viſitant; (etiam ſi poſſet ab aliis Actibus, ſeu ſententiis interlocutoriis ad eum appellari) quia hæc mandata, vulgò *autos*, non ſunt prima inſtantia, poſtquam ſolum 180

ſolum poteſt appellari ad Epiſcopum; quippè inſtantia includit tempus exercendi iudicij, quod incipit à conteſtatione litis, ante quam nulla datur inſtantia, vt cum communi docet Barboſa *in leg. ad peremptorium, ff. de iudiciis, num.* 9. Neque inſtantia datur, vbi ventilatio actionis non adeſt; In viſitatione autem nec iudicium, nec ventilatio, nec ſententia dantur; vnde nec inſtantia; quare ea mandata ex ſua natura ſunt executiua; & tendentia ad morum correctionem, vt colligitur ex Tridentino *cap.* 10. *ſeſſ.* 24. *de reformat.* Et cum multis docet Sigiſmundus Scaccia *de appellat. q.* 17. *limitat.* 26. Quare Epiſcopus executionem impedire nequit.

181 Cæterùm, cum idipſum de Epiſcopis viſitantibus reſpectu Metropolitani ſit tenendum, iuxta Tridentinum *cap.* 10. *ſeſſ.* 24. *de reformat.* obſeruandum eſt tam reſpectu Epiſcoporum, quàm Prioris Alcantaræ, dicta habere locum, ſi non procedatur iudicialiter, vt Sacra Congregatio Concilij declarauit. At, ſi appellatio interponatur, eſt deuolutiua cauſæ, non ſuſpenſiua viſitationis, ſeu executionis; & ſolùm poſt definitiuam appellatio conceditur. Quin ſi in cauſa adulterij, non recitationis Horarum, reſtitutionis fructuum, & ſimilium compiletur proceſſus, & ſeruatis ſeruandis, iudicium formetur, non datur appellatio; vt docet Barboſa *in declaration. Tridentini vbi ſuprà.* Et quamvis aliqui Authores apud ipſum *in Remiſſion. ibidem* aſſerant, appellationem iuſtificatam ſuſpendere executionem; Attamen Declarationi Congregationis ipſe Author inſiſtit. Ibi etiam affert epiſtolam Pauli Quinti, datam die 29. Octobris, anno 1610. ad Epiſcopum Portugallenſem, in qua aſſerit Pontifex, Epiſcopum viſitantem non poſſe, quaſi ſuſpectum, recuſari. Idem de Priore Alcantaræ (& de aliis ſimilibus Prioribus) viſitante dixeris. Nam in ea epiſtola idem aſſerit Pontifex de Epiſcopo, & de aliis, quibus legitimè viſitatio competit.

* * *

QVÆSTIO XV.

De Viſitatoribus Ordinum Militarium, eorumque iuriſdictione, & poteſtate.

§. I.

De Viſitatorum electione, & deſignatione.

IN Ordine Diui Iacobi numerus Viſitatorum pendet ab arbitrio Regis, quatenùs Adminiſtratoris perpetui, & Capituli generalis, ita vt pro qualibet Prouincia poſſint deſignari vnus, vel plures Equites in Viſitatores, & ſimul cum illis Clerici Fratres; Quatuor autem Prouinciis Ordo continetur; ſcilicet Caſtellæ, Legionis; Caſtellæ veteris; & Aragoniæ. Ita in Statutis *tit.* 11. *c.* 2. Et hi quidem ſunt Viſitatores generales. Etenim Viſitator Eccleſiaſticus, qui eſt Vicarius generalis Prouinciæ Legionenſis Iacobeæ eligitur à Priore, & Capitulo Monaſterij S. Marci, & confirmatur à Senatu Ordinum. Nec poſſunt viſitare Prouiſores Eccleſiaſtici, ſeu Officiales Ordinis, qui duo ſunt, alter in vrbe Emeritenſi, alter in Llerena, quos eligit, & amouet ad nutum Prior S. Marci. 182

In Ordine Calatrauæ, vt conſtat ex Definitionibus *tit.* 19. *cap.* 1. *&* 2. Magiſter ſeu Adminiſtrator eligit Equitem, & Fratrem Clericum in Viſitatores totius Ordinis extra Aragoniam, & Valentiam; & alium Equitem, ac Fratrem ad hæc duo Regna Aragoniæ, & Valentiæ. Sed quamvis in Definitionibus non plures deſignentur Viſitatores, tamen alij Equites, & Religioſi præter primos, iu Viſitatores generales à Rege eliguntur; inter quos, & primos diuiduntur prouinciæ. 183

In Ordine Alcantaræ, vt extat in Definitionibus *tit.* 23. *cap.* 1. in Capitulo Generali deſignantur duo Equites, qui totum Ordinem viſitent, nempè Monaſteria, Collegium, Commendas, bona, perſonas, Eccleſias, & quidquid omnino ad ipſum Ordinem quoquomodo ſpectat. Et *cap.* 23. ſtatuitur, quòd Eques, cum viſitat ſacram Euchariſtiam in Eccleſiis, teneatur ſecum ferre Fratrem Clericum Ordinis, ſiuè ex Monaſterio Alcantaræ, ſiuè ex parochis, qui adminiſtrant Beneficia, ac prioratus Ordinis; vt ambo ſimul togis Capitularibus ornati reuerenter, ac decenter, munus adeò ſanctum obeant. Cæterùm *tit.* 1. *cap.* 14. decernitur, quòd ante finem Capituli Generalis poſcatur à Rege, vt deſignet Definitores, & Viſitatores, eos 184

proponendo, qui videantur magis idonei, vt ex illis eligere valeat, & ſimul Viſitatores Viſitatorum eligat. Et *cap.*15. ſtabilitur, quòd vnus ex Definitoribus antecedentibus ſit Viſitator, & vnus ſit Definitor, ex Viſitatoribus, qui præceſſerunt. Et, quia hæ Definitiones non videntur cohærere cum poſita *ſuprà*, vbi Capitulo generali competere deſignatio Viſitatorum aſſeritur, dicendum eſt, vt inter ſe componantur, Regem eligere quidem Viſitatores, ſed id præſtare in Capitulo Generali, ac Præſide Capituli, & aliis ad id deſignatis, proponentibus Viros idoneos, ex quibus Viſitatores ſint eligendi, ita vt Rex abſque Capitulo nequeat eos deſignare: imò ſtylus Ordinis eſt iuxta prædictum *cap.*23. in quo recentior Definitio continetur, vt Capitulum Generale eos deſignet; & ipſum ſimul cum Rege Inſtrumenta facultatis, ac poteſtatis eis concedat, Rexque titulis ſubſcribat. Quòd ſi Viſitatores decedant, aut ex cauſa iuſta munus ſuum nequeant exequi, Rex cum Profeſſis Ordinis in Curia exiſtentibus, & ad id deputatis in Capitulo particulari deſignat Viſitatores, & ſimul cum illis Inſtrumentum poteſtatis eis concedit; Quæ eandem vim retinent, ac ſi in Capitulo Generali fuiſſent præſtita, vt conſtat ex *tit.* 23. *cap.*7. *in Definitionibus*.

185 In præfatis Statutis, & Definitionibus præſcribuntur omnia, quæ à Viſitatoribus ſunt obſeruanda; Stipendia eis ſoluenda, & vnde præſtanda ſint; Tempus, quo debent viſitationem incipere, finire, & iterum repetere; Interrogatoria, quibus ſunt vſuri; Pœnæ, quas poſſunt infligere, & pecuniariæ, quibus ſint applicandæ; Miniſtri, & Officiales, quos ſecum ferre valent, aut deſtinare tenentur in territorio, quod viſitant; Inſtrumenta publica facienda, & tranſcribenda; Perſonæ, & loca, ad quæ eorum extenditur iuriſdictio; Modus corrigendi peccata occulta, & deferendi grauiora ad Capitulum Generale, vel Senatum Ordinum, aut etiam puniendi; Viſitationis totius ſeries ad ipſum Capitulum reſeruanda, in quo bonorum, rerum, facultatum, ac perſonatum diſtincta fiat, & exacta relatio à Viſitatoribus, vt, quæ digna ſint reformatione, reparentur, ſalubriaque regimini Ordinum Statuta condantur; & meritis cuiuſque attendatur, vt munia commendentur. Hæc, & plura alia inibi ſtabiliuntur, quæ tranſcribere, eſſet prolixum, & ſuperfluum, ſufficiatque ad noſtrum Inſtitutum, ea libare, & dubia indè exorientia decidere.

Præter Viſitatores Generales, Rex poteſt deſignare, vt præſtat, Viſitatores ſpeciales, qui dignoſcant, quomodo Equites, & Fratres Clerici obſeruent Regulam, & Statuta ſui Ordinis, ac ſimul Monaſteria, & Collegia viſitent; Rex enim, vt Adminiſtrator Ordinum, tenetur cognoſcere, quo pacto, & norma, ſubditi ſe habeant, & per ſe, aut per alium eos corrigere, ſi delinquant; quæ quidem eſt ſpecialis viſitatio, non enim extenditur poteſtas horum Viſitatorum ad ea omnia, ad quæ Generalium Viſitatorum facultas protogatur. Et, quamvis in Definitionibus nihil de his Viſitatoribus decernatur, ea iam eſt conſuetudo recepta, vt à Rege deſignentur, quod quidem eius poteſtatem non excedit; ſi quidem Magiſter Ordinis, vt Prælatus, poterat, & debebat, id peragere; & in eius munus, & obligationes Reges ſucceſſerunt. 186

§. II.

De poteſtate Viſitatorum.

Ampliſſima eſt Viſitatorum Generalium poteſtas; cum enim penes ipſos Ordines, ſit iuriſdictio ſpiritualis, & temporalis, poſſunt eam illis committere, ampliare, & limitare pro arbitrio, iuxta exigentiam rectæ gubernationis. Hinc, vt in prædictis Statutis, & Definitionibus cerni poteſt, eis committitur poteſtas ad viſitanda Collegia, Monaſteria Virorum, & fœminarum, Commendas, ditiones, Eccleſias, Opera pia, & perſonas, quin aliquid ſubterfugiat eorum iuriſdictionem. Et quidem reſpectu Eccleſiarum, piorum Operum, & Clericorum eandem poteſtatem exercent in territoriis, & Eccleſiis Ordinum, ac Viſitatores Epiſcoporum in ipſorum diœceſibus; & præthereà circa temporalia poteſtate gaudent. 187

Quin olim aliquæ Ordinum ditiones 188
ex diſpenſatione Pontificia (nam per Bullas prohibita eſt alienatio rerum immobilium) alienatæ fuerunt; & tamen ſpiritualia, quæ ibi erant, ſub Ordinum iuriſdictione remanſerunt, cum ſpiritualia vendi nequiuerint, atque adeò hæc poſſunt; & debent viſitari. Hinc in Inſtructione ſecreta, (cuiuſmodi ſolent Viſitatoribus à Regibus tribui) quam Rex Philippus II. præſtitit die 23. Ianuarij, anno 1574. Don Ioanni de Acuña Viſitatori Generali Ordinis de Alcantara (quam mihi videre licuit) aſſeritur, Don Rodericum Mexia Salmantinum emiſſe quandam Ordinis ditionem, & contendere, ideò ipſi deberi partem oblationis Eccleſiæ, quæ in oppido de *Gata* ſolebat concedi

concedi Commendatario de Villas buenas; & additur; *Y porque en la venta no entrò la eſpiritualidad, mandareis al Cura de la dicha Igleſia de Gata, que no le acuda con la dicha ofrenda, y ſi ouiere pleyto ſobre ello, lo ſiga.* Id ipſum extat in Definitionibus Alcantaræ *tit.* 11. *cap.* 10.

189 Clerici etiam ſæculares, qui intra territoria Ordinum degunt, & hi, qui in eorum Eccleſiis Beneficia, aut Capellanias obtinent, poteſtati Viſitatorum ſubiacent, qui tenentur inquirere, quo pacto illi ſuo muneri ſatisfaciant, Miſſarum obligationes adimpleant, cæteraque exequantur ad ipſos ſpectantia; quamvis Capellaniæ ſint ex his, quæ iure ſanguinis, aut aliter obtinentur; nam hoc ipſo quòd in Eccleſiis Ordinum ſint erectæ, Ordinibus ſubiiciuntur, vt aſſeritur in Definitionibus Calatrauæ *tit.* 19. *cap.* 1. Et nos latè probabimus *inferiùs diſquiſ.* 11.

190 Valent Viſitatores eas pœnas corporales, & pecuniarias infligere, quæ in communi, vel in ſpeciali deſignantur in Statutis, Definitionibus, & Inſtructionibus. In Ordinibus autem D. Iacobi, & Calatrauæ, cum Fratres Clerici in Viſitatione comitentur Equites, poſſunt cenſuras infligere, quoties fuerit opus, nam his Fratribus Clericis competit, ex commiſſione Ordinum, poteſtas ferendi cenſuras, cuius poteſtatis ſunt capaces; Indeque valent abſolutionem ſibi reſeruare, & poſtmodùm abſoluere, aut abſolutionem alij committere.

191 In Ordine Alcantaræ Viſitatores Equites abſque Fratribus Clericis Viſitationem peragunt, eoſque dumtaxat aduocare debent, vt tabernacula, & pyxides ſacræ Euchariſtiæ viſitent. Hinc nequeunt ferre cenſuras, cum Clerici non ſunt. Et ſanè (ſalua tanti Ordinis diſpoſitione, quæ in primis eſt probanda) videretur expediens; Equites ſimul, & Fratres Clericos eſſe Viſitatores; ſic enim vniformiter ſe haberent cum Ordinibus D. Iacobi, & Calatrauæ; deindè, cum merè laïcus ſit incapax poteſtatis ferendi cenſuras, ex Iure Eccleſiaſtico, vt cum pluribus tradit P. Gaſpar Hurtado *de cenſur. diffic.* 4. atque in Viſitatione oporteat aliquandò, armis ſpiritualibus cenſurarum vti, Fratres Clerici eas ferrent, & ex hoc capite non remaneret quaſi manca, & inermis Viſitatorum Equitum poteſtas; ſicut Viſitatores Epiſcoporum poteſtatem etiam promulgandi cenſuras habent, quaſi carerent, vis plurima eis deficeret ad exequendum ea, quæ expedire iudicantur; &, cum Viſitatores Ordinum eandem, & ampliorem iuriſdictionem, ac Viſitatores Epiſcoporum, retineant, par eſſet, vt præcipua adeò facultate non deſtituerentur; deindè, cum tot Eccleſiæ ab ipſis viſitentur, & ad id Fratres aduocari debeant, ſatius videretur eos comites in cæteris habere. Addo, ab Equitibus Viſitatoribus decentiùs res Eccleſiaſticas peragendas, & ea omnia, quæ ad ſtatum Clericalem pertinent, ſi Frater Clericus eiuſdem ſtatus Clericalis interſit, quod videtur ex terminis conſpicuum; Et, cum ad Informationes peragendas, ad admittendos Equites, & Fratres in Ordinem, & etiam ad Profeſſionem requiratur Frater Clericus, conſentaneum valdè eſt Iuri, æquitati, & rationi, vt etiam Viſitationi interſit, ac cum Equite noſcat, an admiſſi, & Profeſſi exequantur ea, quæ vouerunt, & quæ in admiſſione eis fuerunt iniuncta; Atque etiam cum Fratres conferant collationem Commendarum Equitibus, ad eas viſitandas, conſonum eſt, vt aſſiſtant.

Hi Equites Viſitatores præcepta Obedientiæ imponunt, cum res id expoſcit. 192 Etenim, iuxta dicta *ſuprà diſquiſ.* 6. tum Senatus Regius Ordinum, tum Regulares ipſorum Ordinum ab eiſdem, ſeu a Rege deſtinati, valent ea præcepta imponere; huius quippe poteſtatis non ſunt incapaces, quamvis Clerici non ſint; Nec ad poteſtatem imponendi præcepta Obedientiæ requiritur Clericatus, vt patet in magno Magiſtro Ordinis S. Ioannis, & in Prælatis Ordinis Sancti Ioannis *de Dios*, qui Clerici non ſunt, & eos poſſe imponere præcepta Sanctæ Obedientiæ, eſt euidens, cum nullus alius ſit in eo Ordine Prælatus, aut Superior, qui ea imponat, & voueant omnes Obedientiam ſuis Prælatis, quod Votum inane eſſet, ſi Prælati non poſſent præcipere in virtute Obedientiæ; cum aliàs impoſſibile redderetur, illud Votum grauiter violari. Hæc doctrina fit clarior in ſententia eorum, qui arbitrantur, Abbatiſſas poſſe præcipere ſuis Monialibus in virtute Obedientiæ; De quo *diſquiſit. 6. præcedenti.* Et olim Magiſtri Ordinum præcepta imponebant. Confirmatur, nam Paulus III. in Bulla, in qua diſpenſauit cum Calatrauenſibus, & Alcantarenſibus, vt nuptias poſſent contrahere, ait, Capitulis, & Ordinibus manere integram, & illæſam iuriſdictionem omnem, qua priùs fungebantur. Sed antecedenter ad hanc diſpenſationem Capitula potiebantur iuriſdictione Eccleſiaſtica, Ergo & poſt nuptias contractas ab Equitibus,

ex quibus maiori ex parte Capitula, & Ordines conſtantur, gaudent eadem iuriſdictione; ac conſequenter Viſitatores, quamvis vxorati ſint, poſſunt ea iuriſdictione potiri. Nec id nouum erit, ſi attendatur, ex diſpenſatione Pontificia aliquando Virum vxoratum fuiſſe Epiſcopi Vicarium, aliaque huiuſmodi videnda apud Paulum de Caſtro, Cardinalem Lugo, D.D. Ioannem de Solorzano, aliosque plures.

193 Sententia Viſitatorum tendit illicò ad executionem, & ab hac ſolùm ad Senatum Regium valet appellari. Quare in Ordine Alcantaræ, quamvis à ſententia Prioris Alcantaræ, ratione Concordiæ, ad Epiſcopum Caurienſem appelletur, non verò à ſententia Viſitatoris Generalis, vt oſtendit praxis, & conſuetudo nullo litigio interrupta, vt ſuperius iam præmonui.

194 Inquires, an poſſit à Capitulo Generali deſignari Frater Clericus ſolus in Viſitatorem Generalem; vel in Ordine Alcantaræ poſſit in Capitulo addi Frater Equiti? Reſpondeo, in primis ab ipſo Ordine, & Rege noſtro ſupponi, id poſſe fieri, nam in ſententia Concordiæ, quam ex delegatione Pontificia Rex tulit anno 1594. inter Epiſcopum, ac Eccleſiam Caurienſem, & Priorem de Alcantara, ſtabiliuit, ne Viſitatores Generales Ordinis in certo territorio viſitent Tabernacula Eucharistiæ, Olea ſacra, & Fontem Baptiſmi; *Pero yendo Religioſo de la Orden à dicha Viſita por Viſitador, pueda hazer lo ſuſodicho.* Deindè cenſeo, poſſe Capitulum, iuxta facultatem, qua ex Bullis Pontificiis gaudet, immutare, & reuocare Definitiones, & Statuta antiqua, ac alia condere; quo poſito, valebit de nouo Definitionem ſtabilire de deſignando Fratre Clerico in Viſitatorem; Imò hoc ipſo quòd illum deſignaret, cum ſupponatur in Capitulo notitia Definitionum, quæ de facto dantur, videretur, Capitulum velle illas immutare, & in actu exercito alias circa hoc ſtabilire. Sed conſultius omnino eſſet, expreſſam Definitionem nouam ſtatuere. Quin cenſerem, poſſe Regem noſtrum in Capitulo particulari Viſitatores Fratres addere Equitibus, qui in Ordine Alcantaræ ſunt Viſitatores generales; nam id non eſſet abſolutè Definitionem aliquam reuocare (quod Capitulo Generali reſeruatur) ſed perficere, & quid velut omiſſum exequi, exigente id Ordinis vtilitate.

195 Viſitatores deſignantur ad viſitandos ipſos Viſitatores; non quidem quatenùs Viſitatores ſunt, ſed quatenùs Equites Ordinis, & eo modo, quo cæteri Equites viſitantur; nam, quatenùs Viſitatores ſunt, non ſubiacent Viſitationi, nec reſidentiæ, nec accuſationi, nec poſſunt à munere deponi. Poteſt tamen Capitulum, & Senatus Ordinum de eis cognoſcere, eorumque actiones explorare, culpas punire, & cætera exequi, quæ reſpectu ſubditorum, habito reſpectu ad perſonas, & mouēra, poſſunt Ordo, & Prælati peragere; nec enim Viſitatores iuriſdictionem ſui Ordinis ſubterfugiunt. Hinc poſſet delictum Viſitatoris adeò excreſcere, vt etiam ſuo munere poſſet priuari, vt ex terminis liquet.

196 Id annotauerim, arctiſſimè teneri Regem, Capitula, & Senatum Ordinum, ad inuigilandum viſitationi Ordinum, & curandum, vt tempore ſtatuto in Definitionibus Monaſteria, Collegia, Eccleſiæ, territoria, & perſonæ viſitentur; aliàs plura incommoda valent exoriri, & liberè quiſque poteſt operari; vnde fit, vt diſciplinæ Religioſæ laxatio vires capiat in Communitatibus, & perſonis: bona Ordinis detrimentum ſentiant, & plura alia nocumenta ſentiantur. Quod ſi vel non dentur Viſitatores Generales, aut ægritudine, ſenio, vel alio obſtaculo præpediantur, tenetur Senatus Ordinum monere Regem noſtrum, vt Viſitatores particulares ad ea munera præſtanda deſignet.

197 Hi Viſitatores particulares ea poteſtate funguntur, quam Rex illis in titulo, aut in Inſtrumento Facultatum, vel etiam in Inſtructione conceſſerit. Cum enim eos poſſit deſignare, valet pariter deſignare ad hæc, vel illa munia exercenda, & non alia. Communiter autem omnis ea poteſtas illis permittitur, quæ reſidet in Viſitatoribus Generalibus reſpectu Communitatum, aut perſonarum, ad quas Viſitatores illi ſpeciales deſtinantur.

198 Quando in Curia Regia Equites trium Ordinum viſitantur, deliguntur in Viſitatores particulares Eques ſimul, & Frater Clericus. Extra Curiam verò, vt minuantur ſumptus, deſignatur vel ſolus Eques, vel ſolus Clericus Frater. Et quidem in Definitionibus Ordinis de Alcantara *tit.* 12. *cap.* 3. *num.* 45. Rex cum Capitulo Generali præcipit Senatui Ordinum, vt quotannis mittat Equitem, vel Fratrem Clericum ad viſitandum Collegium Salmantinum; ſummè namque expedit, ſtudia promoueri, & Collegas ad diſciplinæ Regularis, & litterarum amorem excitari, vt indè exeuntes dignè Ordinis munera, ipſorum propria, exerceant, idoneique reddantur ad munia, quæ eis competunt. Oporteret autem (iuxta dicta *ſuperius*) in Viſitatorem particularem tum Monaſteriorum, tum Collegiorum,

Fratrem Clericum ex dignioribus, potiùs quàm Equitem deſtinari. Etenim rectiùs poteſt dignoſcere ea, quæ proprij Inſtituti ſunt, is, qui illud profitetur, quàm alius; nam, etſi eodem in ordine Equites, & Fratres militent, ij tamen ſeueriorem diſciplinam ſectantur, & in pluribus vtrorumque vitæ norma diſſidet. Sic etiam ſtatus Clericalis cultui indulgetur, dum ex eodem ſtatu Clericus de illius cura ſollicitatur. Indè in Ordine D. Iacobi Fratres Clerici quolibet triennio mittuntur ad viſitanda Monaſteria, & Collegia. Quam ſedem ſint habituri Viſitatores in Monaſteriis, & Collegiis, dum interſunt Actibus Communitatum, non decernitur in Statutis, & Definitionibus. In Ordine Ciſtercienſi poſt Abbatem primam ſedem occupant; Quæ norma videtur congruens Viſitatoribus Militaribus Calatrauæ, Alcantaræ, Monteſæ, & Chriſti; In aliquibus aliis Ordinibus non Militaribus Viſitatores præcedunt Superiores Monaſteriorum, ſeu Domorum. Quare non alia regula fixa tradi poteſt, niſi quòd ſtetur conſuetudini.

QVÆSTIO XVI.

An poſſint eſſe Priores Monaſteriorum, aut Rectores Collegiorum Militarium Regulares, qui habent Dignitates intra ipſos Ordines Equeſtres, ſiue Prioratus cum Animarum Cura? Et an ad Academias cauſa Studij ſe conferre?

199 INtra Ordines Militares extant aliquæ Dignitates Regulares; v. g. in Ordine Calatrauæ, & Alcantaræ Sacriſta maior Ordinis eſt Dignitas, quæ correſpondet Dignitati Theſaurarij in Almis Eccleſiis, & ſic de ſimilibus. Deindè plures ſunt Prioratus, quibus Cura animarum incumbit. De vtriſque ergo quærimus, an qui vel Dignitates, vel Priores, ſeu Rectores, aut Parochi ſunt alicuius Eccleſiæ, ſeu loci, poſſint eligi in Priores Monaſteriorum ipſorum Ordinum, ita vt ſimul vtramque Dignitatem, vel Prioratum retineant? nam ſi anteriori Dignitati, ac Prioratui renuntient, diſputationi non eſt locus, nec adeſt dubitandi ratio; Nec item, ſi Dignitas, Prioratus anterior, aut Beneficium Eccleſiaſticum auferatur ab habente ipſum, per Magiſtrum, vel Adminiſtratorem Ordinis; quippè omnia Beneficia Ordinum Militarium, quantumvis collatiua ſint, eſſe amouibilia, & in hoc diſcriminari ab aliis Beneficiis non Regularibus, *inferius* oſtendemus, cum de Beneficiis agamus.

Sit prima concluſio. Habens Beneficium Curatum, ſeu Prioratum cum Animarum Cura, nequit ſimul eſſe Prior in Ordinibus D. Iacobi, & Alcantaræ, nec Adminiſtrator in Ordine Calatrauæ Monaſterij, aut Rector vllius Collegij Militaris, niſi in aliquo caſu ſpeciali *infrà* exponendo. Probatur, quia reſidentia vtrobique nequit dari, cum tamen reſidentia in Beneficiis Curam animarum habentibus ſit de Iure diuino, vt exponitur in Tridentino *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *de reformat.* ibi *Cum præcepto diuino mandatum eſt omnibus, quibus animarum Cura commiſſa eſt.* Ex quibus, & ſequentibus Concilij verbis, grauiſſimis ſanè, ac ſtrictiſſimis, omnes Authores poſt Tridentinum colligunt reſidentiam eſſe de iure diuino. Idem confirmatur ex eodem Tridentino *ſeſſ.* 6. *c.* 2. *de reformat.* ibi: *Epiſcopus inferiores quævis Beneficia Eccleſiaſtica perſonalem reſidentiam de iure, ſiue conſuetudine exigentia, in titulum, ſiue Commendam obtinentes ab eorum Ordinariis, quemadmodum eis, pro bono Eccleſiarum regimine, & diuini cultus augmento, locorum, & qualitate perſonarum penſata, expediens videbitur, opportunis iuris remediis reſidere cogantur; nulliſque priuilegia, ſeu indulta perpetua de non reſidendo, aut de fructibus in abſentia percipiendis ſuffragentur.* Et quidem Parochos, ne reſidentiæ deſint, non poſſe eſſe Viſitatores, nec Vicarios Generales, ſeu Officiales Epiſcoporum, nec aliorum Prælatorum, tradunt Nicolaüs Garcia *de Beneficiis,* 3. *part. cap.* 2. *ex num.* 40. referens Declarationes Cardinalium, Barboſa *in Collectan. ad Trident. ſeſſ.* 23. *de reformat. c.* 1. *& de poteſt. Epiſc. part.* 3. *alleg.* 53. *n.* 86. *& de officio Parochi, part.* 1. *cap.* 8. *n.* 23. Vbi adducit Bullas Pauli V. & Gregorij XV. id ipſum decernentes quoad Hiſpaniam.

Et quidem, vt ab ipſo Tridentino, *ea ſeſſ.* 23. traditur, habentibus Curam animarum à Deo iniungitur, oues ſuas agnoſcere, pro iis ſacrificium offerre, verbique diuini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum operum exemplo paſcere: pauperum, aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere; quæ omnia nequaquam ab iis præſtari, & impleri poſſunt, qui gregi ſuo non inuigilant, neque aſſiſtunt, ſed mercenariorum more eum deſerunt. Quare, qui oues ſuas derelinquit, vt deliciis, commodis, aut temporali honore, ſeu vtilitate potiatur, audiat D. Hilarium *in Comment. ſup. Matth. cap.* 26. aſſerentem; *Quòd ſi contineus longam* 201

Dei patientiam ; quæ in profectum humanæ ſalutis extenditur, aduerſus conſeruos inſoleſcat, & ſæculi malis, vitiiſque ſe tradat, præſentium tantùm curam in cultu ventris exercens, deſperata die Dominus adueniet, eumque à bonis, quæ ſpoponderat, diuidet, portionemque eius cum hypocritis in pœna æternitate conſtituet, quia aduentum deſperauerit; quia mandatis non obtemperauerit; quia præſentibus ſtuduerit; quia vita gentium vixerit; quia deſperatione iudicij commiſſam ſibi familiam fame, ſiti, cædeque vexauerit. Expende hæc vltima verba, vt indè cernas ſupplicium, quod imminet his, qui ſuas oues, & familiam commiſſam vexant, dum earum miſeriis neutiquam inuigilando, nec eleemoſynas, nec leuamen elargiuntur.

202 Deindè *in cap. ſi quis tranſlatus, 21. quæſt. 2. & in Clement. ne in agro, §. ſanè, 2. de ſtatu Monachorum*, præcipitur, ne permittatur Monachis Beneficia obtinentibus in Monaſterio verſari. Rursùs *in cap. cum ſingula, de præbend. lib. 6.* ſtatuitur, ne vllus poſſit duos Prioratus, aut Beneficia regularia ſimul habere; ibi *Præſenti prohibemus edicto, ne aliqui Monachi, vel Religioſi, aliis pluribus Prioratibus, vel Eccleſiis Curam animarum habentibus, etiam ſi eadem Cura non per ſe ipſos, ſed per Presbyteros ad eorum præſentationem per Epiſcopos inſtitutos, habeat, exerceri, abſque Sedis Apoſtolicæ authoritate, præeſſe præſumant.* Quod accipiendum eſt etiam de Prioratibus, quibus non eſt annexa Cura animarum, vt notauit Gloſſa, ibi, *verbo Prioratus*, & Felinus, *in cap. cauſam, quæſt. 13. num. 4. verſ. 7.* Idque infertur, nam ea verba, *Curam animarum habentibus*, non cadunt ſupra vocem *Prioratibus*, ſed ſupra vocem *Eccleſiis*; & ſic ſtabilitum eſt *in Clement. 1. de Religioſ. domib.* ibi; *Ac nihilominùs in Prioratibus huiuſmodi, & Eccleſiis, illud Bonifacij huiuſmodi ſtatutum, quod Religioſum quemcumque pluribus præeſſe prohibet Prioratibus, aut Eccleſiis Curam animarum habentibus (etiam ſi cura ipſa non per eum, ſed per alium valeat exerceri) locum ſibi cenſuimus vendicare, licèt etiam eiuſmodi Prioratibus Cura non immineat ſuprà dicta.* Hinc aſſerit Nicolaüs Garcia *de Benefic. tom. 2. part. 11. cap. 5. num. 8.* ita eſſe incompatibiles duas Dignitates Regulares, vt qui altera gaudens, aliam acceptet, amittat primam, quæ illicò vacat.

203 Vnde fit ſecunda concluſio. Qui gaudet aliqua Dignitate Regulari intra Ordines Militares, non includente Curam animarum, poteſt eligi in Rectorem Collegij, non verò in Priorem Monaſterij Militaris, niſi aliqua Definitio in ipſo Ordine obſtet, vt ſit Rector. Hæc vltima pars ſuadetur. Nam Prioratus Monaſterij Militaris eſt Dignitas Regularis cum iuriſdictione quaſi Epiſcopali; ſi vnum, vel alium excipias, ſed nequeunt ſimul duæ Dignitates Regulares obtineri, vt *nuper* ex Iure probabamus; ergo nequit in Priorem aſſumi, qui alia gaudet Dignitate Regulari, ſimul vtrumque munus retinendo. Confirmatur; quia abſolutè prohibitum eſt in Iure, duas Dignitates nanciſci; & incompatibile eſſe, decernitur *in cap. multa, cap. referente, cap. prætereà, de præbendis, & Dignitatibus*, in Tridentino *ſeſſ. 7. de reformat. cap. 4. & ſeſſ. 24. de reformat. cap. 17.* Docet id latè P. Azor *tom. 1. inſtitut. mor. lib. 6. cap. 10.* Cæterùm Sacriſta maior in Ordine Calatrauæ poteſt eſſe Adminiſtrator Monaſterij, nam hic non eſt Dignitas intra Ordinem, nec in Capitulo Generali ſedem habet.

Prima pars aſſertionis à contrario probatur. Etenim eſſe Rectorem Collegij Militaris non eſt Dignitas Regularis, nec talis iudicatur, nec correſpondet alicui Dignitati in Almis Eccleſiis; habet namque ſe Rector, ſicut Superior localis cuiuſvis Monaſterij non Militaris, qui, etſi iuriſdictionem habeat in ſubditos domeſticos, non tamen propterea Dignitas cenſetur, eo rigore, & ſenſu, quo Iura, & Tridentinum loquuntur. Ex hoc autem dumtaxat capite poterat probari incompatibilitas Dignitatis, & Rectoratus, cum aliud caput non appareat, ſi quidem ſupponimus, eam Dignitatem non exigere alicubi reſidentiam perſonalem; nam, ſi illam exigat, nequibunt illa duo coniungi ob rationes pro prima aſſertione allatas, quæ proportione ſeruata, aptantur eiuſmodi euentui. Dixi in concluſione, *niſi aliqua Definitio in Ordine obſtet.* Nam Sacriſta maior aliquibus functionibus debet intereſſe, tum in Capitulis Generalibus, tum in Monaſteriis, quæ incompatibiles videntur cum reſidentia in Collegiis, niſi per Vicarium Collegia regantur, aut illæ functiones in Ordinibus Calatrauæ, & Alcantaræ omnino omittantur, quod incommodis eſt obnoxium. Videantur Definitiones, verbo *Sacriſtan mayor*. Ob rationem nuper allatam circa Collegia, conſtat etiam, eum, cui eſt Dignitas intra Ordinem abſque Cura animarum, poſſe eſſe ſimul Priorem Monaſterij, quando hic Prioratus non eſt Dignitas iuxta Iuris requiſita, nec iuriſdictione quaſi Epiſcopali in territorio gaudet; tunc enim non coniungentur in vnum duæ Dignitates, quæ ſola coniunctio poterat eſſe obſtaculo. 204

Sed

205 Sed contra aſſertiones præfiſas argua: aliquis primò: non ſemel fuiſſe electos in Priores Cœnobiorum aliquos, qui Prioratibus Ordinum fruebantur, hiſque retentis, ſuum munus exercuiſſe, quod neutiquam fuiſſet permiſſum, ſi ea munera, ſeu Dignitates licitè coniungi non poſſent. Reſpondeo, vel concurriſſe aliquam ex cauſis deſignatis à Tridentino, & à Doctoribus, ratione quarum poteſt quis à reſidentia excuſari; vel non plenam aduertentiam fuiſſe appoſitam ad incompatibilitatem eorum Prioratuum. Etenim non rectè fuiſſent operati, niſi exindè excuſarentur. Vnde, ſi Statutum, aut Definitio præciperet, aut permitteret, Parochos ad Officia Ordinis, aut Monaſterij aſſumi, ita vt à ſuis Beneficiis forent abſentes, contraria eſſet Iuri, & ſacris Canonibus, contra quos Ordines non habent poteſtatem condendi Statutà, aut Definitiones, vt in ipſis Bullis Pontificiis in fauorem Ordinum expeditis cauetur.

206 Nec illi actus poterunt conſuetudinem inducere; quia, vt eſt apud Authores conſtans, nequit conſuetudo præſcribi contra id, quod eſt de iure diuino, qualis eſt reſidentia in Prioratibus Curam Animarum habentibus. Deindè, etſi reſidentia eſſet de Iure poſitiuo, conſuetudo non potuiſſet induci; nam, vt conſuetudo inducatur quæ vim legis habeat, debet eſſe rationabilis; *cap. cum tanto, de conſuetud. cap. erit autem, diſtinct. 4.* aliàs eſſet corruptela. Tunc autem dicitur conſuetudo rationabilis, quando participat proprium finem Iuris; finis autem Iuris Canonici eſt fœlicitas animæ; finis verò Iuris Ciuilis eſt bonum publicum; quod ſi finis non ſit rationabilis, nec conſuetudo erit talis, vt tradit Panormitanus *in cap. fin. de conſuetud.* At in non reſidendo in loco Beneficij nequit eſſe finis rationabilis fœlicitatis animæ, aut boni publici, vnde nec præſcribi in eo conſuetudo poteſt. Nam, quòd aliquando bonum publicum animarum poſſit interuenire in abſentia, ſolùm ſuadet, tunc dari cauſam excuſantem, à reſidentia; ſed non ideò legem obligantem ad reſidendum per conſuetudinem abrogari.

207 Rurſùs, vt conſuetudo præſcribatur, debent actus bona fide continuari, iuxta Regulam, *poſſeſſor, de regul. iuris, lib. 6.* In præſenti autem non extitit ea bona fides continuata; cum ſæpè de hoc dubio fuerit controuerſum, cautum, & conſultum. Anno 1603. cum deſtinatus fuiſſet in Priorem Conuentus de Alcantara Fr. Lupus Suarez de Trejo Parochus Sanctæ Mariæ de las Brozas, Capitulum Generale tunc congregatum commiſit cuidam Viro graui eiuſdem Ordinis, vt ſedulò inquireret, an teneretur ille Beneficium Parochiale relinquere, vt de eo fieret ad Regem conſultatio in Priorem Conuentus. Anno 1641. à Regio Ordinum Senatu deputatus fuit in Rectorem Collegij Alcantarenſis Salmantini Fr. Ferdinandus Gallego Parochus Oppidi de la Zarza, ſed ſub ea conditione, vt ei Beneficio renunciaret, quod ſanè præſtitit D. Franciſcum Merino de Caſtro, cum Monaſterium S. Marci elegiſſet eum in Vicarium Generalem Prouinciæ Legionenſis, Senatus Ordinum noluit confirmare, qnia Parochus erat. Anno 1656. Don Ioannes Diaz de Chaues Rector Collegij Alcantarenſis Salmantini non valuit in munere permanere, eo quòd fuit electus Prior Oppidi de Villar de Donas cum animarum Cura. Don Fr. Ioannes de Robles Rocha, Vir doctus, & in praxi Ordinum Militarium apprimè verſatus, noluit acceptare Beneficium Oppidi de Cilleros, quod ei conferebatur, eo quòd in illo non poſſet reſidere, ratione muneris, quod in Conuentu de Alcantara exercebat. Don Didacus de Neyra cum eſſet Prior, & Parochus de Santibañez, in Rectorem Collegij Alcantarenſis Salmantini fuit electus, quin ipſe id ambiret; Rem conſuluit cum doctiſſimis Salmanticenſibus, & cum eum à reſidentia non excuſarent, Senatum Regium admonuit, &, illo annuente, ad ſuas oues bonus paſtor rediit, illudque munus dimiſit. Similes alios ſpeciales euentus poſſem in medium proferre. Salmanticæ pluries is caſus inquiſitus eſt à Viris doctioribus, qui à noſtra aſſertione ſemper ſteterunt. Non ergo poteſt probari bona fides continuata in actibus oppoſitis, ita vt inducta ſit conſuetudo.

Limitaui primam concluſionem aſſerens, in aliquo caſu poſſe coniungi cum Prioratu Monaſterij, aut Rectoratu Beneficium cum animarum Cura. Etenim, ſi Monaſterium, aut Collegium ſpecialiter indigeat Prælato dotibus præclaro, ætate maturo, ac induſtria ſolerti, nec inueniatur aliquis, niſi Beneficium Curatum habens, eo quòd omnes, qui id munus gerere poſſunt, Beneficia habeant, cæteri verò ætate, aut aliis requiſitis non ſint omnino prædìti, tunc ſanè Tridentino non videtur reſiſti, cum neceſſitas, aut vtilitas Eccleſiæ, ſeu Ordinis ad id cogat. Ita ſanè præſtitum eſt, anno 1656. à Senatu Regio Ordinum, ac à Rege noſtro, dum in Priorem Monaſterij Alcantaræ conſtitutus eſt Don Ludouicus Velazquez 208

Velazquez de Zuñiga, Prior de Zalamea, hoc Prioratu retento; Vir quidem valdè benemeritus; Quod ſanè Senatus accuratè perpendit; cum tamen eo ipſo tempore coëgerit Don Alfonſum Montano relinquere Vicariam de Martos, vt Adminiſtrator Monaſterij de Calatraua deſignaretur.

209 Argues tamen; Beneficium Parochiale confertur in titulum, Prioratus verò in Commendam, ſi quidem perpetuus non eſt, ſed triennalis, ſicut & Prioratus Collegiorum Militarium; Non autem videtur incompatibile, altero potiri Beneficio quoad proprietatem, & in titulum; altero verò ad tempus in Commendam.

210 Reſpondeo, Prioratus Militarium Conuentuum exigere reſidentiam in ipſis; Qui autem habet Beneficium, aut Dignitatem, in qua reſidentia exigitur, licèt eam habeat in Commendam, tenetur ibi reſidere, ac conſequenter nequit reſidere Prior Conuentus in loco Beneficij; quare abeſſe debet ab vno, vel alio loco, cum tamen in vno, & alio reſidere teneatur, & ideò non valet vtrumque retinere, ſiuè in titulum ſit alterum, ſiuè in Commendam: vt conſtat ex verbis Tridentini ſuprà allatis; *Beneficia Eccleſiaſtica perſonalem reſidentiam de iure, ſiuè conſuetudine exigentia, in titulum, ſiue Commendam obtinentes, &c.*

211 Hinc in Extrauaganti *Execrabilis*, *de prabend. inter Communes*, rigidè prohibetur, ne quis recipiat duas Dignitates, Officia, aut Beneficia Curam animarum habentia; ac corruptela vocatur, quidquid in contrarium fuerit peractum. Et quis non videat, triennium, quo Prioratus Conuentus durat, eſſe tempus notabile, vt quis poſſit à ſuo Beneficio abeſſe, oues ſuas deſerere, & aſſiſtere alibi, vbi pariter reſidere tenetur? Cum autem Tridentinum *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *de refor.* ſolùm duos menſes abſentiæ in anno Parochis concedat, & id ex graui cauſa, & cum licentia Epiſcopi inſcriptis; & priuet fructibus Beneficij eos, qui aliter abſunt. Quòd ſi non habeat quis Beneficium Parochiale, ſed Dignitatem Regularem, huic annexa ſunt munera, & functiones aut in Capitulis exercendæ, aut in ipſis Monaſteriis, quibus nequit ſatisfacere, ſi Prior ſit Monaſterij.

212 Vltima quæſtionis pars in titulo præfixa latè fuit diſcuſſa à Me *tom. de Iure Academico*, *lib.* 2. *quæſt.* 24. *& lib.* 3. *quæſt.* 20. Quibus locis aſſerui, vnam ex cauſis à reſidentia excuſantibus eſſe literarum ſtudia, & poſſe virtute Bullæ Eugenij IV. vulgò *la Eugeniana*, quoslibet accedere ad Salmanticam Academiam, cauſa ſtudiorum, excuſarique à reſidentia Dignitates, Canonicos, ac Parochos, & facere fructus ſuos, dum idoneum Vicarium ſui loco deſignent. Tradidi *ibidem*, quid liceat circa id, independenter à Bulla Eugeniana, atrento Iure communi, & Tridentino. Quæ omnia aptanda ſunt Regularibus Militarium, ſi poſt obrentum Beneficium, ad Salmantinam Academiam, vel ad aliam aduenrent, vt ſtudiis incumbant, diſcendo, aut publicè docendo. Videnda ſunt dicta *locis relatis*, ne eadem reperantur. Cæterùm cauſæ aliæ excuſantes à reſidentia recenſentur à Barboſa *in Collectan. ad cap. Tridentini*, *ſuprà allatum.*

QVÆSTIO XVII.

An Rectores Collegiorum Militarium poſſint Cenſuras, & Præcepta Obedientiæ ſubditis Religioſis imponere? Vbi de eorum iuriſdictione.

Deſignat Rex noſter, ſeu eius nomine Senatus Regius Ordinum Militarium, Viros, qui Collegiis Salmantinis Militaribus præſint; ac in Inſtrumento deſignationis ſtrictè præcipit religioſis pro tempore commorantibus in eis Collegiis, necnon Familiaribus, vt eis obediant, eorumque iuſſis obtemperent; prærogatiuis omnibus ſeruatis, quæ muneri rectorali annectuntur. Id ipſum cauetur in Statutis, & Definitionibus ipſorum Ordinum, in quibus iniungitur rectoribus cura, & vigilantia in gubernandis ſubditis, & eorum honeſtate, ac moribus componendis, vt qua decet, virtute præfulgeant. Eadem facultate potiuntur rectores Collegij S. Ioannis Hieroſolymitani, à magno Magiſtro, & ex Ordinis Conſtitutionibus dimanante. 213

His poſitis, cenſeo, indubitabile eſſe, poſſe ex ſe, niſi iuriſdictio ab Ordine limitetur, rectores Collegiorum Militarium cenſuras ferre, ac Præcepta Obedientiæ imponere ſuis ſubditis regularibus, quoties recta ratio gubernationis, & cauſa iuſta id expoſcat. Sic cenſuere de hoc dubio conſulti Salmanticæ anno 1628. circa rectorem Collegij Alcantarenſis Fr. Baſilius Poncius, Doctor Balboa, & ex Sacro Prædicatorum Ordine Fr. Bernardinus de Ayala, Fr. Gabriel de la Pila, Illuſtriſſ. Dom. Fr Felix de Guzman, Epiſcopus poſtmodùm de Origuela; & ex noſtra Societate Iesv P. Ludouicus de Roa, P. Barnabas 214

de

de Matute, ac P. Hurtado de Mendoza; quorum omnium ſubſcriptiones vidi, & apud me habui.

215 Suadetur aſſertum. Rectores huiuſmodi ſunt verè, propriè, & ſtrictè Prælati Regulares; ſed Prælati Regulares poſſunt erga ſuos ſubditos ferre cenſuras, & præcepta Obedientiæ imponere; ergo idemmet valent hi Recteres præſtare. Conſequentia eſt legitima. Minor certa, & apud omnes Authores conſtans. Videatur inter alios P. Reginaldus *lib.9.ſect.6.n.*123. Maior fit manifeſta ex ſequentibus.

216 Etenim Collegæ Militares ſunt propriè, & ſtrictè Religioſi, & alicui Prælato immediatè ſubiacent; non quidem Senatui Regiò Ordinum, qui immediatè eos non gubernat, nec de ſingulorum vitæ honeſtis moribus curat, nec de profectu ſpirituali in ſtatu Religioſo promouendo. Non item Prioribus Cœnobiorum Militarium (exceptis Fratribus S.Iacobi, de quibus *infrà* dicemus;) nam Priores, poſtquam è Cœnobiis exeuntes illi ad Collegia tranſeunt, nullam erga illos iuriſdictionem exercere valent, niſi quoad literas dimiſſorias ad Ordines ſuſcipiendos illis præſtandas, & approbationem impertiendam ad Confeſſiones ſuſcipiendas; Quod ad Priores ſpectat, ratione dignitatis quaſi Epiſcopalis, qua funguntur, & poteſtatis ſibi traditæ, poſtquam in ea munera deſignantur. Reſtat ergo, vt immediatè Collegæ Rectoribus ſubiaceant, dum in Communitatibus Collegiorum commorantur; ſicut ſubiacent Prioribus, dum in Cœnobiis exiſtunt; & ſicut Regulares Ordinum non Militarium ſuis Prælatis ſubduntur. Vnde, eum præfati Priores, & cæteri Prælati Regulares valeant cenſuras, & Præcepta imponere, itidem valebunt Rectores.

217 Roboratur. Quippè omnis gubernatio temporalis, & ſpiritualis Collegiorum Militarium penes Rectores verſatur, nec alius adeſt, cui id munus incumbat; quod apertè conuincitur ex verbis, quibus Rex noſter ea Rectorum munia præſtat; & ex Conſtitutionibus ipſorum Ordinum, in quibus valdè commendatur Rectoribus, vt zelo, & vigilantia polleant, ac ſollicitè conentur ſubditos in virtute, & honeſtate continere, vt à vitæ religioſæ tramite non deuient. Ex alio verò capite, cum ipſi Collegæ ſint ſtrictè Religioſi, ac in Communitate degant, non ſolum politicè, & œconomicè regi debent, ſicut in aliis Collegiis Togati à Rectoribus gubernantur, quin in eis ſit iuriſdictio ex ſe erga Togatos, vt probaui *tom.de Iure Academico, lib.*2. *à num.*213. ſed etiam in ſpiritualibus ſunt regendi, vt Vota ſua perfectè adimpleant, Ordinum Statuta exequantur; normam regularis diſciplinæ teneant, ac profectus in virtutibus faciant; Quæ omnia exigunt Prælatum immediatum, propriè talem, vt ſedulò inuigilet animabus ſubditorum.

218 Regimen autem Religioſorum exigit iuriſdictionem ad ferendum cenſuras, & Præcepta, quæ ſunt arma ſpiritualia, quibus Inſtitutum Regulare munitur, ac damna imminentia propulſantur; eiſque deficientibus, non eſſet vis, neque authoritas in Prælatis, vt poſſent ſubditos in officio continere; Ea enim eſt aliquando humana fragilitas, vt, niſi metu Præceptorum, aut cenſurarum quandoque coërceatur, facilè dilabatur in culpas, & ſimplici mandato non obtemperet. Imò aliquando ea eſt materiæ grauitas, ac vtilitas, vt opus ſit cenſuris, vel Præceptis, quò longiùs à violatione ſint ſubditi. Hinc in omnibus ferè ſacris Ordinibus cenſuræ, aut Præcepta extant impoſita circa materias grauiores, vt abſque offenſione, & maiori cum ædificatione diſciplina Regularis ſarta tecta ſeruetur; Ac in Prælatis datur iuriſdictio, vt pro re nata, prudenti conſilio, cenſuras proferant, ac præcepta.

219 Quod certè magis, aut æquè neceſſarium eſt in Rectoribus prædictis; nam ex vno capite Collegæ ſunt ſtrictè Religioſi; ex alio verò ipſa Collegia in pluribus inſtar Collegiorum ſæcularium ſe habent, tum in cæremoniis, tum in politico regimine; liberiúſque poſſunt ipſi Religioſi ſe gerere tum domi, tum foris, quàm ſi in ſuis Monaſteriis degerent, & quàm alij Religioſi non Militares ſe gerere valent. Vt ergo Religioſæ obſeruantiæ non officiat ea ſimilitudo ſæcularium Collegiorum, illaque expeditior libertas, hæcque ſtare poſſint ſimul cum regularis Inſtituti diſciplina, & norma, opus eſt authoritate coërcitiua, quæ pro rerum opportunitate exerceatur; aliàs omnia ſe habebunt non aliter, ac in ſæcularibus Collegiis, quorum Rectores habent poteſtatem infligendi pœnas Togatis, & reprehendendi illos, ſi ab obſeruatione Statutorum deficiant. Aliquid ergo amplius indulgendum eſt Rectoribus Militaribus, vt non ſolùm authoritate œconomica, verùm & regulari, Prælatorumque propria, ſubditos moderentur. Cæterùm, cum Rectores abſunt, potiuntur Vice-Rectores eadem iuriſdictione, quia in eorum locum ſuccedunt, ipſorumque gerunt vices. Poterunt autem, ob hanc ipſam rationem, Rectores limitare eis poteſtatem;

poteſtatem; ſicut in aliis Religionibus in ſimili caſu contiugit.

210 Ex his ſequitur, poſſe Rectores Militares circa ſuos ſubditos eandem poteſtatem exercere, proportione ſeruata, quam poſſunt circa ſuos cæteri Prælati locales Ordinum non Militarium; nempè circa abſolutionem à peccatis, & cenſuris: irritationem votorum; facultatem ad vtendum rebus, eaſque accipiendum, & donandum, ne voto Paupertatis derogetur, aliaque huiuſmodi; dummodò non ſint aliqua priuilegia ſpecialia, quibus alij Prælati reſpectu ſubditorum vtantur, quæ conceſſa nun ſint Prælatis Militaribus, ſeu ab eis non participentur; cum ſanè communicent omnia priuilegia Religionum, iuxta *alibi* tradita, niſi expreſsè Pontifex participationem neget. Cæterùm ea, quæ Iure communi competunt Prælatis Regularibus, ea etiam Militarium Ordinum Prælatis conueniunt.

211 Cum quo ſtat, non eſſe adeò ſeuerè gubernandos ſubditos Militares, ac gubernantur cæteri Religioſi. Etenim ſicut inter ipſa Inſtituta Regularium diuerſitas intercedit, aliaque aliis ſunt auſteriora in victu, veſtitu, clauſura, & vitæ norma, atque etiam inter ſe differunt in fine immediato, ad quem ordinantur; alia quidem, vt propriæ animarum ſaluti, & proximorum bono incumbant; alia, vt vitam contemplatiuam ſectentur; alia, vt Captiuos redimant; alia, vt ægrotis medeantur, & ſic de cæteris; Ita etiam Ordines Militares à reliquis diſcriminantur tum in fine immediato, tum in diſciplinæ, ac vitæ norma, & hæc quidem non adeò rigida eſt, ac norma aliarum Religionum. Hinc ita regendi ſunt ſubditi, vt ſuo Inſtituto ſatisfaciant, ſuumque munus adimpleant, nec aliud eſt ſuperaddendum; ſicut in cæteris Religionibus contingit. Ac profectò in ſingulis poteſt virtutum perfectio obtineri, & ſanctimoniæ ſpecimen præſtari, ſi iuxta proprias Regulas, & Conſtitutiones vnuſquiſque operetur, eaſque obſeruet exactè. Indè quod aliquibus Religioſis non licet, eos abſque vlla offenſionis, aut ſcandali labe decet; Quare plura licent Religioſis Militiarum, quæ neutiquam licere valent cæteris non Militaribus, vt eſt omnibus manifeſtum. Regendi igitur ſunt iuxta proprium Inſtitutum; nec Prælati ſua iuriſdictione ſunt vſuri, vt onera imponant ab eo aliena, aut rigidiùs cum illis ſe habeant, quàm exigit is vitæ tenor, quem profitentur. Non tamen permittant, eos ſui proprij ſtatus ſtrictè Religioſi obliuiſci, vt plus modeſtiæ deferant, quam nimis vrbano luxui, & faſtui.

Ex dictis etiam ſequitur, in Rectoribus 212 prædictis iuriſdictionem dari, vt poſſint de delictis ſuorum ſubditorum cognoſcere iudicialiter, abſque ſtrepitu, & ſententias proferre; id enim, Iure communi, licet cæteris Prælatis Regularibus. Quod etiam exprimitur in Conſtitutiunibus ipſorum Ordinum Militarium. Sic in Definitionibus Ordinis de Alcantara, *titul.11. num.18. pagin.128.* aſſeritur; *Item, que el dicho Rector tenga authoridad, y le doy licencia, y cometo, que auendo algun exceſo en la dicha caſa por los Religioſos, y Familiares della, los pueda prender, y caſtigar dentro del dicho Colegio, y para ello aya, y le ſean dadas priſiones. Y quando la culpa fuere digna de embiarle al Conuento, de noticia al ſeñor Maeſtre, Capitulo, ò Conſejo, para que ſe prouea, lo que conuenga ſobre ello.* Sermo autem eſt de Rectore Collegij Salmanticenſis. Vbi *cap. 3. fol. 121.* iniungitur Rectori ingens, & ſollicita cura circa ſubditos.

Vbi obſeruo primò, Regem noſtrum, 213 iuxta Bullam Adriani Sexti, deſignare Rectorem, qui iuriſdictionem exerceat erga Religioſos Eccleſiaſticos, eamque à Pontifice dimanare. Quare, cum aſſerit Rex, ſe præbere licentiam ad puniendum, non exercet, nec præſtat iuriſdictionem Eccleſiaſticam, ſed iuxta ſibi commiſſam facultatem deſignat Rectorem, qui ea fungatur; Idque in verbis præfatis ſignificatur.

Obſeruo ſecundò, ex dicta clauſula colligi manifeſtè, quòd *ſuprà* prænotauimus, 214 nempè Collegas Militares Alcantarenſes non eſſe ſubditos Prioris, ſed Rectoris; indeque ſi delictum ſit graue, non eſt remittendum Priori, ſed Magiſtro, Senatui, aut Capitulo, vt decernant, quid ſit præſtandum. Idem eſt de Calatrauenſibus. Nec probari poteſt, non dari iuriſdictionem in Rectoribus, ex eo, quòd ipſis præcipitur, vt delicta grauiora deferant præfatis. Etenim id omnibus Religionibus eſt commune, vt delicta grauia Religioſorum deferantur ad Prouinciales, Viſitatores, Generales, Definitorium, aut Capitulum; vt ſic maturiùs decernatur de pœna, hancque merentes abſque tergiuerſatione ſuſtineant; maximè cum ſæpè expediat, delinquentem ab vno in aliud Monaſterium transferri, quod authoritate Prælati localis nequit præſtari. Attamen Rector prædictus informationem delicti ſuſcipere valebit, etiam cum illud eſt deferendum Magiſtro, Senatui, vel Capitulo.

Quòd autem Rectores cum plena iuriſ- 215 dictione

dictione deſignentur à Rege, qui eſt perpetuus Magiſter, ſeu Adminiſtrator Magiſtratuum Ordinum Militarium noſtri Regni, conſtat ex Inſtrumonto, ſeu Schedula ab ipſo, vel eius nomine à Regio Senatu Ordinum illis conceſſo, in qua hæc verba communiter continentur; *Por tanto confiando en la ſuficiencia, idoneidad, meritos, y buenas coſtumbre de Vos N. por la preſente os nombro por Rector del dicho Colegio, y mando, que reſidais en el por tiempo de tres años contados deſde el dia de la data deſta mi Proviſion en adelante, y que los Colegiales, que ſon, ò fueren del dicho Colegio, Familiares, ſeruidores, y otras perſonas, que en el reſiden, os ayan, y tengan, honren, y obedezcan por tal Rector, y hagan, y cumplan, lo que por Vos les fuere mandado, y hagan guardar todas las honras, gracias, mercedes, franquezas, libertades, y eſſempciones, prerogatiuas, preeminencias, è immunidades, que por razon de ſer tal Rector de dicho Colegio debeis auer, y gozar.* Iam ergo omnia, quæ ratione iuriſdictionis aliis Prælatis Regularibus congruunt, communia ſunt Rectoribus Collegiorum Militarium; nec de eis à nobis eſt agendum, qui propria, & ſpecialia differimus, illaque paſſim ſunt obuia. Ea verò, quæ in hac quæſtione ſtabilimus, robur maius mutuantur ex his, quæ *ſuprà diſquiſit. ſexta, quæſtion. vltim.* circa id ipſum libauimus.

226 Aduerto tamen, in Ordine Sancti Iacobi, ex Statutis ſpecialibus limitatam fuiſſe poteſtatem Rectori Collegij Salmantini; poſtmodùm verò, vt conſtat ex ipſis Statutis, *titul.* 20. *fol.* 189. iniunctum eſſe Prioribus de Vcles, Legionenſi, & Hiſpalenſi, vt Rectori committant poteſtatem imponendi præcepta, & cenſuras, & aliquas pœnitentias *ibi* deſignatas; dum tamen in cauſis grauioribus Rector informationem à ſe factam remittat Priori Domus, cuius eſt filius delinquens, vt ab illo pœna decernatur. Et quidem Priores Sancti Iacobi habent ſe, vt Prouinciales in aliis Ordinibus, qui, licèt ſubditi habeant Prælatos immediatos, adhuc ipſi remanent Superiores mediati, & poſſunt limitare, aut extendere prælatis immediatis poteſtatem iuxta circunſtantias occurrentes, & Religionis Statuta. Secùs contingit in Adminiſtratore Calatrauæ, & Priore Alcantaræ; quorum deſinunt eſſe ſubditi hi, qui in Collegiis degunt, atque adeò eorum Rectores non accipiunt à Prioribus poteſtatem, nec poteſt hæc ab illis limitari, aut extendi; vt conſtat ex Definitionibus Alcantaræ, *titul.* 12. *num.* 28. *& titul.* 41. *cap.* 3. In Ordine Calatrauæ id ſtatutum eſt in Capitulo anni 1652. namante illud Adminiſtrator Monaſterij Sacri de Calatraua retinebat apud ſe poteſtatem erga Collegas, & eam delegabat Rectoribus quoad Cenſuras, præcepta, & deſignationem Confeſſariorum.

QVÆSTIO XVIII.

De Subprioribus Monaſteriorum Militarium, & eorum poteſtate.

§. I.

Aliqua exponuntur. Vbi plura de poteſtate Priorum.

SVbpriores inſtituti ſunt, vt Priores in regiminis ſubditorum onere adiuuent, & ex proprio munere cura domeſticæ gubernationis, & obſeruantiæ eis incumbit. In Monaſteriis Iacobæis eliguntur Subpriores à Prioribus, & à Capitulis, ac à Rege noſtro confirmantur, ſicut etiam Magiſtri Nouitiorum. A Rege tamen eliguntur Subpriores Monaſteriorum Calatrauæ, & Alcantaræ. Cæterùm in Collegiis Salmantinis, vltra Rectores, non eſt alius Superior; Si verò ipſi abſint, ad eos ſpectat deſignare Vice-Rectores; Quòd ſi è viuis decedant, aut Munus abſoluant, & Succeſſor à Rege non ſit deſignatus, antiquior è Collegio munus Vice-rectoris obit; in Collegio autem Iacobæo antiquior ex illo Monaſterio, ad quod tunc temporis attinet Rectoratus; quippè vno triennio ad Monaſterium de Vcles, alio ad Monaſterium Sancti Marci Legionenſis ſpectat, & Collegæ ex vtroque Monaſterio, & ex Hiſpalenſi in Collegio ſtudiis incumbunt. Subpriori Militari aptabimus ea, quæ in communi ſolent tradi de Priore, qui ſupra ſe habet Abbatem, vel de Subpriore Clauſtrali, qui habet Priorem. Et enim eadem eſt de vtriſque ratio, ferè quoad omnia. 227

228 Subprior ratione ſui officij propriam, & ordinariam habet poteſtatem circa regimen domeſticum, quæ non eſt appellanda iuriſdictio, cum ſit ſolùm poteſtas æconomica. Sic Tamburinus *de iure Abbatum, tom.* 2. *diſp.* 1. *quæſt.* 4. *n.* 4. Et, cum Prior poteſtate, & iuriſdictione gaudeat ordinaria, poteſt eam Subpriori delegare, dum non ſit in his, quæ dignitatem perſonalem concernunt; Et indè Subprior gaudebit iuriſdictione

V delegata

delegata circa ea, ad quæ ſibi commiſſa fuerit; Nec enim ſe habet, vt Vicarius Generalis Epiſcopi, nec vt Delegatus Supremi Principis ordinaria iuriſdictione gaudens; ſed datur priori in adiutorium domeſticæ gubernationis; ex ſe verò ratione ſui muneris nulla iuriſdictione potitur. Ita Pater Suarez *tom.2. de Relig. lib.6. cap.7. num. 17. & tom.4. lib.2. cap.2. num.2.* Et communis. Et enim ex Iure Vicario Generali conceditur, vt vnum cum Epiſcopo Tribunal conſtituat, & Proprætori cum Prætore; Ex Iure autem nihil eiuſmodi Subpriori conceditur, atque adeò nec ex munere, nec aliundè ei iuriſdictio prouenit. Quare, niſi ei delegetur iuriſdictio, nequit excommunicare, nec abſoluere, nec præcepta Sanctæ Obedientiæ imponere, nec alium actum exercere iuriſdictionis; nec eſt Prælatus propriè, cum Prælatura ſupponat iuriſdictionem; Vnde priuilegia conceſſa Prælatis ad eum non extenduntur. Sic Pater Pellizarius *in manual. Reg. tom.2. tractat. 8. cap. 2. n.48.*

219 Fit etiam indè, non poſſe Subpriorem eſſe Iudicem Conſeruatorem, ſeu Delegatum Sedis Apoſtolicæ, quia non eſt Prælatus, nec in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutus. Ita P. Thom. Sanchez *tom.2. in Decal. lib.6. cap.13. n. 25.* Nec poteſt eligere Confeſſarium, potiùs quàm cæteri Religioſi ſubditi, vt contra Paſqualigum docet Diana *part.6. tractat.8. reſ.15.* & communis. Poteſt quidem Subprior ſubditis imperare, corrigere, & punire eis pœnis, quas mos Religionis ab illo infligi permittit, & Prior, cui ſubiacet, concedit; cum ab eius poteſtate, Subprioris poteſtas dependeat. Quod ſatis apertè colligitur *ex capit. cum ad Monaſterium, de ſtatu Monach. & ex leg.6. titul.7. partit.1.* Non autem ita pendet à Priore, vt hic poſſit ei prohibere, ne gerat munia ſui officij; id enim eſſet, impedire ei proprium munus, quod à Prælatis maioribus eſt collatum, quorum legibus, & ordinationibus nequit Prior contraire, iuxta *cap. cum inferior, de maiorit. & obedien.* Subditi autem tenentur ex vi Voti obedientiæ parere Subpriori, & peccabunt grauiter non obediendo, ſi materia ſit grauis, his concurrentibus requiſitis, quæ afferam *diſq.14.* de Monialibus reſpectu Abbatiſſarum. Attamen cum poteſtas Subprioris ſit circa ſpiritualium curam, indeque ſpiritualis, & à ſubditis debeatur ei obedientia, ſi hæc non adimpleatur in re graui, peccabitur contra virtutem Religionis, non contra quartum Decalogi præceptum, vt voluit Caramuël *in reg. S. Benedicti ex n.739.*

Licèt poteſtas in Subpriore ſit dominatiua, eſt tamen limitata, & in ordine ad domeſticam gubernationem, ad quam non eſt opus poteſtate irritandi vota, ſiquidem partialiter, & minùs principaliter ad eum pertinet ea dominatiua poteſtas, quæ ad Priorem perfectè ſpectat, ideóque nec ipſe, nec item Magiſter nouitiorum, poſſunt vota ſubditorum irritare. Vel dicito cum P. Thom. Sanch. *in decal. lib.4. cap.33. num.16.* ad ius præcipiendi intra limites domeſtici regiminis ſufficere poteſtatem æconomicam, atque adeò dominatiuam non eſſe in in Subpriore. 230

Illegitimus nequit eſſe Subprior; nam 231 ſæpè vices Prioris gerit; & prætereà Subprioratus æquiparatur Perſonatui, qui eſt præcedentia, ſeu præeminentia abſque iuriſdictione; illegitimi autem nequeunt, niſi diſpenſetur cum illis, obtinere Prælaturas, nec Perſonatus iuxta *cap. 1. & cap. fin. de filiis Presbyter.* Mortuo Priore, non expirat poteſtas Subprioris Militaris, nam eam habet ex munere, vt ait Pater Molina *de inſtit. tractat.5. diſput.10. num. fin.* Nec Prior eum ab officio amouere poteſt, quia ab eius electione non pependit in Monaſteriis Calatrauæ, & Alcantaræ, ſed à Rege; in Iacobæis autem à Capitulo Monaſteriorum, & à Rege; Et, cum nequeat ei impedire exercitia proprij muneris, multò minùs valebit munus ipſum ab eo tollere.

Abſente, ſeu deficiente Priore, Subprior 232 iuriſdictione ordinaria gaudet. Etenim tunc Statuta, & Definitiones eum deſignant in Superiorem; is autem eſt ordinarius iudex, qui ab ipſa lege conſtituitur. Ita Emanuël Rodriguez *tom.3. qq. Reg. quæſt.38. art.1.* & ex pluribus Authoribus probat P. Quintanaduenas *tom. 1. ſingul. in appendic. tract.7. dub 4. numero quarto.* Neque obſtat, Subpriorem tunc gerere vices Prioris; Nam non gerit vices ab eo ſibi delegatas, ſed ratione officij facit ipſum id, quod Prior erat effecturus; & in hoc ſolùm ſenſu dicitur, gerere vices illius. Itaque quoties Statutum præcipit, Subpriorem præfici Monaſterio, cum Prior abeſt, aut vacat, vel è vita cedit, (quamvis deſignatio in particulari penderet à Priore) iuriſdictio ab Statuto, Iure, & lege prouenit; attenditur enim principalis nominatio, ſeu nuncupatio, quæ tunc à Iure fit. Hinc Vice-Rectores, deficientibus Rectoribus in Collegiis Salmantinis, iuriſdictione ordinaria potiuntur. Conſequenter tunc Subprior eſt propriè Prælatus Monaſterij. Ita Gloſſa *in Extrauaganti, execrabilis, de præbendis, verbo, Prioratus.*

Prioratus.Syluester *verbo,Prælatus,num*.2. & alij.

233 Fit indè, Subpriorem, deficiente Priore, gaudere erga ſubditos Monaſterij iuriſdictione quaſi Epiſcopali, cum ſit tunc propriè Prælatus Regularis; Prælati autem Regulares erga ſubditos Religioſos iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudent, vt docent Baſilius Legionenſis *de matrimon. lib.8. cap.4. num.*11. P.Suarez, Thomas Sanchez, & alij, *ex cap. Abbates, de priuileg. lib.6.* Dicitur autem *quaſi* Epiſcopalis, quia non ſe extendit ad ea, ad quæ poteſtas Ordinis, & conſecratio Epiſcoporum neceſſaria eſt. Attamen non æquè in omnibus Religionibus exercitium eius iuriſdictionis prælatis localibus permittitur, ſed limitari ſolet, quod etiam in Subprioribus Militaribus contingit, vt conſtabit ex dicendis. Et illi quidem in præfatis Monaſteriis Militiarum Sedem prioralem nunquam occupant, ea enim priorum perſonis eſt reſeruata, veluti ſedes Epiſcopalis reſeruatur Epiſcopis in Choro Eccleſiarum, quamvis abſint illi, aut detur Sedes vacans. Nec Subpriori puluinar ante pedes apponitur, vt priori, nec alia huiuſmodi. Quod idem dicendum eſt, etiam ſi Subprior exerceat iuriſdictionem ordinariam in territorio, ratione abſentiæ, aut vacantis prioris.

234 Fit præterea, Subpriorem, deficiente priore, habere poteſtatem directiuam, & coërcitiuam, poſſeque punire ſubditorum culpas, vt prior poterat; infligere Cenſuras; imponere præcepta obedientiæ; adminiſtrare bona Monaſterij, & alia eiuſmodi peragere; nam, qui munus exercet ex Iure, poteſt exequi omnia, quæ ad rectam adminiſtrationem iniuncti ſibi muneris requiruntur, iuxta *cap. prætereà 5. de offic. & poteſt. iudic. delegat. leg.2. ff. de iuriſdiction. omnium iudic.* Scio, teſte Llamas 1. *part. method. capit.* 14. in Ordine Ciſtercienſi, abſente, aut deficiente Abbate, ablatam eſſe Vicario poteſtatem ferendi Cenſuras; Verùm hæc reſtrictio non tranſit ad alios Ordines etiam ex Inſtituto Ciſtercienſes, dum in illis non apponatur; ſicut aliæ reſtrictiones, limitationes, & ordinationes non tranſeunt ad illos. Sic licèt in Ordine Ciſtercienſi reſeruantur Superiori caſus, non intelliguntur ideò reſeruati in Ordinibus Calatrauæ, Alcantaræ, Monteſæ, & aliorum, qui tamen Ciſtercienſes ſunt; Vnuſquiſque enim ſpecialibus regitur ordinationibus, quæ conducunt ad propriam obſeruantiam.

235 Fit rursùs, Subpriorem, deficiente priore, poſſe cum ſubditis diſpenſare in his, quæ poterat prior, circa vota, irregularitates, Eccleſiaſtica præcepta, obſeruantias regulares, & pœnas à Religione taxatas; hæc enim omnia ad iuriſdictionem ſpiritualem quaſi Epiſcopalem prælatorum Regularium ſpectant, vt fert commmunis Authorum ſententia. Quare poteſt Vota ſubditorum ex poteſtate dominatiua irritare, vt tradunt P. Azor 1. *p. Inſtit. mor. lib.*11. *cap.*1. Sayrus, P. Thom. Sanchez, Suarez, Villalobos, & alij; quamvis ſubditus emiſiſſet votum de licentia prioris; nam tunc Subprior ſuccedit in locum eius, qui licentiam conceſſit; & prior non potuit adimere poteſtatem à ſucceſſore, ſi eam habeat à lege, cum par in parem non habeat imperium, iuxta vulgata Iuris principia. Cæterùm in omnibus irregularitatibus diſpenſare poteſt Subprior, in quibus poſſunt prælati Regulares, & priores, quatenùs tales, ex priuilegiis conceſſis Ordini Ciſtercienſi, & aliis Ordinibus, quæ participantur à Militaribus.

Irregularitates autem, in quibus diſpenſare hi valent, ſunt; Ea, quæ contrahitur ex homicidio voluntario, vel caſuali, occultis, quæ in foro contentioſo conuinci nequeunt; Ita Emanuel Rodriguez *tom.*1. *qq. Regul. q.*24. *ar.*12. Corduba *in addit. ad Compend. verbo, Diſpenſatio,* §. 24. Nec reſtringendum eſt, cum Rodriguez, hoc priuilegium de diſpenſatione ad Ordines, non ad prælaturas; non enim eſt ratio ad eam reſtrictionem, cum in priuilegio non contineatur, & conceſſa facultate abſolutè diſpenſandi in irregularitate, amplè debet ad omnes effectus intelligi conceſſa, dum non ſit fundamentum oppoſitum. Hanc facultatem conceſſit Martinus V. Benedictino priori Valliſoletano, (eo quippè tempore nō præerat Abbas, ſed prior ei Monaſterio.) 236

Amplius priuilegium conceſſit Paulus III. Benedictinis Valliſoletanis, de quo Portel *in dub. Regul. verbo, diſpenſare, in addit.* aſſerens; per communicationem competere id priuilegium prælatis aliarum Religionum; Nempè priuilegium diſpenſandi ſuper quacumque irregularitate, nulla prorſus excepta, & abſque limitatione quod ſit publica, vel occulta, vel quòd procedat ex delicto, aut aliundè; & non ſolùm erga ſubditos Religioſos, ſed erga quoſcumque in Oppidulis, ſeu Grangiis (vt vocant) ſibi ſubiectis commorantes, Monaſterioque inſeruientes. Vnde etiam, ait Portel, poſſe prælatos diſpenſare in irregularitate contracta ex bigamia; & practicè veram hanc opinionem eſſe, aſſerit Diana 4. *part. tract.* 2. *reſ.* 63. quamvis oppoſita ei tutior; 237

& menti pontificum conformior videatur, cum iuxta ſtylum Curiæ ſemper excipiatur irregularitas ex bigamia.

238 Hinc, quamvis Prælatis Regularibus erga ſubditos Religioſos non liceat diſpenſare in irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus ex vi Tridentini *ſeſſ. 24. de refor. c. 6.* concedentis eam facultatem (niſi in caſu homicidij voluntarij) Epiſcopis reſpectu ſubditorum; eo quòd ſatis ibi exponatur, ſolis Epiſcopis in ſua diœceſi id concedi, & prælati regulares, præcisè quà tales, diœceſim non habeant, in qua iuriſdictionem exerceant; Quam doctrinam contra Emanuëlem Rordiguez tradunt Pater Thomas Sanchez *in Decalog. lib. 2. cap. 11. num. 7.* Suarez, & alij; Attamen ex vi priuilegij Benedictini, quod ampliùs ſe extendit, Priores Militares poſſunt cum ſubditis Regularibus Monaſterij tum in prædictis irregularitatibus, tum in aliis diſpenſare; & prætereà Subpriores, Prioribus deficientibus, quia re vera tunc veri prælati ſunt, iuriſdictione ordinaria gaudentes, in locum illorum erga ſubditos Monaſterij ſuccedentes, & ſolo nomine ab eis diuerſi. Cum autem pontifex priuilegium prioribus conceſſit, eo nomine ſolùm ſignificauit illos, qui communiter Monaſteria cum ordinaria iuriſdictione regunt. Quare id priuilegium participatur ab aliis Prælatis Regularibus, quamvis non nuncupentur priores.

239 Diſpenſatio autem in præceptis Eccleſiaſticis ex cauſa competit Epiſcopo reſpectu ſubditorum; cum paſſim occurrere ſoleant euentus exigentes eiuſmodi diſpenſationem. Religioſi autem exempti ſunt ab Epiſcopis, nec valent paſſim, & pro euentibus ſubitis adire pontificem; vnde non ſatis conſultum eſſet eorum regimini, ſi ea poteſtas in prælatis propriis non daretur. Ea ergo poteſtas eſt in Subpriore Militari, deficiente priore. Sic P. Thom. Sanchez loquens in generali, *tom. 2. Conſil. moral. lib. 5. cap. 1. dub. 5. num. 20.* A fortiori diſpenſare valent in obſeruantiis Regularibus tunc Subpriores; ita Gloſſa *in cap. fin. 20. quaſt. vlt. & in cap. Carmen, de conſecrat. diſt. 5.* Quod tamen intelligo de obſeruantiis, quæ ad eſſentialia ſtatus non attinent, ſed de his, quæ frequenter occurrunt, quales ſunt circa ieiunia, orationes, pœnitentias, & ſimiles. Iuſta autem cauſa ſemper requiritur ad diſpenſationem, & de cauſis, quæ iuſtæ ſunt cenſendæ, tractat Lezana *tom. 1. cap. 7. num. 29.* Conſequens etiam eſt, vt poſſint relaxare pœnas ob defectus, ſeu culpas, ex taxatione Statutorum debitas, dummodò non ſit reſeruata relaxatio eiuſmodi pœnarum, nec cedat in alterius præiudicium, tunc enim reſeruata eſt cenſenda; v. g. ſi ſit pœna pecuniaria applicanda Hoſpitali, aut aliis Monaſteriis, vel Collegiis indigentibus. Nequeunt autem relaxari pœnæ impoſitæ ab alio Superiore, vel æquali, vel inæquali, ne contemnatur Superiorum authoritas, vt colligitur ex Tridentino *ſeſſ. 14. de reform. cap. 1.* & ex Declaratione Cardinalium adducta à Barboſa *in Collectan. ad eum locum.* Poterunt tamen relaxare pœnas, noua exiſtente relaxationis cauſa; Et abſque hac limitatione poſſe, tuetur Ioannes Martinez de Prado *in qq. Theologic. Moral. cap. 4. quaſt. 4. §. 4.*

Licentiam, aut diſpenſationem negatam à priore, eo deficiente, poteſt Subprior concedere, quia per negationem non abſtulit poteſtatem concedendi ipſam ab altero potente concedere; nec ea negatio habet ſe per modum ſententiæ condemnatoriæ, quæ prolata ab vno nequit ab alio æquali reuocari; quia ſententia obligationem adimpletionis inducit; negatio verò nullam affert obligationem. Ita Lezana *in qq. Regul. p. 3. verbo, diſpenſare, num. 2.* Quin ſi aliquam licentiam poteſt Subprior concedere ex munere, etiam præſente priore, & ea à priore negetur, poſſe adhuc à Subpriore concedi, quia non ideò ligata, aut minuta eſt inferioris poteſtas, docet in ſimili Portel *in dub. Regular. verbo, Diſpenſare, num. 18.* 240

§. II.

Exponuntur alia dubia circa Subpriores Militares. Vbi etiam de Prioribus.

Licentiæ, aut diſpenſationes conceſſæ à priore, aut, eo deficiente, ſeu eo abſente, aut defuncto, indultæ à Subpriore, non expirant morte illius, nec eius Officio abſoluto, ſi indefinitè, & abſque limitatione temporis concedantur, quia eſt gratia facta, & in ſe perfecta, & veluti quædam donatio, quæ per mortem donantis non expirat; iuxta *cap. ſi tui nullas, de prabend. lib. 6. cap. ſi nuper gratia, 9. de offic. iud. deleg. eodem lib.* Docent cum communi Bonacina *de legib. diſp. 1. quaſt. 3. punct. 8. num. 19.* P. Layman. *lib. 1. tract. 4. cap. 23. num. 18.* Si autem concedatur licentia, aut diſpenſatio, ad beneplacitum, aut arbitrium concedentis, etſi variæ aliæ formulæ apponantur, quid dicendum ſit, vide apud Me *tom. in Bull. Cruciat. diſput. 22. cap. 3. num. 59.* Vbi locutus ſum 241

de

de variis formulis approbandi Confeſſarios, quæ omuino hic aptantur. Poterunt autem Succeſſores reuocare eas licentias, aut diſpenſationes, ſi ita expedire iudicauerint, vt docet Emanuël Rodriguez *tom.* 1. *qq. Regular. quæſt.* 17. *art.* 11. & praxis id oſtendit.

242 Prior, & Subprior poſſunt ſecum diſpenſare in his, quæ cum aliis poſſunt, & eos actus exequi, ad quos valent licentiam concedere; aliàs eſſent peioris conditionis, quàm ſubditi, maximè cum ad hæc non requiratur diſtinctio perſonarum, vt requiritur inter dantem, & accipientem; & indè nequit ſibi quis conferre Beneficium. Videatur Baſilius Legionenſis *de matrim. lib.* 8. *cap.* 4. *num.* 12. Expedientius tamen eſt, alieno iudicio ſtare, & Superiorem committere vices alteri, vt cum eo diſpenſet. Sic aduertit P. Thomas Sanchez *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 3. *num.* 6. Si Prior, aut Subprior ſecum diſpenſent, & diſpenſatio non ſit executioni mandata, poteſt mandari, finito officio; nam per diſpenſationem abſoluitur à legis obligatione, quæ poſteà non reuiuiſcit. Non verò poſſunt, finito officio, vti licentiis, quibus priùs poterant, nec, dum officio gaudent, poſſunt ſibi concedere licentias, quibus poſteà vtantur; nam, dum ſunt Prælati, non operantur ex licentia, hæc enim diſtinctionem perſonarum requirit; ſed operantur tanquam domini ſuarum actionum, in quibus non eſt neceſſaria licentia Prælati Monaſterij, nec datur prohibitio alterius Superioris, vt ſic operentur; At finito officio, ſi in Monaſterio ſubditi permaneant, non operantur tanquam domini actionum; ergo licentia indigent Superiorum; ipſi verò non fuerunt Superiores à ſeipſis diſtincti, vnde eam licentiam à nullo petitam, & conceſſam habent. Conſule P. Suarium *tom.* 4. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 7.

243 Hinc pro praxi, vt adnotat Cardinalis Lugo *de pænitent. diſput.* 19. *ſect.* 2. *ex num.* 41. ſi Superior accepit dono veſtes, aut libros, poſteà ad vtendum illis non indigebit noua licentia. Si verò expendebat antea nummos, v. g. vnum aureum ſingulis menſibus, non poterit poſteà abſque licentia expendere; nam eam licentiam non poteſt ſibi tribuere, neque licentiam ad abſoluendum poſt finitum officium, aut ſimiles. An autem debeat durare cauſa diſpenſationis executioni non mandatæ, vt poſſit executioni mandari, contentio grauis eſt inter Authores, & probabilis vtraque ſententia. Conſulatur

R. P. Andreas Mendo de Ordin. Milit.

P. Granado *in* 1. 2. *tract.* 3. *part.* 3. *diſp.* 12. *ſect.* 4.

Subprior, deficiente Priore; poteſt 244 abſoluere ſubditos Regulares à cenſuris, & peccatis, à quibus Prior poterat, ob rationem ſæpè libatam; & delegare ſuam iuriſdictionem alij, vt abſoluat, cum iuriſdictio ordinaria ſit delegabilis. Inter Militares nullum eſt peccatum Superiori Regulari reſeruatum; at, ſi eſſet, valeret in euentu poſito Subprior abſoluere, & eligere Confeſſarium, qui ipſum abſolueret. De quo latè egi *tom. in Bullam Cruciat. diſp.* 24. *cap.* 11. Ibi etiam *ex cap.* 1. oſtendi, poſſe Prælatos Regulares reſeruare caſus contentos in Breui Clementis VIII. Hinc poſſet Subprior eos reſeruare, dummodò abſentia Prioris eſſet notabilis; nec enim hi caſus frequenter accidunt, ſed mora temporis requiritur, vt contingant; quod notauit Tamburinus *de iure Abbat. tom.* 2. *diſp.* 13. *quæſito.* 8. *numer.* 3. Nec enim ad breue tempus ea poteſt expedire reſeruatio.

Præter ſedem, quam Subpriores Militares non occupant, & præter alia, quæ 245 Priorum ſunt perſona iſſima, cæteris prærogatiuis, & indultis, quibus Priores, gaudent. Ita Peyrinis *volum.* 1. *tom.* 2. *de Prælat. quæſt.* 1. *c.* 4. §. 4. *num.* 74. Tamburinus, Azor, & alij. Attamen iniuria inflicta Subprioribus non eſſet adeò grauis, ac inflicta Prioribus, nam iniuria non ſolùm lædit iuriſdictionem, ſed perſonam, quæ dignior eſt ob varias circunſtantias; maximèque hi Priores, qui territorium cum iuriſdictione quaſi Epiſcopali habent.

An poſſint Subpriores conferre ſubditis 246 literas dimiſſorias ad Ordines ſuſcipiendos, deficiente Priori, *ſuprà ex num.* 81. diſcuſſimus. Cæterùm, abſente, aut deficiente Priore [idem dic, deficiente Adminiſtratore Monaſterij Calatrauæ in omnibus caſibus huius quæſtionis] Subprior poteſt eſſe Iudex Conſeruator, & Delegatus Sedis Apoſtolicæ. Etenim tunc ordinaria iuriſdictione fungitur, indeque eſt conſtitutus in Eccleſiaſtica Dignitate, eo modo, quo *diſq.* 2. *quæſt.* 4. §. 2. aſſeruimus Prælatos Regulares in ea eſſe conſtitutos, ac poſſe Conſeruatores eligi; non enim ſumitur Eccleſiaſtica Dignitas quoad hoc, prout ſignificat Eccleſiaſticum Beneficium, aut Munus; ſed, prout importat adminiſtrationem, ſeu officium cum iuriſdictione; & ſic ſumitur *in cap.* 1. 2. *& vlt. de offic. & poteſtat. Iudic. deleg. lib.* 6. Indè Farinacius *in praxi crimin. lib.* 1. *tit.* 6. *quæſt.* 6. *n.* 546. ait, Priorem Religioſum

venire ſub nomine Prælatorum, quia & Prælatus dicitur, & Dignitatem habet. Hæc opinio de Subpriore Conſeruatore pariter debet defendi ab his, qui tuentur, Prælatos Regulares poſſe eſſe Conſeruatores, nempè P. Azor, Thom. Sanchez, Filliucius, Rodriguez, & alij; Et in terminis de Subprioribus eam tradit Ioannes de S. Sacramento *de Priore clauſtrali*, *part*.3. *ex num*. 269. *& ex num*. 304. & latè illam exornat.

147 Poteſt vlteriùs Subprior, deficiente Priore, benedicere quævis Ornamenta ſacra. Probatur ex priuilegio conceſſo ab Innocentio VIII. Ciſtercienſibus Congregationis S. Iuſtinæ anno 1487. allato à P. Pellizzario *in Manual. Regular. tom*. 2. *tract*. 8. *n*.108. (quo gaudent Militares Ordines, modo ſæpè dicto,) in quo indulgetur Prioribus dictæ Congregationis, & Vicariis in abſentia prioris, & cuilibet habenti principale regimen cuiuſcumque Monaſterij, poſſe benedicere corporalia, veſtimenta, cæteraque Ornamenta Eccleſiaſtica ad cultum diuinum pertinentia, tam ſui Monaſterij, quàm etiam vndecumque ſint. Præthereà in priuilegio conceſſo Minoritis à Leone X. quod affertur in ſupplemento Minorum *conceſſ*. 55. indulgetur prælatis pro neceſſitate, & vſu ſuorum Monaſteriorum facultas ad benedicendum Eccleſias, Capellas, Oratoria, & Cœmeteria, & conſequenter ad reconciliandum ipſas Eccleſias pollutas. Qua facultate gaudebunt Subpriores, cum prælati ſunt, deficientibus prioribus. Hinc etiam Rectores Militarium Collegiorum poſſunt benedicere Ornamenta ad cultum diuinum neceſſaria; cum ſint verè, & propriè Superiores locales, iuriſdictione erga ſuos ſubditos gaudentes.

148 Contra adhuc aſſerta opponitur graue argumentum; nempè ſequi ex dictis, abſente prælato, duos dari prælatos iuriſdictione ordinaria gaudentes; & Subpriores tunc non ſubdi prioribus, ſed eſſe eis æquales. Vtramque ſequelam admittit Ioannes de S. Sacramento *vbi ſuprà ex num*.327. *& ex num*. 359. Quod tamen durum videtur, & eſt contra praxim ſecunda ſequela, nam prælati abſentes vtuntur iuriſdictione erga ſuas Domos, & præcipiunt Vicariis, & aliis, quidquid eis expedire cernitur. Ex qua praxi in ſacris religionibus ſatis frequenti, & à tot Viris doctiſſimis annuentibus confirmata, deducitur, negandam non eſſe Prælato abſenti iuriſdictionem ordinariam; quod etiam conſtat, nam ſi ſex menſibus v.g. prælatus abſit à Monaſterio, vel Collegio, etiam ob cauſas religionis, non ſupplentur illi alij ſex menſes vltra trieunium gubernationis, ſed, finito triennio, Succeſſor eligitur, etiam ſi electio in Capitulo Ordinis non fiat; ergo, quia illis ſex menſibus abſentiæ prælatus etiam fuit, iuriſdictione ordinaria gaudens.

Quare; cum tot ſint aliundè, tamque 149 graues Authores aſſerentes Subpriores à lege deſignatos in abſentia priorum eſſe propriè prælatos, & gaudere iuriſdictione ordinaria, ſanè non eſt cenſeudum abſurdum (quod hi Authores concedere tenentur) duos prælatos tunc per accidens dari iuriſdictione ordinaria in Monaſterio gaudentes; attamen cum aliqua ſubordinatione vnius ad alium; non quia iuriſdictio à Prioribus delegetur, cum ea, iuxta dicta, à lege proueniat, & quoad ſubditos par ſit, ac poteſtas, & iuriſdictio Priorum; ſed quia adhuc tunc Subpriores ſubiacent Prioribus, & hi eis, & cæteris ſubditis poſſunt præcipere; non tamen tollere à Subprioribus iuriſdictionem, qua gaudent, cum ea à lege, non à Prioribus, dimanet. Et, ſicut Generales, Prouinciales, & Prælati locales iuriſdictione ordinaria ſinguli potiuntur cum ſubordinatione vnius ad alium, ſic reſpectiuè ſuo modo contingit inter Subpriores, & Priores abſentes; ac hi ſolùm per accidens dicentur Prælati mediati, quia alij mediant ſubditi ipſis, nempè Subpriores, qui poteſtatem, ac iuriſdictionem ordinariam tunc habent æqualem ei, qua ipſi priores gaudent; eo excepto, quòd priores habent ſibi ſubiectos eoſdem Subpriores. Et ego quidem non inuenio abſurdum, aut inconueniens (præcisè ex ratione iuriſdictionis ordinariæ) in eo, quòd Rex, v.g. deſignaret duos Iudices Ordinarios in aliquo oppido, ita vt reſpectu incolarum æqualem iuriſdictionem haberent, vnus tamen eſſet Superior alio, & Iudex ordinarius reſpectu ipſius. Quod in præſenti euenit, in accidentali euentu priorum abſentium, quòd ſcilicèt à lege duo deſignantur prælati cum ſubordinatione vnius ad alium; nam id neceſſarium fuit ad rectum regimen; tum deſignari à lege Vicarium prioris ad cauſas occurrentes, abſentiæ, mortis, & vacantis cum ſufficienti iuriſdictione ad gubernandum Monaſterium; tum ipſum priorem, ſi abſens ſit, non priuari ſua iuriſdictione, abſentiæ tempore, nec eam eſſe in ſuſpenſo.

Aliter contingit in Religionibus, in 150 quibus prælatus Regularis deſignat Subpriorem, aut Vicarium, & Statuta non

deſignant

deſignant poteſtatem illius,nec iniungunt, quòd abſente, aut deficiente prælato ipſe in locum eius ſuccedat; Tunc enim Subprior, aut Vicarius delegatam à Prælato accipit iuriſdictionem, cum parat ille abſentiam, & ab eo poteſt iuriſdictio iuxta placitum limitari, ſuſpendi, reuocari; nec licent Subpriori, niſi quæ ex delegatione ſibi conceduntur. Quare tunc non eſt Prælatus, cum iuriſdictione ordinaria careat, nec competunt illi ea, quæ *ſuperiùs* ratione iuriſdictionis ordinariæ competere Subprioribus, affirmauimus.

251 Attamen credam, iu omnibus ſacris religionibus cautum eſſe, quis, titulo Vicarij, ſuccedat in regimen Monaſterij, aut Domus, deficiente Prælato; aliter non omnino neceſſitatibus occurrentibus fuiſſet conſultum. Nam domus, Prælatum repentina morte obire; quid de gubernatione Monaſterij fiat? Opus ſanè eſt, vt à lege, Regula, aut Statutis dimanet alicui iuriſdictio ordinaria ad gubernandum Monaſterium; aliter, dum Prælatus eligitur, (in cuius electione poteſt, & non infrequenter ſolet notabilis intercedere mora) non erit in Monaſterio, qui poſſit præcepta imponere, cenſuras infligere, à reſeruatis abſoluere, contractus celebrare, & alia ſimilia exequi, ſine quibus nequit ſtare obſeruantia regularis, & regimen ſubditorum. In Monaſteriis ergo Militaribus deſignati ſunt à Regula, & Statutis Subpriores; ſicut ergo hi iu euentu mortis Priorum gaudent, iuxta omnes, iuriſdictione ordinaria, (cum tunc à nullo Superiore eis delegetur) ita etiam illa fruuntur in caſu abſentiæ Priorum; ſiquidem eodem modo deſignati ſunt Subpriores in Vicarios à lege, ad omnes euentus, in quibus Priores in Monaſterio non dentur, ſiuè per mortem, ſiuè per abſentiam, aut per Sedem vacantem. Et quamvis in Collegiis Salmantinis Calatrauæ, & Alcantaræ non ſit deſignatus, qui ſuccedat, in abſentia Rectoris, dum hic eſt abſens, tamen per eius obitum antiquior ſuccedit ex conſuetudine, Ordine annuente; & etiam, cum abeſt, Ordo velut deſignat, & iuriſdictionem ordinariam ei confert, quem Rector deputauerit.

252 Ea omnia, quæ diximus de Subprioribus, qui à lege Vicarij deſignantur, etiam competunt his, qui à Prælatis ſupremis, vtputà Generalibus, deputati ſunt. Etenim ſupponimus, Prælatos ſupremos ex munere ſuo poſſe Ordinarios Superiores, ſeu habentes iuriſdictionem ordinariam creare, vt colligitur ex *cap. à Iudicibus, 2. quæſt. 6.* niſi coarctata ſit aliundè eorum poteſtas; cum ergo poſſint ordinariam iuriſdictionem communicare, & in caſu mortis, abſentiæ, aut vacantis priorum, eam communicent ad vniuerſitatem cauſarum, cenſentur Subpriores conſtituti ab illis Ordinarij, non delegati; & in dubio, an conferens iuriſdictionem concedat ordinariam, aut delegatam, iudicandum eſt concedere ordinariam; Ita P. Molina *de iuſt. tom. 6. tract. 6. diſput. 14. num. 13*, cum aliis. Et hinc etiam Subpriores Militares in prædictis caſibus iuriſdictione ordinaria gaudent, cum à Rege, qui eſt quaſi Generalis Ordinum Militarium, & potens deſignare eos, per quos iuriſdictio ſpiritualis ordinaria exerceatur, deſignantur, aut confirmantur, vt diximus *num. 212.*

Inquiris, quantum temporis abeſſe debeat Prior à Monaſterio, vt Subprior exerceat prælaturam? Loquendo in communi, ac præſcindendo ab Statutis ſpecialibus, & conſuetudine Religionum, quæ poſſunt deſignare tempus abſentiæ, ſicut deſignant Subpriorem iu Vicarium; (In Ordinibus autem Militaribus non eſt præfixum tempus, ideoque ſtandum eſt diſpoſitioni communi) variæ opiniones circumferuntur. Sanè non dicitur abeſſe, qui breui eſt reuerſurus, iuxta *leg. diuortium 3. ff. de diuort. leg. poſtliminy, §. captiuus, leg. nihil, ff. de captiu. & poſtlim. reuerſ.* Vnde generaliter ſumpta regula tradita à Diana *3. part. tract. 2. de dub. Regul. reſ. 28.* quòd ſufficit, abeſſe Priorem, & non eſſe reuerſurum eodem die, non videtur ſuſtinenda; nam poteſt hora quinta poſt meridiem exire è Monaſterio extra oppidum, & redire hora quinta matutina, quod ſpatium eſt valdè breue, & non intra eundem diem; Niſi Dianam exponamus, de die viginti quatuor horarum enumerando ab hora, in qua Prælatus exit, vſque ad horam, in qua redit, quæ diei acceptio non eſt inuſitata; Et ſic expoſitus accedit veritati, idque tempus viginti quatuor horarum abſentiæ ſufficere, tenent P. Pellizzarius *vbi ſuprà tract. 8. cap. 2. n. 50.* Lezana *tom. 2. cap. 3. n. 41.* Naldus, Peyrinus, Miranda, & alij. Et quidem, cum tempus abſentiæ non ſit à Iure præfixum, ſtandúmque ſit arbitrio Viri docti, ac prudentis, tutò horum Authorum, qui docti, & prudentes ſunt, arbitrio, & iudicio ſtabitur. 253

Mortuo, aut amoto Priore, non cedit ſuo munere Subprior, quin tunc iuriſdictione ordinaria incipit gaudere, vtpotè à lege, & à ſupremo Prælato ad ſimiles euentus ei conceſſa. Quod diuerſimodè contingit in Vicario Epiſcopi; nam cum 254

idem Tribunal cum Epiſcopo conſtituat, & indiuiſibili cum eo iuriſdictione gaudeat, eo mortuo, vel amoto, cedit ſuo officio Vicarius, cuius iuriſdictio pendet à iuriſdictione Epiſcopi, eique acceſſoriè adiungitur.

155 Obiter tamen nota, finito triennio Priorum Militarium, qui iuriſdictione quaſi Epiſcopali, & territorio gaudent, Vicarium Generalem non cedere ſuo officio, donec alius aſſignetur; nam eius iuriſdictio manutenetur à Rege noſtro, cuius eſt deſignare, aut confirmare eum, per quem exercenda eſt. Etenim territorium, aut diœceſis nequeunt abſque Iudicibus Ordinariis eſſe, indeque Sede vacante Capitulum Eccleſiæ Cathedralis in id munus ſuccedit; Quare, Priorum vacante Sede, aliquis debet deſignari, qui iuriſdictionem ordinariam exerceat; aliter territoria deſtituta Iudicibus nequibunt gubernari, neque in officio, & diſciplina Eccleſiaſtica contineri; Rex ergo, donec alium cum nouo Priore deſignet, aut confirmet, eundem Vicarium Generalem præcedentis Prioris cum iuriſdictione ordinaria conſeruat. Poteſt tamen anticipatò alium deſignare; quod ſi non præſtet, cenſendus eſt conſeruare eundem. In Capitulo Generali Ordinis de Alcantara coacto anno 1652. præſtita fuit iuriſdictio ordinaria in territorio Subpriori, aut Præſidenti Monaſterij de Alcantara, quoties vacet Prioratus, aut Prior moriatur, ſeu abſit à territorio, (nam, dum in territorio eſt, non abeſt; nec indigetur alio habente iuriſdictionem ordinariam) Præſidens autem idem præſtat, quod Subprior, deficiente Priore, eique competunt dicta adhuc de Subpriore. Præſidens verò eſt antiquior Monaſterij, cum Prior, & Subprior deſunt; vel cum Prioratus vacat, poteſt quis à Rege nomine Præſidentis deſignari ad breue tempus.

QVÆSTIO XIX.

De Vicariis Generalibus, & de Viſitatoribus Priorum Militarium iuriſdictione quaſi Epiſcopali pro foro externo gaudentium.

256 QVidquid de Vicariis Generalibus, & Viſitatoribus Epiſcoporum ſtatuitur, his ipſis à Prioribus Militaribus deputatis eſt aptandum, ſi quidem in propriis territoriis eadem iuriſdictione potiuntur. Scripſerunt de illis inter alios, Bertachius, & Sbrocius *in tract. de Vicar. Epiſcop.* Rebuffus *in praxi, ſub eodem titul.* Tuſchus *lit.* 1. *ex concl.*180. Zerola *in praxi Epiſcop. verbo, Vicarius*; Nicolaüs Garcia *de benefic.*5. *part. cap.*8. Barboſa *in Paſtorali*, 3. *part. alleg.*54. Don Ioannes de Solorzano *tom.* 2. *de Iure Indiar. lib.*3. *cap.*8. *& in Politica Indiar. lib.* 4. *c.*8. Et Authores communiter *ad tit. de officio Ordinarij, & de offic. Vicar.* Quare in præſenti rem hanc latiſſimam ſummis velut labris libabimus, ne quidquam relinquamus intactum, eſtò non prorſus noſtri Inſtituti ſpeciale, cum cæteris Vicariis, & Viſitatoribus ſit commune. Vicarius alius eſt generalis: alius foraneus. Ille ad omnes cauſas deputatur, vnumque cum Epiſcopo, aut Priore conſtituit Tribunal, vnde non datur ab eo appellatio ad Epiſcopum, ſeu Priorem. Foraneus verò conſtituitur in aliquibus territoriis diœceſum ad aliquas cauſas, non ad omnes, ab eoque datur appellatio ad Epiſcopum, cum quo non conſtituit idem Tribunal. Poteſt autem delinquentes incarcerare, quamvis cauſæ eorum ſint eiuſmodi, vt de eis nequeat cognoſcere; nempè vt ad Epiſcopum eos remittat.

Si Prior Militaris anguſto territorio potiatur, & per ſe ipſum valeat negotia expedire, non tenetur deſignare Vicarium generalem; vt de Epiſcopis tradunt Boërius *quæſt.*347. *n.*6. *p.*2. Puteus *lib.*2. *ex deciſ.*43. Lancellotus *lib.* 1. *inſtit. Iuris Cannonic. tit. de offic. Vicar. verbo, non poteſt.* Tunc enim, ceſſante neceſſitate, ſiuis Vicarij conſtituendi ceſſat. Secùs erit, ſi per ſe ipſum ad regimen territorij nequeat attendere, & onera ſibi imminentia ſubire, cum teneatur apponere media ad ſatisfaciendum muneri ſibi commiſſo. Ita Gloſſa 4. *in cap. petiiſti*, 7. *quæſt.*1. *& in cap.*2. *ne Prælati vices ſuas, &c.* Abbas *in cap. quoniam, de offic. Ordin.* Puteus *vbi ſuprà, num.*2. Nauarrus *conſil.*4. *de offic. Ordinar.* Moſconius *de maieſt. Eccleſ. lib.*1. *cap.*10. Quaranta *verbo, Archiepiſcopi authoritas, fol.*75. Et plures alij tradentes, Archiepiſcopum poſſe conſtituere Vicarium generalem Epiſcopo, qui fuerit negligens in illo conſtituendo. 257

Prior Militaris poteſt conſtituere (vt communiter præſtatur, nec aliter fieri valet in Vicario Generali Prioris Legionenſis; & Senatus Ordinum poteſt compellere alios Priores, vt Clericos Fratres conſtituant) in Vicarium ſuum Clericum Fratrem ſui Ordinis. Etenim, licèt controuertatur, an Vicariorum munus poſſint Religioſi obtinere, & Mendicantes non poſſe, 258

ſit

ſit communis ſententia videnda apud Reboſſum *tit. de Vicar. num.* 31. tamen ex vno capite, alios Religioſos non Mendicantes, de ſui Prælati licentia, & præcipuè Canonicos Regulares, poſſe Vicarios Generales conſtitui, docent plures apud Barboſam *in Collectan. ad cap.* 1. *de filiis presbyter.* Rebuffus *vbi nuper, n.* 30. Guido Pap. *deciſ.* 563. Sbrocius *tract. de Vicar. Epiſcop. lib.* 1. *quæſt.* 38. Segura Daualos *in direct. Iud. Eccleſ.* 1. *part. cap.* 12. *num.* 7. Doctores communiter *in c.* 1. *cap. generaliter, cap. præſentium,* 16. *q.* 1. *& in Clementina* 2. *de reſcript.* Gloſſa *in cap. ſi quis, diſtinct.* 58. Eſtò id in Hiſpania raro, aut nunquam contingat, ne Religioſi intra Clauſtra victuri negotiis illaqueentur. Videndus P. Thom. Sanchez *in ſumm. lib.* 6. *cap.* 13. *ex num.* 88. Cæterùm extat Deciſio Congregationis Epiſcoporum, prohibens Epiſcopis ne per Regularem munus Vicarij exerceri permittant; Eam affert Aldanus *in Compend. Canonic. reſol. lib.* 1. *tit.* 83. *num.* 12. & Barboſa *in ſumm. Apoſtolic. deciſ. verbo, Vicarius Generalis Epiſcopi, n.* 1. Ex alio autem capite territoria Ordinum ſunt deſtinata Militaribus, qui priores, parochi, & Rectores ſunt; nec eſt ratio, cur, cum ea munera obeant, nequeant munus Vicariorum gerere, ſi quidem iuxta proprium Inſtitutum ad regendas Eccleſias deſtinantur; quare in hoc nulla poteſt eſſe controuerſia; nec contra eos militant, ſi quæ rationes contra id munus aliis Religioſis conferendum excogitantur; Nec deciſio allata quidquam circa priores Militares decernit. Indè Clerici Fratres Militares etiam Epiſcoporum poſſunt eſſe Vicarij Generales (vt ſolent eſſe) ſicut poſſunt eſſe Senatores Regij, Quæſitores Sacræ Fidei, & alia Munera ſimilia exercere, quæ non poſſunt alij Religioſi; nam, iuxta ſæpè dicta, in his neutiquam eis aſſimilantur, ſed vt Clerici ſæculares, quoad hæc, cenſentur, niſi quòd licentia Ordinis expreſſa, vel tacita expectatur.

259 Vicarius Generalis prioris debet eſſe ſaltem prima tonſura initiatus, vt conſtans eſt. An verò debeat eſſe Sacris initiatus, non ſemel vidi controuerſum, adhuc in hac Diœceſi Salmantina, paucis abhinc annis; Nam Clemens VIII. expediuit Bullam, in qua præcepit, omnes prælatos debere eſſe conſtitutos in Sacris, & aliàs eorum electionem fore nullam. Hanc Bullam non fuiſſe acceptatam, nec publicatam in Hiſpania, oſtendit D. D. Ioannes de Solorzano *vbi ſuprà, pag.* 558. *verſu, Y ſi bien.* Poſtmodùm Vrbanus VIII. in Bulla data die 16. Decembris, anno 1623. quæ incipit, *Decet Romanum*, quam refert Barboſa *vbi ſuprà, num.* 2. *& de Canonic. & Dignitat. cap.* 14. *num.* 54. ſtabiliuit, non poſſe in Regnis Hiſpaniarum eſſe Vicarium Generalem, qui Ordine Sacerdotali non foret initiatus; Quam acceptatam fuiſſe non dubito, cum animaduerterim, eam fuiſſe allatam aduersùs quendam Vicarium generalem non initiatum Sacris. Verùm forſan per epicheiam, aut interpretationem, Vicarios conſtitui, qui Sacris non ſunt initiati, non ſemel cernimus. Congruentius autem eſſe oppoſitum, multis oſtendit Alanus Coppus *dial.* 1. *cap.* 21. *pag.* 138. Cauſas enim Sacerdotum à Sacerdote decet diiudicari.

Vicarius Generalis nequit eſſe Parochus. Ita declarauit Sacra Congregatio Concilij die 12. Maij, anno 1629. referente Bonfadino *in Theſauro Eccleſiaſticar. deciſionum, reſol.* 41. *num.* 2. Et nos *ſuperiùs* id attigimus. Vicarius debet præcedere in Sede in Eccleſiis omnes Rectores, & parochos, ſicut Vicarius Epiſcopi præcedit. In Monaſteriis autem Vicarij Generales priorum primam poſt ipſos ſedem occupare debent; In ſimili plura inuenies apud Barboſam *ſuprà Collectan.* 714. 260

Nequeunt Vicario aſſignari aliquæ pœnæ in ſententiis inflictæ, iuxta Declarationem Congregationis Concilij, die 5. Februarij, anno 1618. quam refert Aldanus *vbi ſuprà, tit.* 43. An poſſit Epiſcopus, aut prior pro arbitrio ſuo remouere Vicarium Generalem, controuertitur inter Authores, & communior ſententia tenet, non poſſe, abſque graui cauſa, vt conſulatur Vicariorum famæ, & honori; Ita Boërius *deciſ.* 49. *num.* 23. Sbrocius *tract. de offic. Vicar. lib.* 3. *quæſt.* 32. Gutierrez 3. *practicar. c* 11. *num.* 4. Maſtrillo, Zeuallos, Burgos de Paz, Florez de Mena, & alij apud Dom. Valenzuelam *conſil.* 101. *n.* 7. *& conſil.* 138. *ex num.* 38. Dom. Don Ioannes Baptiſta de Larrea *in diſceptat. Granat. cap.* 2. Et ſanè cum prioris Legionenſis S. Marci, Ordinis D. Iacobi Vicarius Generalis confirmetur à Senatu Regio Ordinum, poſtquàm à Capitulo Monaſterij eſt electus, neutiquam poteſt reuocari à priore, abſque eiuſdem Senatus Decreto. Præter hunc Vicarium Generalem, qui vices prioris gerit in prouincia, quam vocant Legionenſem, & eſt in Eſtremadura, alios duos Officiales, ſeu *Proviſores*, vt Hiſpanè dicimus, eligit ipſe prior, quorum alter in Llerena, alter in Emerita reſidet; Et eorum territoria Vicarius Generalis viſitat, cuius Munus, ſeu viſitatio ceſſat, ſi prior illuc adueniat, non 261

verò

verò munus Prouiſorum; Etenim ille Vicarius loco Prioris conſtituitur ob magnam diſtantiam eius Prouinciæ à Legione. Cæteri priores de facto non habent Vicarium, ſed per ſe ipſos negotia expediunt.

262 Vicarius Generalis Prioris poteſt territorium viſitare, (maximè ex mandato ſpeciali prioris, contra cuius voluntatem id nequit exequi) quod eſt conſonum Tridentino *ſeſſ.*24. *de reform. cap.*3. Et docent P.Azor, Vgolinus, Narbona, Rebuffus, Tuſchus, & alij apud Barboſam *in paſtor.*3. *part.alleg.*73.*num.*28. & plures alij loquentes de Vicariis Epiſcoporum; De quibus (idemque aptandum eſt Vicariis Generalibus priorum) Barboſa *vbi ſuprà, Collectan.* 715. ex pluribus Declarationibus, ac Deciſionibus, ſtatuit ſequentia; Nempè poſſe excommunicationes infligere, cauſa iuſta eas exigente; Indicere proceſſiones, abſente Epiſcopo cum conſenſu Capituli; & Synodum celebrare de illius conſenſu; Et è contra non poſſe mutare Conſtitutiones Synodales; nec prohibere, ne Officium diuinum, poſt ſignum datum, inchoëtur, donec ipſe accedat; nec præbere benedictionem Diacono ante Euangelium, nec concionatori; nec, abſque expreſſo Epiſcopi mandato, concedere licentiam ad Monaſteria ædificanda; nec impedire, quòd parochi abſque eorum licentia, denuntiationes faciant; nec abſque eo mandato concedere licentiam alteri Epiſcopo, aut priori ad exercendum pontificalia in ſua diœceſi, ſiuè territorio; nec aliquam functionem pontificalem peragere; nec remittere denuntiationes ad matrimonium, abſque ſpeciali mandato. Præterea pro diſpenſatione Matrimonialium nequit quidquam accipere etiam ſpontè datum. Alia demum nequit exequi *loco relato* videnda, quæ attinent ad Eccleſias Cathedrales, quæ in prioratibus non dantur.

263 Incumbit Prioribus ſtrictiſſimè onus viſitandi ſuum territorium, quod pluribus in locis Tridentinum Epiſcopis reſpectu ſuarum diœceſum commendat, & præcipit; Regéſque noſtri id ipſum eis per reſcripta ingeminant, vt in pluribus Schedulis Regiis videre eſt, præcipuè in quadam Typis excuſſa expedita apud S.Laurentium die 5. Auguſti anno 1577. Quin hoc ipſo anno 1656. noſter SS.Pontifex Alexander VII. *in epiſtola ad Archiepiſcopos, & Epiſcopos Hiſpaniæ*, piè, ſalubriter, & enixè monet, vt reformationi morum impensè incumbant; frequenter ſuas viſitent diœceſes; Concilia, & præcipuè Tridentinum, obſeruari quoad omnia, conentur; Synodos celebrent, & cætera ad Paſtorale munus ſpectantia totis conatibus exequantur. Sed quia Priores non poſſunt à Sede propria continuò abeſſe, quia indè regimini totius territorij commodiùs, & vtiliùs operam impendunt, & qui ſimul Priores Monaſteriorum ſunt, nequeunt ſubditos deſerere per longa temporis interualla, ideò Viſitatoribus, quos eligere valent, interdum debent viſitandi munus committere. Hi verò ſolertiſſimè debent munus ſibi commiſſum exercere, procul ab auaritia, & cupiditate; intenti corrigendis moribus; vitandis ſcandalis publicis: Clericis delinquentibus corrigendis; de cultus diuini celebratione in Eccleſiis promouenda ſolliciti: ad Altarium, & ornamentorum munditiem curandam attenti; exigentes rationem de redditibus Fabricarum; de Miſſarum, quæ dotatæ ſunt, perſolutione; de Capellaniis: de adimpletione Teſtamentorum; & de cæteris aliis, quæ Viſitatoribus incumbunt; Quæ ſanè latè, prudenter, & piè congeſta ſunt in diœceſana Synodo Salmantina celebrata ab Illuſtriſſimo Domino Don Petro Carrillo de Acuña Epiſcopo tunc Salmanticenſi, nunc Archiepiſcopo Compoſtellano, eximio ſanè vndequaque Prælato, anno 1654. *titul. de Eccleſiarum viſitation. & in Inſtructione Viſitatorum, ex pagin.*175. Eaque omnibus Viſitatoribus vbique ſunt communia.

Quòd autem Viſitatores nequeant exigere, nec accipere, niſi quæ taxata ſunt, nec pœnas in ſententiis inflictas ſibi applicare, ſtatutum eſt in Tridentino *vbi ſuprà*; & iam id ſtabilitum fuerat in Concilio VII. Toletano, relato *in cap.*4. 10.*quæſt.* 3. & cauetur *in cap. inter cætera, cap. cauendum, de offic. Ordinar.* Et pariter *in leg.*3. *titul. fin. lib.*8. *Recopilat.* Tradunt Segura *in direct. cap.* 14. *n.* 18. & 36. Matienzo, Auendaño, & plures apud Sbrozium *vbi ſuprà, lib.*1. *quæſtion.* 55. & *lib.*3. *quæſtion.* 54. *num.*3. Flores de Mena *lib.*1. *quæſtion.*8. *ex num.*6. Si autem ad congruam ſuſtentationem non ſufficiant Viſitatoribus ea, quæ taxata iam ſunt, tenebitur Prior cætera ſupplere. Et hinc aliquando Vicarij generales, & Viſitatores, poſt defunctum Epiſcopum, à quo viuente ſtipendium annuum non audent expoſcere, illud ſibi ex ſpolio perſolui in foro externo contendunt. De quo plura cumulat, & Regiam Pragmaticam circa hos, & ſimiles caſus refert Dom. Don Ioannes de Solorzano *in Politica Indiarum, lib.*4.*cap.*8. *pagin.* 561. *ex verſ. Y con eſta ocaſion.* Et deindè optimè aduertit, 264

aduertit, curandum valdè eſſe in Tribunalibus Eccleſiaſticis, ne Notarij ſeu Vicariorum, ſeu Viſitatorum, ſtipendia vltra taxam reportent; quin, ſi Notarij ſint laïci, (& laïcos eſſe debere, niſi cauſa ſpiritualis tractetur, per leges Eccleſiaſticas, & Regni, ſancitum eſſe, oſtendit) ait, poſſe puniri à Iudicibus ſæcularibus, ſi excedant in exigendo ſtipendio; quod adeò prohibitum eſt in legibus Regni, & Pragmaticis Regiis, quas *ibidem* congerit. Sed neſcio, an hæ omnes prohibitiones ſufficiant. Inuigilent illis Prælati.

265 Si Prior ipſe viſitet, poteſt viſitationem inchoare ab Eccleſia, quæ ſibi magis placuerit, ſeruatis iuribus, & abſque præiudicio aliarum Eccleſiarum, nec eam tenetur concludere intra determinatum tempus, ſed pro ſuo arbitrio, vt declaratum eſt à Sacra Congregatione Concilij relata à Sellio *in ſelect. Canonic. cap.* 52. *num.* 23. & ab Aloyſio Riccio *in praxi rerum fori Eccleſiaſtic. reſolution.* 608. *in* 2. *edit.* At Viſitatores inchoare debent ab Eccleſia, quam Prior deſignauerit, ac finire viſitationem intra tempus ab illo, aut à conſuetudine, vel ſtatutis territorij præfixum. Semel autem viſitatum territorium poteſt iterùm Prior viſitare, non tamen poteſt iterùm punire ob eandem culpam illum, quem Viſitator puniuerit, nec abſolutum ab illo poteſt cogere, vt iterùm ſuam innocentiam probet, iuxta Declarationem Congregationis Concilij allatam à Barboſa *vbi ſuprà, collectan.* 727. Ac intra ipſum annum poteſt Prior per ſe, aut per Viſitatores ſuos viſitare Eccleſias ſibi ſubiectas toties, quoties opus fuerit, ſi aliquid accidetit, quòd iteratam viſitationem expoſcat, vt ex alia Declaratione docet Barboſa *ibidem, numer. decimo.*

266 Nequeunt Priores, aut Vicarij Militares, ſeu Viſitatores vigore cuiuſvis Decreti Concilij Tridentini, nec Conſtitutionis Gregorij XV. de exemptorum priuilegiis, Eccleſias Regularium non Militarium, quæ in eorum territorio ſitæ ſunt, (non loquor de Eccleſiis Monialium, quæ ipſis, vt Ordinariis, ſunt ſubiectæ) viſitare, nec ſacriſtias, ornamenta, vaſa ſacra, Altaria, tabernaculum Euchariſtiæ, nec loca in quibus Confeſſiones audiuntur; Nec Capellas etiam per Confraternitates ſæcularium erectas; dummodò in his Eccleſiis non detur ſimul Parochia. Extant de his plures Declarationes ſacræ Congregationis Concilij, quas afferunt Flauius Cherubinus *in ſchol.* 1. *ad Conſtitut.* 41. *Pij V.* Ildefonſus à Iesv Maria *de priuileg. Fratrum de Monte Carmelo, pagin.* 290. *num.* 5. Sellius *vbi ſuprà, cap.* 6. *num.* 25. *& ex num.* 29. Barboſa *vbi ſuprà collectan.* 718. *ex num.* 12. Poſſunt verò prædicti viſitare Confraternitates laïcorum in Monaſteriis præfatorum Regularium exiſtentes, in his dumtaxat, quæ ad Confratrum ipſorum adminiſtrationem ſpectant, vt ex Declaratione ſacræ Congregationis Concilij tradit Barboſa *ibidem n.*10.

Idem Author *collect.* 726. varias Declarationes eius ſacræ Congregationis affert ex Aldano, Piaſeco, Bonfadino, Nicolao Garcia, & Armendariz, quibus aliqua obſeruanda in Viſitatione præſcribuntur; Nempè, quòd, dum fit inquiſitio, quæ præparatoria vocatur, non liceat ſub excommunicationis pœna monere in edictis publicis, vt conſcij criminum eorum, qui viſitandi ſunt, detegant; nec valeat viſitans, etiam ſi Epiſcopus ſit, cenſuris ad id compellere, neque exigere iuramentum à viſitatis; ſed debet in eis edictis in virtute ſanctæ Obedientiæ præcipere ſubditis, vt ei denuntient, quæcumque digna correctione, & emendatione iudicauerint. Prætereà, quòd Epiſcopus, (idem dic de Priore) dum per inquiſitionem præparatoriam aggreditur viſitationem, non poſſit, vt ſuſpectus, recuſari, nec per aliquam probationem, aut allegationem impediri, quominùs viſitatos afficere queat pœna extraordinaria, quæ morum emendationem, & correctionem reſpiciat. Plura alia de Viſitatoribus Ordinum Militarium iam dedimus. Communiter Priores, & Vicarius Generalis Prouinciæ Legionenſis Ordinis S. Iacobi, aliique Vicarij iuriſdictione gaudentes per ſeipſos viſitant, quin Viſitatores deſignent; Et ſanè, dum id præſtare valent, exactiùs ſuum munus adimplent, & Tridentino morem gerunt. Plura de Vicariis Priorum, qui velit, adeat Patrem Quintanadueñas *tom.* 1. *ſingular. tract.* 6. *ſingul.* 19. *& tract.* 7. *ſingul.* 41. *num.* 8. & ſæpè alibi. 267

* * *

DISQVISITIO VIII.

De Dignitatibus, & Officialibus Ordinum Militarium.

QVÆSTIO I.

Quæ, & quot ſint Dignitates in Ordinibus Militaribus Diui Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ?

1 DIGNITATES duplex ſubeunt diſcrimen; nam aliæ iuxta ius commune ſunt, & cenſentur Dignitates; aliæ ſunt tales iuxta ius municipale, ac proprium Ordinis, inſtitutæ in ipſo ad ſpecialia munia obeunda, deſignata ſede in Actibus Ordinis ipſius, & ſpecialibus exemptionibus conceſſis. Poteſt autem concurrere in vna, eademque Dignitate vtraque ratio; Nam Priores de Veles, Sancti Marci, Alcantaræ, & de Magacela in Ordine Alcantaræ, ſunt Dignitates intra ipſos Ordines, & etiam iuxta ius commune, cum gaudeant iuriſdictione quaſi Epiſcopali in ſuis territoriis. Rursùs poteſt quis eſſe Dignitas iuxta Ius commune, quin ſit Dignitas intra Ordinem; Sic Priores de Zalamea, & de Rollan, Alcantarenſes, non ſunt intra Ordinem Dignitates, ſic verò extra Ordinem, cum iuriſdictionem exerceant pro foro externo. E conuerſo poteſt quis eſſe Dignitas intra Ordinem, non autem extra illum; Sic Sacriſta maior in Ordinibus Calatrauæ, & Alcantaræ, eſt Dignitas intra ipſos, non verò extra, cum nec iuriſdictione polleat, nec requiſita à Iure communi ad Dignitatem habeat. Itaque in Ordinibus Militaribus illæ ſunt Dignitates iuxta Ius commune, quæ iuriſdictionem pro foro externo exercent. In Ordine Diui Iacobi Dignitates iuxta Ius commune nuncupabuntur Vicarij proprietarij iuriſdictione externa, & pro vtroque foro gaudentes. Et præter antiquos anno 1652. in Capitulo Generali inſtitutus eſt Vicarius Oppidorum de Aledo, & Totana cum plena iuriſdictione ab Ordine ei conceſſa. Sic in Statutis *titul.16. cap.14.* Et indè non exigua lis cum Archipræſule Tolerano fuit exorta circa iuriſdictionem, de qua variæ Iuris allegationes circumferuntur. In præſenti annotaueris, vocem *Dignitatis* communiter deſumi pro Dignitate Eccleſiaſtica, quæ ſolis Eccleſiaſticis perſonis confertur. Attamen aliqui ex Equitibus Militaribus vocantur Dignitates intra Ordines, quia in eis indicatur, Equites eſſe perſonas Eccleſiaſticas; de quo *diſq.2. q.2.*

Loquendo igitur de Dignitatibus intra Ordinem, in primis in Ordine D. Iacobi, non reperio in eius Conſtitutionibus, ac Definitionibus, hanc nuncupationem applicatam determinatis perſonis. Verùm ſi attendamus ad rem ſignificatam per eiuſmodi vocem, & ſimul inſpiciamus, quinam dicantur Dignitates in Ordinibus Calatrauæ, & Alcantaræ, poſſumus aſſerere, in Ordine Diui Iacobi eſſe Dignitates, ex Equitibus, Commendatarios maiores Caſtellæ, & Legionis; ex Fratribus Clericis, Priores de Veles, & Sancti Marci Legionenſis. Tredecim viri etiam Equites poſſent dici Dignitates, cum ſint hi, quorum conſilio, ac ſuffragio res Ordinis decernuntur, & poſt Priores, ac Commendatarios maiores aſſiſtunt ſemper Capitulis Generalibus, cæteroſque præcedunt, & aliis exemptionibus gaudent, ex quibus omnibus videtur conflari ratio Dignitatis intra Ordinem. Videantur Statuta Ordinis *tit.10. cap.5.* 2

Dignitates intra Ordinem Calatrauæ ſex annumerantur in Definitionibus anni 1600. in prologo, *pagin.47.* Quatuor Equitibus ſunt annexæ, duæ vero Clericis Fratribus. Sunt ergo; prima, Commendatarius maior; Secunda, Commendatarius maior Aragoniæ, vulgò *de Alcañiz.* Tertia, Clauiger, cui cuſtodia Arcis, & Monaſterij Ordinis erat commiſſa, cum Magiſtri ibi ſuam ſedem habebant, & Patronus eſt Monaſterij Monialium Aſſumptionis, & Hoſpitalis loci de *Almagro*, quod Don Garſias de Padilla Commendatarius maior Ordinis fundauit. Quarta, prior Monaſterij Ordinis de Calatraua, qui nunc temporis non datur. Quinta, Sacriſta maior, qui in Eccleſiis Cathedralibus nuncupatur Theſaurarius; debet eſſe ex Clericis Fratribus, eique incumbit cuſtodia, ac cura Reliquiarum, Vaſorum, & Ornamentorum, quæ ſunt ſacro cultui dicata. Sexta, Operarius Ordinis, cuius munus eſt, attendere ad ædificia, & reædificationes, ſimiliaque in Monaſterio Ordinis neceſſaria, inſtrumentaque prouidere ad id opportuna; Sumptus autem ad illum non ſpectant. Dignitas hæc Equiti confertur. 3

In Ordine Alcantaræ ſunt quinque Dignitates, (Nec recenſemus tum in hoc Ordine, tum in aliis, Dignitatem ſupremam Magiſtri. 4

Magiſtri, hanc enim ſub nomine Adminiſtrationis perpetuæ Reges Hiſpaniarum obtinent.) Prima, Commendatarius maior. Secunda, Prior Monaſterij de Alcantara. Tertia, Clauiger, qui tempore Magiſtrorum Claues Monaſterij apud ſe habebat; & nunc ei incumbit, vnam ex Clauibus Archiui retinere; & ſimul cum aliis perſonis ad ipſum deputatis, rationes dati, & accepti ab Æconomo Monaſterij poſcere, eſtque vnus ex Senioribus Ordinis; Et olim in abſentia Commendatarij maioris, vel ſi ille, defuncto Magiſtro, intra triduum non conuocaret Ordinem ad noui Magiſtri electionem, ad eum conuocatio deuoluebatur. Quarta, Sacriſta maior, qui idem præſtat, ac Sacriſta maior Calatrauæ, & vterque plura alia munia exercet, de quibus videantur Definitiones Calatrauæ *pagin.* 124. *&* 128. *&* 134. *ac* 169. *&* 239. necnon Definitiones Alcantaræ *fol.* 36. *&* 41. *ac* 55. *&* 57. *ac* 89. *&* 91. & pluribus ſequentibus. Quinta eſt, Prior de Magacela. Ex his Prior de Alcantara, Sacriſta maior, & Prior de Magacela debent eſſe Clerici Fratres. De Clauigero videri poſſunt ipſius Ordinis Definitiones *titul.* 5. *cap.* 41. *titul.* 18. *cap.* 1. *titul.* 26. *cap.* 10. *& titul.* 41. *cap.* 1.

5 Dignitates potiuntur redditibus, & facultatibus ipſorum Ordinum. Eas olim Magiſtri de conſilio Seniorum eligebant; nunc Rex noſter, vt Adminiſtrator, confert, poteſtate ad id facta Regibus Hiſpaniæ à Pontificibus, cum Coronæ Caſtellæ Magiſtratus incorporarunt. Cæterùm electio Priorum de Veles, & Diui Marci in Ordine Sancti Iacobi (ſicut etiam Prioris Diui Iacobi Hiſpalenſis, qui Dignitas non eſt) pertinet ad Fratres Clericos Monaſteriorum, qui debent eſſe affecti requiſitis, quæ deſignantur in Statutis, *tit.* 12. *cap.* 2. Confirmatur autem à Senatu Ordinum. In Monaſterio Calatrauæ idem in Definitionibus Ordinis ſeruandum eſſe decreuitur. Sed obſeruandum eſt, Abbatem de Morimundo iam diu contendere, ad ipſum pertinere deſignationem Prioratus Monaſterij de Calatraua; è contra Ordinem Bullis Pontificiis ſuffultum oſtendere, hanc ei non deberi ſubordinationem; qua contentione extante ex indulto Pontificio electi fuerunt à Regibus noſtris, & eliguntur Adminiſtratores prædicti Monaſterij, Fratres Clerici, triennioque durant, vt Priores Conuentuum Diui Iacobi, & Alcantaræ. Statuebatur facienda electio Canonica à Fratribus eiuſdem Monaſterij, in Definitionibus Ordinis, *tit.* 2. *cap.* 3. Verùm id innouatum eſt, & proponente Senatu Regio Ordinum tres Viros idoneos, Clericos Fratres, Rex noſter deſinant ex illis vnum.

Secùs res ſe habet in electione Prioris 6 Monaſterij de Alcantara, vt extat in Definitionibus Ordinis *tit.* 5. *capite* 18. Quippè ad viranda incommoda, & detrimenta, quæ ſolent in electionibus euenire, ſtabilitum fuit, vt, conſulente Capitulo generali, aut Senatu Regio Ordinum Clericos Fratres idoneos, Rex noſter eligeret Priorem, quod iam præſtabat ante annum 1600. n quo celebratum eſt Capitulum generale Matriti, ex quo compilatæ ſunt Definitiones editæ in lucem anno 1609. quas in *hoc Opere* citamus; nam nouiſſimæ compilatæ ex Capitulo Generali celebrato Matriti anno 1652. adhuc ſub prælo ſudant, cum hæc exaramus. Ad calcem obſerua ex Iſla *in Regula Ordinis Diui Iacobi*, *cap.* 21. olim Magiſtrum in Ordine Iacobæo in Prouinciis conſtituere ſolitum fuiſſe Commendatarium, qui Equitibus eius Prouinciæ præerat, & neceſſaria ſuppeditabat, & indè Commendatarius maior fuit nuncupatus. Ceſſauit effectus. Nomen & Dignitas manſit.

QVÆSTIO II.

An Dignitates Ordinum Militarium propriæ Fratrum Clericorum poſſint conferri Equitibus, ſi Sacris initientur?

Aliquæ ſunt Præbendæ, Perſonatus, 7 ſeu Dignitates intra Ordines Militares, quæ Fratribus Clericis deſtinatæ ſunt; adhuc præter ipſos Prioratus Monaſteriorum: v.g. in Ordine Calatrauæ, & Alcantaræ Sacriſta maior eſt Dignitas, habetque deſignatos redditus annuos copioſos, & locum ſpecialem, ac ſedem tum in Capitulis generalibus, tum intra Monaſterium; eſtque velut Theſaurarius in Eccleſiis Matricibus. De hac ergo, & ſimilibus Dignitatibus quæſtionem facimus, vtrùm Rex, cui competit, tanquam Adminiſtratori perpetuo Ordinum, ex indultis Pontificiis, eas conferre, valeat ipſas tribuere Equitibus ipſorum Ordinum, qui ſint in Sacris conſtituti, initiatique ſint his Ordinibus, quos illæ Dignitates exigunt?

Nec ſermo eſt, accedente diſpenſatione 8 Pontificia, qua poſita, res manet indubia; cum enim diuiſio, ac diſtinctio perſonarum, quibus

quibus conferenda ſunt hæc, aut illa Beneficia, non ſit de iure diuino, ſed Eccleſiaſtico, ſit, Pontificem poſſe mutare, & innouare, quidquid iudicauerit iuſtum, expediens, & opportunum.

9 Cenſeo ſanè, non poſſe eas Præbendas, ſeu Dignitates deſignatas Fratribus Clericis conferri Equitibus. Moueor primò, quia paſſim in Statutis, ac Definitionibus Ordinum Militarium ſtabilitur, aut ſupponitur, tanquam conſtans, Fratres Clericos habituros fore eiuſmodi Præbendas; Videantur in Conſtitutionibus Ordinis D. Iacobi *tit.* 12. In Definitionibus Calatrauæ *c.9. prologi, & tit. 2.c.* 3. In Definitionib. Alcant. *titul.* 5. *& tit.7. cap.* 2. & ſæpè alibi. Et circa prædictam Dignitatem Sacriſtæ maioris id extat in Definitionibus Alcantarenſis Ordinis, *tit.1.cap.12.& titul.5.cap.11.§.10.& 11. & titul.6.cap.2. &* 3. Quando autem Beneficia ex conſuetudine, fundatione, ſtatuto, aut priuilegio, certo generi perſonarum deſtinata ſunt, nequeunt aliis conferri, ſed neceſſariò eis ſunt conferenda, quin hæc collatio ſit libera, & ſpontanea, nullaque erit collatio ſecus facta; Vt, ſi Beneficium ex Fundatione, aut Statuto tribuendum ſit Sacerdoti, inualidè conferetur Clerico non Sacerdoti. Hanc doctrinam traduut, & exornant Rebuffus *in praxi, tit. de collat. à num.*1. Nicolaus Garcia *de Beneficiis, tom.* 2. *part.7.cap.15.à num.*1. *& num.* 57. *& tom.*1. *part.* 5. *cap.7. numero* 73. Azeuedo *in leg.*14. *titul.*3. *lib.* 1. Seſſe *tom.3.deciſ.*343. Barboſa *de poteſtate Epiſcopi part.* 2. *allegat.* 44. *num.* 17. *Et in remiſſionib. ad Tridentin. ſeſſ.*25. *cap.*6. *num.* 6. Perez de Lara *de anniuerſar. & Capell. lib.* 2. *c.*2. Gironda *de priuil. n.*172. Gutierrez *conſ.*1 *à n.*11. Caſtillo *lib.5.quaſt.cap.* 90.*n.*38. Vbi plures Authores in confirmationem affert.

10 Confirmatur. Nam *eo titul.5.cap.11.§.11.* iniungitur, bona mobilia, & ſemouentia, de quibus Sacriſta maior, cæterique Fratres in ſuo obitu non diſpoſuerint, ad Ordinem pertinere; ergo Sacriſta maior nequit eſſe Eques; nam bona Equitum ab inteſtato decedentium non ſpectant ad Ordinem, ſed ad eius hæredes, *vt inferius* aſſeremus, & docent Pater Azor *tom.* 1. *inſtitut. moral. lib.3. cap.* 4. *quaſtion.* 9. P. Thomas Sanchez *in ſumm. tract. de relig. lib.7.cap.8. à num.*28. Molina *de primogen. lib.2.cap.9.num.*69. Diana *2.parte, tractat.* 1. *miſcell. reſolution.*94.*& parte 5.tract.2.miſcell. reſolut.*94.*& tractat.*3. *reſolut.*129. Et, quamvis expreſsè non aſſeratur Sacriſtam maiorem futurum eſſe ex Clericis Fratribus, perindè eſt, Id ſupponi ab Ordine, qui Definitiones ſtabiliuit; nam, cum quis ſupponens, poteſt diſponere circa illud, quod ſupponit, cenſetur diſponere id ipſum, quod ſupponit; vt tradunt Tuſcus *tom.6.concluſ.*636.*n.*25. Petrus Surdus *lib.*4. *conſ.*402. *à num.*26. Caſtillo *vol.*5. *c.*83.*n.*3.

Moueor ſecundò, quia prædictæ Dignitates annexæ ſunt ex conceſſione Pontificia Fratribus Clericis, ſolùmque indultum eſt Regi noſtro, vt eligat ex illis idoneum, quem malit, ad eas obtinendas. Sic expreſsè docet P. Azor *tom.* 1. *inſtitution. moral. librò decimo tertio, capite* 13. *quaſt.* 4. ibi *Sunt in hiſce Ordinibus multa Eccleſia, Romanorum Pontificum authoritate, in perpetuum adiuncta, & annexa, quibus omnibus Eccleſiis praficiantur Clerici ipſorum Ordinum Militarium.* Et paulò inferiùs. *Accedit his, quòd Commenda, vt vocantur, diſtinguuntur à Beneficiis ipſorum Ordinum, & ad Beneficia Clerici profeſſi eliguntur, & promouentur; Commenda Militibus committuntur.* Nomine autem Beneficiorum etiam veniunt Dignitates; indèque, ſi hæ Equitibus conſtitutis in Sacris poſſent conferri, pariter poſſent Prioratus, & quælibet Beneficia ipſis tribui, cum eadem eſſet ratio. Quin in Ordine D. Iacobi ex Bulla Confirmationis (vt obſeruat Mota *in capite trigeſimo tertio, Reg.*) conſtat, Beneficia, & regimen Eccleſiarum Ordinis ſpectare ad Clericos Fratres; &, cum hi eſſent Canonici Regulares de Loyo, dum ſe Iacobæis adiunxerunt, id inierunt pactum, vt ad ſeipſos Prioratus, & gubernatio Monaſteriorum pertinerent. 11

Moueor tertiò, quia intra ipſos Ordines Militares diuerſitas inter Equites, & Clericos Fratres datur, nec debent inter ſe confundi; quare Equites non habent ſuffragium intra Monaſterium in Capitulis; habent verò illud Prior, Sacriſta maior, & ſimiles Dignitates; cum enim ſit Sacriſta maior Dignitas Ordinis, vt conſtans eſt, & ſatis colligitur ex Barboſa *vbi ſupr. & de appel. verbo, Dignitas, n.*5. & ex Azor *vbi ſupr. quaſt.*6. ratione Dignitatis gaudet ſuffragio in Capitulis Monaſterij; abſurdum autem eſſet, Equitem, quamvis eſſet eiuſdem Ordinis, diuerſi tamen generis, ſeu ſtatus, ſimul cum Fratribus commiſceri, & habere ſuffragium; Idque non obſcurè reprobatur *in c.in noua* 16.*quaſt.7.cap. Deus, qui, de vit. & hon. Cler. leg.*21: *tit.7. part.*1. ibi; *Ca no es razon, que en vn Monaſterio ſean homes de dos habitos, ni de dos Profeſſiones.* Videantur Gonzalez *ad reg.*8. *Canc. gloſ.* 8.*à n.*98. Garcia *de benef. tom.2.p.*7.*c.*10. 12

Id indè roboratur, quia Commendæ, etiã in 13

in ſententia aſſerente, eſſe Beneficia Eccleſiaſtica, non poſſunt dari Clericis Fratribus, eo quòd ſint deſtinatæ Militibus, qui ex eis ſuſtententur, vt parati ſint, omnibuſque neceſſariis inſtructi, ad dimicandum contra Infideles; Sic ſtatuitur in Definitionibus Ordinum; In Conſtit. D. Iacobi, *tit.* 7. *&* 15. Et *in defin. Calatraua tit.* 11. *c.* 10. & *in Defin. Alcantara tit.* 18. *c.* 8. & probat Azor *tom.* 1. *inſt. moral. cap.* 3. *quæſtion.* 4. ergò è conuerſo Dignitates propriè Eccleſiaſticæ nequeunt conferri Equitibus, eo quòd deſtinatæ ſint Fratribus Clericis, qui vel in Monaſteriis degant, aut Eccleſiæ res tractent, cultum diuinum promoueant, & de opportunis, ac neceſſariis rebus ad illum curent, animarum ſaluti incumbant, Eccleſiaſticam iuriſdictionem exerceant, & in ſimilibus aliis occupentur, quæ non ſunt propria Equitum Militum, ſed Fratrum Clericorum; ſicut horum non eſt proprium, arma, & equos ad bellum paratos habere, ſed Militum. Igitur non debent munia, & munera confundi, ſed ſua propria quibuſque ſunt tribuenda, cum non ſit maior ratio, aut abſurditas in eo, quòd Beneficia, ac Dignitates Equitibus conferantur, quàm quòd Commendæ Clericis Fratribus. Nec obeſt, ſupponi in hac quæſtione, Equitem fore in Sacris conſtitutum, nam, id per accidens omnino ſe habet; & fundamenta noſtri aſſerti ad ſtatum proprium Clericorum Fratrum reſpiciunt; Eques autem ob ſuſceptionem Sacrorum Ordinum non transfertur ad ſtatum Clericorum Fratrum, ſed in eodem ſtatu Equitum permanet, atque adeò capax eſt retinendæ Commendæ. Nec obeſt, in aliquo raro euentu, Clericum Fratrem obtinuiſſe Commendam, vt à Rege Philippo II. obtinuit Benedictus Arias Montanus, Clericus Frater Iacobæus vir literatura inſignis; nam ex dictis ſuppunendum eſt, impetratam fuiſſe diſpenſationem Pontificiam; quod vlteriùs conſtat, quia ea Cummenda fuit in perpetuum applicata Monaſterio Hiſpalenſi Diui Iacobi ab eodem Arias Muntano, quod nequibat abſque diſpenſatione Pontificia præſtari; in eius enim remunerationem Rex prudentiſſimus ad vtrunque diſpenſationem à Pontifice obtinuit.

14 Moueor quartò, quia conſuetudo immemorialis extat de collatione eiuſmodi Dignitatum facta ſemper Clericis Fratribus, & nunquam Equitibus. Vnde ex doctrina *ſuprà* libata non poterunt deinceps Equitibus conferri; cum ea Beneficia, quæ ex conſuetudine legitimè præſcripta certis perſonis deſtinantur, nequeant conferri.

Confirmatur, nam Beneficia regularia, quæ ex conſuetudine conferuntur Religioſis vnius Monaſterij, nequeunt conferri aliis alterius Monaſterij, quamvis ſint eiuſdem Ordinis; Ergo, licèt Equites ſint eiuſdem Ordinis, cum ſint alteri Inſtituto militiæ deſignati, nec ad Monaſterium, tanquam Clerici Fratres, pertineant, non poterunt eis conferri Dignitates, ſeu Beneficia conſueta Clericis Fratribus tribui. Antecedens probatur *ex cap. cum ſingula*, §. *prohibemus, de prabend. lib.* 6. *Et ex Clementina* 1. *de ſupplend. neglıgent. Prælator.* Et ſic intelligunt hæc iura Rebuffus *in praxi benef. titul. de diſpenſat. eum regul. numero ſecundo*, Emanuël Rodriguez *in quæſtion. regul. tom.* 1. *quæſt.* 34. *artic.* 8. Nauarrus *conſil.* 4. *numero vigeſimo tertio in titul. de regularib.* Hieronymus Gonzalez *ad regul.* 8. *Gloſſ.* 8. *à numero* 96. P. Thomas Sanchez *in ſumm. tract. de relig. lib.* 7. *cap.* 29. *numero* 29. Qui aiunt, ſolummodò Pontificem poſſe diſpenſare in eo, quòd prædicta Beneficia aliter conferantur. 15

16 Nec ea conſuetudo immemorialis erat neceſſaria, vt prædictæ Dignitates, ſeu Beneficia ſolis Clericis Fratribus poſſent conferri; tum quia iuxta plurium doctrinam vltimus ſtatus in prouiſione Beneficiorum eſt attendendus, dum non ſit violentè, aut per abuſum ſtabilitus; tum quia conſuetudo quadraginta annorum legitimè præſcripta ſufficit, vt Beneficia debeant conferri his perſonis, quibus eo tempore collata ſuut, atque etiam eſt ſufficiens, vt eorum natura mutetur, & à ſæcularibus in regularia tranſeant, ac è conuerſo, iuxta *cap. cum de Beneficio, de prabend. libro ſexto.* Videantur Rebuffus *in praxi*, *titul. Quotuplex ſit Beneficium, numero* 5. Garcia *de Benefic. tom.* 2. *part.* 7. *cap.* 10. *& tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 2. *numero* 114. Hieronymus Gonzalez *ad regul.* 8. *Cancell. Gloſſ.* 8. *à numero* 31. Zerola *in praxi, verbo, Beneficium,* 2. *part. verſ.* 12. Seſſe *tom.* 3. *deciſ.* 843. *num. decimo quinto.* Zeballos *tom.* 3. *quæſtion.* 768. *à numero* 8. Perez de Lara *de Capellan. libro ſecundo, cap.* 1. *à numero* 50. Noguerol *allegation.* 28. *num.* 53. P. Thomas Sanchez *vbi ſuprà lib.* 7. *cap.* 29. *à numero* 14. P. Azor *tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 26. *quæſtion.* 3.

Moueor quintò. Si Eques Militaris non initietur Sacris, non poteſt habere Dignitates, de quibus loquimur, vt omnibus eſt in confeſſo; ergo non poteſt, quamvis initietur. Probo conſequentiam; nam eatenùs poſſet, quatenùs eſt Regularis, & 17

regularia beneficia regularibus ſunt conferenda; ſed non eſt magis regularis poſt Ordines Sacros, ac ante illos; ergo, quamvis eos accipiat, nequit habere eas Dignitates.

18 Roboratur apertiſſimè. Nam ex Concilio Tridentino *ſeſſ.14. cap.6. de reformat.* regularia Beneficia regularibus, ſæcularia ſæcularibus ſunt concedenda; ſed ſaltem in ordine ad Beneficia Equites reputantur ſæculares; ergo eis non poſſunt conferri prædicta Beneficia, & Dignitates Regulares. Probatur minor. Nam eos eſſe capaces Præbendarum, Dignitatum, & Beneficiorum ſæcularium, declaratum eſt à Sacra Congregatione Cardinalium, quæ eſt Declaratio 254. inter eas, quas in lucem edidit Proſperus Farinacius. Docent id Barboſa *de poteſt. Epiſcop. allegat.* 57. *numero* 174. P. Azor *tom.1. inſtitut. mor. lib.* 13. *capite* 3. *numero* 2. *in fin.* P. Thom. Sanchez *in ſum. lib.7. de relig. cap.* 29. *num.* 103. Garcia *de benefic. tom.1. part.1. cap.4. à numero* 17. Qui addit deciſionem Rotæ circa Equites de Alcantara. Hinc ergo noſtrum aſſertum liquet, nam, ſi in ordine ad ſæculares Dignitates, ac Beneficia Equites recenſentur vt ſæculares, ſanè hoc ipſo excluduntur à Beneficiis Regularibus, vt diuiſio inter vtraque Beneficia ſeruetur; aliàs eiſdem perſonis poſſent vtraque Beneficia conferri, & non ſtaret, quòd Beneficia ſæcularia his, regularia illis concederentur; quod manifeſtat diſtinctionem perſonarum, quibus ſunt conferenda; ideóque confuſio daretur, vbi à Tridentino intenditur diſtinctio. Vnde diluitur argumentum, quod pro oppoſita opinione ex Tridentino poſſet deſumi, intendendo, Equites, vtpote Regulares, eſſe capaces Beneficiorum Regularium, quæ Regularibus ſunt conferenda. Nec enim fauor ita eſt extendendus, vt abſurdum ſequatur, quale eſſet, poſſe Equites pariter vtraque Beneficia obtinere contra Tridentini diſpoſitionem. Id fundamentum maiori adhuc vi pollet in ſententia aſſerente, Equites non eſſe ſtrictè Religioſos, ſed ſecundum quid; De qua egimus *diſq.* 2. *quaſt.* 2.

19 Nec obſtat, Equites eſſe capaces Commendarum, quæ adſtruuntur ab aliquibus Beneficia Eccleſiaſtica, & olim poterant eſſe Magiſtri Ordinum; quibus licet, quod eſt maius, licere debet, quod eſt minus. Etenim in plurimorum ſententia Commendæ non ſunt Beneficia Eccleſiaſtica, (de quo *infrà*) licèt fructus, & bona ad Ordinem pertineant, ac ſint bona Eccleſiaſtica, ſicut ſunt redditus, & bona omnium Religionum. Imò, quamvis aſſeratur, eas eſſe Beneficia, tamen deſtinata ſunt Equitibus; & ſicut illa nequeunt dari Clericis Fratribus, ita neque Beneficia deſtinata Clericis Fratribus poſſunt dari Equitibus, ob naturam, & diuiſionem ipſorum Beneficiorum ex ſua Inſtitutione, fine, & conſuetudine, vt ſatis oſtendimus.

Sed dices, in Definitionibus Ordinis Alcantarenſis *cap.* 1. *tit.* 6. aſſeritur, Magiſtrum Ordinis collaturum fore Dignitatem Sacriſtæ maioris de conſilio aliquorum, quin decernat, Clerico Fratri fore concedendam, &, vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, iuxta vulgare proloquium, & lex generaliter loquens generaliter eſt intelligenda, iuxta *l.* 1. *§. generaliter, ff. de legatis præſtand.* Et præterea *tit.* 18. *cap.* 7. aſſeueratur, Commendas, & Beneficia vacantia concedenda eſſe Equitibus, & aliis perſonis ſenioribus Ordinis benemeritis; & cum vna determinatio (vt loquuntur Authores) reſpicit plura determinabilia, pariformiter determinat; Ita tradunt Velaſco *de axiomatibus lit. D. numero* 82. Surdus *conſil.* 31. *numero* 15. Menochius *conſil.* 4. *n.* 21. *lib.* 1. Ergo cum non determinentur Clerici Fratres, vt eis Beneficia conferantur, poterunt Equitibus conferri. 20

Inſto argumentum. Commendæ, & Beneficia conferenda ſunt Equitibus, & aliis perſonis Ordinis benemeritis, quarum nomine includuntur Clerici Fratres; ergo, ſi Beneficia poſſunt conferri Equitibus, quia non determinantur perſonæ, etiam ob eandem rationem Commendæ poterunt concedi Clericis Fratribus. Idem ergo omnes reſpondere debemus, ſcilicèt intelligendam eſſe vtramque Definitionem, ſuppoſitis terminis habilibus, & ſingula ſingulis aptando. Tunc autem non eſt diſtinguendum, cum lex non diſtinguit, & non eſt reſtringenda, cum eſt generalis, quandò exindè abſurda non ſequuntur, vt in præſenti ſequi, ſtabiliuimus; & quandò non infertur alicui præiudicium, dum alius indebitè ad lucrum admittitur; vt in hoc caſu indebitè paterentur damnum Fratres; & indebitè ad lucrum admitterentur Equites; & demùm quando diuerſa ratio non militat, vt diſtinguatur lex; militare autem diuerſas rationes, iam patefecimus. Ea autem axiomata ſub his limitationibus eſſe intelligenda, tradit Velaſco *de axiomatibus lit. L. à num.* 58. Et eſt doctrina valdè communis. 21

Dices rurſùs, id munus Sacriſtæ maioris in Ordine Calatrauæ, & Alcantaræ non 22

debere

debere reputari Beneficium Eccleſiaſticum, atque adeò poſſe Equitibus conferri. Quippè munus Sacriſtæ temporale officium eſt, & non Beneficium, vt docent Villalobos *in ſum. tr. 37. diffic. 22.* P. Azor *tom. 1. lib. 13. cap. 3. quæſt. 4.* P. Leſſius *de iuſt. & iur. lib. 2. cap. 35. dub. 4. n. 26.* Quoniam ea portio ex bonis Eccleſiæ datur alicui ob munus docendi Grammaticam Clericos, aut pulſandi cymbala, & aperiendi, claudendique templi ianuas, ſeruandi vaſa, & ornamenta, accendendique lampades, quæ non ſunt functiones ſacræ; id autem eſſe munus Sacriſtæ, conſtat *ex cap. 1. de offic. Sacriſta, leg. 6. tit. 6. part. 1.* & ibi tradit Barboſa, ac P. Azor *tom. 2. lib. 3. cap. 16. quæſt. 4.* Id autem ipſum ſaltem ex parte pertinet ad Sacriſtas Ordinum, vt in Definitionibus Alcantaræ extat *tit. 6. cap. 2. & 3.* Nec munus Sacriſtæ eſt Dignitas, vt tuentur Tuſchus *practicar. concluſ. tom. 2. concluſ. 419. n. 24.* Barboſa *de appellat. verbo, Dignitas, n. 5.*

23 Reſpondeo, munus Sacriſtæ maioris in Ordine Calatrauæ, & Alcantaræ eſſe Dignitatem, Perſonatum, ſeu Beneficium, vt *in ſuperioribus* attigimus, & exprimitur ſæpè in Definitionibus eorundem Ordinum, & incunctanter à cunctis reputari Dignitatem, in Bulliſque Pontificiis ita recenſeri. Quòd autem munera, quæ exercentur, poſſent à ſæculari exerceri, & non ſint ſacra, parùm obeſt; nam ſufficit, affinitatem, & propinquitatem ad res ſacras habere; indeque in Eccleſiis Matricibus plures Dignitates ſuut inſtitutæ, quarum functiones non ſunt ſacræ, ſed ſacris affines; Dignitas enim Theſaurarij coæquatur muneri Sacriſtæ maioris. Munus Magiſtri Scholæ ex ſe eſt inſtruere in Fide Cathecumenos, & edocere Fidei ignaros; quod abſolutè uon eſt functio ſacra, ideòque docere ſcientiam Theologicam pretio accepto, non eſt ſimonia; in traditione autem Theologiæ, explicationeque Scripturæ Sacræ doctrina, & inſtructio Fidei contineantur; Et in Academiis ſæculares moderantur Cathedras Canonum, in quibus Eccleſiaſtica doctrina ex Concilijs, Patribus, & Fide traditur. Vide, quæ circa hæc omnia aſſerui *tom. de Iure Academico, lib. 2. à n. 102. & à n. 99.*

24 Quin, etiam ſi vltrò daremus, munus Sacriſtæ maigris eſſe temporale, adhuc non poſſet concedi Equitibus. Sicut enim Commendæ nequeunt dari Clericis Fratribus, quamvis à pluribus aſſeratur, eſſe Beneficia Eccleſiaſtica, & Clerici Fratres; ſint capaces Beneficiorum; eo quòd iam ex Inſtitutione, & conſuetudine deſtinatæ ſunt Equitibus; ita nec illud munus poteſt conferri Equitibus, eſtò hi forent illius capaces, quia ex Inſtitutione, & conſuetudine immemoriali deſtinatum eſt Clericis Fatribus, & magis proportionatum eis, quàm Equitibus. Aduertendumque eſt, argumentum deſumptum ex ratione muneris temporalis ampliùs probare, quàm in dubio præſenti intenditur, & indè minus roboris habere. Quippè, ſi Dignitas Sacriſtæ maioris poſſet conferri Equitibus, quia ſolùm continet munus temporale, valeret ſanè eis concedi, quamvis non eſſent Sacris Ordinibus initiati; ad munus enim precisè temporale obeundum Ordines Sacri non requiruntur; dubium autem præſens (quod ſpeciem difficultatis habet) eſt; an poſſit dari ea Sacriſtia maior, quæ Dignitas intra Ordinem reputatur conſtanter, & aliæ Dignitates, Equitibus conſtitutis in Sacris, nam de non conſtitutis, nullus, credo, adhuc dubitauit. Don Franciſcus de Ocampo *in Allegat. pro obtinendis Benefic. ſecularib.* ait, Fratres Clericos Iacobæos poſſe obtinere Commendas, quia in Ordinis Definitione, ſeu Statuto aſſeueratur, quòd Fratres habeant Commendas. Sed legat Didacum Mota Clericum Fratrem Iacobæum *De confirm. Ordin. lib. 2. cap. 1. §. 3. pag. 147.* Vbi ex Bulla Confirmationis, & ex aliis manifeſtè demonſtrat, vocem *Fratres* communem eſſe Equitibus, & Clericis Fratribus, & magis propriè ſupponere pro Equitibus; Et *n. 8.* addit; *Et ne in his immoremur, hoc eſt certum, quòd nomine* Fratres *aliquando non comprehenduntur Clerici; Et ſemper, & in omnibus locis Regula Sancti Iacobi, & Bulla Confirmationis Alexandri III. in quibus ponitur hæc vox* Fratres *ſemper comprehenduntur Fratres Milites.* Quare, vbi aſſeritur, Fratres habituros fore Commendas, ſermo eſt de ſolis Equitibus, vt ex contextu, ex ſubiecta materia, ex Inſtituto, ex diſtributione Beneficiorum, & Commendarum, ex vnione Canonicorum de Loyo ad Iacobæos, ac ex innumeris aliis capitibus euidentiſſimè conſtat; idque amplius probare, eſſet temporis inane diſpendium.

25 Maneat ergo, Equitibus, ſiuè initiatis ſacris Ordinibus, ſiuè non, neutiquam poſſe abſque diſpenſatione Pontificia Dignitates, ac Beneficia Eccleſiaſtica ipſorum Ordinum conferri; & à fortiori nec Prioratus Monaſteriorum, ſeu quoſvis alios iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentes; ſed Clericis Fratribus debere concedi.

QVÆSTIO III.

Quibus exemptionibus gaudeant Dignitates Ordinum Militarium?

26 Libauimus *ſuperiùs* munus Clauigeri, Sacriſtæ maioris, & Operarij. De Prioribus etiam plura dedimus. De Commendatariis maioribus erit agendum *infrà diſq.* 10. Breuiter nunc harum Dignitatum exemptiones attingemus. In Capitulis Generalibus ius ſuffragij habent, quare ad illa debent conuocari. In ipſis autem Capitulis ſedes primas occupant poſt Regem noſtrum, ſeu Præſidem Capituli à Rege deſignatum, præceduntque cæteros omnes Commendatarios, Equites, & Clericos Fratres. Nec ſolùm in præfatis Capitulis, verùm vbicumque Dignitates cum aliis eiuſdem Ordinis concurrunt, eos debent ſede, & loco præcedere, quamuis illi ſint ætate maiores, aut in Ordine antiquiores; niſi fortè ratione alicuius muneris Regij his, qui non ſunt Dignitates, præcedentia debeatur accidentaliter.

27 In Ordine Alcantaræ omnes Dignitates ſub nomine Seniorum, vulgò *Ancianos*, continentur. Olim autem plurimum Senioribus deferebatur, cum Magiſtri eorum vterentur conſilio ad electiones, & ad grauiora Ordinis negotia peragenda. Illi etiam deſignabantur in Iudices cauſarum criminalium, quarum Religioſi Ordinis erant Rei. Sacriſta verò maior Secretarius Capituli, & ſigillum Ordinis apud ſe habet. Priores autem Alcantaræ, & de Magacela aſſiſtunt Capitulis, & Definitorijs, non ſolùm quia ſunt Dignitates intra Ordinem, ſed quia Capitulis debebant olim aſſiſtere duo Abbates Ciſtercienſes, vt præcepit Sixtus IV. in Bulla, quæ incipit, *Ad Sanctam*, & extat in Bullario Ordinis *pag.* 54. Prioribus autem prædictis id aptandum eſt, idemque munus gerunt, ac Abbates. Prætereà in Ordine Calatrauæ Clauiger, & Sacriſta maior exonerantur à ſoluendis aliquibus ſubſidiis Theſauro Ordinis. Ipſe autem Clauiger, & Commendatarius maior proprium ſigillum habent; In Commendatarij maioris ſigillo Crux eſt inſculpta; in ſigillo autem Clauigeri Crux, compedes, & duplex clauis.

28 De his omnibus videantur Statuta Ordinis D. Iacobi *tit.* 10. *cap.* 5. & ſæpè obiter. Definitiones Ordinis de Calatraua *in prologo, cap.* 9. & *tit.* 1. *cap.* 5. *ac tit.* 13. *cap.* 1. & *titulo* 24. *cap.* 7. Definitiones Ordinis de Alcantara pag. 22. *Et in prologo cap.* 3. & *tit.* 41. *cap.* 1. nec non pluribus aliis in locis.

QVÆSTIO IV.

De Officialibus, ſeu Officia, ac Munera ſpiritualia, & temporalia gerentibus in Ordinibus Militaribus. Vbi, an poſſint aliqua alienari?

Ordines Militares, cum ampla adeò iuriſdictione temporali, vltra ſpiritualem, gaudeant, redditiuſque ingentes, ac bona cumulata poſſideant, ad rectam adminiſtrationem ſingulorum, plures, ac diuerſos deſignant Officiales, ſeu Miniſtros, qui munia neceſſaria obeant, ac munera gerant. Et quidem alij à Rege noſtro eliguntur, poſt conſultationem Senatus Ordinum; alij ab ipſo Senatu; alij demum à Capitulis Generalibus, & præfixum iam eſt in Statutis, & Definitionibus, ac ex conſuetudine, & praxi, ad quem attineat cuiuſque deſignatio, & electio. 29

Priores, & Dignitates Ordinum iam recenſuimus; De ipſo Regio Senatu Ordinum plura dedimus, & dabimus, præcipuè *diſquiſ.* 17. Iam breuiter ad alia pergamus. In Ordine D. Iacobi ſequentes recenſentur Vicariæ iuriſdictione ſpirituali gaudentes; nempè in Oppidis de Villanueua de los Infantes. Villarodrigo. Villalua. Eſtriana. Xerez. Emerita. Tudia. Ieſte. Carauaca. Veas. Segura de la Sierra. Aledo. & Totana. Sunt in hoc Ordine centum, & octoginta Beneficia Curata, & ſimplicia. Dominium Ordo habet trium Ciuitatum, & ducentorum ac ſeptem Oppidorum. Duodecim ad ea regenda Gubernatores à Rege deſignantur, quorum quinque ſunt ipſius Ordinis Equites; ſeptem verò Iuriſperiti. Duodecim inſuper ſunt Præfecturæ Arcium, ac Oppidorum, Hiſpanè *Alcaydias*. Numerabantur quinque abhinc annis mille quingenti Equites Iacobæi, & ducenti Clerici Fratres. 30

In Ordine Calatrauæ ad ditiones, & territoria propria regenda quinque deputantur à Rege Gubernatores; ex illis duo ſunt Equites ex ipſo Ordine; tres verò Iuriſperiti. Quædam eſt Vicaria in Oppido de Martos, iuriſdictione ſpirituali gaudens, ſed non omnimoda; nam aliqua in eo territorio ſpectant ad Epiſcopum Giennenſem. Plurima Beneficia Eccleſiaſtica obtinet Ordo, ad quæ promotio datur, modo dicendo. 31

dicendo *inferiùs diſq.* 11. At ſeptemdecim Beneficia à Rege noſtro conceduntur, conſultatione Regij Senatus Ordinum præhabitâ, vocanturque Prioratus; Et, qui illos obtinent, nuncupantur Priores formati, & vndecim ex ipſis ſubſtitutos in Eccleſiis, ad Curam animarum, habent, ac ſolùm duobus menſibus in eis reſidere tenentur; Et quidem ſuſpicor, ipſos ſe ab omni reſidentia deobligatos cenſere; quod forſan conſuetudo induxit; maximè cum hæc Beneficia ſapiant naturam Beneficiorum ſimplicium, ſi quidem reſidentiam continuatam, inſtar Curatorum, non exigunt. Alij ſex Priores formati priuilegiis gaudent, non verò redditibus, nec ad reſidentiam tenentur. *Formati* autem nuncupantur, quia eo tempore, quo Commendæ fuerunt inſtitutæ, Prioratus hi ab Ordine formati ſunt, vt Clerici Fratres inibi Sacramenta Equitibus, & vaſſallis miniſtrarent. Suffragium in Capitulis Generalibus habent Priores formati, & poteſtatem diſponendi, ac teſtandi de bonis immobilibus. Sacriſta maior Ordinis gaudet priuilegiis Prioris formati. Videatur Rades *in Chronica Calatraua cap.* 9. *&* 32. Vbi oſtendit, aliquos Prioratus fuiſſe extinctos, & indè credam, nomen Priorum remanſiſſe, abſque redditibus. In hoc Ordine ſunt quinque Præfecturæ Arcium, & Oppidorum.

32 In Ordine Alcantaræ territoria, & Oppida, quinque ſubiacent Gubernatoribus à Rege electis, quorum duo debent eſſe Equites ex eodem Ordine, tres verò Iuriſperiti. Septem itidem ſunt Arcium, & Oppidorum præfecturæ; plurima item Beneficia Eccleſiaſtica, de quibus redibit ſermo *diſq.* 11. præter prioratus, ac Dignitates, quos iam retulimus.

33 De Arcium munimine, & cuſtodia olim ingens erat ſollicitudo, de aliquibus nunc exigua, cum nec bella vicina immineant, & facilè iam expugnari queant. Extant plures Ordinationes circa iuramentum fidelitatis præſtandum à præfectis; curam ab illis habendam: arma illuc immittenda; atque vt non alij, niſi Equites ipſorum Ordinum, præfecturas obtineant, & circa huiuſmodi alia, in Statutis Iacobæis, *tit.* 8. *ex cap.* 10. In Definitionibus Calatrauæ *tit.* 11. *cap.* 2. In Definitionibus Alcantaræ *tit.* 27.

34 In ſingulis Ordinibus Militaribus eligitur Eques ex ipſis in procuratorem Generalem, qui in Curia Regia, aſſiſtat, & cuius ſit, negotia ſui Ordinis pertractare, promouere, atque ſollicitare, tum apud Regem noſtrum, tum apud Ordinum Senatum; Procuratores autem Generales aſſident, ſimul cum ipſo Ordinum Senatu in Actibus publicis; & de eorum vxoribus Informationes de qualitate ſanguinum fiunt; ſicut etiam de vxoribus Equitum Fiſcalium, vt *alibi* diximus. De eiuſmodi Procuratorum electione, munere, ſtipendio, & obligationibus, conſule in Statutis Iacobæis *tit.* 21. *cap.* 11. In Definitionibus Calatrauæ *tit.* 17. In Definitionibus Alcantaræ *tit.* 20. Vbi etiam ſtatuitur, mittendos fore ad Curiam Romanam Procuratores pro negotiis cuiuſque Ordinis; necnon ad Cancellarias regias, in quibus ſolent lites aliquæ exagitari, quæ Ordines ipſos concernunt.

Similiter in vnoquoque ex tribus Ordinibus Militaribus deputatur Eques Fiſcalis, (qui alius eſt à Fiſcali Senatus Ordinum) cui incumbit ſollicitudo indagandi, quo modo in ſuo Ordine Statuta, & Definitiones adimpleantur, iuriſdictiones conſeruentur, Commendæ detrimentum non capiant, Eccleſiæ Miniſtris, & cultu diuino non deſtitnautùr; & cætera alia, quæ ad regimen, & ſplendorem ſpectant; de quibus admonere tenetur, iuxta rerum qualitatem, Regem noſtrum, aut Senatum Ordinum, vel etiam Capitula Generalia, cum celebrantur. Fiſcales etiam cum Senatu ipſo Ordinum in Actibus publicis ſedem habent. De illis plura inuenientur in Statutis D. Iacobi *titulo* 19. *cap.* 12. In Definitionibus Calatrauæ *tit.* 17. *ex cap.* 2. In Definitionibus Alcantaræ *tit.* 29. *ex cap.* 4. Vbi ſtabilitur, qnid in ſpeciali ad eos ſpectet circa defunctos Ordinum, Hoſpitalium Adminiſtratores, Decreta, Schedulas Regias, & alia eiuſmodi. Præterea in præfatis Statutis, ac Definitionibus ſtatuitur, debere variis in locis pro neceſſitate negotiorum Sollicitatores conſtitui; Aduocatos cauſarum, cæteroſque Officiales, Notarios, Tabelliones, & Procnratores ſpeciales deſignati, vt cuncta rectè, & debito modo peragantur; necnon Procuratores Generales, ſi fortè à Curia abſint, (quod vitare tenentur, niſi cauſa vrgeat) aliis fore ſuas vices commiſſuros, ne ſollicitudo negotiorum capiat detrimentum; atque apud ipſos, & Fiſcales librum extiturum, in quo exarentur, quæ à Senatu Regio Ordinum circa ipſos Ordines expediuntur; Quæ omnia recta ratio gubernationis expoſcit. 35

Adminiſtratores varij ſunt in Ordinibus; 36
Nam alij conſtitnuntur in Monaſteriis Monialium, ad quos attinet cura ſpiritualis ipſarum, Sacramentorumque adminiſtratio, & ſimul rei temporalis ſollicitudo, ac promotio bonorum, quibus Monaſteria gaudent. Sunt etiam Adminiſtratores Hoſpita-

Digitized by Google

lium Ordinum, quorum eſt, de redditibus, & eleemoſynis curare, ac in ægrotantium leuamen, & aſſiſtentiam incumbere, ne in piis adeò operibus quidquam deſideretur. In Monaſteriis ipſis Clericorum Fratres Adminiſtratores bonorum deſignantur; rurſùs Adminiſtratores Commendarum vacantium, & earum, quæ, ſub lite eſt, ad quem ſpectent; Necnon Adminiſtratores bonorum, quæ Eremitoria poſſident; præterea Adminiſtratores ad colligendas dimidias annatas, & alij ſimiles; quorum munus, iuramentum fidelitatis, obligationes, ſtipendia, fideiuſſiones, variis in titulis Statutorum, & Definitionum continentur, & ſub verbo *Adminiſtrador* videri poſſunt.

37 In Ordinibus Militaribus ſummæ applicatæ ad ipſorum communes expenſas in vnam veluti maſſam congregantur, quæ vocatur Ordinis Theſaurus, & ſtabilitum iam eſt, quid ex Commendis, dimidiis annatis, & huiuſmodi aliis ad Theſaurum ſpectet. Eques deſignatur ex ſingulis Ordinibus in Theſaurarium; Quomodo autem in Ordine D. Iacobi ſit expendendus, & plura circa illum continentur in Statutis *tit.* 15. *cap.* 35. In Ordinibus Calatrauæ, & Alcantaræ Theſaurus conſtitutus eſt authoritate Pontificia, & Bullæ extant tranſcriptæ in Definitionibus Calatrauæ *tit.* 20. & in Definitionibus Alcantaræ *tit.* 24. *cap.* 2. in quibus conſtitutio Theſauri Apoſtolica poteſtate approbatur, & decernitur, quibus in rebus debeat inſumi; & facultas conceditur Adminiſtratoribus perpetuis de conſilio Capituli Generalis, vel ſaltem Diffinitorum, aut Seniorum in Curia Regia reſidentium, diſponendi de bonis Theſauri ad expenſas neceſſarias pro Ordine Monaſteriis, locis, fabricis, expeditione quarumcumque literarum, etiam Apoſtolicarum, oneribus Ordinis, ſatisfactione, remuneratione, & compenſatione illorum, qui in negotiis Ordinis occupantur, vel latiùs in ipſis literis Pontificiis continetur.

38 Ibidem in Definitionibus præfiguntur qualitates Theſaurarij, fideiuſſiones præſtandæ, rationes dati, & accepti reddendæ, tempus durationis huius muneris, ſtipendia, forma colligendi redditus, & tertias, hiſque ſimilia ad amuſſim obſeruanda. In Capitulis Generalibus eliguntur Theſaurarij, Procuratores Generales, & Fiſcales Equites.

39 Nec prætereundum hic eſt, quàm ſtricta ſit in conſcientia obligatio, expendi Theſaurum in eas res, & onera, pro quibus eſt conſtitutus. Quare non licet bona illius alienare; nec in alias res expendere, aut aliquo modo fraudare; cum id ſit in præiudicium Ordinum, quibus grauis læſio infertur, neceſſariò, & ex iuſtitia reſtituenda, & compenſanda. Quod præ oculis habeant tum ipſi Theſaurarij, tum hi, ad quos ſpectat diſpoſitio bonorum Theſauri; & quidem in literis Apoſtolicis id diſtrictè iniungitur. Nomine autem bonorum Theſauri non ſolum intelligo ea, quæ iam ad ipſum peruenerunt, ſed etiam quæ iam deſtinata ſunt, vt ei applicentur; nequeunt enim hæc ad vſus non debitos anticipatò præoccupari.

Sunt præterea in Ordinibus Militaribus alij Officiales, veluti Depoſitarij, apud quos bona deponuntur, quæ vel ad ipſos Ordines ſpectant, vel ſub lite eſt, ad quem pertineant; Receptores, qui redditus, ac bona quouis titulo Ordinibus debita colligunt; Cenſores rationum, qui dati, & accepti rationes introſpiciunt, ac recolunt. His omnibus, præfixum iam eſt, quid ex proprio munere incumbat. Ad Senatum verò Regium Ordinum, præter ipſos Iudices, ſeu Conſiliarios, ac Fiſcalem, conueniunt Aduocati pro cauſis ciuilibus, & criminalibus; Relatores, qui negotiorum, ac litium merita ex ipſis Inſtrumentis deprompta coram Senatu referunt; Procuratores, & alij ſimiles, de quibus *diſq.* 7. ſermo redibit. 40

Cæterùm ad quid teneantur in ſpeciali ſinguli ex his, quorum *in hac quæſt.* meminimus, ratione Officij, & muneris, longiſſimam deſiderabat diſputationem, ſed non Inſtituti noſtri propriam, quin potiùs communem omnibus, qui ſimilia Officia, & munera exercent. De quibus, præter alios, latiſſimè tractant Machado *tom.* 2. *de perfecto Confeſſario*; P. Petrus de Oñate *tom.* 2. *de Contractibus*; Et ego plurima tradidi *tomo in Bull. Cruciata, diſput.* 34. *&* 35. 41

Poteſt in præſenti inquiri, an hæc Officia, ſeu aliqua ex illis poſſint alienari, ſeu vendi, aut conferri alicui, & ſimul duobus, vel tribus Succeſſoribus ipſius? Suppono, bona propria Ordinis, Commendas, redditus Beneficiorum, decimas, & ſimilia, vtpotè bona Eccleſiaſtica, non poſſe abſque licentia, & diſpenſatione Pontificia alienari; Extat autem Bulla antiqua Benedicti XII. qui præſcripſit formam, & ſolemnitates ad alienandum bona immobilia Ordinum, cenſus, & redditus ſuper Facultates Regias; quæ affertur, & expenditur in Definitionibus Calatrauæ *tit.* 20. *cap.* 1. Et ea alienatio prohibetur in Definitionibus Alcantaræ *tit.* 7. *cap.* 7. niſi præcedat informatio euidentis vtilitatis, & licentia Capituli Generalis, dum celebratur, aut aliàs Senatus Ordinum. 42

dinum. De Officiis verò, quorum deſignatio ad Capitulum Generale ſpectat, decernitur in Statutis Ordinis D. Iacobi *tit.* 15. *c.* 18. vt nullum poſſit ab vno in alium renuntiari, aliàs eo ipſo vacet.

43 Sed in primis cenſeo, aliqua eſſe Officia omnino temporalia, v.g. Theſaurarij, Depoſitarij, Receptoris, Procuratoris, Tabellionis, & ſimilia. In his alienandis (ſi aliundè alienatio liceret) nulla ſimoniæ labes intercederet, cum non accipiatur pretium pro re ſpirituali, aut annexa rei ſpirituali, ſed pro merè temporali. Quod euidenter patet, nam in Tribunalibus Eccleſiaſticis Epiſcoporum, Officia Notariorum, & ſimilia alienantur, & iure hæreditario in ea ſuccedit ur abſque ſimoniæ labe; ergo pariter ſimonia non committeretur in Officiis alienandis.

44 Deindè arbitror, ea Officia, quæ Capitulum Generale ſimul cum Rege confert, non poſſe ab alterutro ex illis ſeorſim alienari, vendi, aut donari; Quippè Capitulum non ſtat abſque Rege, qui caput eſt illius, nihilque poteſt operari abſque Capite, aut alio ipſius vices gerente; imò ſi aliquid ex dictis eſſet præſtiturum, deberet Rex conſuli, eiuſque conſenſus expectari; nam is, qui loco ipſius conſtituitur, vt præſideat, non cenſetur ad res extraordinarias poteſtate independente à conſenſu expreſſo Regis gaudere; Quin omnia, quæ à Capitulo fiunt, poſtmodùm Regi manifeſtantur, vt ipſe ſubſcribat. Rurſùs nec ipſe Rex ſolus poteſt ea Officia alienare, aut conferre modo *ſuprà* appoſito; quippè fieret Ordinibus præiudicium, ipſorumque iuri derogaretur, & vteretur Rex poteſtate, qua caret; cum ea Officia, vt ſupponimus, non ſpectent ad eum, quà Rex eſt, ſed quà Adminiſtrator eſt Ordinum, & ſimul cum Capitulo Generali poteſt deſignare eos, qui illa ſunt obtenturi. Quando autem ea Officia vacant, & Capitulum non eſt congregatum, in Statutis, ac Definitionibus præfigitur, quomodo ſint conferenda, & in quorum conſortio Rex electurus eſt eos, qui illa exerceant; niſi ex Ordinum beneplacito tota poteſtas priuatiuè in eo caſu ad ipſum Regem deuoluatur; quod beneplacitum conſtare debet, nam præſumptio ſtat pro iure Ordinis.

45 Demùm iudico, adhuc Officia temporalia, quæ ſolus Rex ipſe, vt Adminiſtrator, poteſt conferre, non poſſe à Rege alienari abſque diſpenſatione Pontificia, & Ordinnm conſenſu; nam ea Officia ſunt bona propria Ordinum, quorum Rex non eſt dominus, ſed Adminiſtrator. Quod fundamentum latiùs firmabo *inferiùs diſq.* 27. *q.* 2. *ex n.* 24. Vbi pro re nata hanc difficultatem iterùm euoluam.

DISQVISITIO IX.

De Monaſteriis, & Collegijs Ordinum Militarium.

QVÆSTIO I.

Monaſteriorum finis, & regimen.

IN ipſo Ordinũ Militarium exordio ſedem, ac domiciliũ ſibi elegit vnuſquiſque ex illis, vbi cum Magiſtro omnes Militares degebant, dum ad bella non properabant, niſi illi, qui ex Magiſtri ipſius conſenſu, aut mandato in aliis muniis detinebantur. Id præcipuè viguit in Ordinibus Militaribus ſub Ciſtercienſi Inſtituto erectis, in quibus nec Equites poterant nuptias contrahere, donec ſuccedentibus temporibus ab Apoſtolica Sede nuptiæ eis permiſſæ ſunt. Iacobæi namque Equites cum à prima inſtitutione, expediti fuiſſent ad matrimonia ineunda, dum eis à bello vacabat, ſuæ domi, & familiæ curam habebant, nec fas illis erat, vxores abſque vrgenti cauſa deſerere, vnde nequibant in Monaſteriis continuò habitare. Liberi ab hac domeſtica ſollicitudine Equites Ciſtercienſes, & aliundè multo pauciores numero, quàm nunc ſunt, ſimul degebant; & pariter Clerici Fratres, qui eis Sacramenta miniſtrabant, & Officia Eccleſiaſtica in Choro peragebant. Priori autem Monaſterij incumbebat omnis ſpiritualis iuriſdictio, de quo latè *in ſuperioribus.* 1

Exindè Monaſteria capita Ordinum extitere, vtpotè præcipuæ, ac vnicæ Ordinum ſedes; vnde in eis Habitus concedebantur, Profeſſiones fiebant, congregabantur Capitula, Magiſtri magna ex parte reſidebant; quæ, & alia partim nunc etiam obſeruari debent, niſi diſpenſetur, vt *diſquiſition.* 3. attigimus. In eis præterea ſcrinia Ordinum ſunt, in quibus Bullæ, Priuilegia, Inſtrumenta publica, Informationes, & plura huiuſmodi cuſtodiuntur. Ipſi Ordines, præter Iacobæum, in Hiſpania ſuum nomen ſunt ſortiti ab Oppidis, ſeu territoriis, in quibus erecta fuerunt Monaſteria; & Monaſterio mutato, etiam nomen mutabatur, vt videre 2

eſt

eſt in Ordine Alcantarenſi, qui priùs fuit nuncupatus Ordo Sancti Iuliani *del Pereyro*, ob Monaſterium in territorio *del Pereyro*, ſitum; & poſtmodùm Ordo Alcantaræ fuit appellatus ob Oppidum, & Monaſterium Alcantaræ, quod, primo Monaſterio extincto, viget; imò cum vtrunque permanebat, vocabatur Magiſter, & Ordo Sancti Iuliani, & Alcantaræ ſimul. De his plura dedimus *diſquiſition. prima, quæſtion. octaua.*

3 Poſtmodùm autem, cum Equitum Militarium numerus valdè creuiſſet, & inſuper diſpenſatum fuiſſet cum eis, vt nuptias inirent, non valuerunt intra Monaſteria degere; hæcque deputata ſunt Clericis Fratribus, qui etiam ab initio in eis fuerant commorati, vt ibi vitam Religioſam agerent, Eccleſiaſticoque cultui inuigilarent, vt præſtant, nec indè exeunt, niſi ad Collegia Salmantina, vt literis incumbant, ſtudia recolant, vel etiam publicè in Academia doceant, vel Beneficia, Cappellanias, aliaque munera ipſorum propria gerant, vt *diſquiſit.* 3. tradidimus Et quidem in præfatis Monaſteriis Regularis floret diſciplina, ac cultui diuino ſtrenuè inuigilatur Dixi, Monaſteria deputata eſſe Clericis Fratribus, quod intellige de redditibus Monaſteriorum, qui ad eos alendos deſtinantur; nam in reliquis eodem modo ſe habent, ac olim, Monaſteria; & per accidens eſt, quòd ibi Equites non denegant. His autem eſſe communia Monaſteria, cernitur, quia ex Definitionibus debent Habitum in eis ſuſcipere, Nouitiatum quoad aliquod tempus agere, Profeſſionem emittere; &, quoties Equites in eis verſentur, ſuas ſedes proprias in Choro, ac in Capitulis habent. Nec Monaſteria eſſent Ordinum capita, ſi ſolùm Fratribus Clericis, (qui ſoli Ordines non conſtituunt) deſtinarentur. Sunt ergo ſedes ſingulorum Ordinum; & indè ſe habent adinſtar Eccleſiarum Cathedralium, quæ ſunt ſedes Epiſcoporum. Quare crux Monaſterij in Proceſſionibus præcedit Cruces Eccleſiarum territorij, ſiuè in his Parochi ſint Clerici Fratres, ſiuè Clerici ſæculares; & Proceſſiones generales ab Eccleſiis Monaſteriorum egrediuntur, cæteris illuc conuocatis. Demùm iuriſdictio Ordinum in Monaſterijs eſt radicata, vtpotè in propriis, primis, ac præcipuis Ordinum ſedibus.

4 In Ordine Diui Iacobi (præter Monaſterium de Parmella in Luſitania) tria ſunt erecta; alterum Sancti Marci in vrbe Legione, pro Regno Legionenſi: alterum in loco de Vcles, pro Regnis Caſtellæ, aliud demùm in Vrbe Hiſpalenſi, D. Iacobi nomine nuncupatum. Erectum fuit anno 1410. à D. Laurentio Suarez de Figueroa, & ab Ordine exemptum ex Pontificiis Bullis. At Martinus V. anno 1419. ſub obedientia Magiſtri ſolius illud conſtituit; Et anno 1480. fuit incorporatum Ordini in Capitulo Generali à Magiſtro D. Alfonſo de Cardenas. In Ordine Calatrauenſi Monaſterium Calatrauæ; In Alcantarenſi Monaſterium Alcantaræ, In Ordine de Monteſa Monaſterium Monteſæ; In Ordine de Auis Monaſterium in Oppido de Auis; & in Ordine Chriſti Monaſterium in Oppido de Tamar. Ordo S. Ioannis, præter Monaſterium præcipuum, ac caput ipſius Ordinis, quod eſt in inſula Melitenſi, non pauca alia in diuerſis Regnis, ac maioribus Prioratibus habet; In Hiſpania Monaſterium S. Mariæ del Monte in diœceſi Toletana; In Regno Nauarræ Monaſterium in Oppido *Puente la Reyna*, & in Regno Aragoniæ Monaſterium de Calpe, & aliud in Luſitania.

Ea fuit ſemper inuiſcerata Ordinibus cura, vt Monaſteria promouerentur, ac fouerentur, quaſi baſes, & fundamenta, quibus Religionis moles innititur, & hæc firmior ſtabit, dum illa vndique munita perſeuerent. Quare pro eorum recto regimine in ſingulis Ordinibus ſuæ extant regulæ, ac Definitiones; In Statutis Ordinis D. Iacobi, præter ea, quæ in Regula Ordinis continentur, datur de Monaſteriis *titulus* 12. Atque, vt concordia, & pax vigeat in illis, ſtabilitum eſt, vt in Monaſterio de Vcles Prior alternatiuè alter eſſet ex Prouincia, quam vocant *Mancha*, alter ex ea, quæ vocatur *la Ribera*, & *Campo de Montiel*; Et ex quadraginta quatuor Clericis Fratribus, quorum octo in Collegio Salmantino verſantur; dimidia pars ex vna Prouincia, dimidia ex alia eſſet, ita tamen vt quatuor eſſent ſemper ex Campo de Montiel. Id in ipſo Monaſterio inter ipſos Clericos Fratres conuenit anno 1648. & Regem noſtrum certiorem fecerunt, vt ipſe concordiam ratihaberet, & à Pontifice confirmationem expoſtularet. In Conuentu S. Marci Legionenſis etiam extat concordia de Prioribus alternatiuè eligendis ex Prouincia Legionenſi, atque ex *Eſtremadura*. Quæ rectè ſtatuta ſunt, quidquid reclamet Barboſa *in praxi exigendi penſ. lib. 2. voto* 36. contendens, ſic auferri libertatem electionum. Sanè non aufertur, cum res ad vnum non redigatur; vt videre eſt in aliquibus Sacris Ordinibus; & in Ciſtercienſi ex duobus à Definitorio propoſitis cuilibet Monaſterio elargitur Abbas. In Definitionibus Calatrauæ extat *tit.* 2. de Monaſterio In Definitionibus 5

tionibus Alcantaræ *tit.* 5. In quibus ſtabilita ſunt, quæcumque opportuna, ac neceſſaria videntur ad regularis diſciplinæ obſeruantiam: diuinum cultum: electiones, ac numerum Fratrum Clericorum; pœnitentias pro culpis infligendas: adminiſtrationem bonorum; regimen Equitum ibidem cauſa nouitiatus, pœnitentiæ, aut ſimili degentium, & ad cætera alia, quæ occurrere valent. In quibus omnibus plura ſunt, quæ nullum in ſe dubium inuoluunt; quæ verò alicui difficultati anſam præbent, variis *huius Operis* locis elucidamus. De Monaſteriis vero Monialium Militarium agemus *diſq.* 14.

QVÆSTIO II.

De Collegiis Ordinum Militarium.

6 Clerici Fratres Militiarum literarum indigent ornamento, vt muneribus ſatisfaciant, ad quæ deſtinantur; quippè eis incumbit Sacramentorum adminiſtratio, animarum cura, regimen ſpirituale populorum, adminiſtratio Eccleſiarum, & non paucis iuriſdictio quaſi Epiſcopalis. Quanta autem doctrina, ac ſcientia ad hæc requiratur munera, ex ipſis terminis conſtat; Concilia, Patres, & Authores paſſim ingeminant. Plura affert in propria Fratrum Clericorum materia Didacus de la Mota *in Declaratione regulæ Ordinis Diui Iacobi, lib.* 2. *capit.* 33. *ex pagin.* 115. Et quidem omnes ſacræ Religiones (ſi vnam, vel aliam excipias) ad literarum ſtudia vehementer incumbunt, vt ſibi ipſis, Eccleſiæ, ac proximis ſinguli Religioſi ſint ſalutares, & diſciplinis inſtructi bono ſuarum animarum, ac vtilitati cæterorum conſulant; indè olim in ipſis Monaſteriis Vniuerſitates, ac Studia Generalia includebantur, vt de Benedictinis referunt Illeſcas *in vita Gregorij Secundi*, Hieronymus Roman. *in Republica Chriſtiana lib.* 5. *cap.* 19. ac alij; & deinceps ſemper in Monaſteriis, aut Collegiis Religioſorum ſtudia maximè floruerunt. Cum ergo Clerici Fratres Militarium ſint etiam Religioſi in Ordinibus ſacris approbatis, & deputentur ad munia, ad quæ alij Regulares, imò ad alia, cum munus Parochorum ſint geſturi, & aliqui iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem in Prioratibus, ac Vicariis Ordinum exercituri, par omnino eſt, vt totis animis literas ebibant, quibus ornati valeant Sacramenta adminiſtrare, concionari, populum docere, iudicaturam gerere, & exequi quæque alia ad Paſtores animarum, ac Prælatos ſpectantia. Quin ad ipſorum Ordinum conducit ſplendorem, ac decentiam, vt literæ in ipſis vigeant; quare ſinguli eas enixè promouere deberent, ſi zelo Religionis ducantur. Aliundè nequeunt decenter, ac ſtrenuè regere populos ſibi traditos, ſi dumtaxat vtcunque ſtudia didicerint; nec enim illiterati homines nouerunt vitia reprehendere, & eradicare; Chriſti D. legem edocere: & ſubditos ad æternam beatitudinem ſtimulare. Caueant hanc incuriam Paſtores animarum, memores, quòd S. Antoninus 2. *part. hiſtor. lib.* 16. *cap.* 14. refert, Sacerdotem damnatum alij Sacerdoti apparuiſſe, epiſtolam à Principe tenebrarum ſubſcriptam afferentem, ad Eccleſiaſticos Rectores, qua eis quàm plures agebat gratias pro negligentia in concionibus habendis, & vitiis obiurgandis, vnde tot æternis deputabantur incendiis. Sed de his latiùs *diſquiſition. vndecima, quæſtion. quinta.*

Collegia ergo Militaria erecta ſunt in locis aliquibus, vbi Academiæ florent, vt in eis Fratres Clerici ſcientias ediſcant, & recolant. Salmanticæ quidem Inuictiſſimus Imperator Carolus V. Hiſpaniarum Rex erexit tria Collegia pro tribus Ordinibus, Diui Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ; quæ de tanto Fundatore meritò gloriantur. Extat ibidem Collegium Ordinis Sancti Ioannis. Valentiæ erectum fuit Collegium Ordinis Monteſæ, quod Sancti Georgij nomen ſortitur. Conimbricæ vigent Collegia Ordinis D. Iacobi, de Auis, & Chriſti. 7

Maximam impendunt ipſi Ordines curam, ac vigilantiam, vt hæc Collegia in dies augeantur, literis, ac virtute emineant. Hinc pro eorum regimine, ac promotione Reges noſtri, & Capitula generalia plurima condiderunt ſtabilimenta, quæ videri poſſunt in Statutis Ordinis Diui Iacobi *titul.* 20. In Definitionibus Calatrauæ, *titul.* 3. In Definitionibus Alcantaræ, *titul.* 12. Vbi agitur de Rectorum electione, ac iuriſdictione, de eligendis Collegis, eorumque numero, & tempore Collegij, de lectionibus audiendis, ac recolendis, de inceſſu, victu, ornatu, clauſura, bonorum adminiſtratione, & de cæteris aliis, quæ iſthuc conducunt. Senatus etiam Ordinum de Collegiorum cura ſollicitatur, nequidquam ad ſtudia promouenda deſideretur. Nos decurſu *huius Operis* plura de illis pro renata tractamus. Et videnda ſunt quæ aſſeruimus *tom. de Iure Academico locis infrà referendis, & lib.* 4. *quæſt.* 1. *in* 2. *editione.* 8

Ad

9 Ad Ius Canonicum, Artes, & Theologiam addiſcendam deſignantur Collegæ, ita vt hi ad hanc Facultatem, illi præſcribantur ad illam à Senatu Ordinum, iuxta Statuta, & Definitiones; & ſinguli ei ſtudio incumbere debent, quod eſt ipſis præfixum; aliàs grauiter peccabunt, vt dicam *quæſtion. ſequenti*. Et quidem non aliter à Senatu Ordinum iu Collegiis permitterentur, ſed alij eorum loco forent deſignandi, quibus fit præiudicium; Et ſanè iuteruenit quaſi quidam contractus, ſeu pactum inter Ordinem, & Collegas; quo hi ſe obſtringunt ad Facultatem præſcriptam addiſcendam: ille verò ad eos iu Collegio alendos, dum id adimpleant. Ex aliis Collegiis exemplum, ac paritas rectè deſumitur; In eis enim à Fundatoribus, ſeu in Statutis deſignatæ ſunt togæ vel præbendæ, tot pro Theologis, tot pro Iuriſperitis; nequit autem ad Præbendam Theologam vacantem admitti Iuriſperitus; Quòd ſi aliquando hæc fiat commutatio, diſpenſatio à Nuntio Apoſtolico poſcitur, & non niſi pluribus conditionibus, ac limitationibus appoſitis, impetratur. Cum enim Statuta Collegiorum authoritate Apoſtolica ſint confirmata, nefas, & iniquum cenſetur, ea violare in re grauiſſima, ac in præiudicium tertij vergente. Igitur, cum in Ordinibus Militaribus Statuta, & Definitiones, hoc ipſo quòd à Capitulis generalibus edantur in lucem, Apoſtolica authoritate confirmentur, vel ſæpè *alibi* aſſerimus, ac prætereà accedat, Clericos Fratres eſſe ſub Obedientia prælatorum, & ab his iniungi, ac præcipi, quam præbendam ſint obtenturi Collegæ, fit, grauem eſſe culpam, nomine tenùs præbendam Theologam nanciſci, & Iuri Canonico ex profeſſo vacare, vel è contrà; ſicut ſi Theologus in aliud Collegium admitteretur ad præbendam Iuri Canonico præfixam, aſſerendo omnino falsò, eum eſſe Iuriſperitum.

10 Hinc Rectores Collegiorum ſub lethali tenentur ad exequendum omnino, quòd ſinguli Collegæ Facultatem ſibi præſcriptam ex profeſſo audiant, & addiſcant, nec aliud permittere, aut conniuere, niſi à Senatu Ordinum diſpenſatio obtineatur, quā non eſſe concedendam, aut valdè difficulter, mihi ſuaſerim; turbaretur enim Collegiorum, & ſtudiorum forma, & ordo; & tollerentur de medio vtilitates, quæ in vtraque Facultate à diuerſis addiſcenda, dignoſcuntur.

11 Inquires tamen; demus, Collegam de facto diuerſam Facultatem cæpiſſe addiſcere, ab ea, ad quam eſt deputatus, in eaque tribus, vel quatuor annis fuiſſe verſatum; tunc ſi Rector nouus ad Collegium aduenìat, ad quid teneatur? In primis, ſi Collega vnum dumtaxat annum inſumpſiſſet in ea diuerſa Facultate, ſanè tenetur Rector eum cogere, vt ad ſuam Facultatem audiendam redeat; exiguum enim eſt illud tempus, quod in alia addiſcenda inſumpſit, & ſupereſt tempus ſufficiens Collegij, quo valeat propriæ ſcientiæ præſcriptæ ſtudere. Deindè in caſu quæſtionis rigidum, ac durum eſt, ſcientiam mutare; indè enim fieret, nec vnam, nec aliam addiſci, cum tempus Collegij ſit limitatum; idque damnum prævalere videtur oppoſitæ obligationi. Aliundè prudenter interpretanda eſt voluntas Religionis, quæ pia eſt mater ſubditorum; &, quamuis ægrè ferat, violatum fuiſſe ſtatutum, ac Prælatorum obedientiam, ac, ſi res innoteſcat, puniat culpam; tamen cenſenda eſt, nolle, Collegam illum cum dedecore è Collegio repelli, vel ad aliam ſcientiam addiſcendam cogi, ita vt exindè nullam calleat, oleumque, & operam perdiderit. Indè ergo Rector poterit diſſimulare factum. Benigna ſanè eſt hæc deciſio, ſed videtur tuta, ac æquitati conſona. Nec abſque fundamento aliquis aſſereret, teneri Rectorem admonere Senatum Ordinum; nec curandum de decore indè emanaturo Collegæ, cum ipſe ſua culpa cauſam ſuggeſſerit.

Idem dixerim, ſi Collega per deſidiam non incumbat ſtudio. Et ſanè ſub mortali tenetur non omittere ſtudium priuatum; De quo egi *tom. de Iure Academico lib. 3. ex num.* 533. loquendo de Scholaſticis in communi; & rationes ibi adductæ proportionatè, & à fortiori militant in his Collegis Religioſis. Qui etiam, dum Curſus annuos literarios peragunt, tenentur ſub mortali audire lectiones in Statutis Academiæ deſignatas, vt tradidi *ibidem lib. 3. ex n.* 156. Vnde qui ſtudium omitterent, aut lectiones non audirent, in ſtatu peccati lethalis eſſent, à quo non poſſent abſolui, niſi vel ſtudio, & lectionibus vacarent, vel Collegium dimitterent. An autem reſtituere tenerentur, dicendum eſt idem, ac de illis, qui mutant ſtudium ſcientiæ, ad quam deputantur, de quo *q. 3. n. 21.* 12

Cæterùm non ſolùm in Collegiis litterarum ſtudiis incumbitur, verùm etiam in Monaſteriis Militiarum, in quibus deſignantur, qui diſciplinam moralem edoceant, vt in dies aptiores reddantur Clerici Fratres illic degentes ad munus Parochorum, cui accinguntur. Quare non perfunctoriè debet id præſtari, Prioreſque, ac Superiores tenentur conari, vt profectus in 13

litteris

litteris fiant, & ſua ſtudia recolant, qui è Collegiis iterùm ad Monaſteria redeunt. Videatur Moia *vbi ſuprà, ex pagin.* 212. latè exornans, & probans vitam religioſam, & monaſticam rectè cum litterarum ſtudio amicari, quin inter ſe deuotio, clauſura, ac obſeruantia cum exercitiis litterariis vllam gerant oppoſitionem. Plura circa id reperies apud Vincentium Iuſtinianum *in vita B. Ludouici Beltran cap.* 4. *fol.* 23. Michaëlem Salon *in vita Beat. Thomæ de Villanueua cap.* 5. *fol.* 51. P. Petrum de Ribadeneyra *in vita S. Parentis Ignatij, fol.* 170. Petrum Gregorium *in ſintagmat. Iuris vniuerſ. part.* 2. *lib.* 15. *cap.* 16. & cum Diuo Thoma eius Interpretes 2. 2. *quæſtion.* 188. *articul.* 5. Ex his ceruitur, valdè conducens fore, ſi in Monaſteriis Cathedræ Artium, & Theologiæ erigerentur, vt florerent litterarum ſtudia, quæ adeò neceſſaria ſunt ad omnia munera à Clericis Fratribus exercenda; nec enim omnes in Collegiis poſſunt verſari; & exindè eis doctrinæ traditio deficit, minúſque idonei reperiuntur ad Curam animarum exercendam, regendoſque in ſpiritualibus populos, & ad alia eiuſmodi. Quare deberent ipſi Ordines huic damno præcauere: Cathedras inſtituere: Magiſtros idoneos deſignare: redditus, ſeu ſtipendia illis prouidere; & totis conatibus, omnibuſque viis ſtudia promouere, à quibus ingentes adeò pendent vtilitates.

QVÆSTIO III.

An Clerici Fratres poſſint publicè in Academiis addiſcere Ius Ciuile? Vbi aliæ quæſtiones deciduntur.

14 Ratio dubitandi eſt, quia Religioſis prohibitum eſt ſub pœna excommunicationis ſtudere Iuri Ciuili, vt conſtat *ex cap. Non magnoperè, Ne clerici, vel Monachi; cap. ſuper ſpecula, eodem titul.* Videndus ſum Ego *tomo de Iure Academico, lib.* 2. *à nu.* 370. Vbi hanc prohibitionem latè exornaui. Quare abſque diſpenſatione in hac lege Eccleſiaſtica non poterũt Clerici Fratres Militares Ius Ciuile publicè addiſcere.

15 Propterea Iulius III. priuilegium conceſſit Clericis Fratribus Militiæ Sancti Iacobi, dum non eſſent Sacerdotes, vt poſſent Ius Ciuile addiſcere, & quidem publicè; nam priuatim non eſt prohibitum cuiquam vacare ſtudio legum Ciuilium, vt latè tradidi *tomo de Iure Academico, loco nuper relato.* Extat id priuilegium Iulij Tertij in Regula, & Statutis nouiſſimis Ordinis Sancti Iacobi, editis anno 1655. *fol.* 32. Verùm abſque vlla limitatione Sacerdotum, aut non Sacerdotum, & reſpectu trium Ordinum Militarium Sancti Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ, id priuiegium Clericis Fratribus conceſſit Gregorius XIII. ad inſtantiam Philippi II. Hiſpaniarum Regis, & Ordinum Adminiſtratoris; & quia Bulla non extat in Bullariis Ordinum, ſed in eorum ſcriniis aſſeruatur, eam placuit tranſcribere. Sic ſe habet.

GREGORIVS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Vniuerſalis regionis cura ſuſcepta nos admonet, vt cunctorum Chriſti fidelium neceſſitatibus, ea, qua poſſumus, ratione ſuccurramus. Exponi ſanè nobis nuper fecit chariſſimus in Chriſto filius noſter Philippus Hiſpaniarum Rex Catholicus, quòd cùm ipſe conſtringat diuerſos Sancti Iacobi de Spata, de Alcantara, & Calatraua Fratres, Freylos, ſeu aliàs nuncupatos, in diuerſis locis, & Collegiis etiam forſan ad hoc inſtitutis, Decretis, & Theologia incumbere, ac pro Decretorum intelligentia, neceſſe ſit, etiam Iuri Ciuili aliquam operam dare, id facere nullo modo poſſunt abſque Sedis Apoſtolicæ licentia. Quarè idem Philippus Rex, qui dictarum Militiarum perpetuus Adminiſtrator per Sedem Apoſtolicam ſpecialiter deputatus exiſtit, Nobis humiliter ſupplicari fecit, vt in præmiſſis dictorũ Studentium vtilitati cõſulere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos, qui Catholicorum Regum votis libenter annuimus, ipſius Philippi Regis ſupplicationibus huiuſmodi inclinati, omnibus, & ſingulis Sancti Iacobi de Spata, & de Alcantara, ac Calatraua Fratribus, nunc & pro tempore exiſtentibus, ac eorum ſingulis, quos deinceps in Collegiis etiam ad hoc deputandis, aut alibi in Decretis ſtudere contigerit, vt pro illorum faciliori intelligentia, ad tempus congruum, arbitrio ſuorum Superiorum Ius Ciuile, abſque alicuius irregularitatis, vel pœnæ incurſu, liberè & licitè valeant, Apoſtolica authoritate, tenore præſentiũ concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Militiarum prædictarum, & Ordinum, quorum illa exiſtunt, iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ, apud Sanctum Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die VIII. Septembris, M. D. LXXIII. Pontificatus noſtri anno ſecundo. Cæſar Glorierius. Fit mentio huius Bullæ in definitionibus Ordinis Alcantaræ *tit.* 27. *pag.* 333.

Conſtat ex hac Bulla, poſſe prædictos 16 Clericos

Clericos Fratres publicè in Academiis ſtudio Iuris Ciuilis operam nauare, & lectiones audire, in quibus Ius Cæſareum exponitur; attamen id præſtari debet cum dependentia à Superiorum arbitrio. Indè Senatus Regius Ordinum, ſeu Monaſteria deſignant Fratres, qui in Collegiis Militaribus Salmantinis degentes audiant Philoſophiam, ac Theologiam, & alios, qui Iuri Canonico ſtudeant; Hi autem eo ipſo poterunt ſimul Ius Ciuile addiſcere, vt rectiùs calleant Eccleſiaſticas leges. Et, quia ſolùm in ordine ad hunc ſcopum priuilegium fuit à Pontifice conceſſum, ideò ex profeſſo, ac principaliter, ſeu ſeorſim à Iuris Canonici ſtudio, nequeunt Iuri Ciuili operam nauare, ita vt dumtaxat illud addiſcant.

17 Hinc Senatus Regius Ordinum, ſeu Monaſteria non deſignant Fratres Clericos; qui in Collegiis deſtinentur ad audiendum Ius Cæſareum, id enim à Pontifice non eſt conceſſum; ſed vt audiant Ius Canonicum, & ſimul vt valeant illud rectè callere, Ius Ciuile concomitanter, ſeu conſequenter poſſint addiſcere. Hinc etiam nequeunt prædicti Clerici Fratres, cum matriculæ, ſeu albo Academiæ inſcribuntur, nomen ſuum dare Iuri Ciuili, id enim eſſet incumbere principaliter ſtudio Iuris Ciuilis, atque adeò non darent operam Iuri Ciuili in ordine ad finem à Pontifice intentum, ſcilicèt vt Ius Canonicum, cui addiſcendo dicantur, rectiùs, ac perfectiùs intelligant.

18 Verumtamen cenſeo, poſt peractos quinque Curſus literarios in Iure Canonico, & gradum Bacchalaureatus obtentum, poſſe illos matriculæ inſcribi in Iure Ciuili, vt in vtroque Iure Gradum conſequantur; Id enim eſt, doctrinam Canonicam iam auditam perficere, & ſupponit præcipuum ſtudium in Iure Eccleſiaſtico peractum. Quod ſic explico. Supponamus Clericum Fratrem quinque Curſus literarios ita impendiſſe Iuri Canonico, vt nihil Iuris Ciuilis didicerit; Hic ſanè poterit, vno aut duobus annis ſolius Iuris Ciuilis lectiones audire eo fine, vt Ius Canonicum meliùs calleat, quod eſt omnino iuxta mentem Pontificis. Si autem id præſtare poteſt, quid intereſt, quod matriculæ inſcribatur in Iure Ciuili, ſi quidem ei operam publicè nauat?

19 Dices, in eo oſtendi, principaliter Clericum Fratrem ſe tradere ſtudio Iuris Ciuilis, cum albo Academiæ inſcribatur in illo, Reſpondeo, ſi cum primùm ſtudia incipiat, id præſtaret, habere vim hanc obiectiunculam, tunc enim manifeſtaretur animus, tradendi ſe Iuri Ciuili, quin eſſet caput, vnde conſtaret oppoſitum. At in euentu poſito, cum præceſſiſſet ſtudium principale per quinque Curſus peractum in Iure Canonico, non poſſet is animus euinci, ſed potiùs oſtenderetur animus connectendi vtrumque Ius, & adiungendi diſciplinam legum doctrinæ iam auditæ Canonum, vt ſic doctior in hac auditor euaderet. Vnde conſequenter, ſi Clericus Frater in Academia alia didiciſſet Ius Canonicum, poſſet in Salmantina matriculæ inſcribi in Iure Cæſareo, ſicut poteſt ipſum dumtaxat audire, quia totum id tendit, vt in Canonico ſapientior euadat.

Cæterum in Statutis Ordinis Diui Iaco- 20
bi *tit.20. cap.2. & 3.* ſtabilitur, eligendos eſſe per ſuffragia Prioris, & Fratrum, eos, qui ad Collegium Salmantinum ſunt mittendi, ita vt ex Monaſterio de Vcles octo eligantur, totidem ex Monaſterio Sancti Marci Legionenſis, duo ex Monaſterio Hiſpalenſi; Ex illis autem ſingulis octo debeant quinque Artibus, & Theologiæ ſtudere, cæteri Canonicæ diſciplinæ incumbere; & ex duobus Hiſpalenſibus alter primis aſſocietur, alter ſecundis. In Definitionibus Calatrauæ *tit. 3. cap. 3. & 6.* ſtatuitur, illicò ac præbenda Collegæ Salmantini vacauerit, Priorem (ſeu Adminiſtratorem) ſimul cum quatuor Senioribus, & cum Moderatore Cathedræ Monaſterij, proponere debere Senatui Regio Ordinum tres, vel quatuor Clericos Fratres, qui vigeſimum quintum annum non excedant, vt Senatus deſignet ex illis vnum, qui Salmanticam pergat. Quòd ſi intra decem dies à notitia Præbendæ vacantis Clerici Fratres non proponantur à Monaſterio, Senatus iure deuoluto deſignat, quem velit. Ex Collegis autem totidem ſtudio Artium, ac Theologiæ, & Canonicæ doctrinæ tenentur vacare. Debent autem hi, ad quos ſpectat, eligere, aut proponere magis idoneos, cum id conducat ad Ordinum vtilitatem, & in Definitionibus ſtrictè caueatur, ac præiudicium fiat tertio, ſi, omiſſis aptioribus, minùs aptos aſſumant. In Definitionibus Ordinis de Alcantara *tit. 12. cap. 3.* inſertum eſt Decretum Regis Philippi II. vt Adminiſtratoris, in quo præcipitur *num.4. & 47.* quòd Prior Monaſterij de Alcantara proponat ipſi Regi, eiuſque Senatui Ordinum Clericos Fratres habiles, quoties in Collegio Præbenda vacauerit, vt eligatur is, qui aptior fuerit iudicatus, in qua electione

ſuffragium

ſuffragium habet Viſitator, qui ſi abſit, debet ſuum iudicium per literas clauſas exponere Senatui. Ex Collegis autem Alcantarenſibus tot debent audire Artes, & Theologiam, quot Facultatem Canonum. Cæterùm, cum Ordo reſeruauit Regi electiunem Rectoris Collegij Alcantarenſis, ſimul ei reſeruauit electionem Collegarum, ſeu etiam Capitulo Generali, aut Senatui Regio Ordinum, apud quem nunc electio verſatur.

21 Vbi præ oculis habendum eſt iuxta dicta *quæſt.* 1. eum, qui deſignatur ad audiendas Artes, & Theologiam, cum ingreditur Collegium, non poſſe ſcientiam mutare, inſuemereque Collegij facultates, quæ ab Ordine deſtinatæ ſunt ad determinatas perſonas. Et ſanè teneretur reſtituere, niſi inde excuſaretur, quia Religioſus eſt, adhuc intra Communitatem degens, nihil proprium habens; nec adhuc redditus ex Beneficiis obtinens. Indè etiam excuſari à reſtitutione videtur, quia eoſdem ſumptus, magis, minúſve, facturus erat per idem tempus in Monaſterio, ac in Collegio; Ordo autem, ſub cuius dominio ſunt facultates Monaſterij, & Collegij, neutiquam credi poteſt prudenter, quòd velit, reſtitutionem eam præſtari in prædictis circunſtantiis, quamvis ægrè ferat, & puniat Fratrem, qui deliquerit. Quod poſſet exemplis allatis ab aliis Sacris Religionibus comprobari, ſeruata proportione.

22 Animaduertendum etiam eſt obiter, poſſe Clericos Fratres Militares Gradum Magiſterij in Academiis ſuſcipere, in Artibus, & Theologia, ſicut poſſunt alij Religioſi non Militares, quibus in ſuis Ordinibus non prohibetur; nequaquam autem id prohibetur Religioſis Militaribus, ſed expreſsè indulgetur. Quare in Statutis D. Iacobi *tit.* 20. *cap.* 14. deſignatur quantitas, quam Monaſterium eſt erogaturum, ſi Frater Clericus Gradum Licentiatus, & Doctoratus accipiat in quavis Academia approbata, & in Salmantina.

23 Poſſunt etiam Gradum Doctoratus in Iure Canonico accipere; cum in ipſis Ordinibus id eis non prohibeatur, quin potiùs indulgeatur; (debent tamen licentiam ab Adminiſtratore Rege noſtro, ſeu Senatu Ordinum expoſcere, quod expreſſum extat in Statutis aliquorum Ordinum) & nullo iure caueatur, ne Religioſus eum Gradum accipiat; Quod latè tradidi, loquendo de omnibus Religioſis *tom. de Iure Academico, lib.* 2. *à num.* 387. Vbi *à num.* 379. diſſerui, an Regulares valeant gradu Doctoratus in Iure Ciuili inſigniri? Et quidem poſſe, aliquibus limitationibus adhibitis, tutatus ſum, quæ ibi ſunt videndæ, & aptandæ Clericis Fratribus Militaribus; vnde poſſent eum Gradum accipere, ſi licentia eis ab Ordine concederetur, quam non, niſi in raro euentu, concedi debere, *ibidem* oſtendi, & exornaui.

Conſequenter quidem poſſunt Clerici Fratres Militares publicè ducere Artes, Theologiam, ac Ius Canonicum & ad Cathedras harum Facultatum oppuni, eaſque moderari, vt de facto non pauci Viri inſignes in Collegiis Militaribus Salmantinis extitêre, qui Cathedras in Academia ſummo plauſu obtinuerunt. An autem poſſint docere Ius Ciuile publicè, & ad Cathedras eiuſmodi Iuris opponi, tractaui latè de omnibus Regularibus *loco nuper relato à num.* 357. *&* 377. agens itidem de Facultate Medicinæ, & aſſerui, attento Iure communi, quamvis Religioſi prohibeantur audire publicè Ius Ciuile, & Medicinam, non verò prohiberi edocere has Facultates; nihilominùs tamen, attenta conſuetudine præſcripta, & ipſarum Religionum prohibitionibus expreſſis, aut implicitis, ac ſtatus Religioſi decentia, & profeſſione, non poſſe docere eiuſmodi Facultates publicè. 24

Id aptandum eſt Clericis Fratribus Militiarum, in quarum Statutis, & Definitionibus ſatis id innuitur, dum, quoties de ſtudio literarum, quas illi ſunt profeſſuri, & audituri, agitur, ſolùm Artes, Theologia, & diſciplina Canonica exprimuntur, nec vllum verbum eſt de Iure Ciuili; vbi cernitur, voluiſſe Ordines propriæ profeſſioni, & decentiæ conſulere, & inſtar aliarum Religionum, conſuetudinem non docendi eiuſmodi Ius firmare. 25

Nec quidquam ex Bulla *ſuprà* tranſcripta poteſt in contrarium argui, imò potiùs ex ea noſtra deciſio roboratur, cum Pontifex ſuppunat, ſtudium Iuris Ciuilis ex profeſſo ſuſceptum non decere Clericos Fratres, atque adeò ſolùm eis indulgeat, quòd illud poſſint audire, quatenùs indè rectiùs calleant Ius Canonicum, quod eorum Inſtituti eſt proprium. Dices, ex ea Bulla prouenire, quòd Clerici Fratres poſſint in Senatores Regios deſignari (quod pluries contigit,) & in Senatibus ſententiæ iuxta Ius Ciuile proferuntur, quare illud debet ad id ex profeſſo noſci; ergo, ſi Iudices cauſarum ciuilium eſſe valent, etiam illud ipſum Ius Ciuile, quod publicè in ſententiis pronuntiant, poterunt edocere, cum eadem in vtroque militet 26

ratio. Reſpondeo, ex ea ſanè Bulla non poſſe colligi diſpenſationem, aut priuilegium, vel rationem, vt Fratres in Iudices cauſarum ciuilium poſſint aſſumi, vt cuique eam legenti erit manifeſtum. Quare aliundè depromenda eſt ratio, vt honeſtè, ac licitè ea munera exerceant. De quo *diſq.* 51. *num.* 61. Exindè ergo non fit argumentum, vt poſſint publicè Ius Ciuile tradere.

QVÆSTIO IV.

De Capellaniis, ſeu Miſſis inſtitutis in Militaribus Monaſteriis, & Collegiis, aliqua dubia elucidantur.

27 Nihil ferè ſpeciale occurrit circa Capellanias, ſeu Miſſas inſtitutas in Monaſteriis, & Collegiis Militaribus, cum idem de illis tradendum ſit, ac de aliis inſtitutis in Monaſteriis non Militaribus; Verùm quia de aliquibus dubiis in hac materia conſultus ſum, non erit abs re breuiter ea decidere. Dupliciter poteſt eſſe inſtituta Capellania, vel Miſſarum onus. Primò, relictis redditibus, vt in Monaſterio miſſæ celebrentur, quin exprimantur hi, per quos ſunt celebrandæ. Secundò, exprimendo perſonas, à quibus eæ miſſæ ſunt perſoluendæ. In primo caſu poteſt is, cui incumbit adimpletio, etiam per Clericos ſæculares, quibus ſtipendium ſoluatur, miſſas facere celebrari intra Monaſterium, aut Collegium. Quippè ſic ſatisfit voluntati Inſtitutoris non ampliùs exigentis; nec onus vltrà extendi debet, vt teneantur ad miſſas celebrandas ipſi Clerici Fratres. Et quidem diſcrimen datur in ea Inſtitutione ab Inſtitutione ſecunda; non verò aliud poteſt excogitari, niſi quòd in ſecundo perſonæ determinatæ tenentur ad eas miſſas celebrandas; ſecùs in primo.

28 In ſecundo ergo caſu, ſi Inſtitutor iniunxit, vt Clerici Fratres eas miſſas celebrarent, non ſatisfit, ſi alij eas celebrent. Hæc tutior, & valdè communis ſententia eſt. (Oppoſita eſt probabilis, de qua *infrà num.* 43.) Etenim Capellanus non poteſt per ſubſtitutum celebrare, quando in fundatione præfigitur clauſula, *Quòd Capellanus celebret per ſe ipſum.* Cum ſit contra mentem concedentis ſub eo onere ſtipendium. De quo extant plures Declarationes Cardinalium, quas affert Nicolaus Garcia *de Benefic. tom.* 2. *c.* 2. *ex num.* 87. & Gonzalez ab ipſo adductus plures Deciſiones Rotæ conglomerat. Subſcribunt Nauarrus *de Cleric. non reſident. conſil.* 6. *num.* 2. Ioannes Sanchez *in ſelect. diſput.* 50. *num.* 12. & alij. Excipi debet caſus, in quo Capellanus ægrotaret, tunc enim per alium miſſæ poſſent celebrari.

29 Hinc deducitur, ſi Capellaniæ, miſſæ inſtitutæ ſint celebrandæ in determinata Eccleſia, vel Altari, non ſatisfieri, ſi celebrentur in alio. Etenim ſi, ſit determinata perſona à Fundatore, ille, & non alius, debet celebrare miſſas; ergo determinata Eccleſia, vel altari, in ipſo, & non in alio miſſæ ſunt celebrandæ; neque vlla videtur eſſe diſparitas. Ratio à priori eſt, quia Inſtitutor Capellaniæ, & miſſarum in aliquo loco, Eccleſia, & Altari determinatis, non ſolùm inteudit Sacrificiorum ſuffragium, ſed quaſi æquè primò memoriæ perpetuitatem, & honeſtam ſui nominis memoriam, vel etiam familiæ ſplendorem; Quæ non obtinentur, niſi illæ conditiones adimpleantur; ex illis enim poſitis ſequitur, dignoſci cum populi ædificatione, in illa Eccleſia, ſeu Altari Capellaniam, aut miſſas perpetuas fuiſſe inſtitutas, & in memoriam, ac notitiam Inſtitutoris deuenitur. Præterea eius voluntas non poteſt mutari, (niſi accedat authoritas, poteſtas, & alia requiſita, de quibus iam egimus *diſq.* 7.) voluntas autem expreſſa ſupponitur tetendiſſe ad illud Altare, ſeu Eccleſiam, quaſi ſedem monumenti per miſſarum celebrationem perennaturi, & propter eius loci, aut Altaris veuerationem. Demum id liquidum redditur ab Inconuenienti; nam aliàs omnes Capellaniæ tranſmutarentur de loco in locum, de Eccleſia in Eccleſiam, nec maneret Inſtitutorum memoria, nec firmiter conſtaret, vbi miſſæ celebrarentur, nec Viſitatores Eccleſiarum poſſent fieri conſcij, iuxta ſui muneris obligationem, an miſſæ eſſent celebratæ, & Inſtitutioni ſatisfactum, aliaque huiuſmodi; Vnde fideles retraherentur à pia mente inſtituendi Capellanias, & miſſas. Ac profectò, dum Capellaniæ acceptantur, contractus interuenit oneroſus; Inſtitutor etenim redditus præbet; & acceptans obligatur ad onera ſubeunda; quæ ſi non ſubeat, non reſtat titulus ad percipiendum redditus, & ſtipendia, non aliter relicta, nec relinquenda, niſi pro eiuſmodi onerum adimpletione.

30 Hinc, ſi ægrotet Capellanus, aut abſens ſit, tenetur per alium celebrare miſſas in illo Altari determinato, nec ſatisfacit, ſi ipſe abſens

abſens alibi celebret. Quòd ſi determinata ſit perſona, & Altare, abſentiaque ſit brevis, nec dies ſint ſpecialiter præfixi ad Miſſas celebrandas, v.g. ſi ſolùm exigatur, vt octo, aut decem Miſſæ quolibet menſe celebrentur, dum totidem dies, finito abſentiæ tempore, ſuperſint, ipſemet Capellanus tenetur Miſſas celebrare; Quippè vrget obligatio, & ipſe poteſt adimplere, ergo teuetur. Quæ conſequentia in materiis moralibus legitimè infertur. At, ſi nec per ſe ipſum, nec per alium eas Miſſas in eo menſe celebrauit, tenetur quamprimùm eas celebrare in illo determinato Altari, per ſe ipſum, ſi præſens ſit; aut per alium, ſi abſens. Attamen, ſi bona fide, dum abeſſet, eas ipſe alibi celebrauit, iudicans, ſe obligationi ſatisfacere, quamvis poſteà certior fiat de obligatione prædicta, cenſeo, non teneri ad alias Miſſas repetendas; prudenter namque interpretamur voluntatem Inſtitutoris, in hoc caſu nolle obligare ad alias Miſſas perſoluendas.

31 Aliqua tamen obſeruanda ſunt. Si Capellanus (idem eſt de Beneficiario) onus Miſſæ quotidianæ ratione Capellaniæ, aut Beneficij habeat, & per vnum menſem ægrotet, non tenetur Miſſas per alium ſupplere. Ita tenet Philibertus Machinus *de Sacram. Ordin. tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 23. *num.* 6. affertque pro hac ſententia Nauarrum, Emanuëlem Rodriguez, Couarruvias, Galleum, Riccium, Molſeſium, Fraxinellum, Gauantum, Barboſam, P. Fagundez, Layman, & alios; Verùm aliqui ex his ſolùm ad quindecim dies id extendunt, vt videre eſt apud Bonacinam, Gaſparem Hurtado, Dianam, ac alios relatos à P. Quintanadueñas *tom.* 2. *ſingul. tract.* 2. *ſing.* 18. Pro vno menſe ſtat Concilium Prouinciale Mediolanenſe VII. *titul. de Miſſis.* Quin probabile eſt, hanc ſententiam poſſe ad duos menſes extendi. Ita Nauarra *lib.* 2. *de reſtit. cap.* 2. *num.* 210. Barboſa *in aphoriſm. lit. C. verbo, Capellanus.* (Quamvis *in Collectan. ad lib.* 3. *Decretal. tit.* 5. *num.* 8. hanc ſententiam reſtringat ſolum ad octo, vel decem dies) Peyrinis *in addit. part.* 1. *quæſt.* 1. Diana *part.* 5. *tract.* 13. *reſol.* 5. & cum aliis à ſe relatis Cardinalis Lugo *de Euchariſt. diſput.* 21. *ſect.* 1. *num.* 49. Qui duo menſes intelliguntur ſiuè continui, ſiuè interpolati; & ſiuè Capellanus ſit diues, ſiuè pauper; quia id conceditur ob præſumptam Fundatoris voluntatem, non ob titulum paupertatis, atque etiam cenſetur materiæ paruitas.

32 Quòd ſi alternis diebus quis teneatur celebrare, vel ter, aut quater in hebdomada, non tenebitur ſupplere per alium Miſſas, ſi duobus menſibus ægrotet; nam proportione ſeruata, eadem omnino eſt ratio, ac in caſu antecedenti. Et ſic tuetur P. Quintanadueñas *vbi ſuprà num.* 4. Addendum inſuper eſt, ſi quis teneatur quotidie celebrare, & velit ſemel ſingulis hebdomadis vacare à celebratione propter honeſtatem, ac venerationem Sacramenti, poſſe id præſtare, quin teneatur Miſſas per alium ſupplere. Sic docet Marchinus *vbi ſuprà num.* 1. afferens pro hoc aſſerto S. Antoninum, Nauarrum, Armillam, Sylueſtrum, Homobonum, Bonacinam, Gauantum, Cardinalem Tuletum, Layman, & alios. Et addit, iuxta Nauarrum, licere per duos dies vacare; Quod laxiſſimum eſt. At verò, qui alteruis diebus tenetur celebrare, vel bis in hebdomada, nequit aliquo ex his diebus omittere Miſſam; ceſſat enim ratio, cum liberi ei ſuperſint dies, quibus ob venerationem Sacramenti vacet. Vlteriùs adde, Capellanum, aut Beneficiarium, qui legitimo impedimento præpeditur alicuius grauis negotij, aut vrgentis neceſſitatis, nec poteſt commodè celebrare, non teneri ad Miſſas per alium ſupplendas, ſaltem duorum menſium ſpatio. Ita Ildephonſus Perez *de anniuerſ. lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 20. P. Azor *part.* 1. *inſt. moral. cap.* 24. *quæſt.* 7. Philibertus Marchinus *vbi ſuprà, num.* 3. Obſerua etiam, eodie, qui permittitur ob honeſtatem vacans in hebdomade, non poſſe Capellanum pro alio celebrare; & abſolutè, ſi de facto celebret, tenetur Miſſam pro oneribus Capellaniæ applicare.

Aduertendum adhuc eſt pro Monaſterio S. Iacobi Hiſpalenſi, & pro Militaribus, ſi in ea Vrbe Beneficia, aut Capellanias obtineant, conceſſum fuiſſe à Iulio III. in Bulla expedita pridie Kalendas Ianuarij, anno 1571. quæ incipit, *Iuſtis petentium*, quòd omnes Beneficiati, & Capellani Hiſpalenſes, toto tempore, quo ægrotauerint (nec tempus limitatur, vnde etiam ad annum extenditur) non teneantur ſupplere Miſſas per alios, & valeant percipere fructus. Id confirmatum fuit in Synodo Hiſpalenſi celebrata ab Eminentiſſimo D. Don Ferdinando Niño de Gueuara, *tit. de præbend. cap.* 10. Et quamvis lites fuerint exortæ, fouentibus eas Collectoribus Miſſarum, ſententia ſemel, & iterum fuit pronunciata in fauorem vſus priuilegij. Et vnam ex his ſententiis Prior S. Iacobi Hiſpalenſis, Iudex cauſæ ex commiſſione Apoſtolica, tulit. Latè P. Quintanadueñas *per plura ſingularia, ex ſingul.* 18. tuetur hoc 33

priuilegium, & vendicat ab argumentis contrariis, maximè ab eo, quod ſequitur ex hoc priuilegio, fieri iniuriam Inſtitutoribus Capellaniarum, & Beneficiorum, & viuos, ac defunctos fraudari ſuffragiis. Videatur omnino. Oſtendit etiam, hoc priuilegio frui quoſcumque habentes Capellanias in Eccleſiis ſæcularibus, & Regularibus, & in Eccleſia Ordinis S.Iacobi, & in quovis loco, aut pago ex his, quæ ſubiacent Vrbi Hiſpalenſi. Quænam autem iufirmitas ſufficiat ad non celebrandum, fuſè ipſe Author tractat *ſingul.* 24. Sed melior regula eſt diſpoſitio cuiuſque; nemo enim rectiùs nouerit, quàm ipſemet, an poſſit ſine graui incommodo, aut ſalutis diſpendio celebrare; vel Medicus erit conſulendus, aut prudentis arbitrio ſtandum, iuxta cuiuſque vires, firmitatem, aut imbecillitatem corporis.

34 Ampliùs adhuc extenditur priuilegium Bullæ Iulij III. ſcilicèt, quòd Beneficiati, & Capellani Hiſpalenſes non teneantur per alios ſupplere Miſſas, quando legitimis, veris, & non fictis impedimentis detinentur. Legitima autem impedimenta ſunt tum ea, quæ tendunt ad impotentiam, quaſi moralem, tum ea, quæ ſufficerent, vt quis excuſaretur ab audiendo Miſſam die feſto. Ea latè exponit idem P. Quintanadueñas, *vbi, ſuprà ſingul.* 25.

35 Doctrinæ adhuc traditæ valdè conſonat textus *in cap. ſignificatum, de prabend. & dignitat.* Vbi, cum inſtituta fuiſſet quædam Præbenda, & collata Sacerdoti cum onere celebrandi quotidie Miſſam, Summus Pontifex eatenùs inſtitutionem confirmat; *Vt prædictus Sacerdos, niſi infirmitate corporis fuerit impeditus, aſſiduè debeat obſequium impendere Eccleſia memorata, &, quantò frequentiùs poteſt (ſalua honeſtate, & debita deuotione) Miſſarum ſolemnia celebrare.*

36 Ex dictis fit, ſi in Monaſterio, aut Collegio Militari Prior, aut Rector, vel alia perſona determinata, ſubeat onus Capellaniæ, aut Miſſarum, in euentibus prædictis non teneri ad ſupplendas Miſſas per alios. Quòd ſi non ſit aliquis ex Inſtitutione determinatus, (vt nunc de facto non eſt, cùm obligatio penes Monaſteria, & Collegia ſit,) ſed Miſſæ celebrandæ ſint ab hoc, vel illo, ex beneplacito Superioris, quamvis vnus, vel alter abſit, ſiuè ægrotet, dum tamen alij remaneant, qui poſſint celebrare Miſſas, ſanè his incumbet, eas Miſſas perſoluere. Si tamen Miſſæ determinatè ex Inſtitutione à Fratribus Clericis Monaſterij eſſent perſoluendæ, & omnes ſimul ægrotarent, non tenerentur eas per alios ſupplere tempore *ſuprà* aſſignato. Quòd ſi Miſſæ inſtitutæ tot eſſent; vt ſinguli Sacerdotes quotidie deberent celebrare, quovis ægrotante, aut legitimè impedito, per duos menſes, non teneretur ipſe eas Miſſas pro his menſibus per alios celebrare. Proportione ſeruata, excogitandi ſunt caſus, & decidendi ex tradita doctrina.

Fit prætereà ex dictis, ſi Miſſæ ex Inſti- 37
tutione dicendæ ſint in aliquo Altari Eccleſiæ Monaſterij, non poſſe committi Clericis Fratribus abſentibus, aut in Collegio commorantibus, vt eas perſoluant, cum dicendæ ſint in eo Altari, & non alibi; Secùs erit, ſi non ſint fixæ in Altari, ſed ex inſtitutione debeant perſolui à Fratribus Clericis, tunc enim ſiuè abſentes, ſiuè in Collegio verſantes poterunt eas celebrare, & ſatisfacere Inſtitutori. Et quia his, qui intra Monaſteria degunt, ſolent deſignari ſingulis tot Miſſæ in vnaquaque hebdomada, aut menſe dicendæ, ſi ipſi abſentiam parent, adhuc ad Communitatem ipſam redituri (nam, cum exeunt non redituri, liberantur ab onere Miſſarum Monaſterij) tenentur in abſentiæ tempore Miſſas perſoluere, ita vt, ſi ſint affixæ alicui Altari, eas per alios ſuppleant. Hinc piè & rectè in Synodo Salmantina celebrata anno 1654. *lib.* 3. *tit.* 2. *conſtitut.* 3. ſtatuitur; *An ſi miſmo mandamos, que los Capellanes, que tienen Capellanias, las ſiruan, y digan las Miſſas, que ſon obligados, en las Capillas, y Altares, que para ello fueren inſtituydos, ſopena que las Miſſas, que dyeren fuera dellas, ſiendo à ſu cargo, no les ſean contadas, y pierdan por rata, lo que auian de auer, à demas de la limoſna de las Miſſas, que han de pagar, para que ſe bueluan à decir en los Altares de ſu ſituacion.*

Verùm hæc pro foro externo, quoad re- 38
ſtitutionem, ſunt intelligenda; nam valdè probabile eſt, eum, qui in alio Altari, aut Eccleſia Miſſas debitas perſoluit, etſi grauiter peccet, non teneri ad reſtitutionem; niſi caſu quo defunctus aliquo ſuffragio priuaretur, v.g. ſi Miſſæ eſſent ſitæ in Altari priuilegiato, & eas in alio non priuilegiato celebraret. At non teneretur reſtituere, ſi in alio priuilegiato illas perſolueret, vel habens aliquam Imagiunculam liberantem animam à Purgatorio cum Miſſæ celebratione, eas in quovis alio Altari offerret. Nec tenetur reſtituere, ſi Altare priuilegiatum, in quo erant Miſſæ ſitæ, aliquem ob euentum foret ad celebrationem inutile, vel quia eſſet collapſum, vel quia aliquod opus in ipſo extrueretur, ſi tunc in alio Altari non priuilegiato celebret. Quin,

ſi

ſi conſtet, Miſſas ſitas fuiſſe à Fundatore in aliqua Eccleſia, vel Altari, non ratione ſuffragij, ſed præcisè ob venerationem eius loci, atque vt deuotio Fidelium creſceret erga eum locum; aut in tali hora, v. g. diluculo, vt vbi Miſſa audiretur ab his, qui alia hora commodè nequeunt eam audire, ſanè ſi in ea Eccleſia, aut Altari non poſſent Miſſæ aliquo tempore celebrari, vel quia collapſa eſt, & reædificatur, vel quia in ea ceſſatio à diuinis eſt inflicta, non tenebitur Capellanus alibi Miſſas celebrare. Secùs erit, ſi omnino collapſa ſit Eccleſia, nec repararetur, tunc enim Capellania transferenda eſt ad aliam Eccleſiam, conſulto Prælato, & de eius conſenſu.

39 Nec peccatum graue committit is, qui in alio Altari, aut Eccleſia celebrat miſſas affixas alij loco, quoties id præſtat, nam etiam in his, paruitas materiæ datur, vnde non erit peccatum lethale, bis, aut ter in alio loco celebrare. Præthereà, ſi teneatur quotidie pro Fundatore celebrare, non debet in die Natiuitatis Domini omnes tres Miſſas pro eo applicare, ſed vnam dumtaxat. Quin Marchinus aſſeruit, caſu quo Fundator Capellaniæ iniunxit miſſarum numerum, nec exegit expreſsè, vt pro ipſo, aut pro conſanguineis, aut aliis, applicarentur, poſſe Capellanum eas applicare pro quo maluerit, quin pro Fundatore eas applicet. Sed id ſuſtinendum non eſt, nam manifeſtè præſumitur, intentionem Fundatoris fuiſſe, vt pro ipſo applicarentur. Dicta *hoc num. & praecedenti*, videri poſſunt apud Bonacinam, Fraxinellum, Naldum, Homobonum, Lezanam, Nicolaum Garcia, quos, & plures alios, refert, & ſequitur Diana *part. 6. tract. 6. reſ. 12. & 83. & part. 4. tract. 4. reſ. 40. & 88. Et part. 2. tr. 14. reſ. 28. & 29. Et part. 5. tract.... reſ. 33. & ibi tract. 13. reſ. 51. Et iterùm part. 6. tr. 6. reſ. 12. Et part. 9. tract. 2. reſ. 12. 13. 15. 16. & 19.* Si ex inſtitutione Capellaniæ, aut aliter, certis diebus debeat quis dicere Miſſam, v. g. de B. Maria, etiam accepto ſtipendio pro ea miſſa, ſatisfacere, & non teneri reſtituere, quamvis his diebus celebret aliam miſſam præſcriptam in Miſſali. Tuentur P. Fagundez, Nauarra, & alij, quos refert, & ſectatur Diana *part. 2. tr. 14. reſ. 30. ar. 31. Et part. 3. tract. 6. reſ. 62.* Cæterùm in hoc caſu, & in aliis *ſuprà* appoſitis, tutius, & conſulendum eſt, ſeruare conditiones in Inſtitutione præfixas, aut à concedente ſtipendium deſignatas. Hic obſerua primò, vocari in monaſteriis Capellanias, quando miſſæ ſunt inſtitutæ, & dotatæ; in rigore autem illæ non ſunt Capellaniæ, cum in eis non ſit collatio, ſeruitium, perſona determinata ad illas, ſed obligatio quædam celebrandi miſſas per hunc, vel per alium. Obſerua ſecundò, teneri ſtrictiſſime Superiores ad curandum, vt miſſæ debitæ celebrentur à Clericis Fratribus præſentibus, & abſentibus, & explorare, quæ, & quot miſſæ in monaſteriis, & Collegiis ex obligatione ſint dicendæ, & an dictæ fuerint, vt obligationi ſatisfiat.

QVÆSTIO V.

Alia dubia exponuntur circa Capellanias, ſeu Miſſas inſtitutas in Monaſteriis, & Collegiis Militaribus.

STatutum erat in Tridentino, vt numerus miſſarum ab Epiſcopis in Synodo (quod etiam competebat Prioribus militaribus iuriſdictione quaſi Epiſcopali in ſuo territorio gaudentibus) certis conditionibus appoſitis poſſet imminui; idemque valeret præſtari à Prælatis Regularibus in ſuis Capitulis Generalibus. Poſtmodùm Sacra Congregatio Cardinalium Concilij decreuit, id Epiſcopis non licere, quamvis imminuti eſſent redditus Beneficij, aut Capellaniæ; nec vllum alium præſtare id poſſe, niſi Summum Pontificem. Ita Farinacius *volum. 4. deciſ. 174. ad Tridentin. ſeſſ. 25. de reformat. c. 4.* Machado *tom. 1. de perfecto Confeſſar. lib. 4. part. 6. tract. 16. doc. 7.* Et id Epiſcopis, & aliis prohibuit iuſſu Vrbani VIII. eadem Sacra Congregatio, vt videre eſt apud Eligium Baſſæum *verbo, Miſſa 7.* 40

Idem tamen Baſſæus affert ex Peyrinis priuilegium Vrbani VIII. conceſſum anno 1626. Sacro Ordini Minimorum, in quo indulget, vt poſſint reducere miſſas fundatas ad eum eleemoſynæ valorem, qui pro ſingulis ſit pro capitali quinquaginta ſcutorum. Quod priuilegium, ex Diana, Marchino, & aliis, tradit Baſſæus, extendi ad alias Religiones gaudentes communicatione priuilegiorum, eſſéque velut reductionem ab ipſo Pontifice præſtitam. Hinc, cum Ordines militares priuilegia aliarum Religionum communicent, poterunt Capitula Generalia, & Senatus Ordinum hanc reductionem miſſarum exequi in monaſteriis, & Collegiis, ſi redditus decreuerint, cenſebiturque reductio à Pontifice præſtita. Non autem id valebunt præſtare reſpectu miſſarum, quæ in aliis Capellaniis 41

Eccleſiarum Ordinum ſunt inſtitutæ; nam illud priuilegium tendit ad Miſſas ab ipſis Religioſis in ſuis Monaſteriis, ſeu Communitatibus celebrandas.

42 Nec verò de numero Miſſarum pro quolibet decremento redditùum poteſt imminui. Nam pone, ducentum ducata fuiſſe relicta Monaſterio, aut Capellano in ſingulos annos, ſolùm cum onere celebrandi in anno triginta Miſſas; ſanè, quamvis nimiùm redditus fuerint imminuti, ita vt v.g. centum ducata remanſerint in ſingulos annos, Miſſæ non debent imminui, cum adeò paucæ ſint, & ſtipendium, ac remuneratio ſit ſufficiens, etiam attento onere ſuſcepto obligationis perſoluendi illas. Pone autem contra, Capellaniam fuiſſe inſtitutam cum onere Miſſæ quotidianæ, relictis redditibus vnius ducati, aut dimidij in ſingulos dies, ſi hi decreſcant adeò, vt ſolùm ſuperſint duæ drachmæ in ſingulos dies, imminuendus eſt numerus Miſſarum. Quippè, licèt duæ drachmæ ſint ſtipendium ſufficiens pro vna Miſſa, at id ſtipendium poteſt à Capellano reperiri pro ſua Miſſa, quin ſit oneratus ea obligatione neceſſaria celebrandi pro intentione Inſtitutoris Capellaniæ, quod onus, & obligatio aliquid vltrà meretur; nam in Capellaniæ Inſtitutione (idem dic de Inſtitutione Miſſarum in Monaſterio, aut Collegio, abſque titulo Capellaniæ) interuenit contractus oneroſus ex parte inſtituentis, & acceptantis Capellaniam; in quo Inſtituens obligatur perſoluere redditus, & acceptans obſtringitur celebrare Miſſas pro eius intentione; qua obligatione oneratus nequit Miſſas illis diebus nec pro ſe, nec pro aliis dicere, nec poteſt aliam Capellaniam incompatibilem ſuſcipere, quamvis ſit commodior, & alia huiuſmodi; quæ ſunt ex ſe onus æſtimabile; ac prætereà ipſo titulo Beneficij, aut Capellaniæ ſibi collatæ, aliquid ei debetur, quod non correſpondeat celebrationi Miſſarum. Sicut, iuxta communem ſententiam, cum quis omittit recitationem Officij Canonici, non tenetur reſtituere omnes fructus, adhuc Beneficij ſimplicis nullum aliud onus habentis, ſed poteſt partem ſibi reſeruare titulo Beneficij; Vnde in præſenti aliquid etiam debet correſpondere ei titulo, ad quem attendit Vrbanus VIII. in priuilegio relato.

43 Si autem in Inſtitutione Capellaniæ, & Miſſarum, expreſſerit Inſtitutor, v.g. centum Miſſas celebrandas eſſe, ſingulas pro quatuor drachmis in eleemoſynæ ſtipendium relictis, ſi redditus decreſcant, non eſt neceſſaria authoritas Prælati, vt imminuatur numerus Miſſarum, & illæ dicantur, quibus redditus in deſignata quantitate reſpondeant. Si verò non Capellaniæ, ſed Miſſæ duntaxat inſtitutæ ſint, deſignato earum numero, non verò ſtipendio, & redditus ita ſint imminuti, vt vel non accedant ad quantitatem ſtipendij, quod communiter pro Miſſis erogatur, vel ſolùm æquet illud, tunc interueniente authoritate Pontificis, aut habentis ad id facultatem, Miſſæ ſunt imminuendæ, nec enim datur obligatio celebrandi illas minori ſtipendio, nec etiam æquali, cum onus dicendi eas ſemper, & conſeruandi illam memoriam, & non admittendi alias Miſſas, dum illis celebrandis incumbitur, ſit obligatio remuneratione digna.

Ex dictis infero, ſi Capellanus, aut Be- 44
neficiarius non teneatur per ſe ipſum celebrare Miſſas, poſſe eas aliis commendare, perſoluendo ſolummodò ſtipendium commune pro illis, quamvis ipſe plus percipiat, quia ille exceſſus conceditur illi non præciſè in ſtipendium Miſſæ, ſed titulo Capellaniæ, aut Beneficij, at propter obligationem, & onus ſuſceptum dicendi eas Miſſas per ſe, aut per alium Ita docent Philiarchus, Poſſeuinus, Villalobos, quos ſequitur Machado *tom. 2. de perf. Conf. lib. 4. p. 1. tr. 12. doc. 10.* & eſt ſententia communis. Sic declarauit Congregatio Cardinalium apud Dianam *p. 1. tr. 14. reſ. 11.* Vbi ait, Decretum Vrbani VIII. de quo *infrà*, prohibens id *ſuperauit*, vt vocant, intelligi de aliis Sacerdotibus ſtipendium accipientibus. Hinc deciditur caſus pro praxi. In Monaſterio Calatrauæ, aut Alcantaræ v.g. iniungitur cuivis Sacerdoti, vt celebret duas, aut tres Miſſas, vel ampliùs in hebdomada pro adimplendo onere Miſſarum, quæ ſunt in Monaſterio inſtitutæ; Acceſſit quis, & erogauit duas drachmas pro ſingulis Miſſis pro eo dicendis Clerico Fratri. Poterítne is commendare alij Sacerdoti, vt celebret eas Miſſas pro onere Monaſterij ſibi commiſſas, erogando illi pro ſingulis drachmam, & dimidiam, vt ſic ipſe poſſit dicere Miſſas pro illo alio, qui ipſi duas drachmas erogauit in ſingulas Miſſas? ſic enim aliquod lucrum percipit; cum duas accipiat, & ſolùm vnam, & dimidiam perſoluat. Facilè reſpondeo. Si Miſſæ neceſſariò, iuxta dicta *in ſuperioribus*, ex vi Inſtitutionis dicendæ ſint per Clericos Fratres, non poterit eas commendare Clerico ſæculari; ſi verò alij Clerico Fratri, qui poſſit expeditè eas dicere. Si verò non ſit neceſſum celebrari per Clericos Fratres, poterit commendare

commendare casetiam Sacerdoti ſæculari. Etenim, quamuis Monaſterium percipiat maius lucrum pro ſingulis illis Miſſis commiſſis Sacerdoti ſæculari, quàm eſt drachma, & dimidia illi conceſſa; tamen ſufficienter ſatisfit, vt ſupponimus, obligationi Inſtitutionis, dicendo Miſſas per alios; aliunde ſupponimus, ibi eſſe ſufficiens ſtipendium drachmam, & dimidiam, quam exempli gratia appoſuimus; demùm maius lucrum, quo Monaſterium potitur, ei accreſcit propter titulum Capellaniæ, aut onus, & obligationem acceptatam, quam expoſuimus, ac propter beneficentiam, & affectum, quo ductus Inſtitutor fundauit Capellanias, aut Miſſas in Monaſterio, vel etiam in Collegio; ex nullo ergo capite eſt illicita ea Miſſarum quaſi permutatio. Hanc quæſtionem reperies exornatam apud me *in Statera opinionum benignarum diſſ.* 13. *ex num.*76. Vbi etiam latè *ex n.*49. probaui, non poſſe duplex ſtipendium pro vna Miſſa accipi. Aduerte tamen, nos adhuc ſuppoſuiſſe, vt tutius, Capellanum teneri per ſe ipſum Miſſas celebrare, quando id Inſtitutor exegit; Sic enim eius voluntas adimpletur. Verùm adhuc in hoc caſu non teneri ad celebrandum per ſe ipſum, ſed poſſe per alios ſatisfacere, docent Barboſa, Bonacina, Homobonus, afferens Declarationem Cardinalium, Diana, & alij, quos ſequitur Machado *ſuprà doc.*16.

45 Hinc etiam deduco deciſionem alterius dubij. Erogauit tibi, aut Monaſterio quis ſtipendium pro centum Miſſis, tribus drachmis pro ſingulis collatis; Poteris ne eas Miſſas alij dicendas committere, erogando illi pro ſingulis commune ſtipendium duplicis drachmæ, aut vnius, & dimidiæ? Reſpondeo; Si ille erogauit id ſtipendium non ſolùm intuitu ſuffragij Miſſæ, ſed ex affectu ſpeciali ad te, vel ad Monaſterium, ſeu vt indè eleemoſynam maiorem ad ſubleuandam inopiam perciperes, ſanè poteris minus præſtare; Quippè ſatisfit ſic ſuffragio, & ſimul beneuolentiæ, ac pietati donantis, & hoc titulo ille exceſſus apud te remanere poteſt, quaſi ex donatione perceptus: Si verò erogans non moueatur his affectibus, ſed æquè tibi, ac cuilibet alij eam eleemoſynam concederet, nihil ex illa poteris ſubtrahere. Ratio mihi eſt manifeſta; nam nihil poteſt retineri abſque aliquo titulo, ex quo ius ad retentionem proueniat; ſed in hoc caſu nullus eſt prorsùs titulus ad retentionem eius exceſſus, ergo nequit retineri. Etenim neque titulo induſtriæ, quæ nulla datur, poteſt retineri; nec titulo donationis, quæ nec tacitè, nec interpretatiuè interuenit; ſiquidem erogans ſtipendium habuit ſe, ac ſi diceret; *Hoc ſtipendium erogo cuicumque celebranti has Miſſas.* Profer ergo titulum, ratione, cuius is exceſſus pecuniæ poſſit accipi. Accedit, ſic ſtatutum fuiſſe à ſacra Congregatione iuſſu Vrbani VIII. die 22. Iunij, anno 1622. (Vni etiam ſub reatu culpæ grauis, & reſtitutionis prohibetur, accipi duo ſtipendia pro vna Miſſa) Noſtrum aſſertum tenent Nauarrus, Aragon, Corduba, Maior, Ledeſma relati à Machado *ſuprà, doc.*10. qui probabilius id aſſerit. Fateor, oppoſitam opinionem eſſe valdè probabilem, ſecluſo Vrbani Decreto, nam apud ipſum eam tenent Naldus, Fraxinellus, Sotus, Rodriguez, Sà, Suarez, Vazquez, & alij; dummodò non ſit Collector Miſſarum, qui eas minori ſtipendio committit, ſed Sacerdos, qui poſſit per ſe eas celebrare, & dominium ſtipendij acquiſiuerit. Vbi fuerit acceptatum Vrbani Decretum, non remanet locus huic opinioni. De acceptatione dubitari, audiui, ſaltem generali; ſed dum de oppoſito non conſtet, acceptatum fuiſſe, eſt tenendum.

Inquires, an ſi in Monaſterio, v. g. Calatrauenſi, Miſſæ celebrentur, quæ dotatæ non ſunt, ſed ex Definitionibus obligatio oriatur, ſiuè dimanans ex Ordine Ciſtercienſi, ſiuè pro Defunctis Ordinis, Sacerdotes, qui ad eas dicendas deſignantur, ſatisfaciant, quamvis primariò Miſſas pro aliis offerant, etiam accepto ab illis ſtipendio; ſecundariò autem, ſeu vt aiunt, ex ſecunda intentione ipſas offerant pro ea Ordinis, ſeu Monaſterij obligatione? Exemplum profero. In primis Definitionibus confectis anno 1283. ab Abbate F. Ioanne (qui ex Monaſterio Morimundi venit, vt ſacrum Conuentum Calatrauæ viſitaret) *cap.* 1. *de libris, & Officiis diuinis*, extant hæc verba; *Et, dum numerus fuerit duodecim Sacerdotum, & vltrà, quotidie celebrentur duæ Miſſæ, vna de Beata Maria Virgine, & alia pro Defunctis, & ad eas intitulentur duo Sacerdotes per Cantorem, prout eſt in Ordine conſuetum.* Quæ verba oſtendunt Ordinis Ciſtercienſis conſuetudinem. Deindè in Definitionibus Capituli Generalis anni 1568. *tit.* 2. *c.*1. *Et ibidem in Actibus Capitularibus tit.* 23. *c.* 18. maximè commendatur, vt ſatisfiat obligationi Miſſarum in Monaſterio. Et in Catalogo Miſſarum, ad quas Monaſterium tenetur, apponuntur primò obligationes Ordinis, & inter eas prædictæ duæ Miſſæ præfiguntur ſimul cum Miſſa maiori, & Miſſa Matutinali. De his ergo Miſſis, & ſimilibus quæſtio præfigitur. 46

In primis aſſero, quamvis primariò illæ Miſſæ 47

Miſſæ non applicentur pro intentione Ordinis, non peccari, nec dari obligationem reſtitutionis. Id ſecundum conſtat, quia pro his Miſſis non accipitur ſtipendium à Monaſterio, nec à priuatis, nec debentur ex obligatione iuſtitiæ ratione iuſtitiæ ratione alicuius contractus, ſeu donationis bonorum factæ Monaſterio, ſub onere eiuſmodi Miſſarum. Primum etiam liquet ex doctrina tradita *diſquiſ. 6. quæſt. 2.* Vbi oſtendimus, Regulam, Statuta, & Definitiones Ordinum Militarium non obligare ſub culpa, niſi quando in ipſis exprimitur; non autem exprimitur in Definitionibus prædictis Calatrauæ, nec in Definitionibus anni 1600. in quibus *titulo* 2. agitur de celebratione Miſſarum. Deindè dico, animum, & mentem Ordinis eſſe, quòd Miſſa de Defunctis celebretur primariò pro Defunctis Ordinis, aut generaliter pro animabus Purgatorij. Nam ſi id ita non præſtetur, ad quid ea Miſſa eſſet deſignanda? aut ſi celebrans eam poſſit offerre pro quo maluerit, quæ vtilitas reperta fuit in ea præfigenda: Nam de ſecunda intentione nec cogitauit Ordo, aut Prælatus, cum illam iniunxit. Etenim quoties Superior indicit ſubditis, vt aliquam Miſſam celebrent, primariam Miſſæ oblationem exigit; cum ſecunda intentio ſolùm tendat in defectum primæ, & ſæpiſſimè fruſtretur: Nam, ſi quis offert Miſſam primariò pro anima realiter exiſtente in Purgatorio, tota ſatisfactio erga illam inſumitur; quid ergo prodeſt ſecunda intentio? hæc etenim non pergit ad impetrationem, cum in impetratione non ſit neceſſaria prima, aut ſecunda intentio, ſed poſſit quis orare Deum pro quolibet, intuitu eius Sacrificij, & Orationis mouendum ad conferendum gratuitò beneficia.

48 Dices, Miſſam maiorem, ſeu principalem, quamvis deſignetur celebraturus illam in Monaſterio, poſſe ab eo applicari primariò pro alia obligatione. Sit ita; verùm diſcrimen eſt apertum, nam Miſſa maior deſignatur, vt cultus diuinus promoueatur, & conſuetudini ſacræ totius Eccleſiæ mos geratur, cum ædificatione fidelium, qui ex Officiis diuinis excitantur ad Deum colendum, qui finis obtinetur ſola celebratione, quin intentio primaria requiratur, & idem dicito de Miſſa Matutinali reſpectiuè, (vt abſtineam ab obligatione Parochorum offerendi Miſſam pro populo, ſaltem diebus Dominicis) at in caſu poſito, ſi Miſſa non offertur pro defunctis in communi, non video vtilitatem intentam ab Ordine eam iniungente. Cæterùm Miſſa maior ſolet ex obligatione Monaſterij deberi, eſſeque onus appoſitum, vel ratione Fundatorum, aut Benefactorum; Quod in vnoquoque Monaſterio inſpiciendum eſt.

In aliis Miſſis, quæ non ſunt de Defun- 49
ctis, v. g. de B. Maria, cum non deſignetur, pro quo ſit offerenda, videtur, Ordinem ſolum intendiſſe cultum ſpecialem Deiparæ, cui adeò impensè Ciſtercienſes ſacrantur; indéque poterit celebrans eam offerre pro quo maluerit, primariò, & ſecundariò, nam obligatio eſt, quòd de B Maria celebretur Miſſa, cui obligationi ſatisfit præcisè per eam externam celebrationem, & id obſequium præſtatur Angelorum Reginæ, eaque mediatrice, poſſunt à Deo confidentius beneficia poſci.

His ita poſitis, non inficior, caſu quo Miſ- 50
ſa de Defunctis non ſit offerenda primariò pro Defunctis Ordinum, laudabile eſſe, eam pro eis offerre ſecundariò; & item Miſſam de B. Maria offerre ſecundariò pro augmento, & bono Ordinis, & pro omnibus Regularibus ex ipſo Ordine viuis, ac defunctis, quæ videtur poſſe præſumi intentio ipſius Ordinis illam Miſſam deſignantis, nec aliud iniungentis. Et quidem ea intentio ſecundaria prodeſt, ſi prima effectum non ſortiatur, caſu quo anima, pro qua offertur, non ſit in Purgatorio. Deindè id efficit ea intentio, quòd ſaltem recordetur celebrans commendare Deo eas animas, aut perſonas, vel Ordinis incrementa, pro quibus ſecundam intentionem applicat. Vbi etiam eſt aduertendum, in Catalogo Monaſterij Calatrauæ, iniungi Sacerdotibus Fratribus celebrantibus Miſſam maiorem, Matutinalem, de Beata Maria, & pro Defunctis, quòd in eis Deum etiam orent pro Defunctis, qui Miſſas Monaſterio commendarunt, vel in eo illas inſtituerunt, ad ſupplendam quamlibet negligentiam, aut omiſſionem, (quæ non conſtat) ſi fortè fuerit; quod piiſſimum eſt, ac exequendum.

QVÆSTIO VI.

Quibus obligationibus obſtringatur Frater Clericus Militaris, ſi ad Epiſcopatum promoueatur?

SVpponendum eſt, Religioſos militares, 51
ſicut & cæteros alios Religioſos, poſſe ad Epiſcopatum promoueri, (ſi ſpeciale Religionis ſtatutum non obſtet, quod in Ordinibus militaribus nullum impediens promotio

promotionem datur) iuxta *cap. ſtatutum* 18. *q.*1. Indigent autem Regulares licentia Prælati, vt acceptent Epiſcopatum, iuxta *cap. ſi Religioſus, de election. lib.* 6. & Prælatus ille non quicumque, ſed ſupremus eſſe debet, aut alius, cui ipſe vices commiſerit, vt decreuit Gregorius XIII. in Bulla, quæ incipit, *Apoſtolica*. Et credam, Generales diſtantes Prouincialibus ſuas vices commiſiſſe, aut eam Bullam non fuiſſe acceptatam, ſeu non eſſe in praxi, cum frequenter à Religioſis Epiſcopatus acceptentur in Hiſpania, non expectata licentia Generalium, qui extra Hiſpaniam degunt. Cum autem ſupremus poſt Pontificem Prælatus Ordinum Militarium ſit Rex noſter, ipſéque ad omnes Epiſcopatus præſentet, fit, hoc ipſo quòd Clericum Fratrem præſentet, ei concedere licentiam ad acceptandum Epiſcopatum, nec indigere noua licentiæ petitione. Quin poteſt eum compellere, vt acceptet, ſicut alij Prælati poſſunt ad id ipſum compellere ſubditos, aliundè non impeditos, iuxta doctrinam D.Thomæ 2.2. *q.* 185.*art.*2. *ad* 3. quamvis oppoſitum doceat Emanuël Rodrig. *tom.*3. *qq.regul. q.*19. *art.*8.

52 Religioſus ad Epiſcopatum promotus debet omnia ſua bona, quæ dum promouetur, poſſidet, Religioni concedere, nam ea fiunt Religionis, vt ex communi omnium ſententia tradit Villalobos *par.* 2. *tract.*35. *diffic.*40. *n.*4. niſi ex ſpeciali gratia Prælatus vſum illorum ei concedat; Quam gratiam Religioſis Militaribus fieri, ſaltem tacitè, videtur ex praxi certum. Cum autem decedunt è viuis alij Religioſi, ea bona ad Religionem redeunt, cum ſolus vſus concedatur Religioſis non Militaribus, qui, ſi decederent ex hac vita, quin Epiſcopi forent, non poſſent in morte de eis bonis diſponere. At, cum Religioſi Militares, iuxta dicenda *diſquiſit.* 15. poſſint,dum extra Communitatem degunt, de ſuis bonis reſpectivè, & cum limitationibus *ibi* apponendis diſponere, etiam videtur poſſe, ſi Epiſcopi eligantur, nam ſicut, dum non ſunt Epiſcopi, valent diſponere, quamvis non ſint domini proprietatis Clerici Fratres, iuxta dicta *diſquiſit.*4. ſic etiam, eſtò proprietas eis non concedatur, cum ad Epiſcopatum aſſumuntur, ſed tantum modo vſus, poterunt diſponere eo ipſo modo, ac ſi Epiſcopi non eſſent, cum deterioris conditionis non fiant propter Epiſcopatum.

53 Controuerſum eſt inter Authores, an Religioſus, qui ad Epiſcopatum promouetur, votis emiſſis in Profeſſione obſtrictus remaneat, an in eis à Pontifice diſpenſatus? Non eſt inſtituti noſtri quæſtionem hanc ventilare; Communior, & verior ſententia docet, cum Votis obſtrictum permanere. Ita docet D.Thomas 2.2.*quæſt.* 185. *art.*8. D Bonauentura *in* 4. *diſtinct.*38. *num.*47. & cum eis innumeri Authores. Et quidem voto Obedientiæ ille non liberatur, ſed materia deſuit; ſicut Generales Religionum à voto non abſoluuntur ſed, quia non eſt Prælatus Regularis, qui poſſit eis præcipere, materia obedientiæ deficit, vt tradit P.Azor *inſtitut. moral. part.* 1. *lib.* 12. *c.*7. *quæſt.* 3. Circa Votum Caſtitatis eodem modo ſe habet, ac ſi Epiſcopus non eſſet. Circa paupertatem autem, dum vita fungitur, pariter ſe gerit, ac cæteri Epiſcopi, & non aliter, quam illi, poteſt bona adminiſtrare, & de illis diſponere. De quo videantur Cardinalis *in Clementin.*2. §.*ſed & tales, de vita, & honeſt. Clericor.* Nauarrus *commentar.* 2. *de Regular. num.*10. Sotus *de iuſtit. lib.*10. *quæſt.*5. *art.*7. Roda *de ſpoliis, quæſtion.*3.*num.*17. Emanuël Rodriguez *tom.* 3. *qq.Regular. quæſtion.* 69. *articul.* 8. Sarmiento *de redditib.* 1. *part. cap.*1.*ex n.*9. P. Azor *vbi ſuprà*, *quæſt.* 2. P. Molina *de iuſtit. tom.* 1. *tract.* 2. *diſp.*140, & alij paſſim.

Si Frater Clericus Epiſcopus ab inteſtato decedat, bona, quæ ante Epiſcopatum habebat, & quæ poſtmodùm aliundè, quàm ab ipſo Epiſcopatu, acquiſierit, Ordini, & Monaſterio adquiruntur, quod cæteris Religioſis Epiſcopis eſt commune. Id ipſum dicito de Epiſcopo titulari, cuius omnia bona ex induſtria adquiſita cenſentur. Quare eodem modo quoad hoc ſe habet Clericus Frater Epiſcopus, ac ille, qui Epiſcopus non eſt, cuius bona ab inteſtato decedentis adquiruntur Monaſterio. Quæ doctrina vera eſt, adhuc in opinione aſſerentium, quemvis Religioſum Epiſcopum votis liberari, & conſequenter teſtari poſſe de bonis induſtria ſua adquiſitis. 54

Clericus Frater Epiſcopus, poſtquam conſecratus fuerit, poteſt ſuccedere in bona hæreditaria, ſicut alij Epiſcopi, iuxta *cap. ſtatutum* 18. *quæſtion.*1. Deindè ex præcepto non tenetur ad obſeruantias Regulares Ordinis, ſolúmque ex decentia debet eas exequi; iuxta Gloſſam *in dicto cap. ſtatutum, verbo, abſoluit*; Et docent Abbas *in cap. Deus qui, de vita, & honeſtat. Clericor.* Turrecremata, Emanuël Rodriguez, Villalobos, Barboſa, Pater Azor, & alij. Hinc deobligatur à ieiuniis, precibus ſpecialibus, & aliis huiuſmodi; quamvis congruum valdè ſit, vt ſui religioſi ſtatus 55

memor

memor ædificationi fidelium conſulat, dum perfectiora exequitur, cum ſit in ſtatu, qui perfectos requirit. Quin Pater Thomas Sanchez *tom.2. ſumm. lib.6. cap.6.* docet, Epiſcopum Religioſum teneri ad obſeruantias ſui Ordinis, quæ non opponuntur Epiſcopali Dignitati; eſtò non ſubiaceat pœnis pro tranſgreſſione inflictis.

56 Tenetur Clericus Frater Militaris Habit m, ſeu Inſigne ſui Ordinis afferre, dum eſt Epiſcopus. Etenim omnes Religioſi tenentur ad Habitum ſui Ordinis retinendum, cum in Epiſcopos aſſumuntur, iuxta *cap. Clerici officia. de vita, & honeſtat. Clericor. leg.39. titul.5. partita* 1. Et ſic iniungitur in Ceremoniali Clementis VIII. *cap.3. pagin.*11. Præter Crucem autem Militarem in veſte deſuper contextam, cæteræ veſtes, quæ Clericis ſæcularibus Epiſcopis congruunt, etiam Militaribus conueniunt, cum hi verè Clerici ſint, & ab aliis Clericis honeſtis ſolo Inſigni Crucis diſcriminentur. Quare ea ornamenta, quæ Religioſis Epiſcopis prohibentur, neutiquam Clericis Militaribus interdicuntur.

57 Tenetur etiam Clericus Frater Epiſcopus, in perſoluendo Officio Canonico, Eccleſiæ, cui præeſt, coaptari, iuxta communem ſententiam; & ſic declarauit Sacra Rituum Congregatio die 2. Iunij anno 1603. Priuilegiis autem, gratiis, & indulgentiis ſui Ordinis gaudet; cum enim Religioſus permaneat, & Votis adſtrictus, non eſt, cur eis non fruatur, & ſentiat commodum, qui onus ſentit. Oppoſitum docet Emanuël Rodriguez *tom. 2. quæſtionum Regular. quæſtion.* 80. *articul.* 3. afferens Motum proprium Sixti IV. & P. Thomas Sanchez *vbi ſuprà num.* 33. ac Mandoſius *de priuileg. ad inſtar, Gloſſ.* 3. *num.* 11. ſed noſtrum aſſertum tenent Villalobos *vbi ſuprà*, P. Quintanaduenas *tom.* 1. *ſingular. in appendic. tr.4. dub.5. n.*3. vbi reſpondet ad argumenta aduerſantium; & nos ea, quia non ſunt ſpecialia reſpectu Clericorum Fratrum, prætermittimus. Apud illum videri poſſunt.

58 Dicta adhuc intelliguntur de Epiſcopo non ſolùm electo (nam per electionem non abſoluitur ab obſeruantia regulari), ſed ſaltem confirmato; tunc enim iuriſdictione Epiſcopali incipit fungi, atque adeò à Prælati regularis obedientia abſoluitur. Et ſtatim ac confirmatur, ſi Parochus, Prior, aut Sacriſta maior, vel Vicarius eſſet, hæc munera vacant, ſi quidem tunc ab obſeruantiis regularibus liber euadit, & conſequenter nequit eſſe in Ordine Prælatus, aut prædicta munera obire, iuxta *leg.* 65. *titul.1. partit.*1. Idem, quod de Epiſcopo, tenendum eſt, ſeruata proportione, de Regulari Militari, ſi Cardinalitiam Dignitatem aſſequatur. Videantur Turrecremata *in ſumm. lib.*1. *cap.* 80. & 83. Lælius *de Republic. cap. de ſtatu Cardinalium*; Antonius Cucus *lib.2. inſtitut. titul.* 4. *num.* 28. Quòd ſi Religioſus quilibet ad Dignitatem ſupremam Pontificiam aſſumatur, nulla Religionis obligatione conſtringitur. De quo Caietanus *opuſcul. de authoritat. Papæ, cap.*18. & 20. Sotus *de iuſtit. lib.7. quæſtion.* 4. *art.*2. Nauarrus *de ſpoliis*, §.2. Cordoua *lib.4. quæſt.*4. P. Henriquez *tom.* 2. *lib.* 10. *cap.24. n.*1. & alij paſſim.

Si Fratet Clericus Epiſcopus renuntiet 59
Epiſcopatui, non tenetur ad Ordinis obedientiam redire, cum oneri, & exercitio, non Dignitati renuntiauerit; nec Prælatus tenetur eum recipere, ſi redeat; Ita P. Henriquez *vbi nuper c.32. n.*4. P. Sà *in ſumm. verbo, Epiſcopus, n.* 11. Nauarrus, Villalobus, & alij; quamvis aliqui tueantur, eum ad Ordinem fore rediturum, & eius Prælato ſubjiciendum. Sic Aragon *de iuſtit. q.* 88. *art.11. ad* 3. P. Azor 1. *p. inſt. mor. lib.*12. *c.7. n.*9. ſi autem ad Ordinem redeat, non poſſe in illa Prælatum eligi, ſtabiliuit in ſua Bulla Paulus IV. quam refert Villalobos *tract.35. diffic.43. n.*4. De bonis autem ſua induſtria adquiſitis, dum obierit, poterit diſponere eodem modo, ac ſi Epiſcopatui non renuntiaſſet, ſi quidem iuxta tuam, & mihi probabiliorem ſententiam, ad Ordinem redire non tenetur, nec fit ſubditus Prælati Regularis, quamvis in Monaſterio degat. Quæ de Fratribus Clericis diximus, aptanda ſunt Equitibus Militaribus, ſi ad Epiſcopatum, aut Cardinalitiam Dignitatem promoueantur. Imò hi de bonis patrimonialibus, & de adquiſitis induſtria ſua, abſque dubio in omni euentu poſſunt teſtari; quod ſi ab inteſtato decedant, proprij hæredes in eis bonis ſuccedunt; illique, etiam ante conſecrationem Epiſcoporum ſuccedunt in bona hæreditaria; non enim amittunt ius, & poteſtatem, quæ habebant, antequam in Epiſcopos eueherentur; ſicut cæteri Epiſcopi non amittunt.

QVÆSTIO VII.

An Clerici Fratres Militiarum poſſint aſſiſtere ſpectaculis agitationis Taurorum?

60 QVæſtionem hanc loquendo de Magiſtris Salmantinis Regularibus, & generaliter de omnibus Religioſis, latè diſcuſſi *tom. de Iure Academico, lib. 1. q. 18.* Vbi etiam de Clericis Fratribus Militaribus egi: Quare ſolùm breuiſſimè enuntiabo, quæ *ibi* tradidi. Conſtitutionem Pij V. qua inflixit excommunicationis cenſuras contra quaſvis perſonas Eccleſiaſticas ſiuè Regulares, ſiuè ſæculares, emolliuit Gregorius XIII. tollens omnes cenſuras, & pœnas inflictas contra perſonas ſæculares, & contra Milites Equeſtrium Ordinum, dum non eſſent ſacris Ordinibus initiati; nihil innouans reſpectu aliorum. Vnde ſaltem colligitur, Equites Militares, eſtò à pluribus iudicentur ſtrictè Religioſi, poſſe impune aſſiſtere his ſpectaculis. Deindè Clemens VIII. pœnam excommunicationis, quæ non eſt ſententiæ latæ, ſed ferendæ, in ſuo vigore retinuit, & renouauit reſpectu Monachorum, Fratrum Mendicantium, & cuiuſcumque Inſtituti Regularium; reſpectu autem omnium aliorum eam pœnam reuocauit. Hinc ſtando Pontificum Conſtitutionibus nullus Religioſus abſque labe peccati grauis poteſt aſſiſtere agitationi Taurorum; Et ſic docent Gutierrez, Emanuël Rodriguez, & P. Pellizarius à Me *ibidem* adducti; & prætereà PP. Vazquez, Nauarra, & Eſpino, quos refert, & ſequitur Villalobos *2. part. tract. 13. difficult. 20. n. 13.*

61 Hinc Clerici Fratres Militiarum ex vi eiuſmodi prohibitionum grauiter peccarent, ſi intereſſent ei ſpectaculo; quod firmatur, quia Gregorius XIII. excepit à prohibitione Milites Ordinum Equeſtrium non initiatos Sacris; ſed exceptio firmat regulam in contrarium; ergo Clerici Fratres, qui nomine Militum non includuntur, vt non ſemel *in hoc Opere* ſtabilio, & ſunt proprie, & ſtrictè Regulares, ſub ea prohibitione continentur. Quare eos abſolutè non poſſe agitationi Taurorum intereſſe, expreſsè aſſerunt Emanuël Rodriguez *tom. 3. qq. regul. q. 68. art. 4.* Villalobos *ſuprà n. 19.*

62 Cenſui tamen *eo loco relato*, & cenſeo poſt Viros ſapientiſſimos à Me conſultos, propter rationes *ibi* traditas *ex num. 321.* aſſiſtentiam ad ſpectacula Taurorum *per tolerantiam* licere his Religioſis, reſpectu quorum ea tolerantia datur. Quin indèpendenter à tolerantia, non eſſe peccatum graue eam aſſiſtentiam, docet Ioannes Henriquez *in ſum. ſect. 27. quæſt. 7.* Vbi pro hac ſententia affert Ledeſmam, Vegam, & alios Authores ſuppreſſo nomine relatos à Petro Nauarra. Saltem ergo ratione tolerantiæ poſſunt Clerici Fratres intereſſe his ſpectaculis; tum quia ſi aliquibus Religioſis non Militaribus id concedit tolerata conſuetudo, multò magis Clericis Fratribus, qui non profitentur ſtrictam adeò diſciplinæ regularis normam, ac Religioſi non Militares, atque adeò minùs poteſt timeri apud populum ædificationis, & reuerentiæ diſpendium; tum quia plùs hi Clerici Fratres, quàm alij Religioſi, eiuſmodi ſpectaculis aſſiſtere conſueuerunt, vnde pro illis ſtat apertiùs tolerantia. Salmanticæ quidem aliquando interfuerunt aliqui Clerici Fratres agitationi Taurorum, quod mihi conſtat, quin indè eis fuerit detractum. Nunc temporis abſtinent ab eiuſmodi Taurorum ludis, quod eſſe Religioni congruentius, & ædificationi populi opportunius, nemo dubitabit. Non tamen eos damnarem peccati grauis, ſi illis intereſſent; nec credam, graue aduersùs Ordines Militares detrimentum indè ſequendum. Senatus autem Regius Ordinum poteſt id eis prohibere, cuius prohibitioni foret ſtandum.

Inquires, an ex vi Conſtitutionum, quas Pontifices expedierunt, poſſint Equites Militares Sacris Ordinibus initiati ſpectaculis Taurorum adeſſe? Reſpondeo, ex vi Conſtitutionis Pij V. non poſſe (in ſententia aſſerente Equites eſſe perſonas Eccleſiaſticas, de qua *diſq. 1. quæſt. 1.*) cum ille id prohibuerit omnibus perſonis Eccleſiaſticis; & Equites Militares, adhuc Ordinibus non initiati, indicentur in ea ſententia perſonæ Eccleſiaſticæ; poſſe verò ex vi Conſtitutionis Gregorij XIII. quatenùs Equeſtris Militiæ ſunt; cum eos ille excipiat; Et ex vi Bullæ Clementis VIII. quatenùs ſacris Ordinibus ſunt initiati, nam Clemens reuocauit prohibitionem circa alios Clericos ſacris Ordinibus initiatos, vnde illam reuocauit reſpectu Equitum Militarium, in quibus non titulus Ordinis Equeſtris, ſed Ordinum Sacrorum poterat eſſe obſtaculum, poſt Gregorij Bullam; & eo ablato, nullo obice præpediti remanſerunt. Si autem contingat, Moniales Militares, & quaſvis alias, eſſe extra Monaſterium, poſſunt aſſiſtere ſpectaculis Taurorum; 63

Taurorum; quia reſpectu earum nulla extat prohibitio, vt docet Villalobos *vbi ſuprà*.

QVÆSTIO VIII.

Quomodo Clerici Fratres Militares in Salmantinis Collegiis degentes Magiſtro Scholæ ſubijciantur? Et an poſſint Gradu Doctoratus in Iure Ciuili inſigniri, & illud publicè docere?

64 QVæſtionem primam in titulo præfixam, tum de Clericis Fratribus Militiarum, tum de aliis Religioſis non Militaribus exagitaui *tom. de Iure Academ. lib. 1. ex n. 171. & ex n. 486. ac lib. 2. q. 31. & lib. 3. q. 3. in fin.* Tradidi inibi in primis, ad omnes cauſas ciuiles foro Magiſtri Scholæ gaudere Religioſos albo Academiæ inſcriptos, quod citra dubium eſt, & praxis demonſtrat. Deindè oſtendi, Magiſtrum Scholæ nullatenùs poſſe cognoſcere de culpis, & delictis Religioſorum, quæ non tenderent immediatè, & directè contra ſtatum, & gubernationem ipſius Academiæ; ſed cognitionem de his ſpectare priuatiuè ad Prælatos Regulares; indeque eiuſmodi cauſæ Clericorum Fratrum ad ſuos Prælatos immediatos, atque ad Senatum Ordinum omnino ſpectabunt. Rurſus repetitò enuntiaui, cognitionem Religioſorum delinquentium immediatè contra ſtatum, &
2 gubernationem Academiæ, fas eſſe, & omnimodæ æquitati, ac rationi conſonum, quòd Magiſter Scholæ ad proprios Prælatos remitteret, prorſùs ab eis abſtinendo, vt ſic ædificationi populi, paci, ac diſciplinæ Religioſæ, Ordinumque ſacrorum bono nomini, & ſplendori conſuleretur, ac vitarentur ſcandala, quæ aliundè oriri poſſent. Quæ limitationes omiſſæ ſunt in Memoriali edito hoc anno 1657. nomine Magiſtri Scholæ Salmantini pro ſua iuriſdictione erga Regulares, vbi Me bis in margine citat; verùm ſi præfatæ limitationes fuiſſent ſuperadditæ, fini intento in eo Memoriall refragarentur.

65 Demùm, ſub his circumſtantiis, & explanando, quænam delicta cenſenda ſint contra ſtatum, & gubernationem Academiæ, quæ rarò, aut nunquam à Religioſo vllo patrabuntur, aſſerui, cognitionem de his delictis ad Magiſtrum Scholæ pertinere. Attamen nullibi affirmaui, priuatiuè ad eum ſpectare; Quod etiam opus erat, vt meum iudicium potuiſſet adduci in prædicto memoriali in fauorem aſſerti ibidem defenſati; Nam Prælatus Regularis cauſam ſibi propoſitam ſubditi delinquentis præuenerat, & eum incarcerauerat, antequam Magiſter Scholæ de eo cognoſceret. Cumulatiuè autem poſſe Prælatos Regulares cognoſcere de his delictis ſubditorum, nunquam ego ſum inficiatus; quin cum Pontifex Martinus V. concedat Epiſcopo Salmantino, vt ad præuentionem ſimul cum Magiſtro Scholæ, cognoſcat de Clericis Salmantinis ſtudentibus, ſibi ſubditis, idipſum ſaltem aptandum eſt Prælatis Regularibus; vt cum præuentione de ſubditis delinquentibus cognoſcant; tum quia in æquiparatis diſpoſitum de vno cenſetur de altero diſpoſitum; tum quia exemptio Regularium innumeris Bullis eſt vallata, & non minùs hi Prælati reſpectu ſuorum ſubditorum, quàm Epiſcopi erga ſuos exemptionibus, ac iuriſdictione ordinaria potiuntur, & validè ab Apoſtolica Sede fulciuntur, vt poſſint ſubditos in obſeruantia regulari continere. Videantur Sotus *in 4. diſt. 27. q. 1. art. 4.* Rodriguez, Victoria, P. Pellizarius, & alij paſſim. Quare cum Martinus V. conceſſit iuriſdictionem Magiſtro Scholæ, non inhibuit Prælatos Regulares, ſed cumulativam fuiſſe conceſſam, non priuatiuam, depromitur ex doctrina Surdi *conſil. 56. n. 35.* Tuſei *tom. 4. lit. G. n. 102. concluſ. 36.* Caſtillo *lib. 5. quotid. controuerſ. cap. 95. n. 22.* Gutierrez *in qq. pract. lib. 3. q. 15. n. 6.* Carlenal *de iudiciis, lib. 1. tit. 1. diſp. 2. q. 2. ſect. 2. n. 794. & q. 8. ſect. 4. n. 1204.* cum pluribus; & colligitur *ex c. dubium 14. de præbend. lib. 6.* Quin iuxta ſententiam, de qua ſtatim, ideò Martinus V. non expreſſit, circa cumulativam iuriſdictionem, Prælatos Regulares, quia Magiſtro Scholæ nullam iuriſdictionem conceſſit erga Religioſos in cauſis criminalibus.

Docent ergo grauiſſimi Authores, Magiſtrum Scholæ neutiquam poſſe cognoſcere de vllo Religioſo delinquente. Authores, & fundamenta libabo *infer ùs diſquiſit. 17. quæſtion. 1. ex n. 5.* Nec pro oppoſita opinione reperio alium Authorem, niſi Don Alphonſum de Eſcobar; Egoque illi ex parte ſuffragium tuli *locis relatis de Iure Academico*, cum limitationibus tamen appoſitis, quibus ſeruatis, ea opinio non deduceretur ad praxim. Sed fateor (nec enim laborioſiori menti omnia in promptu ſunt, nec innoteſcunt) vnam ex Bullis Pontificiis pro Regularibus non legeram, aliam non expenderam. Dicam ergo *ea diſquiſ. 17.* quæ poſtmodùm introſpexi, & euolui. Videnda omnino ſunt, quæ *in 2. Editione Tomi de Iure Academico*, addidi *lib. 4. quæſt. 3. ex n. 67.* 66

In

67 In præſenti obſerua, etiam me tradidiſſe *tom. de Iure Academico, lib. 1. ex num. 484.* Priorem de Rollan Alcantarenſem, & alios Militares, qui Salmanticæ in ſuis parochiis iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudent, non potiri priuilegio præuentionis cum Magiſtro Scholæ erga ſtudioſos delinquentes, qui in præfatis parochiis habitant. Vidi tamen poſteà cauſam ſtudioſi delinquentis, ac habitantis intra parochiam B. Mariæ Magdalenæ, quæ ſpectat ad priorem de Rollan, ab ipſo priore inceptam, & à Magiſtro Scholæ ad ſe auocari tentatam, & cum indè competentiæ lis fuiſſet orta, ex Senatus præſcripto prior de Rollan illam finiuit. Extat proceſſus in archiuo prædictæ parochiæ. Obſerua ſecundò, ſub pœna præſtiti iuramenti inflicta à Rectore Academiæ contra eos, qui ipſum diebus præfixis non comitantur, non comprehendi Clericos Fratres, ſicut nec Togatos, nec alios Religioſos, cum ea ſolùm inſligatur erga Studentes, qui extra Communitatem degunt, quod eſt conſtans.

68 Quæſtio ſecunda in titulo præfixa breuiter etiam eſt præſtringenda. Iuris Ciuilis ſtudium publicum Religioſis eſt prohibitum; verum cum Clericis Fratribus Militaribus à Pontifice in eo fuit diſpenſatum, cuius Bullam *ſuperiùs* attulimus. Religioſis autem non eſſe prohibitum ex ſe, & attento Iure communi, docere Ius Ciuile, & ad Cathedras, in quibus docetur, opponi; prohibitum autem eſſe per Statuta Religionum ſpecialia, aut per conſuetudinem earum, in qua obligatio prohibitionis intenditur, aſſerui *loco relato lib. 2. num. 378.* Fratribus autem Militaribus id etiam eſſe prohibitum, conſtat ex conſuetudine immemoriali; & implicitè prohibetur in Statutis, & Definitionibus, dum deſignantur Collegæ, qui Theologiæ, & Iuri Canonico ſtudeant, quin de Iure Ciuili quidquam agant, quaſi illud excludentes.

69 De licentia Prælatorum poſſe Religioſum, qui, dum in ſæculo commorabatur, Iuri Ciuili ſtuduit, Gradum Doctoratus in illo ſuſcipere, tenent plures Authores *ibidem ex num. 379.* à me relati. Sed hanc licentiam, non niſi in raro euentu fore concedendam, aſſerui. Id Clericis Fratribus aptaueris. Eos autem poſſe Gradum Magiſterij, & Doctoratus in Theologia, & in Iure Canonico ſuſcipere, eſt certiſſimum, nullo iure prohibitum, & praxi ipſorum, & aliorum Regularium comprobatum. Et, quamuis alij Religioſi non Militares Iuri Canonico non ſtudeant publicè, nec in illo Gradum Doctoratus ſuſcipiant; id non ex Iuris prohibitione prouenit, ſed ex ſpecialibus Religionum ſtatutis, ac conſuetudine, & quia communiter eorum Inſtituto non congruit, & ſaltem Theologiæ ſcientia eſt ei opportunior; eſtò ob ſpeciales rationes non ſemel laudabiliter Religioſi publicè Ius Canonicum edocuerint. At Inſtituto Clericorum Fratrum Iuris Canonici facultas eſt valdè opportuna: eius ſtudium per Statuta, & Definitiones commendatum; ſuſceptio Gradus in illo, & Cathedrarum moderatio approbata, ac conſuetudine plurium, qui & Gradum, & Cathedras obtinuerunt, cum ingenti boni publici vtilitate, & ipſorum Ordinum Militarium ſplendore, id licitum, decens, & congruum firmatur. Pariter poſſunt publicè Philoſophiam, Linguam Hebræam, Græcam, Mathematicam, & ſimiles Artes publicè edocere; Gradum in illis ſuſcipere, & ad Cathedras opponi; cum id Religioſis ſit licitum, iuxta dicta *loco relato, num. 389.*

QVÆSTIO IX.

An Clericis Fratribus in Collegiis Militaribus commorantibus Rectores ſint aſſignaturi Confeſſarios, & quoſnam? Vbi alia de Confeſſariis Militaribus.

Hanc quæſtionem ex prædictis *ſuperiùs*, & ex traditis fusè à Me *tomo in Bullam Cruciat. per plures diſputationes*, breuiter præſtringam. Igitur Rectores Collegiorum, vt iam ſtabiliuimus, ſunt Superiores Collegarum non ſecùs ac alij Superiores locales non Militares reſpectu ſuorum ſubditorum, vnde eadem munia illis, ac his competunt. Hinc Rectores poſſunt, ac debent deſignare Confeſſarios Collegis; Et quidem ſunt deſignandi pluſquàm vnus; Sic enim præcepit Clemens VIII. in ſua Bulla, quam tranſcripſi *loco relato, diſp. 24. cap. 1.* his verbis; *Superiores in ſingulis domibus deputent duos, tres, aut quatuor Confeſſarios pro ſubditorum numero maiori, vel minori; iique ſint docti, prudentes, & charitate prediti, &c.* Cum autem numerus Collegarum in vnoquoque Collegio ſit mediocris, ſufficiet duorum Confeſſariorum deſignatio. 70

Hi Confeſſarij poſſunt excipere Confeſſiones Clericorum Fratrum, quamvis non ſint ab Ordinario approbati; nam approbatio requiritur à Tridentino ad audiendas 71

Confeſſiones ſæcularium, non verò Regularium. Attamen ipſis Rectoribus conſtare debet de doctrina, ac prudeutia, honeſtiſque eorum moribus, iuxta Clementis VIII. præſcriptum; nec poſſunt deſignare viros indoctos, & inidoneos in Confeſſarios; id euim eſſet, ſua abuti poteſtate, eamque excedere. Quòd ſi intra Collegia ipſa ſint Collegæ probati, experti, antiqui, & ſufficienti doctrina prædıti, ex illis erunt deſignandi Confeſſarij, ſicut fit in aliis Monaſteriis non Militaribus; id enim decentiæ, & opportunitati congruit; Sin verò non commorentur in Collegiis, qui ſcientiam moralem calleant, cæteriſque requiſitis polleaut, par erit deſignare Viros Religioſos alicuius Monaſterij, aut Collegij Salmantini; Quin poterunt Rectores conſtituere in Confeſſarios plures ex ſingulis Monaſteriis, v. g. omnes Magiſtros, ac Profeſſores Theologiæ, omnes Superiores locales, & alios ſimiles; nec enim in hoc, attentis rerum circunſtantiis, vllum incommodum reperio, & aliundè liberior facultas patet, vt libentiùs forſan Collegæ Sacramentum pœnitentiæ frequentent.

72 Cæterùm ipſi Collegæ, ſi Bullam Cruciatæ habeant, poſſunt eligere quemvis Confeſſarium, etiam ſi à Rectoribus uon deſignetur; Cum enim in Ordinibus Militaribus nullus ſit caſus Superiori reſeruatus, & pro non reſeruatis in Bulla concedatur priuilegium eligendi Confeſſarium, adhuc Religioſis, fit, vt Collegæ Militares eum valeant eligere, nec poſſint à Rectoribus prohiberi, quominùs eum eligant. Id tamen obſeruandum erit, quòd Confeſſarius eligendus per Bullam debet eſſe approbatus ab Ordinario loci; non enim, niſi ſub hac conditione, Pontifex in Bulla concedit priuilegium electionis Confeſſarij. Hæc omnia tradidi *eo tomo in Bull. Cruciat. diſp.24. cap.18*. Hinc cenſerem, poſſe Rectores congruenter deſignare ſuis ſubditis omues Confeſſarios approbatos ab Ordinario; nam omnes Collegæ communiter Bulla Cruciatæ gaudent, & poſſunt eos eligere; atque vt plurimùm extra Collegia ſua Confeſſarios quærunt, (in quo cernitur diſcrimen ab aliis Religioſis non Militaribus) quare non inuenio ingentem aliquam vtilitatem in limitandis perſonis, qui ſint Confeſſarij eorum. Poſſunt tamen Rectores, iuxta dicta, deſignare etiam alios doctos, & prudentes, qui non ſint approbati ab Ordinario, & abſque ea deſignatione nequeunt confiteri cum non approbatis Collegæ. De Iacobæis agemus *in inferioribus*.

73 Hæc omnia pariter militant in Monaſteriis, ac in Collegiis Militaribus; niſi quòd in Monaſteriis Militiarum ſemper verſantur Sacerdotes aliqui ſeuiores, aut antiqui, docti, & prudentes, qui poſſunt deſignari in Confeſſarios, quin alij extra Monaſteria deſignentur. Priores verò, & Rectores poſſunt ſibi deſignare Confeſſarium, quem maluerint, etiam ſi non ſit deſignatus pro ſubditis, dum ſit doctus, prudens, & charitate præditus.

74 Ipſi Clerici Fratres, vt excipiant Confeſſiones ſæcularium, debent eſſe approbati ab Ordinario loci, in quo eas excipiunt, iuxta tradita latiſſimè à Me *loco relato diſp.22*. Vbi, quæcumque circa approbationem dubia occurrant, reperientur diſcuſſa, & enodata. Itaque, ſi Clericus Frater intra territorium Prioris, qui approbat Confeſſarios Clericos ſæculares, exiſtat, ab eo approbationem debet obtinere; Sin verò, ab Ordinario loci, in quo verſatur, ac Confeſſiones excipit.

75 Sed inquiris, an ſufficiat approbatio priorum Militarium, qui poteſtate quaſi Epiſcopali pro vtroque foro gaudent, vt Clericus Frater excipiat Confeſſiones omnium Regularium eiuſdem Ordinis? In primis, ſi extra territorium prioris exiſtat, & Regularis velit eum Confeſſarium eligere virtute Bullæ Cruciatæ, aut Iubilæi, non poterit ille Confeſſionem excipere, ſola ea gaudens approbatione; nam, iuxta dicta, requiritur ad hanc electionem approbatio Ordinarij loci. Deindè, ſi nullus ſit caſus, pro quo ea electio virtute Bullæ, aut Iubilæi ſit neceſſaria, poterit excipere ille Clericus Frater Confeſſiones aliorum Fratrum Clericorum eiuſdem Ordinis reſpectiuè, vbivis exiſtentium, tum ſubditorum eiuſmodi priorum, tum non ſubditorum; nam, cum Ordo poteſtatem habeat deſignandi Confeſſarios reſpectu ſubditorum, non ſolùm conſtituit priores, vt parochos vniuerſales, & Confeſſarios omnium Religioſorum, verùm eis concedit, & committit facultatem, ac iuriſdictionem approbandi Confeſſarios pro ſubditis Religioſis ipſius Ordinis, quamvis hi aliundè non ſint ſubditi priorum. Etenim euidens eſt, dari in Ordine eam poteſtatem approbandi Confeſſarios: ergo alicui ab Ordine committitur, & conceditur; Cui autem, niſi prioribus Monaſteriorum; quæ ſunt Capita Ordinum, & Adminiſtratori Conuentus Calatrauæ, qui prioris vices gerit? Id autem & ſic ipſi Ordines arbitrantur, & praxi, ac ſtylo eſt conforme.

QVÆSTIO X.

Controuerſia circa Prioratum Monaſterij de Calatraua refertur.

§. I.

76 GRauis hæc controuerſia extitit, nec adhuc eſt deciſa, inter Ordinem Militarem Calatrauæ, & Ciſtercienſem Abbatem de Morimundo; contendente hoc deſignare in Priorem ſacri Conuentus Calatrauæ Monachum è ſuo Ordine; illo verò renuente illum admittere, & Clericum Fratrem in Priorem expoſcente. Adminiſtrator interim à Rege noſtro conſtituitur, qui regat Monaſterium. Hinc indè quiſque pro ſuo Iure plura fundamenta proponit; nec paucæ allegationes, ac libelli ſupplices prodierunt; Pro Calatrauenſi Ordine ſcripſerunt Don Fr. Barnabas de Reſa, Ceruera de la Torre, & recentiùs alij; Pro Ciſtercienſi Abbate Morimundi Illuſtriſ. Fr. Angelus Manrique latiùs, & alij breuiùs. Breuiter attingam ſingulorum momenta, quin vltrà progrediar, cum nec meum ſit, rem decernere; nec qui vtrumque eximium Ordinem toto animo veneror, vni, aut alteri offenſionem paro, à qua & meum Inſtitutum, & genius abhorret. Ne tamen in *hoc Opere* aliquis hanc notitiam deſideret, eam præſtringere ſtatui.

77 Pro Calatrauenſibus diſſeritur. Inſtituto Ordine, anno 1158. cum diſcordiæ fuiſſent exortæ inter Monachos, quos Raymundus Ciſtercienſis, primus Ordinis Gubernator, (cui nolunt aliqui Inſtitutionem Ordinis tribuere, ſed præcipuas partes in adiuuando Don Sanctium Regem, vulgò *el Deſeado*, quem, aiunt, fuiſſe Inſtitutorem) reliquerat Calatrauæ, adductos à Monaſterio *de Fitero*, vnde ipſe Raymundus prodierat, & inter Equites Calatrauenſes, qui tunc in Conuentu Calatrauæ degebant, Monachi ex Conuentu diſceſſerunt ad Oppidum de Ciruellos, ſibique Abbatem elegêre Rodulphum, Raymundi ſocium; Calatrauenſes autem ſub obedientia Magiſtri Don Garſiæ admiſerunt Clericos Fratres, qui ipſis Sacramenta miniſtrarent. Monachi litem intentarunt ſuper Oppido Calatrauæ, & eius finibus, quaſi ſibi à Rege donatis; Calatrauenſes, vt litem componerent, Domum S. Petri de Gumiel eis conceſſerunt; qua tranſactione peracta, illi iuri à ſe intentato ceſſêre. Magiſter autem Don Garſias, vt Ordo ſub aliqua Regula approbaretur, eum in Ciſtercienſem incorporauit, & ab Alexandro III. approbationem impetrauit anno 1164. quin Pontifex quidquam de Prioratu ſtatuerit. Obtenta à Saracenis Calatraua, Ordo in Ciſtercienſem ſecundò fuit coaptatus, & initum pactum cum Capitulo Generali Ciſtercienſi, quòd duo Monachi mitterentur ad Calatrauenſes, cum eis commoraturi, dum in regula, & ceremoniis eos inſtruerent; hique Monachi è Monaſterio Morimundi in Gallia ad id fuerunt miſſi.

Approbauit hanc incorporationem Gregorius VIII. anno 1187. quin de Monachis 78 mittendis meminerit, quin potius in Bulla aſſeruit; *Clerici verò Ordinis veſtri Priorem habeant, cui Profeſſionem faciant, & ſubiectionem impendant*; Vbi non appoſuit *Priorem Monachum*; At Clericum eſſe debere, expreſſit Innocentius III. approbans iterùm Ordinem anno 1214. his verbis; *Clerici verò Ordinis veſtri Clericum Priorem habeant, cui &c.* Ignoratur, Clericum Fratrem fuiſſe Priorem. Anno 1551. obijt Prior Monachus ex Morimundo. Rex Philippus II. impetrauit à Pio V. quòd eſſet Prior Monaſterij Hiſpanus Fr. Ludouicus Aluarez de Solis Ciſtercienſis. Poſt ſex annos in Prioratu habitos, ob varia incommoda, Rex ipſe ei iuſſit, vt è Monaſterio abſcederet, & poteſtatem adminiſtrandi muuus alij Monacho committeret, & id ita ille præſtitit. Obijt Ludouicus anno 1599. & Adminiſtratores Clerici Fratres fuerunt deſignati. Anno autem 1600. Capitulum Generale Ordinis ſtabiliuit in ſuis Definitionibus, quòd Prior deinceps Clericus Frater per ſuffragia Religioſorum Monaſterij eligeretur, & donec electio fieret, deſignarentur Adminiſtratores Clerici Fratres.

Ex qua facti contingentia (quam pars 79 oppoſita non admittit) contenditur, proprietatem Prioratus eſſe, ac fuiſſe ſemper penes Ordinem Calatrauæ, tum ob ius commune ſtatuens, Prælatum Ordinis fore ex perſonis ipſius eligendum; tum ob conceſſionem ſpecialem Pontificiam decernentem, Priorem debere eſſe Clericum. Deindè Monachi Galli ius ad hanc Dignitatem habere prohibentur ex eo Iure communi; & per leges noſtri Regni exteri arcentur à Beneficiis Eccleſiaſticis, aliundéque non probant præſcriptionem, aut priuilegium Pontificium, vel diſpenſationem Regiam, aut titulum ſufficientem ad proprietatis tranſlationem; Monachis

autem Hiſpaniæ nunquam id ius competiuit. Nec Ordo Ciſtercienſis, aut Monaſterium de Morimundo ius habent patronatus, cum nec dotauerint, nec ædificauerint Monaſterium Calatrauæ; & quamvis illud dotauiſſent, ab omni iure receſſerunt, poſita tranſactione, & acceptione Domus S. Petri de Gumiel, cui pacto debent ſtare, cum fuerit contractus validus. Quòd autem poſt illum Monachi à Morimundo venerint, id præſtitum fuit, vt inſtruerent Calatrauenſes; indéque quaſi anſam arripuerunt Muneris, vt proprij, continuato tempore gerendi. Si autem aſſeratur, Pontificem, qui ſecundam incorporationem approbauit, implicitè confirmaſſe Monachorum aduentum ad Prioratum obtinendum; Sanè in ipſa Bulla enuntiat Pontifex, Priorem Clericum fore conſtituendum; vndè ſolùm approbauit ad ſummum Monachos inſtructores, & ſupplentes vices Clericorum Fratrum, dum hi inſtruerentur in Regula, & ceremoniis, vt Priorum munere fungi poſſent.

80 Additur, pactum mittendi Monachos in Priores nec fuiſſe perpetuum, vt ſuadetur ex dictis, nec potuiſſe eſſe; nam pactum vnionis perpetuæ in Iure eſt reprobatum; nec ſeruitus, aut onus adeò graue Ordini Calatrauenſi imponi poterat; cum videatur eſſe contra ius diuinum præcipiens non arari in boue, & aſino, nec iudui veſtimento ex lino, ac lana contexto; & contra rationem, cum diuerſitas capitis à membris rationi non congruat, & diuerſitatem corporum diuerſitas ſequatur animorum; & contra ius poſitiuum in Decretalibus, Clementinis, & in Tridentino prohibens è diuerſo Ordine Prælatos aſſumi. Imò, etſi pactum fuiſſet perpetuum, cum effectus ex eo ſecutus foret fini contrarius, illud annullaretur, ſiquidem pacta adhuc iurata, ad conſeruationem partium inita, caſſantur, ſi ſit contrarius effectus; Ex eo autem pacto grauia incommoda ſequuntur, tum diſſonantia inter ſubditos, & Prælatum, tum idioma ad inuicem non intelligi, tum alia huiuſmodi. Et, quamvis id pactum fuiſſet validum, cum fuit initum, iam inualidum eſt redditum, ſiquidem finis inſtruendi Calatrauenſes ceſſauit, cum hi iam ſint optimè inſtructi. Imò Monachus in Priorem electus indigeret inſtrui in ceremoniis, & Regula Calatrauenſium, ac in Ordinis Definitionibus, quæ ſpeciales ſunt, & quàm plures ſunt additæ; vndè Monachus non poſſet eas facere obſeruari, nec iuxta illas gubernare ſubditos noſſet. Ipſi quidem Pontifices iam diu ſuppoſuerunt, Calatrauenſes non indigere inſtructione, ſiquidem eos approbarunt, vt poſſent viſitare aliquos Ordines Militares Ciſtercienſes, ad quod munus viſitationis ſupponitur, illos eſſe optimè inſtructos.

Cum autem proprietas huius Dignitatis 81
Prioratus ſit Ordinis Calatrauæ iuxta ius humanum, & diuinum, nequit Monaſterium Morimundi gaudere priuilegio tollendi id ius; nam id priuilegium, ſi daretur, iuri naturali obſiſteret, & nullus poteſt alium priuare iure, quod habet ab ipſo iure communi diuino, & humano. Nec præſcriptio in contrarium debet admitti. Et, quamvis aliqua Iura oppoſitum innuant, exponuntur de præſcriptione in conſtituendo Prælato vnius Monaſterij in alio eiuſdem Ordinis, vel per nouum Ius ſunt derogata. Accedit, in ipſo Ordine Ciſtercienſi dari priuilegium expeditum ab Eugenio IV. anno 1438. quòd nullus, qui non ſit eiuſdem Ordinis, cuiuſcumque ſit ſtatus, aut præeminentiæ poſſit quomodolibet eſſe Prælatus intra Ordinem ipſum, quo priuilegio gaudet Ordo Calatrauæ: quare nullus, niſi Calatrauenſis, poteſt eſſe Prælatus Calatrauenſium.

Rurſus non fauet Monaſterio Mori- 82
mundi præſcriptio iuris ad Prioratum, quia nunquam poſſedit, ſed virtute illius primi pacti mittendi Monachos, dum inſtruerentur Calatrauenſes, proprij domini, detentionem quandam ſolùm precariam obtinuerunt, cum in eis non fuerit animus propriorum dominorum, qui ad præſcribendum requiritur; nam, ſi, vt proprij domini, illud ius poſſediſſent, poſſeſſio fuiſſet clandeſtina, aut violenta, quæ præſcriptioni repugnat. Quod ſi ex diuturna poſſeſſione allegetur error, quo, vt proprij domini, ius ad Prioratum poſſederunt, indeque bonam fidem intendant; ſanè is fuiſſet error iuris, qui illis non fauet; Quippè, eſtò poſſit dari bona fides cum errore iuris, non autem dari valet, reſiſtente iure. Quòd ſi error fuit, iudicantibus Monachis, pactum de mittendo Priore, qui inſtrueret, fuiſſe perpetuum, is error eſſet proprij facti, qui non præſumitur, nec ad præſcriptionem prodeſt; nam, licèt ignorantia proprij facti, ſi antiquiſſimus ſit, præſcriptionem non impediat, id tamen locum non habet, ſi ingreſſus in poſſeſſionem fuerit vitioſus, vt in præſenti, ſi quidem poſt inſtructos iam Calatrauenſes non erat opus Monachis, nec ipſi, vt proprij domini, valuerunt Prioratum aſſumere, qui dumtaxat permiſſus fuit eis, dum inſtruerent Ordinem;

Ordinem; Admiſſio autem eorum poſt inſtructionem factam fuit actus voluntarius Calatrauenſium, qui etſi innumeris annis perſiſteret, cauſam præſcriptioni non ſuppeditaret.

83 Sed adhuc dato caſu, quòd Monaſterium Morimundi aliquod ius quondam ad Prioratum habuerit, illud iam eſt amiſſum, & derogatum; Nam priuilegia, & iura conceſſa in grauamen alterius amittuntur, ſi tempore legitimo ceſſet vſus illorum, & grauatus actum exerceat, quo oſtendat, ſe velle priuare illum iure, & ſuam libertatem immunem ab eo ſeruare. Quod in præſenti contingit, nam per plurimos annos Abbas Morimundi eo iure non fuit vſus, nec Priorem deſignauit; Et Ordo Calatrauæ Adminiſtratores Clericos Fratres obtinuit, & in ſuo Capitulo Generali ſtabiliuit, eligi Clericum Fratrem in Priorem; quo manifeſtauit animum ſuæ recuperandæ libertatis. Nec Abbas poteſt reclamare, ſe à poſſeſſione violentè fuiſſe expulſum, nec ſciuiſſe, Ordinem intendere ſuæ ſe libertati teſtituere, ideóque non obſtitiſſe. Etenim in fauorem libertatis à Iure ſtatutum eſt, vt ea præſcribatur etiam aduerſus eum, qui ſuum ius ignorat, & propter ignorantiam illud non defendit tempore legitimo, & præſcriptio libertatis locum habet, quàvis præſcribenti non adſit, & violentè in poſſeſſionem immittatur; nec ex Iure Ciuili requiritur bona fides ad libertatis præſcriptionem. Et licèt in hoc caſu requiratur, Calatrauenſes bona fide proceſſerunt, ſiquidem Rex Philippus II. impetrauit à Pio V. deſignationem Prioris Monachi Hiſpani, vnde bona fide in poſſeſſionem ſunt immiſſi, nec poſteà debuerunt Monachos Morimundi admittere.

84 Præterea, ſi Monaſterium Morimundi aliquod ius illis primis temporibus ad Prioratum obtinuit, id reuocatum fuit per Clementem V. in Concilio Viennenſi anno 1311. vt extat *in Clementin. 1. de electio.* vbi annullatur, & irritatur, vt potè contra rationem, electio quæ deinceps fieret Prælati vnius Ordinis ex alio ordine, & Habitu. Nec potuit conſuetudo contra hanc legem præſcribi; nam, eſto poſſit aliquando induci conſuetudo aduerſus legem irritantem, non tamen ſi ſit conſuetudo irrationabilis. Pontifex autem irritauit eiuſmodi electiones, vt irrationabiles; ait enim; *Cùm rationi non congruat, vt homines diſparis Profeſſionis, vel habitus, ſimul in eiſdem Monaſteriis ſocientur.* Nec reperitur ratio, qua honeſtetur ea electio Prioris Monachi. Hinc nequit aſſeri, Clementem non irritaſſe conſuetudines, qualis iam dabatur in deſignatione Prioris ex Morimundo. Etenim lex irritans actus futuros priuat iure, quomodolibet acquiſito ad eos exercendos, maximè ſi prohibeantur vt rationi contrarij, cùm tunc nullus titulus poſſit eis validitatem mutuare. Nec dici poteſt, Ordinem Ciſtercienſem non eſſe diſparis Profeſſionis, ſeu Habitus à Calatrauenſi; Etenim, ſuppoſito quòd Religiones in ſubſtantialibus votorum non differunt communiter, ſed in inſtituto, fine, Fundatore, Habitu, nomine, & ſimilibus; diſparitas inter vtrumque Ordinem eſt conſtans; Ciſtercienſis vitam contemplatiuam profitetur; pœnitentiis corporalibus diſciplinam regularem munit; cucullus eſt Monachis Habitus: Proprij hi gaudent Ordinis fundatore; nomen retinent Monachorum; Nihil ex his competit Calatrauenſibus; reſpectu quorum rigor Benedictinæ Regulæ fuit temperatus; Actiuam vitam profitentur, in militia Equites, in adminiſtratione Sacramentorum, & populorum ſpirituali regimine Fratres; qui, vt Clerici, incedunt ornati; nec Monachi nuncupantur; ſuuſque Ordini proprius eſt Fundator; Quæ ergo maior diſparitas?

Adhuc in Tridentino *ſeſſ.* 14. *c.* 8. *de reſor. & ſeſſ.* 25. *de regul. c.* 7. *&* *c.* 21. decernitur, Beneficia Regularia Religioſis ipſius Ordinis dumtaxat conferri: & non eſſe Prælatum in Religione, qui in ea non fuerit Profeſſus; ac annullantur electiones, quæ per Canonicam electionem non fuerint peractæ; totum ergo ius Morimundi per Tridentinum reuocatur, cùm Prioratus Calatrauæ ſit diuerſi Ordinis, & veniat ſub nomine Beneficij Eccleſiaſtici Regularis. Indéque Capitulum generale, Priorem per electionem Canonicam aſſumi ſtabiliuit. Et ipſum Tridentinum *ſeſſ.* 25. *de regular. cap.* 22. derogauit omnes conſuetudines, priuilegia, conſtitutiones, præſcriptiones, etiam immemorabiles in contrarium; idque confirmauit Pius IV. in Bulla, quæ incipit, *In Principis Apoſtolorum*; Quare nihil reſtat quod Morimundo faueat. 85

Hinc iam cernitur, eſſe in Ordine Calatrauæ ius ad conſtituendum Priorem, cùm enim Pontifices Ordinem approbarunt, etiam approbauêre id, ſine quo Ordo nequit conſiſtere; & dum in Ordine non eſt à Pontifice deſignatus, ſeu confirmatus ſpecialis modus conſtituendi Prælatos, ſtandum eſt Tridentino. Exindè etiam ex interpretatiua voluntate, & approbatione Pontificis Adminiſtrator deſignatur; nam, cùm neceſſe ſit, Prælatum conſtitui, dum 86

aliquod impedimentum interuenit, (vt in præſenti propter controuerſiam datur) vt Prior eligatur, aliquis neceſſario loco illius debet proponi, ne Monaſterium Prælato deſtituatur in Ordinis præiudicium. Præterea Adrianus VI. conceſſit Regibus Hiſpaniæ, vt deſignent perſonas, per quas gerantur, quæcumque in Ordinibus Militaribus ad ſpiritualia ſpectant; cùm ergo non detur Prior Calatrauæ, qui ſpiritualia ad ſe pertinentia exequatur; ex vi illius conceſſionis generalis poterit is, qui à Rege fuerit deſignatus, ſpiritualia gerere in Monaſteria Calatrauæ. Quare in deſignatione Adminiſtratoris non repugnarut voluntati Pontificiæ, ſed ei mos geritur.

87 Ex dictis, aliiſque, latè exornatis, contendit Ordo, & Monaſterium Calatrauæ, vt Prior eligatur Clericus Frater; cùm ſic etiam ſplendor huius Dignitatis Ordini accreſcat; & parochus proprius omnium perſonarum Ordinis, & in ſpiritualibus prælatus, iuxta definitiones *titul. 1. cap. 7. & 9.* debeat conſtitui, cùm id ſit iuxta ius diuinum, & poſitiuum; & Monaſteria Ordinum Diui Iacobi, & Alcantaræ priores Clericos Fratres habeant; Ordoque Calatrauenſis adeò benemeritus de Fide, de Eccleſia, de Hiſpania, non debeat hoc iure priuari. Ad fundamenta præiacta pro Calatrauenſibus Ciſtercienſes multis reſpondent; ſicut etiam Ciſtercienſium rationibus ſatisfacere Calatrauenſes conantur. Obiter tacitè aliqua ſunt libata argumenta contraria; & alia vtriuſque Ordinis in ſequentibus attingemus.

§. III.

88 Pro Abbate, & Monaſterio Morimundi è contrà diſſeritur, & factum, ac ius aliter enarratur. Nempè S. Raymundus, ſimul cum Fr. Didaco Velazquez Ordinem inſtituit Calatrauenſem, vterque Ciſtercienſis ex Monaſterio de *Fitero*, à quo, paucis ibi relictis, armenta, greges, & cætera mobilia ſimul cum Monachis ad Monaſterium Calatrauæ tranſtulerunt, reſte Archiepiſcopo Don Roderico *lib. 7. cap. 14.* (Non tamen excluditur Rex Sanctius ab Ordinis Fundatione, ſed Raymundus, vt principalis cum ipſo Fundator, & non vt inermn inſtrumentum apponitur.) Ibi Abbas Raymundus in Ordinem admittebat Monachos, qui Choro inſeruirent, & Laicos Fratres, qui contra Saracenos pugnarent. Poſt quinque annos à fundatione, ſcilicèt anno 1603. ad Superos migrauit Raymundus: quem tranſtuliſſe Domum Fiterij ad Calatrauam, ægrè tulerat Abbas Monaſterij Scalæ Dei (cuius filiatio erat Fiterium) eo quod non fuiſſet de tranſlatione conſultus. Tunc quippe Ciſtercium, non vt nunc, per Congregationes regebatur; Sed Abbas eius Monaſterij, à quo alia Monaſteria prodierant, filiationeſque vocabantur, illa per ſe, aut per alios viſitabat, vt Superior. In locum demortui Abbatis Raymundi, ſibi Monachi præfecêre Fr. Radulphum, Milites verò in ſuum Magiſtrum Fr. Don Garſiam. Monachi quaſi iam ibi nihil agerent, alij ſe ad Fiterium reſtituerunt; alij ad oppidum de Ciruelos, in quo corpus S. Raymundi iacebat, aduenerunt, vnde demùm ad Fiterium omnes migrauêre. Sanctitas cæterùm, & miracula S. Raymundi ſatis manifeſtarunt eius ſanam, & ſynceram mentem in tranſlatione Domus Fiterij ad Calatrauam; De qua habetur in antiquis eiuſdem Domus memoriis; *Domus Fiterij minùs cautè ſe tranſtulit in Calatraua, cum inconſulto, & irrequiſito patre ſuo, Abbate Scalæ Dei, ſe propria authoritate plenariè tranſtulit ſub Raymundo Abbate primo Fiterij.*

Lis à Monachis ſuper bonis temporalibus Calatrauæ intentata, de qua Rades *in Chron. Calatrauiæ c. 8.* & tranſactio præſtita, donata à Calatrauenſibus Domo S. Petri de Gumiel, non conceditur ab Illuſtriſ. D. Fr. Angelo Manrique, eo quod alio titulo, multò poſt acciderit eius Domus donario. Et eſto, hæc tranſactio extiterit, ſanè quoad iura temporalia contigit, non quoad ſpiritualia deſiguandi priorem. Milites tunc admiſerunt Clericos Fratres, qui eis adminiſtrarent Sacramenta, & à Capitulo Generali Ciſtercienſi poſtularunt, vt normam viuendi, ac conſtitutiones eis præſcriberet, ac participes bonorum, & gratiarum Ciſtercij redderet. Ita præſtitum fuit anno 1164. nec tunc vt ſubditi, ſed vt Familiares Ciſtercij, Calatrauenſes remanſerunt. Confirmauit id Alexander III. poſtmodùm anno 1187. Magiſter Fr. Don Nunus Perez de Quiñones, obtentis epiſtolis ab Alfonſo VIII. Rege, vulgò *el Bueno*, & à Magnatibus Caſtellæ, Capitulum Generale Ciſtercij adiuit; petiit, vt Calatrauenſes admitterentur in Fratres; obtulit, ſi poſſet deinceps, augere Monaſteria Monachorum Ciſtercienſium in Hiſpania efflagitauit, vt deſignaretur Monaſterium Ciſtercienſe, cuius eſſet filiatio ſuus Sacer Conuentus Calatrauæ, iuxta ſtylum tunc in Ordine viſitatum, (qui conſtat *ex Charta Charitatis capit. 12.*) cui Monaſterio ſubiiceretur Calatraua. Omnibus poſtulatis annuit Capitulum 89

Capitulum; quia illuſtris adeò Conuentus Calatrauæ Domum inſignem in Matrem iure ſuo poſcebat, deſignatum fuit vnum ex quatuor primis Ciſtercij, Monaſterium Morimundi; quia ex hoc prodierat Otho Abbas (ex Sereniſſima ſtirpe Auſtriaca) qui Monaſterium Scalæ Dei fundauerat; & ab hoc emanauit Fiterium; ac à Fiterio Calatraua. Magiſter Don Nuñus, ſimul cum Monacho quodam Ciſtercienſi Romam profectus, & confirmationem omnium horum à Gregorio VIII. obtinuit; & de eius conſilio Monachus impetrauit à Pontifice confirmationem omnium bonorum, & filiationum, quas Monaſterium Morimundi habebat, ac inter eas appoſita eſt Calatraua. Extant Bullæ in archiuiis Ciſtercij, & Morimundi; & tranſcripta authentica in Calatrauæ archiuo aſſeruantur. Conſtat id totum ex literis, quas tunc Capitulum dedit Don Nuño Magiſtro; & ex epiſtola, quam Innocentio III. paucos poſt annos ſcripſerunt duo Epiſcopi, Lingonenſis, & Cabilonenſis, & quatuor Abbates Ciſtercienſes. Ex tunc ergo Calatrauenſes, vt fratres, & Calatraua, vt filiatio, Ciſtercio fuerunt vnita.

90 ato de Torres, & alij referunt, hanc incorporationem præſtitam fuiſſe, quia Calatraua fuerat à Saracenis obtenta, & Calatrauenſes indigebant Ciſtercij iuuamine. Verùm hæc vnio fuit peracto anno 1187. Calatraua verò fuit amiſſa anno 1195. atque adeò ante amiſſionem vnio contigit. In ea verò inter alia ſic habetur; *Duo Monachi de eodem Monaſterio*, (ſcilicet de Morimundo) *poſtquam conſtructum fuerit, quoties neceſſe fuerit, cum ipſis fratribus morabuntur.* Ex his verbis aduerſa pars inſurgit, & ait, pactum de Monachis, ſolùm dum neceſſarij fuerint, eſſe initum. Sed ſanè ea verba non agunt de Monaſterio Calatrauæ iam conſtructo, ſed de aliis Monachorum ædificandis iuxta id, quod Magiſter Don Nuñus obtulerat. Contextus ſic ſe habet; *Si Abbatias ædificare poteritis, Dominus Morimundenſis ordinet eas. Idem Abbas Morimundi prouideat, quomodo per ſe, vel per alium ſemel in anno viſitentur. Duo Monachi de eodem Monaſterio, poſtquam conſtructum fuerit*, (illud nempè, quod in Abbatiam ædificabitur) *quoties neceſſe fuerit, cum ipſis Fratribus morabuntur.* Et cum ſermo ſit cum Don Nuño, & Calatrauenſibus, & in ſecunda perſona *Vos*, *Vobis* &c. clauſulæ antecedant, non aſſeritur, *Vobiſcum morabuntur*, quia in hac propoſitione agebatur de Fratribus; ſeu Monachis Monaſterij, quod eſſet ædificandum. A tempore ergo huius vnionis Abbas Morimundi per quadringentos aunos miſit Monachum in Priorem Calatrauæ.

Obtenta à Saracenis Calatraua, anno 91
1195. Calatrauenſes abſque ſede fixa militantes, obtinuerunt anno 1198. arcem de Saluatierra; conſederunt ibi, & nomen Calatrauæ cum nomine Saluatierra permutatum fuit; Et ne ex alio ordine iudicarentur ratione nouæ nuncupationis, Magiſter Ordinis Romam miſit duos Commentarios Equites, qui confirmationem omnium præteritorum à Pontifice impetrarent, & poſteà Capitulo Generali Ciſtercienſi intereſſent. Obſeruauit Pontifex, omnes Calatrauenſes ſtatus laicalis, & Clericalis profeſſionem emittere Magiſtro Ordinis, (quod & nunc præſtatur) cenſuitque incommodum, Sacerdotes profiteri ei, qui non eſſet ſtatus Clericalis, indéque appoſuit eam clauſulam; *Clerici quoque Ordinis veſtri Clericum Priorem habeant, cui Profeſſionem faciant, &c.* De quibus illico redibit ſermo. Ab vrbe Romana Commendatarij ad Capitulum Ciſtercij conuenerunt, nouaſque literas, conſtitutiones, & confirmationem vnionis, & Filiationis accepêre; Quæ literæ in Archiuio Calatrauæ extant. Hoc tempore Calatrauenſes donauerant iam Ordini Ciſtercienſi Domum Sancti Petri de Gumiel, quàm priùs Monachi Benedictini poſſederant; Inde in prædictis literis Capituli enuntiatur; *In Abbatia verò Sancti Petri, quæ per vos ordinata eſt, & fundata, eritis in Choro cum Monachis; in aliis autem Domibus, vel in retrochoro, vel in presbyterio, vbi vobis melius placuerit.* Ecce hæc Abbatia anno 1187. nondum erat donata à Calatrauenſibus Ordini Ciſtercienſi, cum in literis à Capitulo Ciſtercij eo anno datis, non decernatur quidquam circa illam, ſed ſupponendo nullam tunc fuiſſe adhuc à Calatrauenſibus ædificatam, in eis aſſeritur, *Si Abbatias ædificare poteritis.* In his autè ſecundis Capituli literis de ea eſt ſermo, quia ab anno 1187. vſque ad annum 1199. in quo hæ ſecundæ literæ expeditæ fuerunt, medio tempore, contigit donatio; Non ergo in tranſactione inita inter Calatrauam, & Monachos, quæ recenſetur à contrariis ante annum 1187. Domus S. Petri fuit tradita Monachis.

Eiecit Rex Alphonſus, ante inſignem vi- 92
ctoriam de *las Nauas de Toloſa*, Saracenos à Calatraua anno 1212. reddidit eam Calatrauenſibus, quorum Magiſter Don Rodericus Garces, ſeu Garcia, ab Innocentio III. nouam confirmationem Ordinis impetrauit anno 1214. & in eius Bulla extat eadem

eadem clauſula *Priorem Clericum habeant.* At ſub voce *Clerici* non intellexit Clericum Fratrem Calatrauenſem, ſed Priorem ſtatus clericalis, qui ſtatus competit etiam Monachis. Nec de Clerico Calatrauenſi id intellexit ipſe Ordo, cum quadringentos per annos illum uon habuerit Priorem, nec nominauerit, nec elegerit. Quin poſt hanc Bullam, anno 1218. cum inter ſe Ordines Calatrauæ, & Alcantaræ aliqua pacta iniiſſent, vnum ex his fuit, quòd Monaſteriũ del Pereiro (tunc ibi erant Alcantarenſes) viſitationem Magiſtri de Calatraua reciperet, *Sed quòd nunquam recipiant Monachum pro Priore, niſi voluerint.* Vnde infertur Calatrauenſes tunc habere Priorem Monachum, & non precariò, nec Monachum excluſum fuiſſe per Bullas Inuocentij; aliàs ea clauſula, & pactum omninò eſſent fruſtranea. Nec id pactum, debuit fieri cum Abbate Morimundi, quia Ordo Alcantaræ nunquam ei, nec Ciſtercio fuit ſubiectus; Factum itaque eſt cum Ordine Calatrauæ, à quo, ſi illud pactum permanſiſſet, erat viſitandus Ordo Alcantaræ, qui noluit, vt Magiſter Calatrauæ ex Monachis, qui in Conuentu Calatrauæ aderant, conſtitueret aliquem in Priorem Alcantarenſium, ſed his libera eſſet electio Prioris.

93 Per aliquod tempus Abbatis Morimuudi committebant Abbatibus Sancti Petri de Gumiel, vt viſitarent Calatrauam, & Priorem Hiſpanum ibi conſtituerunt. Poſtmodùm ipſe Abbas Morimundi venit Calatrauam: Viſitauit; & monachos Gallos in Priorem, & Subpriorem conſtituit, Conqueſti ſunt Clerici Fratres coram Rege Don Ferdinando, vulgò *el Santo*, qui à Gregorio IX. petiit, non quidem vt Monachus non eſſet Prior, ſed quòd deſignandus eſſet in Priorem Monachus Hiſpanus, & quòd Abbas Morimundi commiſſionem dari ſolitam non innouaret, vt incommoda indè pullulantia vitarentur. Reſcripſit Pontifex Abbati de Morimundo, Regis ſupplicationem proponens, eique præcipiens, quòd ſi ita eſſet, curaret ordinare, & ſtatuere, *quòd inter eos plena charitas, & ſynceritas vigeat, & idem Rex debito ſibi, imò Chriſtiana Fidei ſeruitio non fraudetur.* Ecce Calatrauenſes dolebant de Priore Gallo; ſi ergò precario Monachos ſuſtinebant, cur Priorem Clericum non poſtulabant? ad quid Rex Pontifici illud ſcriberet, & Pontifex reſcriberet Abbati Morimundi? Extat ea epiſtola in regeſto Vaticano *tom.* 5. *Decretalium Gregory IX. epiſtola* 305. Rex Ferdinandus deponit de Priore, & Viſitatore monacho. Pontifex deponit de relatione Regis, & Abbati Morimundi moderatiſſimis verbis ſcribit, vt concordiam, & Regis ſeruitium procuret. Quin Pontifex ex Regis narratiua loqnens cum Abbate Morimundi, ait, quòd Abbas Sancti Perri *a prædeceſſoribus tuis perpetuò datus fuerit Viſitator*; non ergo vnus ſolus Abbas Morimundi, ſed ſaltem duo prædeceſſores Abbates Viſitatorem, & Priorem deſignarunt, aut deſignationem commiſerunt; cum autem inter Guidonem Abbatem, qui primus ex Capituli Generalis ſtatuto Priorem deſignauit Calatrauæ, & Abbatem Connon, cui Pontifex reſcribit, ſolus Arnaldus Abbas interuenerit, vt conſtat ex Catalogo Abbatum Morimundi confecto à Claudio Roberto, fit, quòd vſque ad illud tempus ſemper Monachi Priores extiterint, ab omnibus Abbatibus Morimundi, aut ex eorum commiſſione deſignati. Prætereà Pontifex loquens de Calatrauenſi Ordine cum eo Abbate, ait, *Preces eiuſdem Militia, qua tibi in ſpiritualibus ſubeſſe dignoſcitur, &c.*

Obediuit Pontifici Abbas Morimundi; ſed 94
audiri poſtulauit, ne ius mittendi, ſi vellet, Gallos Monachos in Priores ſibi detraheretur; Pontifex cauſam Capitulo Generali commiſit; In eo Abbas Sancti Petri de Gumiel contendit, ſe præſcripſiſſe ius viſitandi Calatrauam, & conſtituendi ex ſuis Monachis Priorem. Non obtinuit. Miſſi ſunt Calatrauam Monachi Galli; Hiſpani Monachi nolebant eos admittere, elapſus eſt annus integer; cauſa ad Capitulum reuocata eſt; ſententiáque iterùm prolata pro Abbate Morimundi contra Abbatem Sancti Petri anno 1236. Eam anno ſequenti Gregorius Nonus confirmauit, in Bulla, quæ incipit, *Quod iudicium*; Nec Regis Ferdinandi antecedens petitio iuri Morimundi potuit obſiſtere. Nec ipſe poſteà reſtitit; quin vſque ad annum 1552. in quo obiit Prior Fr. Nicolaus Auennio, Galli Monachi continua ſerie fuerunt Calatrauæ Priores.

Anno 1255. Abbas Monaſterij Scalæ 95
Dei contendit, ad ſe ſpectare, Viſitatorem, & Priorem Calatrauæ conſtituere, eo quòd Fiterum eſſet eius Filiatio, & Fiterum ipſum tranſlatum eſſet Calatrauam. Res in Capitulo Generali Ciſtercij ventilata eſt cum Abbate Morimundi; ſed hic obtinuit, & confirmauit Alexander IV. Capituli ſententiam anno 1256. in Bulla, quæ incipit, *Ex parte veſtra*; In qua inſerta eſt Definitio Capituli Generalis, & in ea inter alias hæ clauſulæ continentur; *Cum filiatio Fratrum de Calatraua ad Domum Morimundi, non ſolùm diuturna temporis præſcri-*

ptione

ptime, verùm etiam ad petitionem Capituli Generalis iam authoritate Apoſtolica confirmata, pleno iure pertinere noſcatur, &c. Statuit, & ordinauit Capitulum Generale, quòd Magiſter, & Fratres Calatrauenſes Priori & Subpriori Calatraua ibidem ab Abbate Morimundi promotis, vel promouendis, &c. confiteantur. Bullam hanc miſit Regi noſtro Philippo II. Cardinalis de Claraual Eminentiſ. Domin. Don Hieronymus Socor, die 5. Septembris, anno 1578. quia Rex optauit dignoſcere ius Morimundi. Ait Ceruera de la Torre, hanc Bullam ſolùm miſſam fuiſſe ſimpliciter tranſcriptam, non authenticè. Quid indè? Poterit ex Regeſto authenticè tranſcribi; & plus authoritatis ei præbet Cardinalis, quam Notarius; cum Cardinalibus integra fides ſit præſtanda, iuxta Doctores *in cap. Nobiliſſimus, 97. diſtinct.* Ecce ſuper Prioratu Calatrauæ litigabant inter ſe Monachi; Calatrauenſes tacebant; ne litigium daretur, ſi precario Priores admitterentur.

96 Anno 1265. Clerici Fratres Calatrauenſes conqueſti ſunt coram Clemente IV. quòd Magiſter Ordinis illos cogeret, profeſſionem ei emittere, non obſtante, quòd Priorem Monachum haberent (quaſi dicerent non obſtante, quòd iuxta præceptum Innocentij III. Priorem Clericum, ſeu ſtatus clericalis habemus) & item Subpriorem, & alium Monachum eorundem ſocios miſſos ab Abbate Morimundi. Pontifex expediuit Bullam, quæ incipit *Conquerente*, & extat in Regeſto Decretalium huius Pontificis, ac eſt 70. in qua ea querela continetur, & cauſa ad Capitulum generale Ciſtercij remittitur. Ex ea colligitur, ipſos Calatrauenſes iudicaſſe, ſe Priorem clericum habere, dum Monachus Sacerdos illis præerat; quarè non ſunt conqueſti de Priore, ſed de Magiſtro; & Prior Monachus querelam reddebat iuſtam. Pontifex deindè, vt Magiſter ampliùs coleret Priorem Monachum, præcepit hunc à Capitulo Generali Ciſtercij deſignari; Capitulum, ne vſum iuriſdictionis priſtinæ tolleret ab Abbate Morimundi, iterùm ei electionem Prioris commiſit. Acceptauit ille, & Pontifex confirmauit in Bulla, quæ incipit, *Cum nobis*, expedita anno 1268. & authentica ſeruatur in Archiuio Calatrauæ. Ait Ceruera, verba in illa contenta, quæ fauent Morimundo, pertinere ad narratiuam factam ab Abbate. Verùm nec Pontifici falſum erat narrandum, nec falſum ab ipſo in Bulla apponendum; Et prætereà ipſe expreſſè confirmat factum à Capitulo Generali, quod in narratiua continetur. Hoc ius à Capitulo generali Ciſtercij ſecundò datum Abbati de Morimundo ad eligendum Priorem Calatrauæ confirmauit iterùm Gregorius X. anno 1273. in Bulla, cuius tranſcriptum eſt in Archiuio Calatrauæ; Et quamvis Ceruera de la Torre aſſerat, non eſſe authenticè exaratum; Attamen non ibi fuiſſet appoſitum, ſi verè non daretur ea Bulla, quam dubitari nequit in archiuio Morimundi ſeruari, & eius meminit Claudius Robertus loquens de Nicolao, vigeſimo Abbate Morimundi, in cuius fauorem expedita fuit.

Anno 1317. Cum Ioannes XXII. com- 97
miſiſſet Calatrauenſibus, vt Monaſterium Monteſæ fundarent, & decem ex ipſis in eo aſſiſterent tunc ad iuſtruendos Fratres Ordinis Monteſæ, non venit in mentem Calatrauenſibus Clericum Fratrem in Priorem conſtituere, ſed Abbas Monaſterij *de Santas Cruces* deſignauit Monachum Priorem, & ſemper deinceps præſtitit, eo quòd Monaſterium Monteſæ ei ſubjiciebatur. Et quamvis noſtro æuo Clerici Fratres Monteſæ à Magno Rege noſtro Philippo IV. enixè petierint, ſibi Clericum Fratrem præfici, non obtinuerunt. Calatrauenſes itaque, etiam poſtquam erant inſtructi, & alios inſtruebant, non idcò de Clerico Fratre Priore cogitabant.

Igitur conſtanter poſtmodùm Abbates 98
Morimundi deſignarunt Priores. Anno autem 1552. Rex noſter Philippus II. iura Morimundi explorauit, & optauit, vt Abbas ipſi cederet ius deſignandi Priorem; aut ſaltem Hiſpanum Monachum eligeret. Interim per quatuordecim annos Prioratus fuit penes Adminiſtratorem. Abbas cedere renuit. Rex à Pio V. petiit, vt pro illa vice concederet, quod Frater Ludouicus Aluarez de Solis, qui Generalis fuerat Congregationis Hiſpanæ Ciſtercienſis, ab ipſo in Priorem conſtitueretur, & in narratiua faſſus eſt, ius ad Morimundum ſpectare. Annuit Pontifex, derogans pro ea vice ſtatutis, & conſuetudinibus Ordinis. Bulla expedita fuit anno 1566. & incipit, *Exponi nobis.* Rexit ille Conuentum Calatrauæ per ſe, & per Adminiſtratores ab ipſo deputatos vſque ad annum 1599. in quo è viuis deceſſit. Itaque quatuorcentum, & duodecim annis Monachi Ciſtercienſes fuerunt Calatrauæ Priores; quod tempus fundat ius, & præſcriptionem inconcuſſam. Deinceps Abbas Morimundi, cum videret, Gallum Monachum non admitti, nec vellet cedere ſuo iuri, noluit cum Regibus Hiſpaniæ, quibus ſumma ab omnibus veneratio præſtatur, diſcordias gerere. Anno

verò

Digitized by Google

verò 1634. deſignauit in Priorem Illuſtr. D. Fr. Angelum Manrique, egregium vndequaque Virum, Epiſcopum poſteà Pacenſem. Sed admiſſus non eſt, & per Adminiſtratores Calatraua regitur.

99 Contendit Ordo Ciſtercienſis, ſua ſibi iura ſeruari; confirmationibus ſtari Pontificiis; ad præſcriptionem immemorabilem attendi; titulum, & bonam fidem ſemper ei fauiſſe; Calatrauenſes ex debito, & non precariò; admiſiſſe Monachos in Priores; ab Abbate Morimundi deſignari, & deſignandos fore Monachos Hiſpanos, ne ex diuerſa lingua, indole, & genio Gallorum obtendatur vlla excuſatio non admittendi Priores Monachos. Proponit, Conuentum, & Ordinem eſſe abſque proprio paſtore, & Parocho, qui eſt Prior; qui defectus Parochi, & paſtoris proprij nullibi, nec in vllo loco permittitur. Reſpondet ad obiectionem ex iure deſumptam, nempè Prælatum vnius Ordinis non poſſe præfici in alio; inprimis inſtando manifeſtè, nam Prior Monaſterij Monteſæ eſt Monachus Ciſtercienſis; Deindè Calatrauenſes eſſe Fratres Ciſtercienſium, & ſub eodem Ordine Ciſtercij vtroſque degere in diuerſis Hierarchiis, quæ ſub vno, eodemque Ordine poſſunt dari; Ita in Definitionibus Calatrauæ *in ſumm. priuileg. in princip.* ibi *Lo ſegundo ſe ha de aduertir, que por ſer la Orden de Calatraua la miſma, que la de Ciſter, llamada vulgarmente de San Bernardo, goſa de totas las gracias, priuilegios, y libertades, exempciones, y prerogatiuas concedidas à la Orden de Ciſter. Y aunque en eſto no ayduda, por ſer vna miſma Orden, con todo eſo el Papa Clemente VII. por ſu Bulla lo declarò aſi.*

100 Nec obſtat Habitus diuerſus, ex quo ſolùm probatur, diuerſas eſſe Hierarchias; ſicut in ipſo Ordine Calatrauæ, licèt Inſigne Crucis rubræ ſit idem in omnibus, ornatus tamen, & veſtitus Equitum, & Clericorum Fratrum, ac Magiſtri (antiquis temporibus, cui profeſſionem emittebant Clerici Fratres) diuerſus eſt. Idem cernitur in Eremitis Benedictinis Montis Serrati, qui diuerſo Habitu, tamen non ex diuerſo ſunt Ordine; in Priore Monteſæ, & in aliis; & olim Ciſtercienſium Monialium Capellani Religioſi eiuſdem Ordinis in Habitu Clericali parùm immutato dabantur, vt conſtat ex Ciſtercij hiſtoriis, & conſtitutionibus. Nec obſtat, in ipſo Ordine Ciſtercienſi dari priuilegium, quòd nullus ex alio Ordine in ipſo ſit Prælatus, quo priuilegio gaudent Calatrauenſes. Verùm gaudent illo, quia ſunt ex eodem Ordine Ciſtercienſi; non ergo dicant, tenuere Priorem, quia eſt diuerſi Ordinis, ne duo contraria coniungant. Aſſerunt Calatrauenſes, Morimundi Monaſterium non litigaſſe cum Calatraua, ſed cum Conuentibus Scalæ Dei, & S. Petri de Gumiel, ideóque ſententias obtentas nihil prodeſſe. At non litigabat cum Calatraua, quia ius Monachi conſtituendi in Priorem erat certum, nec Calatraua reclamabat. Aiunt, poſſeſſionem fuiſſe clandeſtinam, violentam, & precariam. Sed ſi ita eſſet; cur conquerebantur, non de Monacho, ſed de Monacho Gallo in Priorem electo? Cur poſt contradictionem, & Regis Ferdinandi fauorem, Gallos Monachos Priores admiſerunt? Facilè poſſent eos non admittere; nam quis poſſet coactionem, & violentiam inferre?

Non item obſtat Tridentinum, quod non intendit, dari electionem Prælati, vbi non dabatur, ſed præſcribit formam ſeruandam in electione, ſi detur. An Tridentino reſiſtitur, dum Prior Monaſterij de Alcantara deſignatur abſque electione canonica? Inquiunt Calatrauenſes, ius Ciſtercienſium extinctum fuiſſe per tranſactionem, qua eis Domus S. Petri de Gumiel fuit donata. Sed hæc obiectio *ſuprà* eſt diluta. Opponitur Bulla incorporationis Magiſtratus Calatrauæ ad Coronam Regiã, in qua Pontifex concedit Regibus poteſtatem deſignandi aliquem ex Ordine, per quem ſpiritualia adminiſtrentur. Verùm hæc poteſtas eſt, quæ Magiſtris Ordinis competebat, nec alia præſtatur; Magiſtri autem non poterant deſignare Priorem; nec, ſi potuiſſent, amiſiſſent id ius. Aſſeritur, Abbatem Morimundi amiſiſſe ius, cum multis annis non deſignauerit Priorem. At contra impedimentum agere non procedit præſcriptio, iuxta *leg.* 1. *§. ſi quis, ff. de itin. actuque priuato.* Abbatem impediuit Rex Philippus II. dum Priorem à Pio V. impetrauit, ſed *pro hac vice dumtaxàt, illis aliàs in ſuo robore permanſuris*; ſic extat in Bulla. Nec indè Rex poſſeſſionem acquiſiuit; petiit ſolummodò, pro illa vice immutari conſuetudinem, & Pontifex ait: *Quoſcumque defectus iuris, vel facti ſupplemus, necnon pro potiori cautela &c.* poſteà Abbas Morimundi deſignauit Illuſtriſſ. D. Fr. Angelum Manrique; Si nec Gallus, nec Hiſpanus admittitur, quid ille præſtet? Refugit litigium: Regi noſtro offenſionis vmbram parare non vult. Quænam iam cauſæ obtendantur ad non admittendum Hiſpanum Monachum Priorem? Hæc Ciſtercienſes; qui etiam gratitudinem debitam S. Raymundo Ordinis Calatrauæ Erectori in medium 101

medium prodûcunt, quæ obliuione damnari videtur, dum Monachi à Prioratu excluduntur.

§. III.

102 NOn tamen adhuc Calatrauenſes aequieſcunt. In libello ſupplici, aut Memoriali, non admittitur S. Raymundus, vt Fundator, ſed vt inſtrumentum Regis D. Sanctij præcipientis. Oppoſitum traditur in ipſis Definitionibus Calatrauæ, *in princip. cap. 1. & 2.* & ab Archiepiſcopo Roderico; à Rades *in Chronic. Calatrauæ cap. 6.* & ab aliis; Et eſtò Sanctius præceperit, non ideò S. Raymundus excludendus eſt; Fundatores ſanè Religionum hi habentur, qui eas inſtituerunt, quamvis Deus inſtitutionem eis expreſsè præceperit, (vt de aliquibus traditur) aut alij conſilium, & fauorem præſtiterint. Sic Ciſtercienſes reſpondent.

103 Non admittunt Calatrauenſes ea verba poſita *ſuprà num. 89.* ſcilicèt; *Si Abbatias ædificare, &c.* intelligi de Abbatiis Monachorum, ſed Clericorum Fratrum Militarium, quorum Priores ſunt quidam Abbates Militares; maximè cum ibi aſſeratur, *cum ipſis Fratribus morabuntur*; Vbi vox *Fratribus* indicat Fratres Clericos, non Monachos; Si autem ſic intelligatur id teſtimonium, actum eſt de iure Morimundi. Reſpondent Ciſtercienſes; Abbatias nullo ſenſu proprio poſſe transferri ad Militiarum domos; nec ea voce fore vtendum, ſi Prioratus Militares ſignificarentur, cum præſtò eſſet vox *Prioratus*; nec pertinere ad Morimundum mittere Monachos ad Monaſteria Militarium, quæ à Calatrauenſibus ædificarentur; & demùm voce *Fratrum* paſſim in Bullis Pontificiis Monachos nuncupari, ab Honorio III. Calixto II. Eugenio III. & ab aliis; & quidem vox *Fratrum* valdè vniuerſalis eſt.

104 In eis verbis, *Clerici Ordinis veſtri Priorem Clericum habeant*, contendunt Calatrauenſes, Monachum à Clerico condiſtingui, nec poſſe *Priorem Clericum* ad *Priorem Monachum* aptari. Quod ex variis Iuribus ſuadent. Reſpondent Ciſtercienſes, valdè vſitatum eſſe, ſub nomine *Laicorum* intelligi omnes eos, qui Ordinibus non ſunt initiati, quamvis Religioſi ſint; & ſub nomine *Clericorum* omnes, qui Ordines ſuſceperunt, eſtò ſint Religioſi. Sic plures Pontifices aiunt in ſuis Bullis; *Vniuerſis Monachis, ſiuè Clericis, ſiuè laicis, ſub regula S. Benedicti militantibus.* Sic etiam in Profeſſione Ciſtercienſium ea eſt formula; *Ego Frater N. Clericus. Ego Frater N. laicus.* Vndè, cum ſub voce *Prioris Clerici* poſſit optimè venire prior ſtatus Clericalis, quamvis ſit Religioſus, & ex verborum contextu conſtet, pontificem dumtaxat excluſiſſe priorem laïcum, ne ei emitteretur profeſſio, non colligitur ex eis verbis, priorem debere eſſe Clericum Fratrem Militarem.

Conantur Calatrauenſes oſtendere, ius 105
mittendi priorem non adeò antiquum fuiſſe, ac Ciſtercienſes affirmant, nam in Bulla multò tempore poſt erectionem Ordinis expedita ab Innocentio III. aſſeritur; *Abbas Morimundi duos tranſmiſit Monachos, vnum Priorem inſtituens, alium Subpriorem.* Vbi vox *inſtituens* denotat novum factum, quod ille Abbas induxit. Reſpondetur à Ciſtercienſibus, deſignationes priorum, etiam poſt quadringentos annos, ſub voce *Inſtitutionis* ſignificari; Sic enim aiebat Abbas, cum deſignabat; *Te Priorem ipſius Domus, ac Conuentus Calatrauenſis authoritate noſtra paterna inſtituimus, & creamus.* Eodem verbo *inſtituendi* vtuntur pontifices in Bullis ad ſignificandam deſignationem prioris; eaque vox adeò eſt communis, quòd omnia Beneficia indigeant Canonica *inſtitutione*, vt obtineantur, iuxta *regul. Beneficium, de regul. iur. lib. 6.* Inſtant adhuc illi, Abbatem Morimundi, cum inſtituit priorem Calatrauæ Illuſtriſſ. D. Fr. Angelum Manrique, aſſeruiſſe; *Cum Domus Calatrauæ à primæva ſua origine, à trecentis ſcilicèt annis, & ſuprà, noſtri Morimundenſis Cœnobij ſit adeò ſpecialis filia, vt nulli alteri ius competat in eadem Priorem inſtituendi.* Cum ergo tranſacti fuiſſent ſupra quadringentos annos ab inſtitutione Calatrauæ, cum hæ literæ expeditæ fuerunt, fit, priores multò poſt inſtitutionem Ordinis ortum habuiſſe à Morimundo. Reſpondent Ciſtercienſes, ſaltem colligi ex eo teſtimonio poſſeſſionem inſtituendi priores per trecentos annos, & ampliùs. Deindè illa vox *& ſuprà* locum præbet extenſioni temporis; & cum aſſeratur, *Domus Calatrauæ à primæva ſua origine*, conſtat, tempus vſque ad primævam originem extendi; aliàs antiquitati Ordinis Calatrauæ fiet præiudicium, niſi ea extenſio admittatur. Demùm ex dictis *ex num. 79.* ſuadetur exordium inſtituendi priores.

Ex pluribus Scripturæ teſtimoniis pro- 106
bant Calatrauēſes, eſſe contra ius diuinum, prælatum ex diuerſo Ordine conſtitui. Reſpondent Ciſtercienſes, ſi id eſſet contra ius diuinum, à pontificibus non fuiſſe toties approbandum; nec permittendum

nunc, quòd Monachus ſit Prior Monaſterij Monteſæ; nec eſſe ex diuerſo Ordine, ſed ex diuerſa Hierarchia eiuſdem Ordinis. Pariter reſpondent ad aliud argumentum contendens, id eſſe contra ius naturale. Inſtaut illi, eſſe contra Ius Canonicum *in Clementin. 1. de elect.* Reſpondent hi; Eam Clementinam emanaſſe anno 1311. Vnde per illam ius antecedens, dum fuit inductum, non potuit annullari; ſed nec pro tempore ſequenti fuit reuocatum; nam priuilegium deſignandi Priorem Monachum fuit proprio Motu expeditum, & priuilegia huiuſmodi non reuocantur, niſi de eis expreſſa mentio fiat. Deindè conſuetudo poſt eam Clementinam per trecentos annos ferè, continuata, deſignandi Priorem, reddit ius firmum; nam, ſicut lex poſterior potuit eam Clementinam derogare, ita potuit conſuetudo, maximè cum in illa non detur clauſula irritans conſuetudinem futuram, imò nec præteritam. Similiter alia Iura exponuntur.

107 Dicunt Calatrauenſes, nullum fuiſſe titulum Ciſtercienſibus ad præſcribendum ius inſtituendi Priorem. Reſpondent hi, titulum conſtare ex dictis *ſuperiùs*, ex pacto cum Calatrauenſibus, ex eorum acceptione, ex Pontificum approbatione, & confirmatione. Præſcriptio autem in præſenti poſſeſſioni immemorabili innititur; &, quamvis noſcatur, quo tempore initium habuerit, attamen vocatur poſſeſſio immemorialis, quæ centum annos excedit, ſic enim memoriam hominum ſuperat. Quin poſſeſſio per quadraginta, & ampliùs, annos, ſufficit ad quamcunque præſcriptionem, maximè cum bona fides, & titulus affuerint; nec reſtituerint Calatrauenſes, nec precario admiſerint Priores Monachos. Nec Abbas Morimundi huic iuri reuuntiauit, cum impeditus fuerit inſtituere Priores per id tempus, quo hi in Monaſterio Calatrauæ defuerunt; Imò, quamvis ipſe renuntiaſſet, Ordo Ciſtercienſis, ad quem ius primariò, & per ſe ſpectat, neutiquam reuuntiauit. Hæc, & alia ſimilia, exornata, & roborata pro vtraque parte proferuntur; Sed, ne prolixiùs progrediamur, ſuffecerint ea, quæ, velut Calatrauæ, & Ciſtercij nomine, propoſuimus, vt ſtatus controuerſiæ dignoſcatur. Qui plura velit, allegationes pro vtriſque editas conſulat.

QVÆSTIO XI.

Recenſentur aliqui Viri Illuſtres, qui ex Monaſteriis, & Collegiis trium Ordinum Militarium prodierunt.

SI de Equitibus Militiarum inſignibus vel Index dumtaxat foret elaborandus, integri tomi non ſufficerent ad recenſendos Antiſtites, Proreges, Legatos, Magnates, Senatuum Præſides, Prouinciarum, & Vrbium Gubernatores, Fidei ſacræ, & Eccleſiæ Miniſtros, Imperatores belli, Præfectos, & Duces; quorum humeris Mars, & toga, continua ſerie fuerunt innixa, nuncque temporis innituntur. At quis eos ignorauerit? Quis multitudinem, & magnitudinem non miretur? Equidem in Ordinibus Militaribus totus cumulatur ſplendor, & fœlicitatum ſemina iacta in vberes ſemper fructus erumpunt. Ipſa purpura Cardinalitia ſæpè iam Ordines Militares ornauit, vt nihil in eis deſideretur, quod decus adaugeat. 108

Cæterùm vtraque manu Ordines pugnant, dum etiam ſtatum Clericalem fauſtiſſimè fouent. Hinc, vt Monaſteriorum, & Collegiorum florens educatio inuoteſcat, aliquos, plurimis omiſſis, Clericos Fratres indè prodeuntes recenſebo, qui egregium ipſis Domibus, ac Ordinibus, mutuauêre decorem. 109

Ex Ordine D. Iacobi. Don Ferdinandus, primus Prior Iacobæus, fuit Epiſcopus Lucenſis. 110

Don Petrus Carolus, Prior Monaſterij de Vcles, Epiſcopus de Girona.

Don Iulianus Ramirez, eiuſdem Monaſterij Prior, Epiſcopus de Guadix.

Don Franciſcus de Abrego, Prior ibidem, Epiſcopus de Panama.

Don Didacus Aponte de Quiñones, itidem Prior, Epiſcopus Onetenſis, & Malacitanus, & Viſitator Regij Senatus Ordinum.

Benedictus Arias-Montanus, ex Monaſterio S. Marci Legionenſis, Vir literis, & virtute præclarus; Prior S. Iacobi Hiſpalenſis: Catholicis Principibus chariſſimus, & in primis Regi Philippo II. cuius iuſſibus Bibliam Regiam ordinauit, ac excudi fecit, vtpotè tredecim linguas apprimè callens, inter quas Hebraïcam, Chaldæam, Græcam, & Syriacam. Plurimos ſcripſit eruditiſſimos libros, quorum numerum, & tractatus refert P. Antonius Poſſeui

Poſſeuinus *in Apparatu ſacro, tom. 1. cap. 15.* cúmque valdè laudat *in Bibliotheca ſelecta, lib. 2.* Adſtitit Concilio Tridentino, vt Doctor Theologus, cum Epiſcopo Segouienſi. Fuit patria Hiſpalenſis, atque ob eximia merita Rex ei conceſſit Commendam *de Pelay Correa*, & ſimul licentiam, vt ipſam relinqueret Monaſterio S. Iacobi Hiſpalenſis, diſpenſatione Pontificia impetrata. Eum recenſet inter Viros ſui ſæculi doctiſſimos Don Laurentius Vander *in vita Regis Philippi II. fol. 191.* Decipitur tamen, dum ait, illum fuiſſe Equitem Iacobæum, cum conſtet, fuiſſe Clericum Fratrem.

Don Martinus Perez de Ayala, ex Monaſterio S. Iacobi de Veles, Epiſcopus de Guadix, deindè Segouiæ; quo tempore interfuit Tridentino; ac poſtmodùm Archiepiſcopus Valentiæ. Vir ſanè virtute, ac doctrina inſignis. Scripſit *de diuinis traditionibus*; Ac inſuper *Expoſitionem Regulæ Ordinis D. Iacobi*, & alios tractatus. Eum eximiè commendat Dom. Don Ferdinandus Pizarro *in Cenſura ad hiſtoriam Ordinum Militarium.*

Magiſter Iſla, ex eodem Monaſterio; ſcripſit ſuper Regulam Ordinis.

Doctor Durando, Epiſcopus de Guadix.

Don Ildefonſus Martinez de la Torre, Prior S. Iacobi de Veles, Epiſcopus Ouerenſis.

Didacus Mota; Vir literis inſignis, ſcripſit varios libros circa Regulam, & ſtatum Ordinis D. Iacobi, ac modum debitum in petitione Habitus.

Doctor Ioannes Ramirez, ex Monaſterio S. Marci, in Salmantina Academia Doctoris Gradu inſignitus, & ibi quatuor Cathedrarum Anteceſſor; Canonicus, & Magiſter Scholæ Eccleſiæ Burgenſis: Sacræ Fidei in Supremo Senatu Quæſitor. Scripſit *Tractatum circa Bullam Confirmationis Ordinis D. Iacobi.*

Don Ferdinandus de Azeuedo, ex Monaſterio S. Marci; Canonicus primùm Legionenſis: deindè Toletanus; Præſes Senatus Supremi Caſtellæ: Epiſcopus Oxomenſis, & Archiepiſcopus Burgenſis.

Don Petrus Alfonſus Prior Monaſterij S. Iacobi de Veles vitam virtutibus adeò cumulatam tranſegit, vt dignè illam ſcripſerit Don Martinus Perezius de Ayala, Archiepiſcopus Valentinus.

Don Nicolaüs de Carriazo, Prior Monaſterij S. Marci, Epiſcopus Canarienſis, deindè de Guadix.

Don Bartholomæus Perez ex eodem Monaſterio, Epiſcopus Tunicenſis.

R.P. Andreas Mendo de Ordin. Milit.

Don Hieronymus de Leyna, & Venero, ex eodem iridem Monaſterio, Abbas de la Seu in Eccleſia Conchenſi, & Archiepiſcopus de Monreali in Sicilia.

Don Antonius de Morales, & Molina, Dignitas, & Canonicus in Eccleſia Cordubenſi; Epiſcopus de Mechoacan fuit conſecratus anno 1556. & promotus anno 1572. ad Epiſcopatum *de la Puebla de los Angeles*, vt refertur in libello, *Noticias Reales, y ſacras del Imperio de las Indias, &c.*

Don Ioannes de Arriaga, & Auendaño, fuit primus Epiſcopus Eccleſiæ Cathedralis de Chiapa in Indiis, quæ erecta fuit anno 1541.

Don Lucas Duran, eiuſdem Eccleſiæ de Chiapa Epiſcopus, ex anno 1604. & poſtmodùm Epiſcopus de Albarracin.

Don Didacus de la Fuente ex Monaſterio S. Marci Legionenſi, Canonicus Eccleſiæ Hiſpalenſis: Sacræ Fidei Quæſitor in Tribunalibus Vrbium Llerenæ, Granatæ, ac Hiſpalis: & Epiſcopus de Sidonia.

Don Toribius de Poſada Valdes, ex eodem Monaſterio, Adminiſtrator nunc Hoſpitalis Generalis in Curia; electus Epiſcopus de Caſtelamar in Italia.

Don Laurentius de Soromayor, ex eodem Monaſterio, nunc temporis pro Tribunali Toletano Sacræ Fidei Quæſitor in Curia.

Don Stephanus del Vado, ex Monaſterio de Veles, nunc eiuſdem Sacræ Fidei Quæſitor in Tribunali Conchenſi.

Ex Ordine Militari Calatrauæ. Fr. Don Ferdinandus de Figueroa, electus Epiſcopus Canarienſis; poſtmodùm Zamorenſis Antiſtes. 111

Fr. Don Petrus de Neyla, in Salmantina Academia Cathedræ Clementinarum, poſt alias, moderator: Iudex Monarchiæ in Sicilia: Regens Supremi Senatus Italiæ: electus Archiepiſcopus Panormitanus: demùm Epiſcopus Segouienſis.

Fr. Don Ioannes de Morales, Sacræ Fidei Quæſitor in Tribunalibus Llerenæ, & Hiſpalis.

Fr. Don Rodericus de Paramo, in Academia Salmantina Cathedrarum Candidatus; Sacræ Fidei Quæſitor in Tribunalibus Llerenæ, Hiſpalis, & Toleti.

Fr. Don Martinus Alfonſus Adam, Sacræ Fidei Quæſitor in Tribunalibus Llerenæ, Compoſtellæ, Conchæ, Cordubæ, & Hiſpalis.

Fr. Don Barnabas de Reſa, Rector Collegij Calatrauenſis Salmantini, & in ipſa Academia Cathedræ Decretalium maiorum anteceſſor.

Fr. Don Ildephonſus de Viuero, Rector eiuſdem Collegij: Cathedræ Decretalium in eadem Academia moderator; Sacræ Fidei in Tribunali Hiſpalenſi Quæſitor; & Viſitator generalis Regni Siciliæ.

112 Ex Ordine Militari Alcantaræ. Fr. Don Ildephonſus Manrique, Comitum de Oſorno nepos: Canonicus Magiſtralis Plaſentinus; & Archiepiſcopus Burgenſis.

Fr. Don Ioannes Roco de Campofrio, Archidiaconus Eccleſiæ Caurienſis: Vicarius generalis Regij exercitus in Flandria; Prouinciarum Belgij Viſitator generalis; Sacræ Fidei in Supremo Senatu Quæſitor; Viſitator, ac Reformator Academiæ Salmanticenſis; Præſes Senatus Gazæ Regiæ: Epiſcopus Zamorenſis, Pacenſis, & Caurienſis.

Fr. Don Franciſcus de Ribera, in Supremo Sacræ Fidei Senatu Quæſitor, & Epiſcopus Segouienſis.

Fr. Don Petrus Ordoñez Flores, Rector Alcantarenſis Collegij Salmantini; Sacræ Fidei Quæſitor in Tribunali Limenſi in Indiis; & Archiepiſcopus Sanctæ Fidei in nouo Regno Granatenſi.

Fr. Don Bernardus Villela de Aldana, Prior Monaſterij de Alcantara; Prior de Magacela: Vicarius generalis Claſſis Regiæ per Oceanum. Obijt electus Epiſcopus de Guadix.

Fr. Don Gundiſalvus de la Cerda, Capellanus honorarius Regis Philippi II. Obijt electus Epiſcopus Eleridenſis. Edidit in lucem Commentaria *in Epiſtolam D. Pauli ad Romanos*; quorum meminit P. Poſſeuinus *in Apparatu Sacro, lit. G.*

Fr. Don Petrus Gutierrez Flores, Supremi Indiarum Senatus Conſiliarius: Præſes Tribunalis Hiſpalenſis Commercij Indici; Viſitator generalis Regni Peruani, vbi ſingulis populis ſpeciales leges præfixit pro qualitate territorij, & incolarum.

Fr. Don Ildephonſus Becerra, Rector Alcantarenſis Collegij Salmantini; in Supremo Sanctæ Fidei Senatu Quæſitor.

Fr. Don Martinus de Viuanco, Rector eiuſdem Collegij; Prior Monaſterij de Alcantara: Iudex Monarchiæ in Regno Siciliæ: Capellanus maior, & Eleemoſynarius Sereniſſimi Philiberti, Principis Sabaudiæ, Obijt electus Epiſcopus Surgenti in Italia.

Fr. Don Antonius Gutierrez, Sacræ Fidei Quæſitor in Tribunali Limenſi in Indiis; Viſitator, & Præſes Regij Tribunalis de las Chareas.

Fr. Don Ioannes Guillen, Fiſcalis Tribunalis Sanctæ Fidei in ciuitate Cæſarauguſtana.

Fr. Don Antonius de Valencia, Sacriſta maior Ordinis Alcantaræ: Senator Granatenſis, & Valliſoletanus.

Fr. Don Gabriel de Arana, Fiſcalis Tribunalis Sãctæ Fidei in ciuitate Locrunienſi.

Fr. Don Auguſtinus Velazquez de Tineo, nunc temporis electus Epiſcopus de Popayan in Indiis.

Fr. Don Gregorius de la Serna, nunc in Tribunali Sacræ Fidei Locrunienſi olim Quæſitor, nunc in Cordubenſi.

Fr. Don Ioannes de la Laguna, nunc Abbas de Santillana.

Præter hos, & alios Viros illuſtres, qui è Monaſteriis, & Collegiis militaribus prodicrunt, non pauci olim pro Fidei defenſione martyrium à Saracenis ſunt paſſi, quorum memoria recolitur in Calendariis Monaſteriorum S. Iacobi de Vcles, & S. Marci Legionenſis.

Plures ex Clericis Fratribus Alcantarenſibus, quos retulimus *ſuprà*, affert Caro de Torres *in hiſtor. Ordinum Militarium* (eſtò aliqua nomina mutauerit, quæ ego in ipſis libris Collegiorum inſpexi, & emendaui) Præterea aliquos refert Fr. Antonius de Yepes in Chronica Ordinis S. Benedicti, *tom. 7. centuria 7. anno* 1156. ac anno S. Benedicti *676. pag. 463.* & addit, præter eos, multos alios obtinuiſſe Dignitates, & Canonicatus in Eccleſiis Cathedralibus; alios inſignes eruditione, & Munerum adminiſtratione viguiſſe; Agitque eo loco de Ordine dumtaxat Alcantaræ; quare, ſi aliorum Ordinum Militarium Clerici Fratres adiungantur Alcantarenſibus, maior multò numerus Virorum illuſtrium conflaretur ab eo Authore; Quin & poſt eius ſcripta excuſſa anno 1621. plurimi ex illis eminuerunt. 113

Idem Fr. Antonius de Yepes *loco relato* rectè expendit, quantum congruat bono publico Reipublicæ, Clericos Fratres Militares benemeritos, ac ſcientia, & animi dotibus inſtructos, ad Munera ipſis proportionata euehi, idque curæ fore Regi noſtro, Supremiſque eius Miniſtris. Etenim quàm rectè ſe habuerint in Dignitatibus, & Muneribus ſibi commiſſis tum hi, quos meminimus, tum alij, experientia teſtatur, & hiſtoriæ commendant; vnde meritò idem de aliis eſt præſumendum, ac ſperandum. Deindè prò illis eſt qualitas ſanguinis, per accurata Informationum examina probati; obedientia, quam Regi noſtro, vt Adminiſtratori Ordinum, ex voto profitentur; religio, virtus, & honeſtas morum, quos intra Communitates Monaſteriorum, & Collegiorum ſumma 114

cum

cum laude ebibunt, addiſcunt, & profitentur; demùm ſcientia, qua in Salmantina Academia per nouem continuos annos ferè omnes ex illis inſtruuntur, & præter lectiones, quas publicè audiunt, domeſticis literariis exercitamentis continuo labore incumbunt; recolunt præterea ſtudia in ipſis Collegiis, ac deinceps in Monaſteriis, aptique redduntur, ſaltem plures, ad quævis Munera obeunda; quæ eis fundamentis præiactis tutò, ac decenter innituntur. Quin valdè foret expediens, illos Munerum præmiis excitare, ad ſtudia literarum impenſiùs, & auidiùs haurienda, indeque etiam diſciplinæ regularis norma perfectiùs teneretur, fugato otio, & ſollicitudine aliarum rerum amandata; aliàs dum ſpes præmiorum abeſt, tepet ſtudiorum feruor, & conatus ad libros euoluendos hebetantur; Et, dum aliqui ſolùm ad Beneficia collimant, timeri poteſt, non multùm fore de inſigni literatura ſollicitandos, cum ad ea obtinenda peruenire queant, quin indefeſſis lucubrationibus animum, & ingenium fatigent. Huic damno, par eſt, occurri, ne Ordinibus ſplendor hic imminuatur, quem Anteceſſores compararunt; nec alia via occurri valet, quàm ſi in Collegiis ſtudia promoueantur; ibique Clerici Fratres toti ſe dedant virtuti, & literario labori, vt pro dignitate deindè queant in Academia Salmantina legere publicè, & profiteri Theologiam, Ius Canonicum, ac Philoſophiam, vnde ad Munera aſſumantur. Meo quidem iudicio, grauiſſimum id eſt momentum, quod non perfunctoriè, ſed attentiſſimè à Capitulis Generalibus, & Senatu Regio Ordinum debet expendi, cum ex eo pendeant Religionis obſeruantia accuratior, procul à deliciis, & otio; Ordinum non exiguum ornamentum; Munerum, cum vtilitate communi, opportuna adminiſtratio; ipſarum Eccleſiarum Ordinum regimen decentiſſimum; Collegiorum decus, & honor; eorumdemque Clericorum Fratrum religioſa, & temporalia incrementa. Ipſis pariter incumbit, dum in Collegiis verſantur, tempus non inaniter terere, ſed animum ſtudiis excolere; non mediocritate quadam contenti, ſed per omnes mentis conatus ad ſcientiam ebibendam auidi, ne à Maioribus dediſcant, ſed dignos ſe probent, qui poſſint literaria Munera obire. Hinc Collegiorum Rectores ſtrictè tenentur ad promouendos in ſtudiis ſubditos, & ad inueſtigandum, quibus aſſiſtant lectionibus; quid priuatè recolant; quod tempus literis inſumant; quos profectus faciant; nec permittere valent domeſtica exercitamenta literaria prætermitti. Etenim ea ſollicitudo illis ex munere incumbit; vnde, ſi forſan aliquis reperiretur deſes, aut incurioſus, nec ſufficeret repetita correctio, obſtringuntur in conſcientia Senatum Ordinum de illo monere, vt ex Collegio eijciatur, qui ſibi tunc imputet imminens dedecus; aliàs ille ſibi non proficit, & officit aliis cum iactura non leui, quæ debet omnino vitari.

Ad calcem huius epilogi, non licèt, non 115
meminiſſe ſanctitatis inſignis, qua floruit Infans Domina Sanctia Alfonſo, quæ Monialium Militarium Monaſterio Ordinis D.Iacobi ſuum nomen dedit, ſæculo, eiuſque pompis renuntians, diuitias, & delicias calcans, omniaque temporalia bona, ac fœlicitates nihili pendens. Deo ſe ſacrauit ſponſam in Cœnobio Sanctæ Euphemiæ de Cozollos, in Palentina diœceſi, quod, ſuccedente tempore, ad vrbem Toletanam fuit tranſlatum, nuncque cognominatur Monaſterium *de Santa Fe*. Ibi ergo illa & ſubdita, & Abbatiſſa, nihil niſi Deum cogitans, egregium virtutum omnium ſpecimen dedit; ſæculum illud, vſque ad miraculum ſua ſanctitate illuſtrauit, poſteriſque mira exempla laudanda, & imitanda reliquit. Eius vitam ſcripſere ſeorſim Dom. Don Ferdinandus de Pizarro, & P. Quintanadueñas.

Sanctæ Moniali Iacobeæ meritò San- 116
ctum Equitem Iacobæum adiunxeris, B. Franciſcum de Burja, Ducem de Gandia, Marchionem de Lombay, Proregem Catalauniæ, Regum Catholicorum pronepotem, Imperatori Carolo V. in primis charum, qui calcatis ſæculi honoribus, noſtræ Societati IESV adſcriptus, tertius Præpoſitus Generalis ipſius, ſua eximia ſanctitate orbem, & Eccleſiam ornauit; inter Regni cœleſtis Beatos iam ab Apoſtolica Sede recenſitus, miraculis clarus; ſui corporis Reliquiis ab Vrbe Matritum tranſlatis, Curiam, & Domum Profeſſam Societatis fœlicitat, clarioreſque reddit omnes ferè Magnates, & Dynaſtas Hiſpaniæ, qui eo Progenitore gloriantur; & Militarem Ordinem D. Iacobi, quem fuit in Habitu Equeſtri profeſſus, nobilitat.

DISQVISITIO X.

De Commendis Ordinum Militarium.

QVÆSTIO I.

Quid ſint Commendæ, & quo fine inſtitutæ?

1 VOCEM *Commenda*, ait Syluester *in ſumma, verbo, Commenda. in princip.* per ſyncopam fuiſſe contractam à voce *Comedenda*; eo quòd neceſſaria ad victum ſuppeditarentur, cum Beneficia, ſeu quævis alia præſtabantur in adminiſtrationem, protectionem, ſeu commendam. Meliùs alij nomenclaturam huius vocis exponunt; In commendam enim accipere, aliquando ſignificat, in cuſtodiam, vel depoſitum rem ſumere; aliquando ſub patrocinio, defenſione, fide, ſeu clientela ſuſcipere; vt denotant *lex commendare 186. ff. de verbor. ſignific. lex Thais 41. §. harede, ff. de fideicommiſ. libert.* Cuiacius, Ræuardus, & plures, quos refert Domin. Don Ioannes de Solorzano *lib. 2. de iure Indiar. cap. 1. num. 5.* Hinc aſſerit Pater Ioſephus de Acoſta *de procurand. Indor. ſalut. lib. 3. cap. 10.* Commendatarios, & Commendas Indiarum fuiſſe dictas, ob curam, & prouidentiam, quam illi gerere debebant erga Indos, qui ſub ipſorum fide, & patrocinio ſe conſtituerant. In Regno etiam Neapolitano, in Germania, & in aliis prouinciis vocantur etiam *Commendati, Recommendati, Affidati*, homines quidam, qui, cum vaſſalli non ſint, ſub protectione, ac tutamine alicuius potentis Viri, ſeu Magnatis verſantur; vt aduertunt Pratelus, & Caluinus *verbo, Commendati*; Maguerus *de aduocatia armata, cap. 9. num. 692.* In eadem ſignificatione intelligenda ſunt verba *legis 8. titul. 6. lib. 1. Recopilat.* ibi *El Rey ſolo es Comendero de lo Aba dengo, y de ſus ciudades, villas, y lugares.* Videatur Don Ioannes de Solorzano *in Politica Indiar. lib. 3. cap. 1. & lib. 4. cap. 15. pagin. 626. column. 2.* Præterea valdè commune eſt in Iure Commendæ nomen in Beneficiis Eccleſiaſticis, & in Dignitatibus, ac Prælaturis; & varia ſunt genera Commendarum; aliæ perpetuæ ſunt, aliæ temporales; quædam compatibiles cum alio Beneficio in titulum, quædam incompatibiles; De quarum qualitatibus, & fructibus plura reperientur apud Barboſam *de vniuerſo Iure Eccleſiaſtico lib. tertio, cap. nono*; Petrum Gregorium *de reſcriptis, lib. primo, cap. 17.* Rodericum Acuña *in Decretum diſtinct. 44. in princip. num. quarto.* Vbi ait, Commendas Ordinum Militarium indè fuiſſe conſtitutas, quòd redditus plurium Eccleſiarum, & Eccleſiæ ipſæ in Commendam, & adminiſtrationem Ordinibus traditæ ſunt, & poſtmodùm à Pontificibus fuerunt eis perpetuò fructus applicati, vt quomodolibet de eis diſponerent; habendo tamen Eccleſiarum curam debitam, ita vt nihil ad eas, & cultum diuinum pertinens deficiat, & Parochus idoneus ſuſtentetur. Profectò decimas Eccleſiarum Ordinum eis fuiſſe applicatas, conſtat ex pluribus Bullis Pontificiis, vndè Decimæ Commendatariis competunt; Pontifices autem ipſi, non Ordines ſoli, diuiſerunt Commendas; aliàs ipſi Ordines, ſi potuiſſent eas diuidere, conſequenter poſſent vnam alteri vnire; non tamen id poſſunt; Quare Innocentius VIII. vniuit menſæ Magiſtrali Commendam de *Valentia*, ad inſtantiam Ordinis de Alcantara, vt extat in eius Bullario *pag. 63.*

Iſta *in Commentar. regula Ordinis Sancti Iacobi, cap. 13.* ait, initio Ordinis Iacobæi nihil proprium Equites, ac Clericos Fratres poſſediſſe, ſed omnia bona acquiſita, & quæ denuò acquirebantur, communia fuiſſe ad ſumptus Magiſtri, Fratrum, Equitum, vxorum, ac filiorum, necnon Monialium. In eis autem Oppidis, & Arcibus, quas Ordo poſſidebat, conſtituebatur Eques, aut Clericus Frater, qui eas, non vt proprias, ſed in Commendam, vel adminiſtrationem haberent, de eiſque curarent, quaſi de bonis ſibi commendatis. Hinc aſſerit, remanſiſſe nomen Commendarum, etiam poſtquam illæ ad totum vitæ tempus conferuntur, ac vocari Commendatos eos, qui ſub Commenda degunt. Firmatque ſuum profatum ex Alexandro Tertio, in Bulla Confirmationis Ordinis, in qua Pontifex laudat Iacobæos, quòd abſque proprio viuerent, & omnia bona redigerent in commune, inſtar Fidelium primitiuæ Eccleſiæ. Vndè euincitur, Commendas fuiſſe adminiſtrationes bonorum, quæ non vt propria habebantur, ſed vt communia Ordinis. 2

Eadem ergo vox *Commenda* in aliis Ordinibus Militaribus eodem ſenſu accipitur, pro territorio ſcilicèt, Oppido, ſeu Arce, vel terris, quæ ſunt ipſorum Ordinum propriæ, 3

propriæ donatæ à Regibus, vel obtentæ à Saracenis, ſimul cum Eccleſiis ibidem extantibus, vbi is, qui à Magiſtro, ſeu Adminiſtratore accipit commendam, gaudet redditibus, vel etiam iuriſdictione, & ad ſuæ vitæ tempus, cum libera ipſorum diſpoſitione ea poſſidet; debetque Arces, domos, & Eccleſias ſartas tectas ſeruare, reparare, ac promouère; de Eccleſia cultu, ornatu, ac miniſterio curbre; congruam ſuſtentationem, (niſi ex pacto à Parochianis debeatur) Parocho tribuere, ſi aliundè ex ipſius Eccleſiæ emolumentis ille eam non habeat; aliaque ſuſtinere tenetur onera, quæ decurſu *huius Operis* attingimus, & *infrà* declarabimus. Commendatario autem moriẽte, commenda ad hæredes non tranſit penes Ordinem, ſed alteri ea à Rege noſtro, Adminiſtratore Ordinum, conceditur.

4 Commendæ vocantur à Summis Pontificibus in ſuis Bullis *Præceptoriæ*, & Commendatarij *Præceptores*; Non inueni apud Authores, qui aliqua de Ordinibus tradunt, huius nuncupationis rationem. Crediderim, ita appellari; quia, cum primùm à Mauris fuerunt obtentæ ditiones, & Oppida, ea fuit præcipua cura Ordinibus Militaribus, vt fides Catholica radices ageret; Eccleſiæ ædificarentur; Mahometica extirparetur perfidia; & Chriſtiani in vera Religione inſtruerentur, ac firmarentur. Cum autem ea Oppida, & ditiones Equitibus darentur in commendam, eis præcipuè incumbebat ſollicitudo, & vigilantia, vt commendati doctrinam veram ebiberent, ac depulſis ignorantiis, luce veritatis perfunderentur. Quæ etiam cura adhuc eos ſollicitare debet, cum commendati ſub eorum patrocinio ſint, teneanturque ipſorum bono, & vtilitati conſulere, admonendo eos, qui Parochorum ibi munus exercẽt, vt ſedulò animabus ſuarum ouium inuigilent; quare Præceptorum, ſeu Magiſtrorum nomen retinent, quia per ſe, vel per alios edocendi Catholicam Fidem, & legis obſeruantiam, ſuſcipiunt. Addiderim, quod primis illis temporibus non pauci ad Fidem ex paganis, aut Mauris conuertebantur, quos in Doctrina Chriſtiana edoceri, penes Commendatariorum erat ſollicitudinem, cum ipſis cômmiſſi fuiſſent, ac in commendam, & patrocinium conſtituti, qui in ipſorum ditionibus verſabantur. Et id quidem cautum etiam eſt in Statutis Ordinis Sancti Ioannis *titul. quarto, fol. vigeſimo ſeptimo*, in Ordinationibus Italicè expeditis, ibi, *Item hanno ordinato, cheli Cathecumeni, & Chriſtiani conuertiti nouo alla noſtra ſanta ſede, ſiano amaeſtrati nella doctrina Chriſtiana.* Aliquis cenſeat, Præceptores dici quaſi Perceptores, eo quòd percipiant fructus, & redditus. Vidi, neſcio cui hanc deriuationem vocis arridere, ſed mihi omninò diſſonat.

In eiſdem Statutis Ordinis D. Ioannis 5 *tit. 5. n. 1.* nomenclatura exponitur commẽdæ; aſſeriturque, Regulares Ordinis Sancti Ioannis nihil proprij, aut priuati iuris habere, ſed proprietatem, & ius omne ad ſolum Ordinem ſpectare; *Verùm cum in communi rectè adminiſtrari non poſſent, propter locorum diſtantiam & diffidentiam Nationum, Maiores noſtri ea viritim Fratribus per partes regenda commendarunt, (vnde nomen Commendarum ſumpſerunt) impoſitis annuis penſionibus, &c.* Concernit hæc expoſitio eam, quam ex Iſla tradidimus *numer. ſecundo*: Commendis Ordinis Sancti Ioannis impoſitæ ſunt annuæ penſiones, quæ à Commendatariis perſoluuntur, & in commune inferuntur ærarium; Eæ autem appellantur *reſponſiones, & impoſitiones.* Capitulum autem generale poteſtatem habet deſignandi, quota pars reddituum ſit ab vnoquoque Commendatario perſoluenda; & priuationis Habitus pœna eſt impoſita his, qui noluerint obedire literis, quibus per Priores, Caſtellanum Empoſtæ, aut Capitula Prouincialia, penſiones Commendatariis intimantur. Ita extat *eo titul. 5. numer. 1.*

Iàm ergo ex dictis dignoſcitur, quo fine 6 fuerint inſtitutæ commendæ; ſcilicèt cum bona, & ditiones Ordinum quotidie augèrentur in diuerſis territoriis, neceſſum fuit, deſignari Adminiſtratores, qui de eis curam agerent, vt conſeruarentur, ac promouerentur in ſpiritualibus, & temporalibus. Diuiſa itaque ſunt, pro opportunitate rerum, territoria, & oppida, & ſingula ſingulis commendata; & quia dignus eſt operarius mercede ſua, applicati ſunt redditus ipſis Commendatariis ad proprium victum, ita vt Ordinibus liberum ſemper fuerit, deſumere ex eis, quod ad neceſſitates Ordinum ipſorum ſubleuandas eſſet neceſſarium, relicta Commendatariis congrua ſuſtentatione. Quippè, cum Equites ex communi victitabant, eos alere tenebantur ipſi Ordines, ac Magiſtri, (imò & nunc tenentur panem, & aquam eis ſuppeditare, & progredientes ad bellum alere) atque ad alimenta deſignabantur commendæ aliquibus, ita vt omnes redditus ſibi caperent, vel aliquos, iuxta eorum quantitatem, & reliquos Ordinibus tribuerent; quare etiam nunc Commendatarij ſoluunt lanceas, & alia, de quibus *inferiùs.*

Cæterùm ea diuiſio, & applicatio Commendarum non ſolùm ad prædictam vtilitatem temporalem, ſed præcipuè ad commodum ſpirituale commendatorum, patrocinium, defenſionem, & regimen politicū illorū fuit peracta. Id enim ordinibus Sacris maximè incūbit, vt ad bonū ſpiritua. le tendant. Quare nō poſsū nō dolere, hunc finē eſſe velut obliuione damnatum, & cōmēdas ambiri ad ſplendorem, & vtilitatem propriam, quin aliud præ oculis habeatur, quaſi Religiones ſacræ Militares ſolùm ſollicitentur de ſuis Regularibus ditandis, nullo alio ſcopo ſibi præfixo. Non quidem ſic res ſe habebant in ipſorum Ordinum exordio; altiùs inſederat animis, Catholicam Fidem, & Religionem promouere, & ſaluti, ac bono animarum, & populorum incumbere. Scio, commendas in præmium militarium laborum ad vſus proprios conferri, liberamque eſſe bonorum diſpoſitionem; Sed quis inficietur, Commendatarios, ſaltem vt nomen vacuum non geſtent, commendatis ſibi populis debere eſſe præſidium, defenſionem, refugium; pauperibus ſuccurrendo; de Eccleſiis curando; Parochis inuigilando, & alia huiuſmodi exercendo? Iam quidem neſcio, an plures commendis potiantur, qui, nec vbi illæ ſint, calleant; cum tamen cautum ſit in Statutis, & Definitionibus Ordinum, quantum temporis debeant quotannis cōmendis aſſiſtere, quæ aſſiſtentia requiritur, vt prædicta omnia adimpleantur. Emanuël Rodriguez *tom. 1. qq. reg. quæſt. 27. art. 12.* ait, Commendatarios eſſe Prælatos, & gaudere iuriſdictione ſpirituali. Vnde video, vnde hæc Prælatura, & iuriſdictio proueniant, nec illi aliquem actum iuriſdictionis circa ſuas Eccleſias exercent. Quòd enim decimæ illis fuerint applicatæ, non ſuadet iuriſdictionem, nec hæc data eſt illis in commendam. De Commendatariis Ordinis S. Ioannis circa hanc iuriſdictionem diuerſa eſt ratio, de quo *infrà ex n. 52.*

7 Commendæ Ordinis Sancti Ioannis quomodo fuerint conſtitutæ in Hiſpania, & aliis Regnis, cum tamen hic Ordo fuerit Hieroſolymis erectus, non erit iniucundum dignoſcere. Feruebat olim in Catholicis deuotio erga loca Sancta, & ſepulchrū Chriſti D. Innumeri vndique ad illud viſitandum confluebant; Indè adeò pium fuit habitum votum peregrinandi illuc, vt Apoſtolicæ Sedi fuerit, & ſit reſeruatum; Vnde è vita decedentes ſolebant in reſtamento relinquere, vt pro ſuorum peccatorum ſatisfactione peregrini, ipſorum expenſis, Hieroſolymas peterent; Indè aliquæ Religiones (de quibus *diſquiſ. 1.*) inſtitutæ fuerunt ad pia exercitia cuſtodiendi templum, & Sepulchrum Hieroſolymitanum, defendendi peregrinos, eos ſi ægrotarent curandi, & purgandi vias, ac maria ab hoſtibus. Inter quas Religio Sancti Ioannis fuit erecta, vt hoſpitio reciperet, & in Hoſpitali mederetur peregrinis ægrotantibus. Plurimi quidem longo itinere defeſſi, & incommodis viarum fracti, infirma valetudine laborabant, magnique ſumptus ad eos curandos requirebantur, qui, niſi ex omnibus Prouinciis Chriſtianis illuc reportarentur, non ſuppetebant aliundè. Hinc Reges, & Principes ſumma liberalitate ingentes mittebant pecuniarum ſummas, & prætereà in ſuis Regnis, ac Prouinciis aliqua oppida, & ditiones ei Ordini donarunt, vnde redditus perciperet ad pia opera hoſpitalitatis, Xenodochij, & defenſionis peregrinorum exequenda. Alij etiam pij homines plurimis donis Ordinem ditarunt. Prætereà cùm Ordo Templariorum fuiſſet extinctus, qui valdè erat diues poſſeſſionibus, in Gallia, & in nonnullis aliis Prouinciis bona eorum applicata ſunt Ordini Sancti Ioannis ex conceſſione Pontificis, & Principum, & aliqua etiam in Hiſpania; quam applicationem ideò cenſuerim fuiſſe præſtitam, quia vterque Ordo ad eundem finem tendebat, nempè defendendi, ac hoſpitandi peregrinantes ad vrbem Hieroſolymitanam, & ob inſtituti ſimilitudinem collecta ſunt in vnum plura bona, quæ vtrique Ordini priùs ſufficiebant. En quomodo vbique terrarum Ordo S. Ioannis acquiſiuerit, ſeu comparauerit facultates, poſſeſſiones, & oppida.

Iam ergo, quo pacto, & fine commendæ fuerint inſtitutæ, expreſſè in Statutis ipſius Ordinis *tit. 5. num. 1.* oſtenditur. *Cum bona, & facultates, quæ Ordo noſter poſſidet, piorum hominum liberalitate collata ſint ad ſuſtinendas Hoſpitalitatis impenſas; & propulſandos Chriſtiani nominis hoſtes; certum eſt, Fratres noſtros proprij in eis, aut priuati iuris nihil habere, ſed eorum verum dominium, ac proprietatem, & ius omne ad ſolum ipſum ordinem noſtrum ſpectare. Verùm cum in communi rectè adminiſtrari non poſſent propter locorum diſtantiam, & diffidentiam Nationum, Majores noſtri ea viritim Fratribus per partes regenda commendarunt (vnde nomen Commendarum ſumpſerunt) impoſitis annuis penſionibus, quæ augerentur, & minuerentur, prout & rei, & tempori, hoc eſt, neceſſitate conuenire, viſum eſt.* 8

Cum autem bona Ordinis plurimùm creuerint, & aliundè minores ſumptus 9

cum

cum peregrinis fiant, eo quòd pauci Hieroſolymas à Saracenis occupatas perant, & ex ea Vrbe exire fuerint compulſi Regulares S. Ioannis, Imò ex Inſula Rhodiorum, quò aduenerant, ad Melitenſem ab Imperatore Carolo V. donatam tranſiuerint, hinc penſiones annuæ ſupra commendas non ſunt adductæ, quin potiùs Commendatariis relicti ſunt ferè omnes redditus ad honeſtam ipſorum ſuſtentationem, cum libera facultate diſponendi de illis, dum viuunt; in præmium etiam laborum, quos militantes in triremibus ſuſtinuerunt, vt hoſtes Chriſtiani nominis, maximè Turcas & Mauros propulſarent à mari, & tutam nauigationem pararent Chriſtianis, maximè euntibus Hieroſolymas. Nullus quippè poteſt commendam obtinere, qui in triremibus non militauerit, peregeritque, vt vulgò dicitur, *las Carabanas*. Commendæ autem obtinentur ratione antiquitatis, ſua ſeruata forma, & ſtylo conſtantibus ex Statutis, & conſuetudine.

10 Poſtmodùm Pontifices iuriſdictionem ſpiritualem Ordini conceſſerunt in præfatis commendis. Hinc in Eccleſiis, quæ ſub illis ſunt, Parochorum munus exercent Clerici Fratres eiuſdem Ordinis, qui in Hiſpania à Congregatione, ſeu Tribunali, quod vocatur *Aſſemblea* approbantur. Id quippè Tribunal à magno Magiſtro, & ab ipſo Ordine eſt conſtitutum, ac eſt Superius reſpectu omnium Equitum, ac Fratrum Clericorum, qui ſub vnoquoque verſantur; pro diuerſis etenim Linguis, ſeu Nationibus diuerſa Tribunalia, ſeu Aſſembleæ ſunt inſtitutæ. Sunt autem octo linguæ, ſeu Nationes; In Hiſpania quidem duæ: comprehendentes vtramque Caſtellam, & Luſitauiam; Regna Aragoniæ, & Nauarræ. Cæterùm ad commune ærarium ſpectant ſpolia Commendatariorum decedentium; & item iura mortuarij (ita apud ipſos appellantur) & vacantis; ita vt pro mortuario, aut vacante commendæ per promotionem, aut aliam cauſam ærarium recipiat redditus ipſius commendæ à die obitus, ſeu vacantis vſque ad diem proximum S. Ioannis Baptiſtæ. Quod idem ſeruatur reſpectu Priorum Caſtellani Empoſtæ, Baiuliuorum, & aliorum Adminiſtratorum bonorum Ordinis. Ita in Statutis *tit.* 5. *n.* 4.

QVÆSTIO II.

An, & quomodo poſſint habere Commendas Ordinum Militarium fœminæ, aut ætate minores, aut hi, qui non ſunt Regulares ipſorum Ordinum? Vbi de pluralitate Commendarum, aliiſque concernentibus.

Vidimus aliquando, fœminas potiri 11 redditibus commendarum, etiam ſi rarò: indeque fit, pariter poſſe nonnunquam concedi minoribus ætate commendas, aut his, qui non ſunt ex eiſdem Militiis. Id autem quo iure fieri valeat, inquirimus. Ad obtinendum commendam in Ordinibus Militaribus, opus eſt, vt quis ſit eiuſdem Ordinis, cuius eſt commenda, Eques Profeſſus. Ita conſtat ex Statutis D. Iacobi *tit.* 15. *cap.* 2. Ex definitionibus Alcantaræ *tit.* 18. *cap.* 5. & 8. & in iiſdem titulis cauetur, ne quis poſſit plures obtinere commendas; ne ſucceſſionem in eis expoſcat; ne exteris Equitibus illæ præſtentur; ne quis ex vno Ordine Militari commendam alterius Ordinis obtineat; niſi Habitum eiuſdem priùs ſuſcipiat, & emittat Profeſſionem; (& ante hanc ſolent commendæ tribui) atque alia huiuſmodi. Quippè hæ commendæ conflantur ex bonis, ex ditionibus, redditibus ac decimis propriis ipſorum Ordinum, inſtitutæque ſunt ad Equitum ſuſtentationem, & præmium, ac ſub eo fine à Pontificibus approbatæ, quare ipſis & non aliis ex Iure, & Statutis licet eas impertiri; id enim eſſet, bona propria Ordinum extra illos diſtrahere, ac alienare, à fine intento in commendarum conſtitutione omninò deflectere, Statutaque in re grauiſſima violare. Videatur Bulla Iulij III. quæ extat in Bullario Alcantaræ *pag.* 225. in qua commendas prohibet in Ordine D. Iacobi cum fructibus retineri niſi à Profeſſis ipſorum Ordinum; & quòd debeant eſſe ad pugnandum babiles, qui obtinuerint, ſtatuit, vt finis indè commendarum innoteſcat. Et licèt Innocentius VIII. in Bulla, quæ affertur in eo Bullario *pagin.* 58. conceſſerit Don Ioanni de Stuñiga Magiſtro Ordinis Alcantarenſis, vt poſſet concedere commendas perſonis, nondum habitu ſuſcepto, tamen id fuit priuilegium ſoli illi conceſſum, & quia tunc in Ordine citra negligentiam forſan Magiſtrorum non erant Equites idonei ad bellum; & præterea

præ:ereà ea conditio fuit appoſita à Pontifice, vt intra annum ſuſciperent Habitum hi, quibus commendæ tribuerentur.

13 Hinc commendæ nec ipſis Fratribus Clericis Ordinum poſſunt conferri, vt libauimus *ſupra diſq. 8. q.* 1. quia ſolis Equitibus ob militiam fuerunt inſtitutæ; ſicut nec Prioratus, Dignitates, ac Beneficia deſtinata Clericis Fratribus valent Equitibus coucedi. Rurſùs nec minores ſexdecim annorum, quamvis ſint Equites ex ipſis Ordinibus, poſſunt eas commendas adipiſci, quia ante eam ætatem nequeunt emittere Profeſſionem, & ſolus Profeſſus poteſt eas obtinere. Deindè non poſſunt commendæ his tribui, qui Habitum Ordinis non ſuſceperunt; cum deſtinatæ ſint Regularibus ipſis, & non valeant extra Ordinem extrahi. Quin addo, commendas ex vno capite eſſe bona Eccleſiaſtica; cum ſint propria Religionum, gaudeantque omnibus exemptionibus, immunitatibus, ac priuilegiis, quibus fruuntur cætera bona Eccleſiaſtica, & Regularia, vt attigi *diſq.* 2. Ex alio capite poſſunt quodammodò cenſeri Beneficia Eccleſiaſtica, cum conſtent earum redditus ex bonis Eccleſiæ, & ex decimis; & requirant, ſicut Beneficia, collationem Eccleſiaſticam cum impoſitione pilei, præſtandam à Clericis Fratribus eorundem Ordinum, vt liquet ex titulis Statutorum, & Definitionum *ſuprà* allatis; Indéque vocantur Beneficia Eccleſiaſtica à pluribus Authoribus, nempè Corraſio, Gomez, Febo, Calderino, P. Azor, Seraphino, Nicolao García, Duardo, Reynoſo, Mendez de Caſtro, Hieronymo de la Cruz, & Cordona; quos refert, & ſequitur D. Gineſius Morote *in patrocinio Ordinis de Alcantara, num.* 110. *pag.* 16. Eſto in mea ſententia ſtrictè, & rigoroſè eſſentiam Beneficij Eccleſiaſtici non ſortiantur, Attamen in dicta vſurpatione, & iuxta prædictos Authores, commendæ inter Beneficia Eccleſiaſtica ſunt connumerandæ. Id confirmatur, quia in Bulla Pauli III. quæ extat in Bullario Alcantaræ *pag.* 144. concedit, & diſpenſat Pontifex, vt bona commendarum, & Beneficiorum poſſint locari per nouennium, quod priùs per quinquennium ſolùm ex iniuncto Pontificio licebat. Ipſum id concedit in alia Bulla *pagin.* 152. *ad finem*, reſpectu fructuum menſæ Magiſtralis. Ecce ea bona, quaſi Eccleſiaſtica, Pontifex tractat. Tunc ſic? commendæ, quatenùs Beneficiorum rationem ſortiuntur, debent reputari Beneficia Regularia, ſiquidem propria Religionum Militarium, & ex ſuis ditionibus, Eccleſiis, & redditibus conſtantes, & prætereà deſtinatæ à Pontificibus, & ab ipſis Religionibus ad ſuos Equites Regulares; non ſecùs ac alia Beneficia Regularia Ordinum Militarium Clericis Fratribus conferri ſolita, ob eaſdem proportionatè rationes eſſentiam Beneficiorum Regularium omninò induunt. Cum ergo ex Iure Beneficia Regularia Regularibus, ſæcularia ſæcularibus conferenda ſint, quod latè proſequemur *diſq. ſequenti*, fit commendas non poſſe conferri, niſi Regularibus ipſorum Ordinum. Dices, in Definitionibus Alcantaræ *titul.* 18. *cap.* 5. inter alia, quæ Regi noſtro Capitulum Ordinis propoſuit, id eſſe; *Y particularmente recibiran muy ſeñalada merced, en que no ſe provean à perſonas, que no tengan el Habito.* Et ſermo eſt de Dignitatibus, ac commendis; ergo penes Regis arbitrium eſt, eas conferre aliis, qui ex Ordine non ſunt; aliàs videretur ſuperflua petitio. Reſpondeo, poſſe à Rege concedi gratiam commendæ alicui extra Ordinem, dum diſpenſationem Pontificiam impetret; & Capitulum à Rege popoſcit, ne id præſtaret; fortaſſè quia iam aliquod exemplar erat, alicuius commendæ, vnius ex tribus ordinibus, collatæ alicui extra ordinem cum diſpenſatione. Termini etenim habiles ſunt ſupponendi, vt ea Capituli petitio non ſit inanis; nec aliter de illa poſſumus philoſophari; cum tradita doctrina ſit certa ex dictis, & dicendis.

Demùm à fortiori nequeunt eas obtinere fœminæ, cum eis deficiant omnia requiſita præfixa. Et confirmatur; nam, ſi quando alicui fœminæ, aut inhabili, ratione defectus eiuſmodi requiſitorum commenda fuit præſtita, ſeu redditus illius, diſpenſatio à Sede Apoſtolica priùs fuit petita, & impetrata, & dimidia annata eo caſu Pontifici perſoluitur, vt ex Marta, Surdô, & Menochio probat Morote *vbi ſuprà n.* 114. ergo nequit propria authoritate Rex noſter, vt ordinum Adminiſtrator, commendam fœminæ conferre; aliàs diſpenſatione non indigeretur; Eam autem fuiſſe poſtulatam, & obtentam, conſtat ex commenda *del Moral*, quæ præſtita fuit Marchioniſſæ de los Velez, & ex aliis. Obiter tamen cernitur, commendas non eſſe rigoroſè Beneficia Eccleſiaſtica eo ſenſu, quo communiter ea Beneficia vſurpamus, ſic enim accepta, quis vnquam dixerit, aut audiuerit, poſſe à fœminis obtineri, aut à Pontifice, vt obtineant diſpenſari? 14

Cæterùm, cum quis ex Iure eſt inhabilis ad aliquam Dignitatem, vel Beneficium 15

Eccleſiaſticum

Eccleſiaſticum obtinendum, Pontifices diſpenſant, vt ab eo obtineatur Dignitas, vel Beneficium non in titulum, ſed in commendam; Hinc Barboſa *de Iure Eccleſiaſtico, c. 9. n. 23.* aſſerit; *Huiuſmodi commenda via ad hoc per Summos Pontifices inuenta fuit, vt, qui non eſt habilis ad titulum, ſit habilis ad commendam, veluti quia prouidetur alicui exiſtenti in minori ætate, vel de Beneficio incompatibili, vel prouidetur Regulari de Beneficio ſæculari, & è contrario, vt aduertit Nicolaus Garcia, capit. 4. num. 24. Vnde talis commenda dicitur diſpenſatio palliata ad obtinendum aliquod Beneficium, aliàs obtineri prohibitum.* Rectè rem explanauit.

16 Diſpenſationem etiam Pontificiam communiter requiri, vt quis duas commendas obtineat, arbitror, quippè ſapiunt naturam Beneficiorum, aut Beneficia ſunt, iuxta aliquorum placitum, & quidem incompatibilia, cum exigant reſidentiam iuxta Statuta, & Definitiones; Sic extat in Statutis Ordinis D. Iacobi *tit. 15. c. 19.* vbi exiguntur ſaltem quatuor reſidentiæ menſes. In Definitionibus Calatrauæ *tit. 11. cap. 4.* duo menſes reſidentiæ quotannis iniunguntur. In Definitionibus Alcantaræ *titul. 17. c. 1. & 2.* tres menſes deſignantur. Et quidem Ordinum placitum, ac deſiderium id erat, vt integro anno Commendatarij reſiderent in ſuis commendis; ſic etenim eas promouerent; arces, & domos inſtaurarent; Eccleſiarum incolumitati, & ornatui, ac reædificationi conſulerent. Deindè vt ea diſpenſatio requiratur, aptari reſpectiuè valet, quod de pluralitate Beneficiorum ſolet proferri. Demùm extat prohibitio, ne quis plures commendas poſſideat. Ita in Statutis D. Iacobi *titul. 15. c. 4.* Vbi aſſeritur, irritam fore gratiam ſecundæ commendæ, ſi præſtetur. In definitionibus Calatrauæ *tit. 11. cap. 2.* vbi iuxta doctrinam libatam de Beneficiis, affirmatur, non poſſe, iuxta iuris diſpoſitionem, duas commendas obtineri, & in margine citatur *caput de multa, de præbend.* Eſtò addatur, in euentu magnæ vtilitatis Ordinis, & id exigente generoſitate Commendatarij, poſſe Magiſtrum, ſeu Adminiſtratorem, cuius oneratur conſcientia, plures commendas ei præbere. Vnde fit, in ſimili euentu, non fore neceſſariam diſpenſationem Pontificiam; qui euentus raro præſumendus eſt, ne facilè inuertatur debitus, & rectus modus diſtribuendi commendas. Idcircò conſultò appoſui *ſuprà* neceſſariam eſſe *communiter* diſpenſationem, nam in aliis euentibus non eſt liberum Magiſtro, plures commendas impertiri. Idem, quod in Ordine Calatrauenſi ſtatutum eſt in Alcantarenſi, *tit. 18. c. 7.*

Commendarum, Dignitatum, Prioratuum, & Beneficiorum ſucceſſiones nequeunt expoſci, nec conferri, ſuperſtitibus his, qui ea obtinent. Sic cautum eſt in Statutis Ordinis D. Iacobi *tit. 15. cap. 2.* Et in Definitionibus Calatrauæ *tit. 12. cap. 3.* In quibus Ordinationibus declaratur inhabilis ad Commendam, Prioratum, vel Beneficium, qui eorum ſucceſſionem petierit. Quam inhabilitatem ſolus Ordo, qui ipſam iniunxit aut Summus Pontifex, poterunt auferre. Et meritò ea prohibitio, ac pœna ſunt inflictæ, vt nimiæ ambitioni, & cupiditati aditus occludatur. In Definitionibus Alcantaræ *tit. 18. cap. 9.* eadem continetur prohibitio; Et quia verba valdè conniuent doctrinæ ſuperiori de qualitate commendarum, ideò tranſcribimus; *Por quanto por derecho Canonico eſtà prohibido, que no ſe den expectatiuas de Beneficios Eccleſiaſticos en vida, de los que los tienen, y peſcen, conſultado con ſu Mageſtad, mandamos, que lo miſmo ſe guarde, y cumpla en las Dignidades, y Encomien das de nueſtra Orden.* Expende cauſalem huius Definitionis, quæ nullam haberet vim, niſi in communi ſenſu, & ſententia ipſorum Ordinum, Dignitates, & commendæ reputarentur Beneficia Eccleſiaſtica, vel ſaltem ad inſtar. 17

Obſeruandum eſt in præſenti, Regem noſtrum, vt Adminiſtratorem Ordinum, concedere Dignitates, & commendas; verùm in Ordine Calatrauæ, vt aſſeritur *tit. 10. cap. 1.* Commendatarium majorem eligendum fuiſſe per ſuffragia, ſic enim tempore Magiſtrorum Ordinis fiebat, & deinceps ita fieri, ibi ſtatuitur. In Ordine Alcantaræ idem ſtatuitur *tit. 18. c. 2.* & præterea, vt refertur in Definitionibus *tit. 18. cap. 6.* Capitulum à Rege popoſcit, vt Dignitates Ordinis concederet de conſilio Seniorum, & Senatus Ordinum, & Rex petitioni annuit. At ipſe commendas majores, & Dignitates abſque ſuffragiis, & conſilio concedit; & ad id Bullam Pontificiam impetrauiſſe, mihi eſt relatum, & ex ſe eſt valdè credibile. Alia circa commendas in prædictis Statutis, & Definitionibus referuntur, inibi legenda, nam quæſtioni non ſubiacent, niſi ea, quæ in *hac diſq.* exponimus; imò aliqua ad perfectiorem notitiam, non diſputando, ſed referendo, ſubteximus. 18

QVÆSTIO

QVÆSTIO III.

Quæ ſint obligationes annexæ Commendis trium Ordinum Militarium?

19 COmmendatarij omnes ex præſcripto, & diſtributione ipſorum Ordinum tenentur ſoluere quotannis ſtipendia ad milites deſignata, vulgò *Lanzas*; & pro quantitate redditurum commendarum hæc penſio eſt commenſurata. In Ordine S. Iacobi, vt ex Statutis liquet *tit.* 9. *cap.* 1. ſunt ſeptuaginta ſeptem commendæ, quibus, & duobus etiam Prioratoribus de Veles, & S. Marci Legionenſis, quatuorcentum triginta duæ lanceæ perſoluendæ *ibidem* ſunt diſtributæ. In Ordine Calatrauæ ſunt quinquaginta ſex commendæ annumeratis inter eas Dignitatibus Clauigeri, & Operarij; inter quas diſtributim perſoluitur ſtipendium ad trecentum, & triginta lanceas. Ita reperitur in Definitionibus *tit.* 36. *poſt cap.* 6. In Ordine Alcantaræ ſunt triginta ſeptem commendæ ſimul cum munere Clauigeri, quibus & etiam Sacriſtæ majoris Dignitati diſtributæ ſunt centum triginta quatuor lanceæ perſoluendæ, in Definitionibus *tit.* 40. Vbi aduertitur ſtipendium, quod Sacriſtæ maiori ſoluere incumbit, inſumendum eſſe in Operibus Monaſterij, eo quòd ille ſit perſona Status Clericalis. Obſeruatur etiam *ibidem*, cum Commendatarij ipſi ad bellum contra Infideles proficiſcuntur, pro ſingulis ſtipendium vnius lanceæ fore minuendum, cum eo ipſi indigeant ad proprios ſumptus. Ad id bellum deſtinantur omnes prædicti Milites, ſeu lanceæ; & Magiſtro ad bellum proficiſcenti id præſtabatur ſubſidium, vtpotè militiam ſuſtentāti. Nunc ſtipendium lancearum Ordinis de Alcantara, ex Pontificia Bulla, & indulto applicatum eſt Suſtentationi Collegij Alcantarenſis Salmantini.

20 Commendatarij Ordinis D. Iacobi tenentur etiam deſignatam eleemoſynam erogare in locis commendarum; Quare, ſi Commendatarius proprius adhuc non ſit alicubi deſignatus, aut ob aliquam cauſam Adminiſtrator proficiatur commendæ, is debet ex commendæ redditibus eleemoſynam illam largiri. Quòd ſi quis ſit Commendatariùs titularis alicuius commendæ alienatæ, cuius redditibus non percipit, ſed æquiualentes alibi deſtinatos, tenetur mittere eleemoſynam ad ſe ſpectantem Fiſcali Senatus Ordinum, vt Senatus ipſe præcipiat, illam diſtribui in locis, quorum nomine commendæ nuncupantur. Ita in Statutis Ordinis *tit.* 9. *c.* 3. Eadem obligatio videtur incumbere Commendatariis titularibus aliorum ordinum. 21

In ordinibus aliqui Commendatarij tenentur quotannis ſoluere aliquibus Prioribus ex Clericis Fratribus, imò & aliis Clericis ſæcularibus obtinentibus Beneficia, certam pecuniæ quantitatem. Quinam autem illi ſint, & quantitas numeranda, continetur in Definitionibus Calatrauæ *tit.* 12. *c.* 2. & conſuetudine eſt ſtabilita in aliis ordinibus. Hæ autem omnes ſolutiones ſub peccato graui, & ſub onere reſtitutionis debentur, vtpotè iuſtæ ab ordinibus præſcriptæ, & commendis, ac Dignitatibus iam annexæ.

In Ordine Alcantaræ Commendatarij, 22 qui in ſua ditione obtinent arces, ſeu caſtella, iuramentum fidelitatis debent præſtare Magiſtro, ſeu Regi noſtro, vt Adminiſtratori, ad idemque præſtandum tenentur inſtituti, quos eis ipſi præfecerint. Ita in Definitionibus *tit.* 27. *cap.* 2. Debent præterea omnes Commendatarij apud ſe habere tranſcripta Inſtrumenta publica, quæ ad ſuas ſpectant commendas, publica fide, & authoritate confecta, quorum exemplaria in archiuio ſacri Monaſterij Alcantaræ aſſeruantur, nec ex eo aliquod poteſt extrahi, niſi centum ducata deponantur, vt ſic citiùs & diligentiùs illuc reportentur. *Ita tit.* 25. *cap.* 11. *&* 13.

Commendatarij præterea omnium ordinum, vt *in ſuperioribus* attigimus, debent 23 ſollicitè conari, ne temporis iniuria arces, domus, & Eccleſiæ, vel Eremitoria, ac Xenodochia labantur, eorum inſtaurationi, reædificationi, & ornatui incumbentes; cum ad ſingulos ſpectet, ne ea quæ ſub commenda ſunt, ruinam, detrimentum, aut imminutionem patiantur; Quin potiùs, pro zelo Ordinis, conari deberent, vt in dies incrementa caperent; ædificia firmitate, & decore donarentur; Eccleſiarum cultus decentior vigeret, & pauperum ſollicitudo foret ingentior. Nec aliter ſanè muneri, & Ordini faciunt ſatis. Demùm Commendatarij tenentur Regem ſequi in bello contra Infideles expenſis propriis, niſi fortè fructus commendæ tenues ſint, nec ſufficiant, vt cum pluribus docet Don Ioannes de Solorzano *in Politica Indica lib.* 3. *cap.* 25. *pag.* 422. At, ſi bona propria habeant, tam illi, quàm cæteri Equites Militares non Commendatarij, & grauis vrgeat neceſſitas, ac periculum Regni, tenentur

tatione

ratione ſubordinationis bonorum, & quam præſtiterunt emittendo Votum paupertatis, proprijs expenſis ad bellum progredi iuxta ſuum Inſtitutum. Vide dicta *diſq. 4. quæſt. 1.*

24 Commendatarij non debent ſoluere decimas ex bonis Commendarum; tum quia ex bonis proprijs ipſorum Ordinum, qualia ſunt bona Commendarum, decimæ non debentur, vt extat in pluribus Bullis Pontificijs expeditis erga ipſos Ordines; tum quia de Commendis extaut Deciſiones Rotæ, quas affert Seraphinus *deciſ.* 549. & 655. Videantur Don Ioannes Beltran de Gueuara *in allegatione contra Moſen Rubin de Bracamonte*; & Don Ioannes de Solorzano *in Politica Indica, lib. 4. cap. 21. pag. 678.*

QVÆSTIO IV.

De concurſu eorum, qui ex Decreto Regio Commendas expectant.

25 COmmendam vacaturam ſolet Rex noſter anticipato concedere, & gratiam pro ea obtinenda expedire. Et, quia contingit, non vni ſoli, ſed pluribus hoc beneficium expectatiuæ pro meritis, & obſequiis conferri, inquirimus, quis inter eius primam Commendam vacantem ſit obtenturus? Nam, ſi vnus dumtaxàt illam expectet, non eſt dubium, ipſum in eam ſuccedere, cum non ſit alius, qui concurrat, & ius aliquod præferat. Hanc quæſtionem de Commendis Indorum diſcuſsit eruditè Don Ioannes de Solorzano *in Polit. Indica l. 3. c. 9.* ſimileque de vtriſque eſt dubium, & deciſio vtrobique eadem.

26 Si gratia Commendæ vacaturæ exprimat aliquam in ſpeciali, hæc gratia erit præferenda cæteris in generali conceſsis, eſtò in his aſſeratur, concedi primum Commendam vacaturam, quia ſpecialis gratia præfertur generali; iuxta *leg. in toto, de reg. iur. cap. generi, de reg. iur. lib. 6. c. 1. in fin. de reſcriptis?* Idem Solorzano id exornat *tom. 2. de Iur. Indiar. lib. 2. cap. 8. num. 4.* Et de expectatiuis id cernitur *in c. dudum, 14. verſ. Præſertim, de præbend. lib. 6.* Atque de Commendis docet Valenzuela *conſil. 83. num. 140.*

27 Quòd ſi nulla in ſpeciali deſignetur Commenda, tunc qui prior eſt tempore, potior eſt Iure, iſque obtinebit primam, cui priùs tempore gratia fuerit conceſſa. Id enim etiam in Iure diſponitur circa literas impetratas ad Beneficia, & Præbendas vacantes (quod enim de vacaturis Commendis aſſerimus, id de vacantibus pariter affirmamus, ſi gratia vnius ex Commendis vacantibus in generali fiat) Sic *in cap. ſi pro te; cap. tibi qui, de reſcrip. lib. 6. cap. qui prior, de regul. iur. eod. lib. leg. 27. & 29. tit. 13. p. 5.* exornant Velaſco *in axiom. iur. lit. P. num. 163.* Dueñas *regul. 198.* Staphileus *de liter. gratiæ titul. de mandato de prouidend. §. idem dico.* Id firmatur ex chirographis, quæ expediuntur ad exactionem pecuniarum, nam quæ priùs tempore data ſunt, priùs ſolui à Receptoribus debent, iuxta *leg. 12. tit. 14. lib. 2. Recop.* & *ibi* Azeuedo. Videatur Volaños *in Curia Philippica part. 2. lib. 2. cap. 12. num. 2.* Similiter in teſtamento primò vocatus præfertur cæteris, iuxta *leg. Publius 36. §. 1. ff. de condit. & demonſt.* cum alijs pluribus allatis à Menochio *lib. 4. præſump. 16.* Et circa præcedentias in Officijs, & Dignitatibus plura congerit Tiraquellus *de primog. quæſt. 19. n. 2.*

Si in Commenda vacatura deſignentur 28
redditus, v.g. ſi proferatur, concedi Commendam, cuius redditus non excedant duo mille ducata, vi eius Decreti nequibit obtineri Commenda opulentior, eamque ſummam excedens, cum gratia non vltrà extendatur. Quòd ſi Commendæ Decretum contineat clauſulam, qua proferatur, eam concedi, vt quis matrimonium ineat cum fœmina deſignata; Si is non ineat, videndum eſt, an ea fuerit cauſa finalis, & motiua conceſsionis, an impulſiua tantùm, quod conſtabit ex ipſo Decreto, ſi nempè alia merita, & obſequia referantur, ob quæ Commenda conceditur; Standumque erit doctrinæ communiſsimæ inter Authores, dum loquuntur de impetratione Bullarum, & diſpenſationum, Scilicèt ea conceſsio Commendæ valida erit, quamuis non ineat ille matrimonium, ſi hæc dumtaxàt fuit cauſa impulſiua; ſecùs, ſi fuit motiua, & finalis. Sic in Commenda Indorum pronuntiatum fuit, in ſimili euentu, à Senatu Supremo Indiarum, teſte Don Ioanne de Solorzano *in Politica Indica lib. 3. c. 9. pag. 313. §. Todo loqual.*

Maior difficultas eſt, ſi Rex noſter vnam, 29
eandemque in ſpeciali Commendam vacantem, aut vacaturam concedat duobus, vni ſcilicèt poſt alium, quis ſit præferendus? Pro eo, cui poſteriùs conceſſa eſt, militant aliquæ non leues rationes. Scilicèt id, quod poſteriùs decernitur, derogare, quod anteriùs ſtatuitur, quando vtrumque eſt incompatibile, iuxta *leg. pacta nouiſsima, Cod.*

de pact. leg. de quibus, *ff. de legib. §. poſteriore*, *inſtit. quibus modis teſtam. infirmentur*, cum aliis, quæ adducit Velaſco *in axiom. Iur. lit. P. num.* 116. Et ſicut in teſtamentis, cum res eadem duobus legatur, per legatum poſterius cenſetur prius ademptum, vt cum communi exornat Couarruvias *in rubric. de teſtam. 2. part. n.* 21. Idem in reſcriptis Principium videtur dicendum, quòd ſcilicèt poſterius adimit prius. Idque maiori vi pollet, ſi ſecundus poſſeſſionem Commendæ prius apprehenderit; ſicut in feudis, cum duo concurrunt, non inſpicitur tempus gratiæ, ſed poſſeſſionis, iuxta *cap. ſi facta, ſi de inueſtitura fuerit controuerſia*, vbi Baldus; & Iaſon *in leg.* 4. *Cod. de pactis*, & plures alij.

30 Pro primo autem ſunt grauia fundamenta, vt anteponatur ſecundo. Etenim in prælatione reſcriptorum debet attendi ad prioritatem expeditionis, vt *ſuprà* aſſeruimus, & docent Nauarrus *conſil.* 10. *de maiorit. & obed.* Valenzuela, Staphileus, D. Ioannes de Solorzano, *ſuperius* allati, & Don Ferdinandus Arias de Meſa *in var. reſol. lib.* 2. Sic in Iure, qui duobus ſuas operas conducit, primo obligatur, iuxta *leg. in operis*, 26. *ff. locati*. Sic etiam Beneficium conceſſum abſenti, qui ratum habuit, quamvis non fuerit poſſeſſio apprehenſa, nequit alteri concedi, iuxta *cap. ſi tibi abſenti*, 17. *de prabend. lib.* 6. Et magis ad rem, *in cap. cum ex parte*, *de offic. delegati*, cum literæ Pontificiæ ad Dignitatem Eccleſiaſticam in fauorem duorum fuiſſent expeditæ, primas effectum ſortiri, decernitur, ex eo quòd ſecundæ per obliuionem, aut inaduertentiam cenſentur conceſſæ; quod noſtro caſui aptatur. Et quidem id in Beneficiis verum eſt, ſicut in feudis, licèt ſecundus poſſeſſionem apprehenderit, vt docent Ioannes Cochier *de primariis precibus, pagin.* 23. Roſental *de feudis cap. 6. concl.* 12. Tunc enim ſolùm poſſeſſio prodeſt, cum dubitatur de literarum data, iuxta *cap. ſi à ſede*, *de prabend. lib.* 6.

31 Nec credendum eſt, Regem velle reuocare primam gratiam, cum ſapiat naturam contractus, eo quòd fiat in remunerationem obſequiorum, vt docet Matienzo *in leg. 6. tit.* 10. *lib.* 5. *Recop. gloſſ.* 2. *ex num.* 29. Et, eſtò naturam fauoris, & beneficij dumtaxat imbibat, ea tamen eſt vis verbi, & conceſſionis Regiæ, vt primum præferat, & abſque traditione, & poſſeſſione illum in dominium velut immittat, vt tradunt Tuſchus *verbo*, *Donatio*, *concluſ.* 699. Cabedo *deciſ.* 39. *num.* 7. *part.* 2. Gregorius Lopez *in leg. 6. tit.* 26. *partit.* 4. Couarruvias *lib. 2. variar. cap.* 19. *num.* 3. Et plurimi apud Valenzuelam *conſil.* 68. *num.* 66. Quare ea donatione facta, & tranſlato dominio, nihil ſubſiſtit, quod ſecundo donari queat; Niſi fortè in ſecunda conceſſione reuocatio primæ gratiæ apponatur expreſſa; tunc enim cenſetur, Principem fuiſſe deceptum, & eam ſubreptitiè impetratam, vt obſeruant Bartolus *in leg. prædia*, *Cod. de locat. præd. ciu. lib.* 11. Græueus *lib. 2. obſeru.* 51. & 55. Seraphinus *deciſ.* 1171. & alij.

Nec feudis poſſeſſionem fauere ſecundo, eſt communior ſententia, quin potiùs oppoſita, quam tuentur Ioann. Faber *in leg. quoties*, *Cod. de rei vindic.* Antonius Gabriel *lib.* 1. *comment. tit. de non toll. iur. concl.* 2. *num.* 13. cum pluribus ab ipſo relatis. Roman *conſil.* 70. *num.* 3. Marſilius *ſing.* 82. Ruſental *de feudis, cap. 6. concl.* 10. *num.* 3. Ex his omnibus rationes contrariæ diluuntur, & hæc ſecunda ſententia fauens primo, qui gratiam obtinuit, verior apparet. 32

Cæterùm aliqua ſunt obſeruanda. Primum, ſi vnus ex duobus aliquod obſequium pecuniarium præſtitit, vt ſibi Commenda concederetur, non quidem per modum emptionis, ſed velut in obſequium, & ſubſidium, abſque vllo antecedenti pacto; hic videtur alteri præferendus; nam titulus fuit oneroſus, atque ob vrgentes Fiſci neceſſitates ea pecunia fuit acceptata, atque in remunerationem fuit conceſſa Commenda; quæ remuneratio tunc eſt proximior, & vrgentior, ac ea, quæ ob alia obſequia præſtatur. Secundum præ oculis eſt habendum, ſi gratia primo fuerit conceſſa ſub aliqua conditione, ſecundo verò purè, & abſque conditione vlla, & antequam conditio adimpleatur, ſecundus immittatur in poſſeſſionem, hic ſanè erit præferendus, argumento textus *in cap. ſi pro te*, *de reſcript. lib.* 6. cum aliis. 33

Deindè ſi primus, cui gratia eſt facta, poſt vacantem Commendam, negligens fuit in apprehendenda poſſeſſione, & in exequendo neceſſaria ad ſuum ius obtinendum, ſecundus in poſſeſſionem immiſſus erit manutenendus; cum ſibi primus imputare debeat incuriam, iuxta *cap. Capitulum Sanctæ Crucis*, *de reſcript. lib.* 6. Vbi Abbas, & Gloſſa quæſtionem excitant de ea negligentia, nempè ex quibus ſignis ſit dignoſcenda, & intra quod tempus; pluraque in id adducit Menochius *de arbitrar. caſ.* 572. ac decidit, id ex Iure non conſtare, reliquendumque eſſe arbitrio prudentis Iudicis, qui circunſtantias penſet. Id ipſum in negligentia circa poſſeſſionem feudorum, & Beneficiorum diſcutiunt 34

Roſental

Roſental *vbi ſuprà, cap.6. concl.12. num. 2.* Ioannes Cochier *ſuprà pag. 66. ad text. in cap. ſibi qui, de reſcript. lib.6.* Maſcardus *lib.6. præſumpt.23.* Moneta *de opt. can. c.6. concl.2.* Ille verò, qui ex duobus Commendam amiſerit, ius habet poſcendi à Rege, vt alia æqualis ſibi conferatur, ne fruſtratum euadat prorsùs Decretum, & ſua obſequia abſque remuneratione; argumento textus *in cap. inter cætera, 17. de præbend.* vbi Gloſſa, & Doctores. Exornant Bartolus, Baldus, & Iaſon *in leg. quoties, Cod. de rei vendicat.* Roſental *vbi ſuprà, cap.4. concl.8. & cap.6. concluſ.8. 6. & 12.*

QVÆSTIO V.

An Commendatariis Ordinum Militarium debeant ſolui primitiæ, & Oblationes?

35 DE facto primitiæ, non aliter ac decimæ, Commendatariis acquiruntur, & extat de hoc immemorialis conſuetudo. Quare, eſtò debeantur Parochis, tamen circa decimarum, ac primitiarum ſolutionem, conſuetudini omnino eſt ſtandum. In Statutis, & Definitionibus Ordinum nihil de primitiis ſtabilitur, niſi in Definitionibus Alcantaræ *tit.20. cap.10.* Vbi aſſeritur; *Y las primicias ſe paguen de lo que cogen en las dezmeritas de los lugares, donde eſtan obligados à las pagar, por los Sacramentos, que reciben.* Et, quamvis non exprimatur, cui ſint ſoluendæ primitiæ, videtur inſinuari, Parochis deberi propter adminiſtrationem Sacramentorum, cum hæc illis incumbat. Et quidem ex ſe illis debentur, vt docent S. Thom. *2.2. quæſt.85. art.3.* P. Suarez *tom. 1. de Relig. lib.8. cap. 3.* Bonacina *tom. 2. de præcept. Eccleſ. diſput. vlt. punct. vlt. num. 3.* & apud ipſum Molfeſius; Moneta, P. Leſſius, Reginaldus, Filiucius, Layman, Azor, & plures alij.

36 Hinc annis elapſis contenderunt Clerici Fratres Alcantarenſes Parochi, ſibi ſoluendas eſſe primitias; res à Rege noſtro Senatui Ordinum fuit commiſſa; Is verò conſuetudini attendens nihil immutauit; ſed indictum eſt Parochis, vt quilibet, ſi ſufficientem non haberet congruam, eam coram ipſo Senatu depoſceret. Etenim licèt in Definitionibus ſit præfixum ſtipendium, quod Commendatarij in ſingulos annos præſtare debent, cum iam diu ſtipendij taxa fuerit deſignata, & rerum omnia pretia ſint aucta, non exiguum eis ius fauet, vt ſtipendij incrementum depoſcant, vbi ex Eccleſiæ ingreſſu congrua decens non coaleſcit.

37 Oblationes, quæ in Eccleſia fiunt ſuper defunctorum ſepulchra, & propter officia quævis Eccleſiaſtica, Parochis debentur, & ſoluuntur; (in vnaquaque tamen Eccleſia, ſua eſt conſuetudo ſuper portione, quæ ſpectat ad Beneficiarios, Capellanos, & Sacriſtam.) Ita P. Azor *inſtit. mor. lib.7. cap. 38.* Abbas *in c. Paſtoralis, de his, quæ fiunt à Prælatis*; P. Reginaldus *in praxi for. pœnit. lib. 19. num. 85.* Zerola *in praxi Epiſcop. verbo, Parochia, verſu, Ad quintum.* Emanuël Rodriguez *tom.1. qq. regular. q.37. art.7.* Bonacina *vbi ſuprà, num.5.* & communis. Idque conſtat *ex cap. audientiam, 1. de Eccleſiar. ædificat. Clementina Dudum, de ſepultur.* Idemque dicendum eſt de anniuerſariis, de diſtributionibus quotidianis, aliiſque ſimilibus, quæ deputata ſunt his, qui interſunt diuinis Officiis, ac perſoluunt anniuerſaria, & ſubeunt onera, in quorum ſtipendium ea ſunt deſignata.

38 Hinc fit, ea omnia non debere ſolui Commendatariis, vt de facto non ſoluuntur. Ita docet Mota *in regul. Ordin. D.Iacobi, lib.2. c.30.* Vbi ait, ſic olim in Ordine Iacobæo plures Magiſtros ſtatuiſſe. Et probatur; Quippè Pontifices, qui in Bullis Apoſtolicis applicarunt eis decimas, nullam de oblationibus, & anniuerſariis facere mentionem, ea Parochis, ad quos attinent, relinquendo; nec hæc veniunt ſub nomine decimarum. Ita docet Emanuël Rodriguez *vbi ſuprà.* Confirmatur; nam adhuc ipſi Clerici, ſi ſint abſentes, non percipiunt vt plurimùm prædicta omnia, ſed ea percipit is, qui aſſiſtit, & Eccleſiaſtica Officia perſoluit, iuxta *cap. vnic. de Cleric. non reſident. lib.6.* ergo multò minùs Commendatarij ea percipere debent, cum nec Officia Eccleſiaſtica perſoluant, nec ex Iure, & ex ſe ſint illa deputata niſi Parochis, & Eccleſiarum miniſtris. Vnde, ſicut ad percipiendas quotidianas diſtributiones in abſentia eſt neceſſaria Pontificia diſpenſatio, vt cum aliis docet Ioannes Andreas *in dicto cap. vnic.* ſic, vt Commendatarij perciperent oblationes, neceſſaria eſſet ea diſpenſatio, quæ tamen non extat in Bullis concedentibus decimas, vt ex ipſarum tenore conſtat. Nec obſtat doctrina Felini aſſerentis *in cap. dilectus, de offic. Ordinar.* quoties Vicario aſſignatum eſt ſtipendium ratione officij, ad principalem pertinere decimas, & oblationes; Sed Parochis deſignatum eſt ſtipendium, &

Eccleſiæ vnitæ, ac incorporatæ ſunt Ordinibus; ergo decimæ, & oblationes ex illis prouenientes pertinent ad Ordines, & Commendatarios. Contrà, quia Parochis aſſignatum eſt ſtipendium loco decimarum, quæ aliundè ad eos pertinebant, & applicatæ ſunt Ordinibus, & Commendatariis; non verò loco Oblationum, quæ à Pontificibus non ſunt applicatæ, ſiquidem non exprimuntur in Bullis, & ex iure communi debentur Parochis; ea autem, quæ ſpeciali nota ſunt digna, & quæ ius commune violant, debent ſpecialiter exprimi, aliàs non veniunt ſub conceſſione, iuxta *leg. item apud Iacobeonem*, §. *& generaliter*, *ff. de iniuriis.* Nec rectè Rodriguez *vbi ſuprà*, vt à Felini ârgumento ſe expediret, aſſeruit, decimas eſſe applicatas Commendatariis pro obſequiis belli in Eccleſiæ defenſionem, Eccleſias autem non eſſe vnitas Ordinibus; Sic enim ait; *Nec verum eſt dicere, quòd Eccleſia Parochiales ſunt vnita Ordini, quia litera Apoſtolica hoc non dicunt; ſed quòd Summus Pontifex erigit certas Praeceptorias, quibus erectis applicat, & appropriat decimas Eccleſiarum Parochialium.* Huius doctrinæ in generali falſitatem latè *in ſuperioribus* conuicimus; Conſtat quippè ex innumeris Bullis Apoſtolicis, & aliis fundamentis, eas Eccleſias vnitas, & incorporatas eſſe Ordinibus, eorúmque proprias, cum plena, & priuatiua iuriſdictione Eccleſiaſtica erga illas. Quare non eſt audiendus Rodriguez, nec Aluarus Velaſcus *lib. 1. Conſult.* 14. Idem ſentiens; niſi fortè ſolùm agant de Ordine Chriſti in Luſitania (& credo, eos id ſolùm attingere, quamvis titulus in quæſtione præfixus à Rodriguez ſit de omnibus Ordinibus Militaribus) Ibi autem quid circa Eccleſias Commendatariorum contingat, nec Authores, quos viderim, tractant; nec mihi explorare licuit. De Oblationibus plura ſunt communia, nec noſtri Tractatus ſpecialia, videnda apud Authores *in hac quaeſt.* relatos.

QVÆSTIO VI.

An Commendatariis Ordinum Militarium debeantur decimæ ex fructibus omnibus? Et an illi teneantur ſoluere ſubſidium, & Excuſatum?

39 COmmendatariis applicatæ ſunt decimæ eius ditionis, aut ſoli, in quo ſitæ ſunt Commendæ; quippè eis tradita, & commendata fuit cura Parochianorum, & Eccleſiarum, quibus conſulere, ac prouidere tenentur, ſuppeditando congruam ſuſtentationem Parochis, ſi inibi aliundè eam non habeant; & prætereà de Eccleſiarum cultu, ornamentis, & reparatione curando. Potuiſſe autem has decimas à Pontificibus applicari Ordinibus, & Commendatariis, indubitabile eſt, vt latè proſequitur Don Ioannes de Solorzano *in Politica Indica lib. 4. cap. 1. ex pag.* 500. Hinc in generali aſſerendum eſt, omnes decimas Commendatariis deberi, cum generaliter hæ debeantur Parochis, iuxta *cap. cum contingat, de arbitr.* cum vulgaris; Tridentinum *ſeſſ. 25. cap. 12. de reform.* Et quidem decimæ quorumcumque fructuum debentur ad ſuſtentationem Miniſtrorum Eccleſiæ, cultum, & ornamenta Eccleſiarum, ac pauperum ſubuentionem, vt exprimitur *in leg. 2. lib. 1. tit. 5. de decimis, in lib. edito à Rege Philippo II de Ordenanzas Reales.* Cum autem ex ſe ea omnia incumbant Commendatariis, circa Miniſtrorum ſuſtentationem, Eccleſiarum cultum, ac ſubuentionem pauperum, conſequens eſt, vt ipſis decimæ debeantur ex omnibus fructibus. Quin excommunicatio lata eſt *in cap. omnes decima, 16. quaeſt. 7. cap. peruenit; cap. non eſt; cap. non tua, de decimis*, contra non ſoluentes decimas, & eas ſibi retinentes; ac in Tridentino *vbi nuper*, iniungitur, quòd non ſoluentes excommunicentur, & non, niſi plena reſtitutione ſecuta, abſoluantur.

40 Attamen ſi in aliquo territorio conſuetudo ſit legitimè præſcripta, quòd ex aliquo genere fructuum decimæ non ſoluantur, tùm coloni non tenebuntur illas ſoluere Commendatariis ex eiuſmodi fructibus, ſiuè de nouo ibi ſeminentur, ſiuè frequenter iam ibi colligantur. Ita Solorzano *vbi ſuprà lib. 2. cap. 22. pag.* 194. Quod cautum eſt in tribus pragmaticis Regiis, Toleti, anno 1625. Matriti, anno 1528. Segouiæ, anno 1532. & in hac vltima ſic habetur; *Donde no ſe ha acoſtumbrado à pagar diezmos de pan, y yeruas, y otras coſas nuevas, no ſe pague; y los Prelados, y otros Iuezes Eccleſiaſticos, ſopena de las temporalidades, no conſtriñan con cenſuras à ello, &c.* Si verò conſuetudo ſit, vt ex omnibus fructibus decimæ ſoluantur; & de nouo aliquæ fruges ſeminentur, aut vineæ plantentur, quæ nunquam in eo ſolo, ſeu territorio extiterant, ſanè decimæ debebuntur; quia quòd antecedenter non fuerint ſolutæ, non prouenit tunc ex conſuetudine non ſoluendi, ſed ex eo, quòd ibi non fuerint antecedenter

antecedenter illæ fruges, ſeu vineæ, ex quibus poſſent ſolui, cum aliundè ex cæteris aliis ſoluantur. Hinc etiam, ſi quis vites è terra eradicet, ex quibus vini decimas ſoluebat, & in eo fundo ſerat frumentum, aut pratum conficiat, debebit decimas frumenti, ſeu herbæ, dum conſuetudo non obſiſtat decimis herbarum.

41 Si lis ſuper decimis oriatur inter incolas loci, & Commendatarium, nequeunt ad Tribunal ſæculare confugere pro litis deciſione, ſed neceſſariò ad Senatum Regium Ordinum, qui eſt Tribunal Eccleſiaſticum, ad quod, vt tale, ſpectant cauſæ decimales Ordinum, in prima, aut in ſecunda inſtantia, ſi prima fuerit habita coram Prioribus, aut Vicariis Militaribus; Quippè cauſæ decimales, ſiuè ſint de iure ad decimas, ſiuè ſint de facto, ad Eccleſiaſticos Iudices ſpectant; iuxta *cap. Parochia, cap. cum contingat, de arbitr.* & docent Moneta, Tuſchus, Molfeſius, Reginaldus, Pater Suarez, & alij; quos refert, & ſequitur Bonacina *diſputation. vltim. de decim. quaſtion. 5. punct. 6. ex numer. 1.* Homobonus, Fulgoſius, P. Azor, & alij, quos ſectatur Diana *p. 1. tr. 2. reſ. 89.* Ac in Bullis Pontificiis, ſæpè à nobis allatis, cognitio cauſarum decimalium ad Iudices Ordinum pertinere aſſeritur.

42 Hic aduerte, poſſe dominum fundi mutare eius culturam pro ſuo arbitrio, quàm is ex mutatione valor decimarum decreſcat, imò etiam ſi ex mutatione fieret, nullas decimas ſolui; nec id poteſt illi prohibere Commendatarius, aut Parochus; ſicut enim ille poterat nullo modo colere fundum, nec eſſet ab illis cogendus, vt inuitus coleret, ſic valet mutare culturam, vel in fundo domum ædificare, quia in ſuo quiſque fundo poteſt operari, quod malit, dum leges publicæ non obſtent; vt tradunt Couarruvias, Rebuffus, & alij, quos refert, & ſequitur Azeuedo *in nou. Recopilation. lib. primo, titul. quinto, de decimis, leg. 2. n. 5.*

43 Aduertè prætereà, in Concilio Tridentino *ſeſſion. 23. cap. 18. de reformation.* præcipi, in ſingulis Cathedralibus Eccleſiis Collegia, ſeu Seminaria puerorum inſtitui, qui Eccleſiaſticis miniſteriis ſint perpetuò mancipandi; & redditus ad eos aleudos deſumi, cum diſtributione proportionata, ex redditibus Eccleſiaſticis menſæ Epiſcopalis, Capituli, Abbatiarum, & Prioratuum cuiuſcumque qualitatis, etiam Regularium, necnon Beneficiorum, quamvis ſint Regularia, iuris Patronatus, exempta, & nullius diœceſis; Hoſpitalium, piorum locorum; & additur; *Etiam ex decimis quacumque ratione ad laicos, ex quibus ſubſidia Eccleſiaſtica ſolent, & Milites cuiuſcumque Militia, aut Ordinis pertinentibus, Fratribus Sancti Ioannis Hieroſolymitani dumtaxat exceptis, partem aliquam, vel portionem detrahent.* Vbi in primis cernis, decimas Commendatariis Militiarum ſolui ſolitas à Tridentino approbari; deinde caſu quo de nouo fundentur aliqua Collegia, poſſe aliquam partem ex decimis Commendarum applicari pueris ibi educandis. Etenim, quamvis hæ decimæ applicatæ fuerint Ordinibus Militaribus in remunerationem obſequiorum, quæ erga Eccleſiam præſtiterunt, & per modum quaſi contractus oneroſi, qui reuocari nequit; niſi præſtita compenſatione æquiualenti, ſi præſtari valeat, vt *alibi* aſſerimus; Attamen non eo rigore id eſt intelligendum, vt nequeant Pontifices, vt Adminiſtratores bonorum Eccleſiaſticorum, & decimarum, quæ ad Eccleſias ſpectant, propter publicam, & ingentem vtilitatem, limitare, aut aliquid ex conceſſione facta detrahere, cum ea vtilitas, & gravis neceſſitas in compenſationem veniant. Sic *tom. in Bullam Cruciat. diſputation. 2. cap. 6.* aſſerui, priuilegia Bullæ concedi per modum contractus oneroſi, & non poſſe reuocari prò eo tempore, pro quo ſunt conceſſa, niſi iuſta de cauſa, & præſtita, ſi fieri poſſit, ſatisfactione; tamen priuilegia eiuſmodi ſemel, aut iterùm limitantur à Pontificibus; Verbi gratia. In fauorem Cruciatæ conceſſum eſt, ne quis Iubilæa, aut Indulgentias poſſit abſque Bulla lucrari; Et tamen Iubilæa duplicis hebdomadæ, aut vnius menſis, quale hoc anno 1656. conceſſit noſter Sanctiſſimus Alexander VII. quæ ob grauiſſimas cauſas conceduntur, poteſt quilibet abſque Bulla lucrari; & alia huiuſmodi poſſint in exemplum adduci. Præterquàm quòd iuſtam cauſam, & grauem neceſſitatem interuenire in his limitationibus, & reuocationibus priuilegiorum nullus dubitabit, & aliundè Pontifices vel non habent, vndè compenſent, vel alia priuilegia, & indulta conferunt, quibus compenſatio ſufficienter æquatur.

Rursùs aduerte, in ſolutione primitiarum, quæ à decimis diſtinguuntur, varias exiſtere conſuetudines, quibus omnino eſt ſtandum, & ſoluendæ ſunt Commendatariis in Parochiis, vbi extat conſuetudo. Diſcrimen inter decimas, & primitias eſt vulgare illudque expoſuit P. Leſſius *lib. 2. de iuſt. cap. 39. dub. 6. n. 30.* inquiens, primitias eſſe primos fructus terræ, qui immediatè 44

offeruntur Deo in gratiarum actionem pro frugibus terræ, & deindè cedunt in vſum Miniſtrorum; decimas verò eſſe decimam partem fructuum, quæ proximè datur Sacerdotibus in ſtipendium ſuſtentationis ob miniſterium ſpirituale.

45 Demùm aduerte pro decimis, quæ ſoluuntur Ordinibus Militaribus in locis, in quibus Epiſcopi iuriſdictionem ſpiritualem habent, eſſe caſum reſeruatum Epiſcopis retentionem decimarum in diœceſibus Hiſpalenſi, Granatenſi, Cordubenſi, Salmantina, Giennenſi, Malacitana, (de quibus mihi conſtat) & vt credo, in aliis communiter; & prætereà excommunicatio lata eſt contra retentores decimarum, & infideliter ſoluentes in Synodo Hiſpalenſi celebrata anno 1604. *tit. de decimis*, *c.* 1. Et in Synodo Salmanticenſi celebrata anno 1654. *tit.* 10. *de decim. & oblationibus, conſtitut.* 1. Et in hac Conſtitutione Hiſpalenſi, ac Salmantina fertur etiam excommunicatio contra non ſoluentes primitias. Hinc in diœceſi Hiſpalenſi reſeruatus eſt caſus non ſoluendi primitias, quia licèt non contineatur expreſsè inter caſus reſeruatos, at verò includitur in primo caſu appoſito in ipſa Synodo *titul. de pœnitent. & remiſſion. cap.* 7. vbi reſeruatur omnis excommunicatio maior à iure, vel ab homine; Et cum retentio primitiarum ſit prohibita ſub excommunicatione maiori in eadem Synodo, fit, vt ſit caſus reſeruatus in ea diœceſi. Et quidem promptiſſimè debent Fideles ſoluere decimas, vtpotè Deo debitas, qui fructus fœcundat, & elargitur; Nec id amittitur, quod ei offertur, verùm indè bona multiplicantur. Plura de his vide apud D. Ioannem de Solorzano *vbi ſuprà lib.* 2. *c.* 22.

46 Secunda pars quæſtionis in titulo præfixæ breuiter erit decidenda, nam eam lariùs tradidi *tom. de Iure Academico, lib.* 1. *quæſtion.* 37. *ex num.* 617. in ſimili quæſtione de Tertiis decimarum, quæ applicatæ ſunt Academiæ Salmantinæ à Pontificibus, & à Regibus, quibus primùm fuerant à Sede Apoſtolica conceſſæ; & *ibi* dicta ſunt aptanda in præſenti circa ſubſidium Eccleſiaſticum, quod vocatur Hiſpanè *Subſidio, y Eſcuſado*; Quorum originem, & plura concernentia dedi *tom. in Bull. Cruciat. diſput.* 38. *à n.* 8.

47 Aſſerui ergo (& nunc idem aſſero) ſubſidium, & excuſatum ſoluendum fore ex decimis, quæ applicatæ ſunt quibuſcumque perſonis, aut Communitatibus, & conſequenter Commendatariis. Latè ex Iure, conſuetudine, & Authoribus id *ibi* confirmaui ex *n.* 623. Id etiam extat expreſsè in Bullis Pontificiis conceſſionis, & prorogationis ſubſidij, & excuſati, quas affert Barboſa *in ſum. Apoſtolic. deciſ. verbo, Subſidium*; *Collectan.* 687. Idipſum intelligitur de Prioratibus, & Beneficiis Ordinum Militarium, quæ ſoluere ſubſidium, & excuſatum tenentur. Et id ſupponitur à Paulo III. dum in Bulla, quæ incipit, *Paſtoralis*, & affertur in Bullario Alcantaræ *pagin.* 141. ſtatuit, Procuratorem Generalem Militiæ Alcantaræ à Capitulo Generali Ordinis, ſeu à Senatu Ordinum deputandum intereſſe debere in omnibus Congregationibus Eccleſiarum factis ad diſtributionem ſubſidiorum, & aliarum Collectarum; ſimulque aliter facta Pontifex annulat. Deindè dico, ius percipiendi decimas, vt ſibi debitas, eſſe ſpirituale, & non poſſe in laicos transferri; quare, cum decimæ his conceduntur, ius hoc penes Eccleſiam, & Pontificem manet; ita *ibi numer.* 624. At, cum Ordines Militares ſint Eccleſiaſtici, in eos potuit transferri id ius, & tranſlatum eſt, ac præterea ab Ordinibus aut conceditur hoc ius Commendatariis, aut poteſtas percipiendi decimas, philoſophando iuxta varietatem ſententiarum, circa Equites, annempè ſint perſonæ Eccleſiaſticæ. De quo *diſq.* 2. *quæſt.* 2. Vndè, cum ex diſpenſatione Pontificia Commendæ conferuntur perſonis laicis, non transfertur in illas ius percipiendi decimas, nam eius iuris ſunt incapaces; quare ius manet tunc penes Ordines, & eis perſonis dumtaxat conceditur poteſtas percipiendi decimas, quæ ex ſe debebantur Eccleſiis, & ex applicatione Pontificia, ipſis Ordinibus. Fit ex his, hoc ius percipiendi decimas, & Commendas ipſas non poſſe vendi ab Ordinibus, tum quia nequeunt Ordines bona immobilia alienare, niſi ſeruatis ſpecialibus requiſitis, & licentiis; tum præcipuè, quia eſt ius ſpirituale, quod vendi non poteſt, cum id eſſet ſimonia manifeſta.

Dices, ergo hi redditus ex decimis ſunt 48
bona Eccleſiaſtica, etiam quatenùs à Commendatariis percipiuntur. Quomodo igitur Commendatarij poſſunt expendere hæc bona in vſus profanos, nec tenentur reſiduum ex eis erogare in opera pia? Aliundè bona Eccleſiaſtica non videntur, nam nullo titulo Eccleſiaſtico ea percipiunt illi, vt docui *tom. de Iure Academico lib.* 3. *n.* 210. *& n.* 437. *& tom. in Bull. Cruciat. diſp.* 34. *n.* 166. cum P. Dicaſtillo, Diana, & aliis. Rem expono, vt hic dubij ſcrupulus ceſſet. Militare in exercitu, quamvis fiat in defenſionem Eccleſiæ, quid eſt temporale, non

Eccleſia

Eccleſiaſticum, ex ſe; nec fit Eccleſiaſticum, etiam ſi militans eſſet perſona Eccleſiaſtica; non enim redditur Eccleſiaſticum aliquod exercitium, ex eo quod fiat à perſona Eccleſiaſtica, cum ex ſe eſt temporale, & non aliter fit ab Eccleſiaſtico, quam à Laïco. An ſcribere, equitare, legere, & alia huiuſmodi exercitia omnibus æquè communia, ſint Eccleſiaſtica, quia à perſona Eccleſiaſtica peraguntur? Minimè ſanè. Cum ergo Militare pro Eccleſiæ defenſione ſit exercitamentum, quòd æquè poteſt fieri à Laïcis, & ab Equitibus Militaribus, quamvis hi eſſent perſonæ Eccleſiaſticæ, non eſt quid Eccleſiaſticum, ſed merè temporale. Hinc, cum commendæ fuerint applicatę Ordinibus Militaribus à Sede Apoſtolica, eo quòd ſtrenuè pro defenſione Fidei, & Eccleſiæ, & pro Hiſpaniæ reſtauratione militarent, vt ſic eorum obſequia remuneratione donarentur, ſanè titulus, ob quem decimis, & redditibus commendarum potiuntur, eſt titulus militaris, & temporalis, non ſpiritualis.

49 Nec innoluit vllam repugnãtiam, ob titulum temporalem concedi à Pontifice ius ſpirituale percipiendi eas decimas, ac redditus ex ſua natura Eccleſiaſticos; Sicut Regi noſtro ob ſimilem titulum conceſſum eſt ius præſentandi ad Prælaturas Eccleſiarum, quod ſpirituale eſt. Etenim Adminiſtrator, & diſpenſator bonorum rectè ſe gerit, dum eis bonis remunerat obſequia præſtita eiſdem, ex quibus bona percipiuntur. Nec Eccleſia eam ingratitudinis notam erat ſubitura, quòd non remuneraret eos, qui pro ipſius defenſione pericula ingentia vſque ad ſanguinis effuſionem ſubirent. Quare bona Eccleſiaſtica non ſolùm rectè expenduntur in Miniſtros Eccleſiæ, ſed in eos; qui ipſam Eccleſiam protegunt. Semel autem conceſſa ea bona, & non ob titulum Eccleſiaſticum, poſſunt à domino in quoſvis vſus expendi, non ſecùs ac ſi eſſent bona ſæcularia; quod innumeris exemplis patet; Pontifex enim ex bonis Eccleſiæ ſuos exercitus alit, ex ipſis auxilium ſuppeditat Principibus Chriſtianis, vt bella contra Infideles promoueat, ea autem bona ſtatim ac perſoluuntur militibus, non ſecùs ac alia bona, queunt in quoſcumque vſus conuerti; Nam ea eſſe Ecceleſiaſtica, eſt denominatio deſignans, vnde ortum habuerint ea bona, non verò eſt qualitas afficiens ſemper illa. Aliud eſt, cum titulo Eccleſiaſtico aequiruntur, vt ab Epiſcopis, Canonicis, Prioribus: Parochis, Beneficiariis, & ſimilibus; tunc enim ſtrictior eſt poteſtas diſponendi de illis; titulus enim ille, ob quem accipiuntur, ac poſſidentur, non permittit laxam adeò facultatem, ac titulus merè temporalis. Sic Epiſcopus, & Parochus de bonis patrimonialibus poſſunt pro libito diſponere, quia titulo temporali ea poſſident; de bonis autem Eccleſiaſticis nequeunt cum tota ea amplitudine diſponere, quia titulo Eccleſiaſtico eis potiuntur.

Quia tamen bona, & reddítus commendarum, ſi Commendatariis non fuiſſent conceſſi, pertinerent ad Eccleſiæ Miniſtros, & Fabricam, quibus incumberet, Eccleſiarum ornamenta, & ædificia reparare, vt cultus diuinus promoueretur; pauperibuſque ſubuenire; & prætereà Parochi ex illis forent ſuſtentandi; ideò ea bona, & redditus cum eodem onere tranſeunt in Commendatarios; id enim onus neceſſariò eſt ſubeundum, nec ſuppetit aliundè, vnde poſſit ſuſtineri; dum verò his obligationibus ſatisfactum fuerit, libera remanet diſpoſitio bonorum, vt multis probat D. Ioannes de Solorzano *in Politica lib. 4. c. 1. pag. 500. & ſequent.* Hinc tradidi *tomo de Iure Academico lib. 3. num.* 347. redditus commendarum eſſe bona Caſtrẽſia, ac filiosfamilias Commendatarios poſſe de illis teſtari; Et *num.* 210. docui, eſto filij familias bona paterna, etiam ſibi ad victum conceſſa, non poſſint exponere ludo, niſi cum limitationibus *ibi* appoſitis, tamen poſſe ludo exponere redditus perceptos ex commenda; id ipſum etiam aſſerui *tom. in Bullam Cruciat. diſp.* 34. *cap.* 14. *num.* 166. cum Diana, & P. Dicaſtillo. Et conſequenter, qui lucratur à filiofamilias Commendatario in ludo etiam ingentem quantitatem, quæ ſit ex redditibus commendæ, nihil ei tenetur reſtituere. 50

Hinc audiendus non eſt Mota *de confirm. Ordinis D. Iacobi, lib. 2. c. 2. pag.* 278. *n.* 11. aſſerens, non ſolùm Commendatarios, ſed nec Equites Iacobæos habere dominium ſuorum bonorum patrimonialium, ſed dumtaxàt vſum de licentia Ordinis ad bonum familiæ; Quod ex Voto paupertatis colligit. Sed id à nobis *diſq.* 4. & ſæpè alibi eſt reiectum. Verùm Mota Iacobæus id ſentiens de Equitibus, quid contra D. Franciſcum de Ocampo aſſereret, docentem etiam Clericos Fratres Iacobæos retinere proprium? Sed de hoc iam diſſeruimus *loco relato.* 51

Obſeruandum eſt in præſenti, quod *ſuperiùs* libaui, ipſos Commendatarios Ordinum Militarium non debere decimas ex bonis Commendarum. Quod ex pluribus Bullis Pontificiis conſtat; & prætereà ex 52

variis deciſionibus Rotæ, quas affert Seraphinus *deciſ. 549. & 655.* ac obſeruat Solorzano *vbi ſuprà lib. 4. c. 21. pag. 678. §. Y eſtas cedulas.* Sic etiam nec Monaſteria Militaria decimas ex ſuis bonis debent ſoluere; tum quia eorum exemptio à ſolutione ex Bullis Pontificiis ampliſſimis liquet; tum quia eorum bona nou ſunt minùs Eccleſiaſtica, & exempta, ac Ordinum propria, quàm bona commendatum; tum demum quia eis conſuetudo fauet, quæ in ſolutione decimatum maximam habet vim; adeò vt ſi contraria ſit conſuetudo, præualeat priuilegiis; vtpotè quæ vim habet abrogandi leges poſitiuas.

QVÆSTIO VII.

Aliqua exponuntur de Commendatariis Ordinis S. Ioannis Hieroſolymitani.

52 NOn pauca de his ſpecialia dedimus, alia nunc elucidabimus. Pius IV. in ſua conſtitutione, quæ incipit *Circumſpecta*, expedita Kalendis Iulij, auno 1560. quam affert Laërtius Cherubinus *tom. 2. Bullarij pag. 7.* & eius meminit Barboſa *in ſumma Apoſtol. deciſ. collectan. 543. n. 2.* conceſſit Commendatariis Ordinis S. Ioannis, quod intra limites ſuæ iuriſdictionis eſſent Ordinarij. Quare eos conſtituit Pontifex Iudices Eccleſiaſticos ſuæ ditionis, aut territorij; ſicut aſſeruimus *in ſuperioribus* Senatum Regium Ordinum per innumeras Bullas Pontificias eſſe Eccleſiaſticum Tribunal, Iuriſdictione Eccleſiaſtica gaudens. Verùm dicta de Senatu reſpectiuè competunt Commendarariis, ita vt hi non poſſint cenſuras ferre, nec literas dimiſſorias ad Ordines conferre per ſe ipſos, cum hæ ſint actiones propriç Ordinarij conſtituti in ſtatu Clericali. Vnde ſcio, quendam Commendatarium eas contuliſſe, & grauiter à Superioribus obiurgatum deſtitiſſe. Cæterùm, cum ſint perſonæ Eccleſiaſticæ, & ſtrictè Religioſi, ac Pontifex eis iuriſdictionem ordinariam concedat, illa ſanè gaudebunt, atque erga Clericos ſubditos poterunt eam exercere. Eorum autem Eccleſias non poſſe ab Ordinariis viſitari, declaratum eſt à Sede Apoſtolica, teſte Farinacio *in deciſion. Tridentin. part. 4. ſeſſ. 21. de reform. cap. 8.* Ibidem *ſeſſ. 24. de refom. cap. 11.* tradit, Commendatarios, qui in ſuis Eccleſiis obtinendas Indulgentias à Pontifice impetrant, debere præſentare Bullas Ordinario, in quibus ſit conceſſio. *Ibidem* oſtendit ex Deciſione quadam, non poſſe ab eis literas dimiſſorias concedi Clericis in ipſorum Eccleſiis inſeruientibus. Cæterùm pro exemptione Eccleſiarum, & Clericorum Fratrum Ordinis S. Ioannis Allegationem Iuris latè exornauit Doctor Perlines de Gueuara in lite exorta cum Epiſcopo Ciuitatenſi.

Bonacina *tom. 1. tract. de his, quæ ad pri-* 53
uatam Diuini Officij recitationem, &c. diſp. 2. q. 2. punct. 4. n. 3. afferens pro ſe Molfeſium, Nauartum, & alios, docet Equites Hieroſolymiranos, & alios habentes commendas Eccleſiaſticas teneri ad perſoluendum officium Canonicum, quia dicuntur habere Beneficia Eccleſiaſtica. Hanc obligationem non dari in Commendatariis, ſatis conſtat ex dictis *ſuperiùs.* Nam, licèt ſint Eccleſiaſtica commendarum bona, vtpotè ex decimis conflata, quæ Eccleſiis debentur, tamen hæc ita applicata ſunt à Sede Apoſtolica Commendatariis, vt ipſi per ſe munus Parochorum non ſint præſtituti, ſed alij Parochi conſtituendi, eis congrua ſuſtentationi deſignata; vnde decimæ applicantur, non tamen ita vt ſubeant rationem Beneficij, indèque in Commendatariis nullus Ordo, uec prima tonſura requiritur ad obtinendum decimas, & commendas, quod eſt manifeſtum ſignum, eos non eſſe Beneficiarios; ſicuti ſi bona deſignata ad quoddam Beneficium conflandum applicentur à Pontifice Academiæ, vel Hoſpitali, nullum inde conſurgit onus recitandi, & quamvis in communi locutione dicatur, Academiam, aut Hoſpitale frui hoc, aut illo Beneficio, propriè tamen nullus eſt Beneficiarius; ſed bona, quæ priùs habenti illud Beneficium couferebantur, deinceps Academiæ, aut Hoſpitali conferuntur.

Dices, collationem commendæ ſemper 54
præcedere factam quidem à Clerico Fratre Ordinis (ex commiſſione Superioris) cuius eſt commenda; collatio autem non eſſet neceſſaria, ſi commendæ non eſſent Beneficia Eccleſiaſtica. Reſpondeo, eam collationem eſſe ceremoniam quandam ſtabilitam ab ipſis Ordinibus, qua, nomine Superioris ſit traditio commendæ; & quia bona, & fructus, quibus gaudendi poteſtas, aut ius datur Commeudatario, ſunt Eccleſiaſtica, & quæ Clerico Parocho per ſe erant deputata, niſi applicatio Pontificia acceſſiſſet, ideò congruens fuit, per Clericum Ordinis fieri collationem. Verùm quis iudicet Beneficium Eccleſiaſticum conferri Commendatario, ſi nec ille prima tonſura eſt initiatus, nec obligationem

grauem

grauem recitandi ſubit (quod omnibus Commendatariis D. Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ eſt commune) nec fructus commendæ, etiam ſi ſuperſint ex congrua ſuſtentatione, debeant in vſus pios expendi, *ſuperius* probauimus? Sanè Beneficium Eccleſiaſticum exigit primam tonſuram; recitationem Officij Canonici; & ſumptum fructuum, qui ſuperſunt, in vſus pios, ac titulum ſpiritualis Officij; & nihil horum eſſe neceſſarium Commendatariis trium Ordinum Militarium, Authores communiter, & praxis oſtendunt. Cum ergo præfatus Bonacina ſuum aſſertum extendat ad omnes Commendatarios, eoſque cum Equitibus Hieroſolymitanis æquiparet, ſi illi non tenentur ad recitationem Officij Canonici, nec hi tenebuntur; Nec ratio eſt, cur hæ potiùs commendæ, quàm illæ ſint rigoroſè Beneficia Eccleſiaſtica; præcipuè cum omnes conferantur titulo militari, & temporali, vt *ſuperiùs* expoſuimus. Præterea, vt dicemus *infrà num.* 64. iuxta doctrinam Bonacinæ, commendæ non ſunt materia ſimoniæ, ergo non ſunt Beneficia Eccleſiaſtica.

55 Aliquid tamen agnoſcit Bonacina in commendis Ordinis S. Ioannis, quod in commendis aliorum ordinum ſupponit, non dari. Etenim *eo tom. 1. tract. de obligat. Beneficiariorum, diſputat.* 4. *punct.* 2. *num.* 25. exprimens dumtaxàt Commendatarios Ordinis Sancti Ioannis, docet, eos non poſſe expendere in vanos vſus ea, quæ ex redditibus commendarum ipſorum congruæ ſuſtentationi ſuperſunt; Et eam rationem vrget, nempè quia illæ commendæ reputantur Beneficia Eccleſiaſtica regularia, & traduntur cum onere officij recitandi, & conſequenter titulo ſpirituali; atque adeò oneribus aliorum Beneficiorum ſubiiciuntur. Id confirmat, quia ſaltem negari nequit, fructus commendarum eſſe redditus Eccleſiaſticos, quos Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 5. *cap.* 1. omninò interdicit, conſanguineis, aut familiaribus tradi; nempè ſi non ſint pauperes.

56 Sed iam oſtendimus, fructus commendarum, ſemel à commendatariis acquiſitos poſſe in quoſlibet vſus expendi, non ſecùs ác alia bona. Et Tridentinum quidem loquitur de fructibus Eccleſiaſticis ab Epiſcopis, Parochis, & Beneficiariis acquiſitis titulo ſpirituali. Etenim certum eſt, à Pontificibus applicatas eſſe plures Eccleſiarum Decimas, aut tertias perſonas laicis in remunerationem obſequiorum; & quamvis ſint fructus Eccleſiaſtici ex ſe, non tenentur illi in vſus pios eos expendere, ſed pro arbitrio ſuo; nam, vbi in ipſorum dominium tranſeunt, naturam aliorum bonorum ſubeunt; Nec hi laici dicuntur habere Beneficia Eccleſiaſtica, quamvis Decimas obtineant, ex quibus fructus, & redditus Beneficiorum eſſent conſtituendi. Nec Beneficiarij ſunt huiuſmodi laici, quamvis perſoluant ſubſidium, & excuſatum; nam hæc perſoluuntur ratione ipſorum bonorum, quæ ex natura ſua ſunt Eccleſiaſtica, & applicantur laicis cum eo onere reali, quod in ſe habent, & quod erant perſoluturi Parochi, aut Beneficiarij, qui ea bona forent obtenturi, niſi fuiſſent laicis applicata. Et indè aſſerui, ex commendis deberi ſubſidium, & excuſatum. Hinc ergo non reperio, quid ſpeciale agnouerit Bonacina in commendis Ordinis S. Ioannis, quod non detur in commendis aliorum ordinum; cum omnes fuerint conſtitutæ ex Decimis, & fructibus Eccleſiaſticis; & à Pontificibus applicatæ titulo militari Commendatariis, aut Hoſpitali S. Ioannis, ſeu ipſi ordini ad ſubueniendum pauperibus, ac ægrotantibus. Vnde, ſi Commendatarij aliorum ordinum poſſunt in quoſlibet vſus redditus commendarum expendere, poterunt pariter Commendatarij S. Ioannis, niſi à Prælatis limitetur eis vſus; cui limitationi ſtare tenebuntur ratione Voti Obedientiæ, & Paupertatis; tunc tamen id ex voluntate Prælatorum proueniet, non autem ex eo, quòd commendæ ſint rigoroſè Beneficia Eccleſiaſtica, earumque fructus nequeant ideò expendi in vſus profanos, ſeu non pios.

Addit Bonacina *ibidem*, Commendatarios Ordinis S. Ioannis habere dominium aliarum pecuniarum, & fructuum perceptorum aliundè, quàm ex commendis, & indè poſſe pro arbitrio ſuo licitè de illis inter viuos diſponere; nam facultas teſtandi eis non licet, tum ex ſuis Statutis, tum ex Motu Pij V. ab eo Ordine acceptato, vt liquet ex praxi. Mouetur ad hoc profatum, quia conſuetudine, & experientia teſte, non vouent rigidam Clauſtralium Religioſorum paupertatem, ſed eam quæ moribus apud ipſos ſeruatur. Affert pro hac concluſione Patrem Molinà, & Thom. Sanchez. 57

Aſſentio huic concluſioni; Sed obſeruarum volo, iuxta Bonacinam ſtare dominium rerum cum Voto Paupertatis, quod nos de Equitibus aliorum Ordinum probauimus. Cur ergo Bonacina ratione dominij neget, alios eſſe ſtrictè Religioſos, & id affirmet de Hieroſolymitanis? ſiquidem poſito in his dominio rerum, etiam poſſent 58

teſtari

teſtari, niſi prohibitio ab ipſis acceptata acceſſiſſet, vt ipſe ſupponit, eaque prohibitio extrinſecè ſe habet ad naturam Voti paupertatis; ergo quoad hoc Votum, ſecundum ſe, æquè ſe habent Equites Hieroſolymitani, ac Equites aliorum Ordinum; vnde, ſi ſolùm ad id Votum inſpiciamus, non potiùs hi, quàm illi, excludendi ſunt à ſtricto, & proprio ſtatu Religioſorum; ſi in doctrina tradita à Bonacina tenor conſequentiæ ſeruetur. Aliter ergo philoſophandum eſt, vt diſcriminentur hi Equites ab illis. De quo ſatis egimus *diſquiſ. 1. quæſt. 2.*

59 Deindè quòd in aliis Equitibus Votum caſtitatis ſit coniugalis, & in Hieroſolymitanis caſtitatis abſolutæ, non obſtat, ſi præciſè attendamus conſequentiæ doctrinæ eius Authoris; Etenim in aliis Religionibus non Militaribus, emiſſa profeſſione non compatitur cum Voto paupertatis dominium in Religioſo; nihilominus Bonacina ait, in Equitibus Hieroſolymitanis ſtare dominium cum Voto paupertatis; eo quòd non adeò rigidam paupertatem profiteantur, ac cæteri Religioſi, ſed iuxta mores ſui Ordinis, quin id obſtet ſtatui proprio, & rigoroſo Religionis; ergo quamvis in aliis Religionibus non ſtet cum Voto caſtitatis poteſtas ad matrimonium, poterit hæc ſtare in Ordinibus Militaribus cum Voto caſtitatis, nempè coniugalis; quin id repugnet ſtatui proprio Religioſorum; ſiquidem ſic eis votum præſcriptum eſt à Sede Apoſtolica, quin ſtatum Ordinum reuocauerit, aut annullauerit, poſtquam Votum caſtitatis abſolutæ Ordinum Militarium Ciſtercienſium in Votum caſtitatis coniugalis commutauit. Et quidem cur Bonacina diſpenſationem in rigore Voti paupertatis admittat, quin ſtatus rigoroſus Religionis imminuatur, & non admittat diſpenſationem in Voto caſtitatis abſolutæ, abſque Religionis imminutione, ſi quidem ad eſſentiam ſtatus Religionis tàm ſpectat vnum Votum, quàm aliud? Non ergo videtur conſequenter attexere vtrumque. Rem autem nunc non diſcutio, cum iam id præſtiterim *loco relato*, ſed vim conſequentiæ exploro.

60 Infert Bonacina ex ſua doctrina, Commendatarios Ordinis S. Ioannis Baptiſtæ, qui vltra ſui ſtatus conditionem, pecuniam ex commendis perceptam ludo exponunt, aut in vſus vanos expendunt, grauiter peccare, vtpotè operantes contra ſtrictum Tridentini præceptum, quamvis valdè exponant, nec paupertatis Votum violent, cum illam non profiteantur adeò ſtrictè, ac cæteri Religioſi clauſtrales. Rigida eſt hæc opinatio, eſto à doctrina huius Authoris non diſſona; cum enim cenſeat, fructus commendarum ſubire eandem naturam, ac fructus aliorum Beneficiorum, qui, dum ſuperſunt, nequeunt in vſus vanos expendi, conſequenter eadem regula illos metitur. Verùm iuxta noſtram doctrinam appoſitum eſt tenendum, & dum aliundè peccatum prodigalitatis, aut ſimile non interueniat (quod eſt commune etiam laicis ſuas diuitias expendentibus) tenendum eſt, eos Commendatarios in prædictis ſumptibus grauiter non peccare; & crediderim, ipſis ſic eſſe perſuaſum, cum fructus commendarum eodem modo, atque alios quoſvis, expendant abſque vllo diſcrimine; nec in ipſo Ordine eis limitantur ſumptus, nec praxis eſt appoſita; ſed, dum illi viuunt, non aliter, ac Commendatarij aliorum Ordinum, reputantur. Nec video cur ſcrupulos Commẽdatariis Ordinis S. Ioannis, potiùs quàm aliis, iniiciamus, ſiquidem, vt eſt aſſertum, commendæ eodem modo ſunt inſtitutæ, & applicatæ, & bona ad eas pertinentia pariter ex decimis, & aliis redditibus conſtantur. Tridentini autem præceptum quo ſenſu vrgeat, iam *ſuprà* aſſeruimus.

Hinc ergo ſuppoſito, nullum diſcrimen reperiri inter commendas Ordinis S. Ioannis, & aliorum Ordinum, noſtra doctrina confirmatur ex his ipſis, quæ Bonacina præmittit *loco relato, num. 24.* Vbi, cum propoſuiſſet dubium, an Commendatarij S. Iacobi, Calatrauæ, Alcantaræ, & Florentini S. Stephani poſſent ad libitum bona commendarum expendere, ac diſtrahere, hanc ad id rationem dubitandi profert, nempè quia commendæ ſunt bona Eccleſiaſtica, quæ nequeunt pro libito diſtrahi; & aliundè illi ſunt veri Religioſi, Voto paupertatis obſtricti, cum quo non ſtat dominium bonorum; & pro hac ratione adducit Nauarrum, Mota, Ayala, & P. Azor. Nihilominùs ait, eos Commendatarios peccare, dum peruersè inſumunt bona commendarum, quæ aliqua ratione dici poſſunt prouentus Eccleſiaſtici, & etiam quia alij ſæculares peccant ſuos reddituS peruersè inſumendo. Verùm addit, hoc peccatum eſſe dumtaxàt veniale, niſi grauitas ratione praui finis, aut circunſtantiæ ſuperaddatur. Etenim, inquit, ea bona non ſunt ſimpliciter Eccleſiaſtica, nec annexa ſunt Ordinibus, & Equitibus titulo ſpiritualis officij, ſed militari, ac temporali; Et Commendatarij ſunt domini eiuſmodi bonorum, cum paupertas ſic apud ipſos ſeruetur; 61

indeque grauiter non peccare expendendo bona in vſus non pios.

Ex his reſpondet hic Author ad ratio-
62 nem dubitandi, eas commendas non eſſe Beneficia Eccleſiaſtica, cum non conferantur titulo ſpirituali. Et, quamvis bona Eccleſiaſtica dicantur, tamen valent quomodolibet expendi, ſicut valent decimæ, quas Pontifex laicis poteſt applicare. Aliundè autem Votum paupertatis non emittitur ab illis in eo rigore, quo emittitur in Profeſſione ab aliis Religioſis non Militaribus, ſed, vt apud ipſos obſeruatur. En noſtram doctrinam; & quæ pariter Commendatariis Ordinis S. Ioannis aptatur, cum commendæ eodem modo ſe habeant, & bona illarum pariter ex decimis, ac ſimilibus aliis redditibus coaleſcant; & prætereà ipſe Bonacina, cum de Commendatariis Hieroſolymitanis agit, aſſerit, dominium habere bonorum, quæ aliundè percipiunt, & cum dominio ſtare Votum paupertatis, quam non profitentur rigidè, ſicut alij Religioſi non Militares, ſed vt apud ipſos moris eſt, obſeruari. Igitur inconſequenter philoſophatur, dum eos à cæteris Commendatariis diſcriminat. Prætereà ipſe Bonacina *tom. 2. diſp. 3. de contract. q. 8. punct.* 3. §. 3. *num.* 4. cum præmiſiſſet, Equites Ordinum Militarium poſſe in feudis, & aliis bonis ſuccedere, quamvis Religioſi ſint, quia familiam conſeruant, & ſucceſſorem habent; addit cum Capia, Thom. Sanchez, & aliis, idem dicendum eſſe de Equitibus Ordinis S. Ioannis, nam hi ſatum, & non ſtrictum habent paupertatis Votum; ſplendidè viuunt; familiæ decus, honorem, & agnationem conſeruant; quod non præſtant alij Religioſi, ideóque à ſucceſſione in bonis hi arcentur, non verò illi. Ecce Bonacina, quoad paupertatis latitudinem, æquat cum aliis Equitibus Militaribus Equites Ordinis Sancti Ioannis.

63 Amplius id ipſum firmatur; nam, iuxta doctrinam Bonacinæ, commendæ Equitum Sancti Ioannis, & Equitum aliorum Ordinum æquè ſunt bona Eccleſiaſtica. Quare *eo tom.* 1. *tract. de alienat. bonor. Eccleſiaſtic. diſp.* 2. *quæſt. vnic.* cum ſuppoſuiſſet, bona Eccleſiaſtica non poſſe alienari, *num.* 13. ait; *Nonò ſequitur, Commendam Sancti Ioannis Hieroſolymitani, aliaſque Commendas non poſſe abſque aſſenſu Apoſtolico alienari, quia cenſentur bona Eccleſiaſtica. Ita Couarruias* 1. *variar. cap.* 16. *num.* 3. *& alij apud Riccium deciſ.* 76. *&* 79. Ecce eodem modo loquitur de Commendis Ordinis S. Ioannis, ac de aliis.

Ipſe demùm Author *eo tom.* 1. *tract. de* 64
ſimonia, diſp. 1. *quæſt.* 4. *n.* 15. quin excipiat commendas Ordinis Sancti Ioannis, de omnibus Commendis Militaribus docet, non eſſe materiam ſimoniæ, nec ſimoniacum, qui eas, pecunia data, curat obtinere; nam conferuntur titulo temporali; quod confirmat ex Victoria, Aragon, & P. Suarez. Et diluit, quæ obiici poſſunt; Nempè, etſi conferantur Religioſis profeſſis, Profeſſionem non eſſe titulum collationis, ſed conditionem à Pontifice appoſitam; nec ex vi Commendæ teneri Equites ad certas preces, ſed ex vi Profeſſionis, & Regulæ; & quamvis ſit annexum ei ius præſentandi Clericos ad Eccleſias Ordinis, tamen id ius habere rationem quandam Iuriſpatronatus annexi Commendæ; & ſicut ius præſentandi annexum bonis temporalibus non reddit ea ſpiritualia, illáque poſſunt vendi, quia tunc id ius non cenſetur vendi, ſed comitari bona, quæ ex ſe non erant annexa ei iuri, & abſque eo poterant ſubſiſtere; ſic etiam de Commendis eſt philoſophandum. Hæc doctrina conformis eſt noſtræ ſententiæ traditæ *diſquiſ.* 1. *quæſt.* 12. Sed non rectè cohærere videtur cum cæteris aſſertis huius Authoris *ſuprà* expenſis. Hanc eandem doctrinam docet cum Auendaño, Emanuel Rodriguez *tom.* 1. *qq. Regul. quæſt.* 1. *art.* 6. Vbi tradit, Commendatarios eſſe velut depoſitarios perpetuos, & Commendas non eſſe titulos Beneficiorum, ſed hos titulos eſſe apud Rectores Eccleſiarum. Ex dictis repellendus eſt Nauarrus *in cap. final.* 16. *q.* 1. qui de diſpoſitione fructuum Commendarum nimis rigidè loquitur.

**
*

DISQVISITIO

DISQVISITIO XI.

De Beneficiis Ordinum Militarium.

QVÆSTIO I.

De examine, electione, & collatione ad Beneficia Militarium requiſita.

1 BENEFICIA Ordinum Militarium, ſcilicèt quæ in eorum ſunt Eccleſiis, Regularia ſunt, ipſorumque Ordinum ptopria, & de Iure Patronatus Regij, vt conſtat ex fundamentis Bullis & plurimis Pontificiis allatis *diſquiſ.* 1. & toto Operis decurſu, ac *inferius* attingendis. Quare eorum diſtributio pertinet ad Regem, vt Patronum, & ad ipſum Ordinem, nempè vel ad Senatum Ordinũ, vel ad Priores, ſeu Monaſteria ex conceſſione ipſius Regis, aut ex cõſuetudine, de quo *alibi* egimus. Beneficiorũ Regularium natura, & qualitates communes ſunt Beneficiis Ordinum Militarium; de illis autem integri extant apud authores tractatus, & quæſtiones, ad quas omnes diſcutiendas totus hic non ſufficeret liber; ideò ſolùm magis ſpeciales, opportunas, ac neceſſarias attingam. De cæteris videantur Summiſtæ *verbo*, *Beneficium*; Nicolaus Garçia, Portel, Emanuël Rodriguez, Barboſa, Proſper Farinacius, Machado, Bonacina, P. Layman, Azor, Caſtro Palao, & innumeri alij paſſim, quos referre, eſſet prolixum.

2 Praxis, quæ in Ordinibus Militaribus obſeruatur, hæc eſt. Quædam beneficia ex illis conferuntur Clericis ſæcularibus ob defectum Fratrum Clericorum, & ex ipſorum Ordinum beneplacito; quædam verò Clericis Fratribus. Ad prima præcedunt edicta, & concurſus oppoſitorum, vel coram Senatu Regio Ordinum, vel coram Prioribus reſpectu habito ad eos, ad quos pertinet electio, (Nec ſermo eſt de Dignitatibus, de quibus egimus *diſquiſ.* 8.) Examinantur oppoſitores, & eligitur is, qui iudicatur aptior, iuxta ſtabilita in Sacris Canonibus, & in Concilio Tridentino. Et ſatis ex illis, ac ex his, quæ communiter Authores proferunt, conſtat arctiſſima obligatio conſtituendi in Paſtores animarum ac Parochos, Viros benemeritos, ſcientia inſtructos, prudentia, maturitate, & virtute præditos, vtpotè quibus incumbit, oues paſcere, docere, exemplo præire, in ſpiritualibus, & temporalibus indigentiis iuuare, atque ad vitam æternam promouere. Quod præ oculis habere oportet eos, ad quos ſpectat eligere Parochos, vt omni affectu depoſito, eos Rectores animarum conſtituant, qui magis expediant. Sic Pontifices, Cõcilia, Eccleſię Patres, & Authores repetitò pręcipiunt, & hortantur; nec quidquam eſt accuratiori meditatione dignius.

3 Circa beneficia, ad quæ promouentur ipſi Clerici Fratres, in vnoquoque Ordine ſpecialis conſuetudo ſeruatur. In Ordine D. Iacobi Priores de Veles, & S. Marci Legionenſis eligunt Regulares ad ea Beneficia, quorum diſtributio ad ipſos pertinet, iuxta dicta *diſquiſit.* 1. Examen autem idoneitatis præcedere debere, ex dicendis *infrà* conſtabit. Cæterùm cum Beneficia ſunt in territorio Ordinis, ad ipſum ſpectat examen, & collatio; At, ſi in territorio ſint Archiepiſcopi Toletani, aut aliorũ Epiſcoporũ, Rex, vt Patronus, præſentat, & Antiſtes præſtat collationẽ, quę in ſui exordio ortum habuit ex Regis cõmiſſione, & beneplacito qui poteſt, cui velit, collationẽ cõmittere; Quare aliquãdo, dum aliud cõſuetudinę non eſt inductũ, cõmittit eam alicui ex ordine, & id ſemper pręſtat in prioratu *de Villar de Donas*, in diœceſi Lucẽſi; nã Beneficia Ordinũ, licèt ſint in diœceſi extranea, non ſunt de diœceſi. Rex autem, vt Patronus, præſentat; vt Superior verò, & vices Magiſtri gerens, collationẽ præſtat per perſonas idoneas à ſe deputatas, in tribus Ordinibus; Quã collationẽ ad eum pertinere, liquet ex Bulla incorporationis Magiſtratuũ ſæpè repetita, ibi; *Ac alia Beneficia Militariũ huiuſmodi perſonis idoneis liberè cõferre poſſit.* Et inferiùs; *Diœceſanorum locorũ, ac quorũuis aliorũ licentia, ſeu conſenſu minimè requiſitis.* Vox autẽ *liberè* ſignificat, ſine alterius authoritate, conſenſu, requiſitione, & grauamine, vt plurimis Deciſionibus, & authoritatibus probat Barboſa *in tract. dictionũ, dict.* 190. *nn.* 2. 3. *&* 10. Cõſtat illud ipsũ ex Bulla Iulij II. expedita in gratiã Ordinis Calatrauenſis. Et quamvis collatio aliorũ Beneficiorũ, ad quæ Rex præſentat vt Patronus, veluti in Indiis, & alibi, collatio ſpectet ad Ordinariũ; at ibi non præsẽtat, vt Superior, ac habens omnẽ iuriſdictionẽ ſpiritualẽ exercendã per aliũ, ſicut in Ordinibus militaribus. Vt autẽ quis Clericus Frater Iacobęus ad Beneficiũ promoueatur, triginta ætatis annos debet habere, & examinari de idoneitate ab Examinatore deputato ab Ordine. Ita in ſtatutis *tit.* 16. *c.* 19. Anni ibi requiruntur expleti; & etiã exigitur, vt in Monaſterio, aut Collegio quatuor annis verſatus fuerit; Additur autẽ examinãdũ fore eũ, qui Gradu non ſit inſignitus; vnde iſte examini non ſubjacet; Quod ſanè durum eſt, & emolliendum

emolliendũ aliqua via,iuxta aſſerẽda *infrà*. Qui velit dignoſcere exẽptionem Ordinis lacobæi quoad omnia Beneficia, legat bullam Matini V. quæ incipit *Glorioſa* expeditam anno 1417. & 1. Iulij I I. quæ incipit *Ex debito*,expeditam anno 1509. vbi Ordini conceditur omnimoda iuriſdictio, & poteſtas circa Commendas, perſonas, Eccleſias, Prioratus, Vaſſallos, & alia ſimilia ad ipſum Ordinem pertinentia.

4 In Ordine Calatrauæ collatio Beneficiorum pertinet ad ipſum Ordinem, penes quem etiam eſt conſequenter ius, ac debitum examinandi. Ad Beneficia autem aſſumuntur, & promouentur ratione antiquitatis Clerici Fratres; ita vt qui Habitu eſt antiquior, poſsit optare Beneficium vacans; & cum id ſit priuilegium, & fauor, poteſt etiam ei cedere, & non optare, expectaréque aliud vacaturum, dum tamen rationes ſufficientes, vt ſe excuſet, proponat, & exaudiatur à Rege, ſeu Senatu Ordinum; aliàs poteſt compelli ad acceptandum Beneficium; vt docet Emanuël Rodriguez *tom. 1. qq. Regul. quæſt.* 34. *art.* 8. nam licèt Beneficium non detur inuito, Regulares verò tenentur ſuis Superioribus obedientiam præſtare.Qui autem iam Beneficium obtinuerunt, ſi aliud commodius vacet, poſſunt etiam illud ratione antiquitatis acceptare, ita vt optent duntaxàt vna vice. Vacante autem Beneficio Commendæ, tenetur Commendatarius requirere Superiorem, & Monaſterium Calatrauæ, vt ei deſignetur Clericus Frater optans Beneficium, quem ipſe intra tres menſes debet præſentare Regi, ſeu Senatui Ordinum; Quòd ſi nullus acceptet Beneficium, poteſt præſentare Clericum ſæcularem. At, ſi non præſentet intra terminum præfixum, aut præſentatus non ſit idoneus, iure deuoluto pertinet ad Regem præſentare, dum tamen requirat Superiorem, & Monaſterium Calatrauæ, ſicut Commendatarius præſtare tenebatur. Præſentatus autem à Rege, ſeu à Senatu Ordinum, Rege ſubſcribente, (quod ſemper præſtatur circa horum omnium Ordinum Beneficia) remittitur ad Capellanum Regium ipſius Ordinis,qui illum examinet circa latinam linguam, peritiam cantus, & doctrinam requiſitam ad Sacramenta adminiſtranda, iudiciumque ſuum in ſcriptis Senatui ipſi referat, vt ei Beneficium conferatur, ſi approbetur. Ita in Definitionibus *tit.* 12. *cap. 6. & 7.* Cenſeo autem, hanc optionem Beneficiorum in Ordine Calatrauæ inductam,ſeu conſeruatam fuiſ-

ſe ex conſenſu Regio; aliàs præiudicium fieret Patronatui, & iuri præſentandi. De collatione autem dicendum eſt, quod præmiſimus *num. præcedent.* nempè ad Ordinem ſpectare.

5 In Ordine Alcantaræ Prior Monaſterij quotannis Regem, ſeu Senatum Ordinum informat de idoneitate Clericorum Fratrum, & Clericorum ſæcularium, qui ad Beneficia Ordinis reſpectiuè poſſuut aſſumi; Et commendatur vt expediens, ne alij, niſi qui in Collegio Alcantarenſi Salmantino verſati fuerint, ad Beneficia admittantur. Deſignata autem ſunt pro Clericis Fratribus Beneficia, & congrua, quæ ad minus ad quinquaginta mille teruntios perueniat. Ita in Definitionibus *tit.* 11. *ex cap.* 5. Statim ac vacat Beneficium, quamvis ob notorietatem non præfigantur edicta, fit Oppoſitorum ex ipſo Ordine concurſus ante Priorem Alcantaræ, qui eos examinat, & Senatum Ordinum informat de vniuſcuiuſque meritis, in qua informatione tenetur anteponere digniores, vt Senatus eos eligat, & titulum præſtet, Rege ſubſcribente. Collatio autem Beneficiorum, ſi ſit in territorio Alcantaræ, pertinet ad Epiſcopum Caurienſem, ratione Concordiæ,de qua egimus *diſquiſ.*7. Si verò Beneficium extet in quovis alio Ordinis territorio,ad ipſum ſpectat collatio.

Collatio autem Beneficiorum, quæ præſtantur Clericis ſæcularibus in Eccleſijs Ordinum,quæ extra eorum territoria ſunt, ad Epiſcopos diœceſum (ex priſtino Regum conſenſu, iuxta dicta *num.* 3.) pertinent, ab illiſque examinantur; niſi in territorio Alcantaræ, in quo Clerici ſæculares examini ſubduntur, ſicut de Clericis Fratribus diximus, & collatio ſolummodò ad Caurienſem Epiſcopum ſpectat,vt Concordiâ relata conſtat. 6

In Ordine D. Ioannis Hieroſolymitani, Priores, Caſtellanus Empoſtæ, Baiuliui, & Commendatarij habent ius præſentandi ad Beneficia ſuorum Prioratuum, ſeu Commendarum; (præter Beneficia, quæ ipſe magnus Magiſter confert.) Præſentatio autem fit coram Capitulo Prouinciali, ſeu Aſſemblea, à qua committitur examen præſentati alicui, vel aliquibus Viris docti, & præſtatur collatio. Semper autem præſentantur ad Beneficia Clerici Fratres ipſius Ordinis, aut alij, qui eo ipſo in Ordinem admittantur, præcedentibus Informationibus, & alijs requiſitis, vt *diſq.* 3. tetigimus. Sic extat in Statutis Ordinis *tit.* 14. §. 18. *cap.* 60. & *c.* 61. §. 1. 7

8 Iam verò examen eſſe prorsùs neceſſarium, vt quævis Beneficia in Prælatis Ordinibus conferantur, mihi eſt certo certius. Etenim in Tridentino, *ſeſſ. 24. cap. 18. de reform. & ſeſſ. 25. cap. 9. de reform. & ſeſſ. 7. cap. 13. de reformat.* repetito præcipitur, vt examinentur omnes, qui ad Beneficia Curata promouentur, ſiuè prouiſio pertineat ad Epiſcopum, ſiuè præſententur à quocumque; ſolúmque excipiuntur hi, qui ab Vniuerſitatibus, & Collegiis generalium ſtudiorum præſentantur; ſanè quia ſupponitur, præſentari manifeſtè, ac notoriè idoneos, ſeu eos de quibus in ipſis Vniuerſitatibus ſufficiens probatio, examenque eſt habitum. Et quidem Tridentinum cummendat ſtrictiſſimè id examen, injungitque idoneos eſſe repellendos; cum enim in Paſtores animarum conſtituantur, opus eſt, vt ea doctrina, & morum probitate ſint inſtructi, quæ ad tantum munus omninò exiguntur. Præterea, cum in Bulla incorporationis Magiſtratuum conceditur Regi, vt conferat omnia Beneficia Ordinum, aſſerit Pontifex, conferenda eſſe perſonis idoneis; idoneitas autem per examen conſtare debet. Et quidem qua conſcientiæ ſecuritate poſſit in Paſtorem animarum aſſumi is, de cuius ſcientia, & probitate non conſtat? An animarum regimen tumultuariè eſt commendandum, & animæ tradendæ alicui inſcio, aut moribus probis non prædito? Hoc eſſet lupis eas objicere, & abſque paſtore deſerere. Quin in Statutis Iacobæis injungitur, Beneficia eſſe conferenda dignioribus; Idem in aliis Ordinibus deſideratur. De qua videndus ſum ego *in ſtatera opinionum benignarum diſſert. 13. ex n. 258.*

9 Nec ſufficit, eos, qui ad Beneficia aſſumuntur, inſignitos eſſe Gradu Bacchalaureatus, Licentiatus, Doctoratus, aut Magiſterij in Theologia, vel in Iure. Primò, quia hi Gradus non ſufficiunt, quominùs quis debeat examinari, ad approbari, quamvis Regularis ſit, & audiendas Confeſſiones ſæcularium, iuxta Tridentinum *ſeſſ. 23. cap. 16. de reform.* ita vt gradus non excuſet ab examine ſubeundo, vt cum Tamburino, Lezana, Leandro de Sacramento, P. Suarez, Filiucio, & pluribus aliis docui *tom. in Bull. Cruciat. diſp. 22. ex cap. 2. & tom. de iure Academico lib. 2. quaſt. 7.* Nec opinio contraria defendi poteſt, cum deleta fuerit ex Summa Hieronymi Llamas iuſſu Tribunalis Sanctæ Fidei in Indice Expurgatorio *anni* 1640. Tunc ſic. Qui conſtituitur Parochus debet Confeſſiones ſæcularium audire, ergo debet examinari, & approbari.

Secundò, quia valdè frequenter poteſt contingere, quem eſſe Gradu inſignitum, maximè ſolius Bacchalaureatus, & non eſſe præditum eo genere diſciplinæ moralis, quæ ad Curam animarum requiritur, vnde opus eſt, vt examen fiat. Præterea Gradus non eſt probatio honeſtatis, & morum, qui, neceſſum eſt ad Parochi munus, vt ſint rectè compoſiti; adeò vt Farinacius *in Declarat. Trident. ad ſeſſ. 24. cap. 18. verbo, Majoribus, doctrina*, aſſerat; *Præferendus minùs doctus, modò idoneus, quando eius mores ſunt noti, & approbati, doctiori, cuius vita ignoratur*, Ibidem plures Declarationes, & Deciſiones affert, ex quibus conſtat præfati examinis omnimoda neceſſitas. Firmat idem Barboſa *de officiis Parochi cap. 2. num. 20.* referens Deciſionem Rotæ circa examen ad Beneficia Regularium. Idem *in Remiſſion. ad Trident. ſeſſ. 24. cap. 18.* affert Declarationem Cardinalium, ex qua conſtat, non ſufficere Gradum Doctoris, ſeu Magiſtri in Theologia, aut Iure Canonico, vt quis abſque examine obtineat Beneficium Parochiale. Tradit id ipſum, pluribus congeſtis, Don Ioannes de Solorzano *in Politica Indica lib. 4. cap. 17. ex pag. 650.* 10

Quin, etſi quis examinatus & approbatus ſit ab alio Ordinario, non poſſe ſubterfugere examen Ordinarij, in cuius Diœceſi, vel territorio ſitum eſt Beneficium, docet Farinacius *ſeſſ. 25. cap. 9. de reform. verbo, irrita ſit*; Quod eſt conſequens doctrinæ à me traditæ *loco relato in Bull. Cruciata*; nempè approbatum ab vno Ordinario, debere adhuc ab alio approbari, vt in eius Diœceſi Confeſſiones excipiat; de quo datur expreſſa Bulla Innocentij X. quam affert D. Didacus Frances Vrritigoyti *in Paſtorali Regularium*, & extat *in tom. vlt. Bullary nouiſſimi.* 11

Addendum eſt vlteriùs, eum, qui ab vno Beneficio promoueatur ad aliud, fore adhuc denuò examinandum; Ita deciſum eſt in Rota, vt affertur à Seraphino *tom. 2. deciſ. 1323.* Prodiit etiam Declaratio Cardinalium, quam referunt Farinacius, Marcilla, Gallemarcius *ad Trident. ſeſſ. 24. c. 18. de reform.* Docent Nicolaus Garcia *de Benefic. lib. 1. cap. 7. ex num. 1.* Nauarrus *de officio Ordin. conſil. 5.* Rebuffus *in tract. nomin. quaſt. 18.* Flaminius Pariſius *de reſignat. lib. 8. quaſt. 9. ex num. 77. & lib. 10. quaſt. 7.* Quaranta *in Bullar. pag. 93.* Lucarinus *acad. 2. obſeru. 1.* Don Ioannes de Solorzano *tom. 2.* 12

de

de Iure Indiarum, lib. 3. cap. 17. num. 3. & 32. & in Politica Indica lib. 4. cap. 17. pag. 652. Oldradus *conſil.* 18. Rogerius *quæſtionum diuerſar. quæſt. 2. pag.* 165. & plures alij; loquentes de promouendis ad Beneficia Parochialia, ſiue ſint Regulares, ſiuè Clerici ſæculares. Et quidem ſi Beneficium denuò conferendum exter in diuerſa diœceſi, ratio ſuader, debere conſtare ordinario, cui ſuas oues committat, ne temerè eas in diſpendium iactet. Si autem in ipſa diœceſi ſit Beneficium, in quo primum erat, adhuc examen prærequiritur; tum quia poreſt contingere, Beneficiatum aliis intentum, à libris deſtitiſſe, & ignauia, ac otio, ſeu ætate, & obliuione fuiſſe redditum ineptum, vt curam animarum exerceat, varia enim accidentia hinc indè ſuboriuntur, vt quis in deteriorem qualitatem ſcientiæ, & probitatis redigatur; nec id eſt infrequens, nec parùm dolēdum; Tum quia aliquando major ſcientia, doctrina, & dexteritas requiritur ad vnum Beneficium, quàm ad aliud; v. g. aptus poreſt quis cenſeri ad Curam animarum in oppido exiguo, ſeu ruſticorum, minori doctrina inſtructus, quàm neceſſaria eſt ad eandem curam in oppido frequenti, & mercimoniis pleno; atque adeò examen etiam ex hoc capite, neceſſe, vt adhibeatur.

13 Ex dictis infertur obligatio examinandi, & non quidem perfunctoriè, omnes Clericos Fratres quibus Beneficia Parochialia conferuntur, ſiuè gradu inſigniantur, ſiuè non; atque etiam, ſi ad Beneficium aliud promoueantur; Et repelli debent illi, qui inidonei fuerint iudicati; quamvis titulo antiquitatis aliundè ius ad Beneficia prætendant; Eatenùs enim antiquioribus ius optandi Beneficia Statuta, ac definitiones Ordinum poſſunt tribuere, quatenùs ſubſint examini, quod requiritur pro forma ad obtentionem Beneficiorum, & cæteris qualitatibus ſint præditi, quæ eos proximè habiles, & capaces reddant; ſupponitur enim capacitas, & habilitas, vt antiquitas, & præſentatio proſint, aliàs neutiquam profuturæ. Et quidem, ſi examen non ſupponeretur præuium, illę Definitiones eſſent Sacris Canonibus contrariæ, requirentibus examen; Quod dicendum non eſt, cum Capitula generalia poſſint quidem Statuta, & Definitiones edere, non verò aduerſantes Sacris Canonibus; vt in Bullis Pontificiis expreſſè cauetur. Cæterùm iam diximus, examen ex ſe pertinere ad ipſos Ordines, niſi Rex illud aliis committat, vel ex eius conſenſu ſuppoſito, ſeu præhabito ad aliqua Beneficia alij examinent.

Aduerte primò in præſenti, generaliter 14
loquendo, quādo quis reſignat Beneficium Parochiale in alium, ſi id impetretur, eſto non ſit neceſſarius concurſus, eſſe tamen opus examine eius, in cuius fauorem reſignantur; vrgent enim rationes iam traditæ, & firmat Farinacius in Declarat. ad Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 18. de reform. pag. 92. in fin.* Aduerte ſecundò cum eodem *pag. mihi* 93. in permutationibus Eccleſiarum Parochialium non requiri examen; niſi in duplici euentu; alius eſt, ſi permutantes non fuiſſent examinati tempore, quo Beneficia Parochialia obtinuerunt; alius eſt, ſi detur inæqualitas in numero Parochianorum; Quod prouenit ex libaris *ſuprà num.* 12. quia ad plures Parochianos, & diuerſa officia exercentes plus ſcientiæ, prudentiæ, ac dexteritatis exigitur, quàm ad pauciores, nec officiis, mercibus, aut adminiſtrationibus illaqueatos. In Ordinibus Militaribus reſignatio, & permutatio Beneficiorum fit apud Senatum Ordinum abſque conſenſu Epiſcoporum, quamvis Eccleſiæ ſint materialiter in ipſorum diœceſi. Etenim hi non habent Beneficiorum deſtitutionem circa perſonas exemptas, ſed earum Superior; & aliundè Beneficia Regularia ſunt amouibilia ad nutum Prælati, vnde ipſi incumbit, reſignationes, & permutationes admittere. Aduerte tertiò, non debere obſeruari formam examinis ad Beneficia Regularia, quæ præſcripta eſt ad examen Beneficiorum ſæcularium, nempè quòd ſaltem tres Examinatores aſſiſtant, & illi quidem in Synodo diœceſena deſignari; Quare vnus ſufficiet Examinaror ad Beneficia Regularia; ſatis autem expedit, plures adeſſe, vt plenior cognitio habeatur. Eam autem examinis formam non eſſe neceſſariam, conſtat tum ex praxi, tum ex Deciſionibus, ac Declarationibus allatis à Barboſa, & Farinacio *locis ſuprà latis.*

QVÆSTIO II.

An Beneficia Ordinum Militarium ſint amouibilia ad nutum?

RESpondeo affirmatiuè contra Ema- 15
nuëlem Rodriguez *tom. 1. qq. Regul. q. 34. art. 2. in fin.* Etenim omnia Beneficia Regularia ſunt amouibilia ad nutum Superiorum, vt conſtat *ex cap. cum ad*

Monaſterium, *Gratelos*, *de ſtatu Monachor. Clementin.* 1. *de ſupplenda neglig. Prælator.* Videantur Gonzalez *ad reg.* 8. *Cancell. gloſſ.* 5. §. 6. *num.* 6. P. Azor *tom.* 2. *inſt. mor. lib.* 3. *cap.* 26. *q.* 2. P. Tom Sanchez. *in ſumm. lib.* 7. *de relig. cap.* 29. *ex num.* 110. P. Leſſius *de iuſt. lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 12. *num.* 98. Extatque Bulla Pij V. id declarantis. Quod etiam probatur ex Bullis, in quibus Pontifices conceſſerunt Magiſtris Ordinum, vt ea Beneficia Clericis Fratribus largirentur.. Ita conſtat ex Bulla Iulij II. expedita anno 1508. reſpectu Calatrauenſium. Et ex Bulla Innocentij VIII. anno 1486. quæ incipit, *Sollicitudo Paſtoralis*; In qua proponit petitionem Magiſtri Ordinis, nempè; *Cum ſint nonnullæ Parochiales Eccleſiæ eidem Militiæ ſubiectæ, quæ per presbyteros ſeculares conductitios, & ad nutum Præceptorum Præceptoriarum, in quibus dictæ Eccleſiæ conſiſtunt, amouibiles, gubernari conſueuerunt, ſi Eccleſiæ ipſæ deinceps etiam per Fratres dictæ Militiæ in Presbyteratus Ordine conſtitutos, pari modo ab eis amouibiles, gubernarentur, &c.* Cui petitioni annuit Pontifex.

16 Notaueris tamen obiter, ea Beneficia fuiſſe propria Ordinis indeque ſolita fuiſſe conferri Presbyteris ſæcularibus, qui ad nutum erant amouibiles; Quare videbatur, non fuiſſe opus indulto Pontificio, vt conferrentur Clericis Fratribus; Verũ quia tũc Clerici Fratres vt plurimum intra monaſteria verſabantur ex Inſtituto, & ſtylo Ordinis ſolumque vnus aut alter extra Clauſtra in Eccleſijs Ordinis verſabatur; hinc à Pontifice exoratum eſt, vt poſſent plures extra Clauſtra in Beneficijs degere; idque etiam intentum fuit per eiuſmodi indultum, vt ius Ordinis erga Beneficia ampliùs firmaretur. Cæterùm ab initio ipſius Ordinis Alcantaræ iam Clerici Fratres Beneficia cum animarum Cura obtinebant; nempè Prior de Alcantara, qui ſimul regebat Parochiam Sanctæ Mariæ de Almocouar: & Priores del Pereyro, de Santiuañez, de Valencia, & Magacela, quos dari anno 1224. legi in Inſtrumento D. Garſiæ Fernandez, Septimi Magiſtri eius Ordinis.

17 Redeo ad concluſionem. Sanè, cum Clerici Fratres ea Beneficia obtinentes ſint ſtrictè Religioſi, ad nutum Superiorum; iuxta Regulam, Statuta, & Definitiones debent gubernari; ac ſi expediat, vel ob ingens Ordinis commodum, vel ob ipſorum culpas, ſufficientes iuxta ipſa Statuta, & Definitiones, par eſt, vt poſsint à Beneficijs amoueri, vt ſic Obedientiæ Voto debitè fiat ſatis. Dices. Hæc Beneficia ſunt collatiua, ergo non amouibilia. Sciendum quidem eſt, ea non fuiſſe collatiua, quod ſatis cernitur in verbis Bullæ adductis *numer. præcedent.* ſed ab ipſis Ordinibus reddita fuiſſe collatiua. Tunc autem Beneficia collatiua non ſunt amouibilia, cum duo concurrunt, nempè collationem ab Epiſcopis, aut ſimilibus præſtari: Et Beneficiarios remanere ipſis ſubiectos. Quando autem ſecùs contingit, poſſunt Beneficia remanere amouibilia; vt docet P. Leſsius *de iuſt. lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 12. *num.* 98. *in fin.* Clerici autem Fratres, quamvis aliquorum Beneficiorum collatio eis præſtetur ab Epiſcopis, eis non remanent vllo modo nec ratione officij, nec Beneficij ſubiecti. Rursùs Beneficium eſſe amouibile, aut perpetuum, eſt quid de Iure poſitiuo; Conſtat autem ex prædictis Bullis, Pontifices conſtituiſſe, aut confirmaſſe ea Beneficia amouibilia. Demum conſuetudo legitimè præſcripta facit Ius; Certum eſt autem, quadraginta, & multò pluribus annis hunc morem in Ordinibus Militaribus, nullo reclamante, inualuiſſe, vt Beneficia ſint amouibilia, & aliquando nonnullos fuiſſe amotos à Beneficijs; quod tamen non niſi rarò præſtari debet; & cauſis concurrentibus, quæ vel in Ordinum ingentem vtilitatem cedant; vel indignos Beneficijs Clericos Fratres conuincant.

Quare Beneficia eſſe ad nutum amo- 18
uibilia in his Ordinibus, non eſt, pro ſolo nutu Adminiſtratoris perpetui Regis noſtri, Capituli, aut Senatus, poſſe ea amoueri; id enim non æquitati, aut rationi conſonum; nec quid fixum Clerici Fratres haberent; quod adhuc timendum foret, in præiudicium animarum vergere, ſi Parochi timentes, ſe facilè, & pro nudo nutu poſſe remoueri, perfunctoriè eis inuigilarent; & aliundè ipſi honoris paterentur detrimentum, cum cenſeri poſſet, ipſos cauſam dediſſe amotioni. Videatur Dominus Don Ioannes de Solorzano *In Politica Indiarum libr.* 4. *capit.* 15. *folio* 628. Quare requiritur cauſa iuſta, & rationabilis, inſpectis Statutis, & Definitionibus Ordinum; & tunc ea cauſa præualet detrimento amotionis. Id confirmatur à paritatibus; Nam Commendæ (quæ ab aliquibus cenſentur Beneficia Eccleſiaſtica, ſaltem latè, & ſic nuncupantur in Definitionibus Calatrauæ *c.* 10. *pagin.* 49.) nequeunt tolli à Commendatarijs, niſi præcedant cauſæ ſufficientes iuxta Ordinum ſanctiones. Nec in Reli-

gionibus

gionibus ſacris Prælaturæ inferiores poſſunt pro nutu Superiorum tolli, niſi dentur; cauſæ in Conſtitutionibus expreſſæ, aut inſinuatæ.

QVÆSTIO III.

An Fratres Clerici Ordinum Militarium poſſint obtinere quaſvis Capellanias in Eccleſiis ſui territorij ſitas, etiam ſolitas obtineri à Clericis ſæcularibus.

§. I.

Deciditur quæſtio.

19 PLures ſunt Eccleſiæ ſitæ in Territoriis Ordinum Militarium, & extra illa, ſubjectæ Prælatis eorundem Ordinum, in quibus extant aliquæ Capellaniæ vel à priſcis temporibus erectæ, vel noſtris ſæculis ſtabilitæ, quæ vel iure ſanguinis conferuntur his, qui ab hac, aut illa familia, & propagine deſcendunt; vel obtinentur per præſentationem illius, qui habet ius præſentandi, vel demùm conferri ſolent Clericis ſæcularibus à Prælatis ipſorum Ordinum. Quærimus ergo, an Fratres Militiarum; abſque vlla diſpenſatione Pontificia, capaces ſint, vt iure ſanguinis obtineant eas Capellanias vel præſentationem, vel demùm Prælati poſſint eas ipſis conferre, quantumvis ſæculares Clerici ſoleant eas obtinere, eo quòd iure ſanguinis ad eos pertinuerint, aut præſentati fuerint ad ipſas, vel electi, & nominati ab eiuſmodi Prælatis; ita vt, ſi Fratres prædicti quoquomodo ex præfatis eas Capellanias nanciſcantur, nequeat à Clericis ſæcularibus reclamari, eo quòd ab ipſis hactenùs fuerint obtentæ?

20 Iam din ventilata fuit hæc quæſtio, & cum de ea conſulerentur anno 1617. Viri ſapientiſſimi; parti affirmatiuæ ſubſcripſerunt, eorumque cenſuram mihi videre licuit. Ab illa ſteterunt Salmanticæ Doctor Marcus Diez egregius Iuriſconſultus, necnon omni literatura inſignis, Dom. D. Petrus de Vega, & Illuſt. Dom. D. Martinus de Bonilla, poſt primariam Iuris Canonici Cathedram, à Regis noſtri Conſiliis, in ſupremo Caſtellæ Senatus, nunc Epiſcopus Abulenſis. Et in vrbe Ciuitatenſi Doctor Ioannes Gutierrez, ob ſuas Canonicas quæſtiones celeberrimus. Hæc pars eſt omninò vera, & tenenda, quam operæpretium erit, firmiter exornare, & comprobare; Eamque tenet Rodriguez *tom. 1. qq. Reg. q. 34. art. 3.*

Etenim omnes Eccleſiæ ſitæ intra terri- 21
torium proprium Ordinum Militarium, ſunt ipſis ſubjectæ, atque adeò ſunt Regulares, & omnia Beneficia, ac Capellaniæ in eis ſitæ pariter ſunt Regulares, indeque eiſdem Clericis Fratribus Regularibus poſſunt conferri. Sicut enim rectè Epiſcopi ſuum ius, ac intentionem fundant, & ſtabiliunt in eo, quòd Eccleſiæ ſint intra ſuum territorium extructæ, ad hoc vt eis ſubjiciantur, & præſumantur ſæculares; *cap. omnes Baſilicæ 16. q. 2. cum aliis*; ita ius Ordinum Militarium rectè fundatur in continentia Eccleſiarum in proprio territorio. Quæ doctrina traditur ab Archidiacono, & pluribus DD. *in cap. 1. ne Clerici, vel Monachi*; Rebuffo *in praxi, tit. quotuplex beneficium, num. 6.* Maſcard. 1. *tom. concluſ. 172. num. 17.* Emanuële Rodriguez 1. *tom. qq. regular. q. 34.* Zeuallos *quæſt. 281. num. 12.* Hoieda *de incompatib. benefic. in præf. num. 6.* Lambert. *lib. 1. prim. gloſ. quæſt. 11. art. 3. num. 5.* Gonzalez *ad reg. 8. Cancellar. gloſſ. 7. num. 2.* Nicol. Garcia *de benef. 1. part. cap. 2. num. 67. §. 1.* Et firmatur *ex leg. 25. tit. 7. partit. 1.* ibi; *Mas ſi las Igleſias fueſen quietamente de los Monaſterios con todos ſus derechos, bien los pueden poner ſus Mayorales ſin otorgamiento de los Obiſpos; y los Monges, que desta manera fueſen pueſtos en las Igleſias Parroquiales, pueden predicar en ellas, y bautizar, y facer todas las otras coſas, que pueden fazer los otros Clerigos de Miſſa ſeglares en las Igleſias, que tienen.*

Cæterùm territoria propria, ſeu Eccle- 22
ſiæ Ordinibus Militaribus, eorumque Prælatis conceſſæ ſunt à Regibus, vt conſtat ex donationibus ab eiſdem factis, quarum Inſtrumenta in Conuentibus Militaribus aſſeruantur, & earum frequens fit mentio ab Authoribus, qui eiuſmodi Ordinum inſtitutionem, & progreſſum ſcripsêre; quod, vt certiſſimum, in præſenti eſt ſupponendum; ſicut etiam quoad ſpiritualia, eadem territoria, ſeu Eccleſiæ conceſſæ ſunt Ordinibus à Pontificibus.

Deindè Rex, vt Adminiſtrator perpe- 23
tuus Ordinum Militarium, eſt Patronus omnium Beneficiorum, & Capellaniarum, quæ in Eccleſiis eorundem ſunt dotatæ; nec vllæ dotari poſſunt, inuitato Patrono, vt ex Iure eſt conſtans. Etenim ratione ſoli, & extructionis Eccleſiæ ius patronatus acquiritur, iuxta *l. 1. tit. 15. partit. 1.* & cum territorium ſit Regis, quatenus domini, &

Adminiſtratoris, ac conceſſum ipſis Ordi-
dinibus, qui & Eccleſias plures ædifica-
runt, & ipſis incumbit earum reſtaurario,
& reædificatio, ſimulque eas viſitant, & gu-
bernant, fit, vt penes Regem, & Ordines
ſit Patronatus earum, neque quidquam tol-
lat, quominùs Capellanias poſſint ſuis Fra-
rribus conferre, ſicut lites ſuper ipſis exor-
ras valent decidere. Et quidem omnes Ca-
pellaniæ includuntur, ac continentur ſub
Eccleſiis præcipuis Ordinum, vt ſub Ma-
tticibus, quare earum naturam ſequi de-
bent, & regulares cenſeri; indeque non
ſunt iudicandi, vt extranei, ac incapaces
illarum Clerici Fratres Miliriarum. Videa-
tur Gonzalez *vbi ſuprà gloſ.* 10. *à num.* 10.
Magiſtrum autem, ſeu Regem, vt Admini-
ſtratorem, eſſe Patronum Eccleſiaſticum
ėiuſmodi Eccleſiarum cum iure præſen-
tandi, conſtat ex Bulla Martini V. quæ ex-
tat in Bullario Alcantaræ, *pag.*44. Eccleſias
autem proprias Ordinum eſſe, & contineri
ſub Eccleſiis Monaſteriorum, quæ ſunr
Marrices, liquèt ex Bulla Innocentij III.
expedita anno 1214. confirmantis denuò
Ordinem Calatrauæ; ac ex Bulla Gregorij
IX. circa Ordinem de Alcantara, quæ ex-
tat in Bullario *pag.*21. Et ex Definitioni-
bus huius Ordinis *tit.* 5. *c.* 38. *& titul.* 11.
*c.*19. Er ex Bulla Confirmationis Ordinis
D. Iacobi.

24 Rursùs, Capellanias fundatas in Eccleſiis
regularibus eſſe regulares, ſtabilitum fuit
in Rota deciſ. 15. *ſub tit. de iur.patr.* Quod
à paritate roboratur; nam de iure commu-
ni Eccleſiæ ſitæ intra limites alicuius Paro-
chiæ, Matricis, aur diœceſis, ſemper eis
cenſentur ſubiectæ; iuxta *c.* 2. *de Capell.*
monach. c.conſtitutus, de religioſis domib. Ma-
ximè cum præfatæ Eccleſiæ incluſæ ſub
Matrice regulari ſint acceſſoriæ, & ſequan-
rur naturam principalis; *leg. principalis, ff.*
de reg. iur. regula, acceſſorium, eodem tit. lib.
6. Er huius doctrinæ fundamentum opti-
mum deſumitur, *ex cap. ſuper, de prabend.*
lib.6. vbi gloſſa, verbo, obuiet. Ex cap. cum ſin-
gula 32. *capit. quia ſæpè, iuncta gloſſa, verbo,*
annexa, eodem titulo. & cap. cum ſuper eo, de
paroch. Docent Citadinis *de iure patronat.* 3.
*part. num.*79. Surdus *conſil.*188. *lib.*1. *n.*16.
& alij plures. Vnde communiter traditur,
non eſſe gratiam ſubreptitiam, ſi quis im-
petret Beneficium, nulla facta mentione
alterius ei annexi, qnia hoc ſequitur illius
naturam, & ſub illo expreſſum iudicatur.

Idipſum firmius redditur ex Concilio
Trident. *ſeſſ.*25. *cap.*9. *de reformat.* vbi Be-
neficia, quæ aliis vniuntur, eiuſdem naturæ
fieri, & ſub eodem iure patronatus conſti-
tui, ſtatuitur. Et *in leg.*4. *tit.*12. *partit.* 1.
aſſeritur de his; *Ca eſtonce aquella, que es*
ſometida à la otra, debe viuir ſola regla de
aquella, à que ſe ſomete, y vſar de los priuile-
gios della. E ſegun eſto dyeron los Santos Pa-
dres, que la vna Igleſia cuelga de la otra. Vi-
deantur Ferretus *conſil.* 236. *n.*1. Anchar-
ran. *conſil.* 114. *n.*2.

Adhuc confirmatur; nam membra de- 25
bent ſuo capiti conformari, nec decet, ab
eo diſiungi; cum autem Eccleſia matrix ſit
naturæ regularis, & caput, conſequens eſt,
vt Capellaniæ, quæ ſunt membra, cum illa
conformentur, nec diuerſam ſubeant na-
turam; Quod deſumitur *ex c.non decet*, 12.
diſtinct. c.celebritatem 3. *diſt. c.miramur* 61.
diſt. vbi ea conformitas commendatur. Ita-
que ratione annexionis, acceſſorij, & con-
iunctionis Capellaniæ fiunt Regulares, ſeu
naturam ſortiuntur regularium; atque
etiam ratione continentiæ; nam conten-
tum ſequitur naturam continentis, iuxta
leg. at teſtium, §.fin. ff. de teſtament. leg. adeò,
§.inſula, ff. de acquir. rer. domin. Capellaniæ
autem ſub Eccleſiis continentur, hincque
fiunt regulares iuxta Eccleſiarum naturam.
Cui rationi fauent *Deciſio Rota* 15. *&* 16. *de*
Iur. patronat. Cabedo *de patronatu Regio*,
*capit.*2. *num.*2. cum aliis. Idque poſſet robo-
rari pluribus paritatibus deſumptis ex Iure
Ciuili, & Canonico, à quibus ſuperſedeo,
ne rem protrahamus.

Sanè, quæ religioſis adhærent, religio- 26
ſa eſſe, decernitur *in l. qua religioſis* 43. *ff.*
de rei vindic. vnde cum hæ Capellaniæ ad-
hæreant Religioſis Ordinibus, & Regula-
ribus Eccleſiis, erunt etiam Regulares, &
valebunt Regularibus concedi; vtpotè ca-
pacibus obtinendi abſque vlla diſpenſatio-
ne Beneficia Regularia ipſorum Ordinum.
Prætereà magis dignum trahit ad ſe minùs
dignum, iuxta *leg. iuſtiſſimè, ff. de Ædilitio*
edict. §.ſi quis in aliena tabula, inſtit. de re-
rum diuiſ. cap. quod in dubiis, de conſecr. Ec-
cleſ. vel altar. cum autem Eccleſia matrix
ſit dignior, & maiori prærogatiua gaudeat,
quàm Capellaniæ ſitæ in ipſa, fit, vt illa
has ad ſe, & ad ſuam naturam trahat; ſicut
Eccleſia ſæcularis vnita Regulari fit Regu-
laris iuxta *deciſ.*10. *antiquam Rota, de Rebus*
Eccl. non alien.

Cæterùm ex ſe etiam apparet abſurdum, 27
in Eccleſiis ſubiectis Ordini Militari, eiuſ-
que Adminiſtratori, fundari Capellanias,
& excludi ab eis Clericos Fratres ipſius
Ordinis; quin potiùs illicò ac fundatæ
ſunt, ſubierunt leges, & naturam eiuſmodi
Eccleſiarum. Quò facit Deciſio Rotæ alla-
ta à Nicolao Garcia *de Benef.*1. *p.c.*2. *n.*67.

ſic aſſerens; *Et ad probandum, quòd ſit Regulare, ſufficit, quòd ſit fundatum in Eccleſia Monachali, cum aliàs ibi ſæcularis eſſe non poſſit.* Quid clarius? Et quidem Fundator Capellaniæ cenſetur ſe velle conformare naturæ ipſius Eccleſiæ, in qua eam erigit; ſicut teſtator præſumitur voluiſſe ſe conformare cum Statuto Ciuitatis, vt docet Bartolus, & cum eo communior ſententia *in leg. nemo poteſt, ff. ad Trebell.*

28 Vrgetur amplius. Si Beneficium regulare Parochiale eſſet tenue, poſſet ei annecti Beneficium ſimplex, iuxta Tridentinum, ſitum in eadem Eccleſia; ergo tunc poſſet ei annecti Beneficium intra ipſam erectum, quamvis aliundè Clerici ſæculares ſoliti eſſent illud obtinere; igitur etiam ſi non fiat annexio, poterit illud Beneficium conferri Clerico Fratri Ordinis, ſive Regulari, ſi quidem primus caſus oſtendit, eum eſſe capacem obtinendi hoc Beneficium, idque ſequi naturam Beneficij Parochialis. Imò de facto Capellanias à ſæcularibus olim habitas, annexas fuiſſe Prioratibus, aut ſimilibus Beneficiis Ordinum Militarium, conſtat ex eorum Capitulis Generalibus, & Definitionibus. Nam quòd Clerici ſæculares Beneficia eiuſmodi, aut Capellanias poſſederint, solùm euincit, fuiſſe id permiſſum à Prælatis Ordinum Militarium.

§. II.

Stabilitur ampliùs, poſſe Clericos Fratres Ordinum Militarium habere quaſvis Capellanias in Eccleſiis eorundem Ordinum erectas.

29 Itidem ſtabilitur aſſertio noſtra. Quippè à Fundatoribus prædictarum Capellarum non excluduntur Clerici Fratres Militiarum; quin potiùs, cum in ipſorum Eccleſiis eas erexerint, videntur annuiſſe, vt illi eas poſſent obtinere; maximè cum non poſſint in his Eccleſiis erigi Capellaniæ abſque facultate ipſorum Ordinum, quam non eſſe concedendam cum excluſione Clericorum Fratrum, Fundatoribus debet eſſe compertum. Cum igitur nec excludantur hi Fratres Clerici, nec prohibitum alicubi eis ſit, præfatas Capellanias vel iure ſanguinis, vel per præſentationem obtinere, fit, vt id ipſis liceat; nam regulariter quod non reperitur prohibitum, cenſetur permiſſum; iuxta *leg. in tantum 8. ff. de rer. diuiſ. vbi Gloſſa verbo, reſcripſerunt; leg. ad ſtatuas, ff. de religioſ. & ſumpt. funer. leg. nec non, §. quod eis, ff. ex quibus cauſ. maior. cap. cum ordinem, de reſcript. cap. tum apud, de ſponſal. cap. pia mentis, 10. quæſt. 2.* Imò omnia Monacho ſunt permiſſa, quæ prohibita non inueniuntur in regula; *cap. ſunt nonnulli, 10. quæſt. 1.* & docent Cardinal. *in Clement. 2. §. 1. de ſtat. Monach.* Bertachin. *verbo, Monachus 1. num. 10.* Felinus *in cap. in noſtra, de reſcript. n. 46.*

Vt autem inhabiles cenſerentur ad eas Capellanias Clerici Fratres Militiarum, prohibitio deberet probari; nam qui aliquem inhabilem dicit, etiam in Beneficiis obtinendis; debet eius inhabilitatem probare in ſpecie, & priuatiuè; vt tradunt Menoch. *lib. 2. præſump. 10. n. 26.* Maſcard. *2. tom. concl. 666. n. 8.* Faciliùs autem probari poſſet, Clericos ſæculares eſſe incapaces obtinendi eas Capellanias, cum ſitæ ſint in Eccleſiis Regularibus ſubiectis Ordini Militari, quàm Clericos Fratres Militiarum eſſe incapaces. 30

Ipſi ſanè Ordines Militares in ea ſemper mente fuerunt, vt iudicarent, ad ſe pertinere omnia Beneficia, & Capellanias ſitas in ſuis Eccleſiis. Audi, vt alia omittam, verba *ex cap. 15. & 19. ſub Rubrica de los Arcipreſtazgos, y Beneficios, in Definitionibus Ordinis de Alcantara.* ibi; *La prouiſion de los Beneficios Curados, y ſimples ſeruideros de las villas, y lugares de nueſtra Orden ſea à prouiſion del ſeñor Maeſtre.* Et ibi; *Por parte de los Concejos de las villas, y lugares de nueſtra Orden fue hecha relacion, que muchos Clerigos de la Orden de S. Pedro, que reſiden en ellos, no han querido, ni quieren ayudar à los Curas, y Rectores de las tales villas, y lugares à las Viſperas, y Miſſa que ſe dicen los dias de Fieſta en las Igleſias Parroquiales; y pues las Igleſias ſon de nueſtra Orden, y ninguna perſona puede en ellas decir Miſſa ſin licencia del ſeñor Maeſtre, ò del Beneficiado della, y que ſe les ha permitido, y tolerado de gozar de pitanzas, y Capellanias, que en las tales Igleſias eſtan dotadas, perteneciendo todo à nueſtra Orden.* Ecce, quòd Clerici ſæculares obtinuerint Capellanias in Eccleſiis Militiarum, fuit permiſſio Prælatorum, & illæ ad Ordines ipſos omnino ſpectant. Definitiones autem præfatæ à Sede Apoſtolica approbationem habent. 31

In primis verò verbis, vbi aſſeritur, omnia Beneficia ad Ordinem ipſum pertinere, etiam includuntur Capellaniæ, tum ex identitate rationis, tum quia nomine Beneficij etiam Capellania comprehenditur, vt conſtat *ex cap. 1. & toto tit. de Capell. Monachor.* & aduertunt Rebuffus *in praxi, ſuper reg. de infirm. reſignant. gloſſ. 1. verbo, aliquod Beneficium.* Zeuallos *quæſt. 693. num. 19.* 32

num. 19. Garcia *de benefic.* 1. *part. cap.* 6. *à num.* 37. Quin ſi ad Capellaniam vocentur conſanguinei, præferendus videtur, cæteris paribus, Frater Militaris Clerico ſæculari; cum natura Capellaniæ regularis, & in Eccleſia ſubiecta Ordini ſita, potius ius ei tribuat, quàm alteri, iuxta dicta, & dicenda. Et ſanè plurimi ex Ordinibus Militaribus prædictis Capellaniis potiuntur; atque in litibus, quæ ſuper his fuerunt exortæ, ſemper victores euaſerunt. Quare noſtra controuerſia ſolùm tendit, vt conſtet de iure, quo res fuit iam iudicata.

33 Et certè Fratres Clerici Militiarum, qui in ſuis Eccleſiis ſunt Parochi, acquirunt diſtributiones pro Anniuerſariis ibi fundatis à ſæcularibus, quare ergo, ſicut has poſſunt percipere, non poterunt & Capellanias? Et cum valeant Beneficia Curata obtinere, cur non valeant ſimplicia? cum difficilius ſit ad illa, quàm ad hæc promoueri, vt tradit Pariſius Flaminius *de reſignat. Benef. lib.* 4. *q.* 11, *n.* 46.

34 Imò ſi concederemus, ea Beneficia eſſe ſæcularia, non eſt, cur excludantur prædicti Fratres ab illis; nam ſi ſæculares Clerici ſunt capaces beneficiorum regularium, cur illi ſint incapaces ſæcularium, quæ in ſuis Eccleſiis ſunt erecta? Nec inhabiles ad ea ſunt cenſendi, argumento deſumpto ex Concil. Tridentin. *ſeſſ.* 14. *cap.* 11. *de reformat.* Vbi loquens de Religioſo tranſlato de vno Ordine ad alium inquit; *At taliter translatus, etiam ſi Canonicorum regularium fuerit, ad Beneficia ſacularia, etiam Curata, omnino incapax exiſtat.* Ecce in pœnam ſtatuit incapacitatem ad beneficia ſæcularia; ergo iure communi illi Canonici regulares capaces forent eiuſmodi Beneficiorum; aliàs non eſſet pœna illa incapacitas. Quare ſolùm poſſet contendi, Regulares eſſe incapaces Beneficiorum ſæcularium, quæ in Eccleſiis ſæcularibus ſita ſint, non verò eorum, quæ in Eccleſiis Regularibus, vt expreſsè docet Lambertinus *lib.* 2. 1. *part. quaſt.* 2. *in reſolut. concluſ. fol.* 63.

35 Hic aduerte, poſſe hæc Beneficia conferri Clericis Fratribus Nouitiis, qui non tenentur eis renunciare, cum Profeſſionem emittunt, ſicut aliis Beneficiis, quæ ſunt ſæcularia ex ſua natura. Etenim ſi poſſunt, vt oſtendimus, Profeſſi hæc Beneficia, & Capellanias, vtpote ex natura ſua regulares, obtinere, quare dùm Profeſſionem emittunt, teneantur eis renunciare, cum non debeant renunciare, niſi his, quæ ſunt incompatibilia cum ſtatu Religioſo? Hinc in Monaſterio S. Marci Legionenſis Nouitio Fratri contulit Capellaniam Prior, quæ ad ipſum iure deuolta conferenda ſpectauit, & eam retinens Frater Clericus Profeſſionem emiſit; ac rectè id fuit peractum.

§. III.

Diluuntur argumenta contendentia, non poſſe Clericos Fratres Militiarum obtinere in ſuis Eccleſiis Capellanias fundatas à ſacularibus, iure ſanguinis, aut per præſentationem.

ARguitur primò ex quadam Declaratione Congregationis Concilij Tridentini adducta a Proſpero Fa inacio, quæ ſic ait. *Congregatio Concilij cenſuit, Milites Regulares Militia Sancti Iacobi de Spatha, aliosque huiuſmodi non emittentes omnia tria vota ſubſtantialia, videlicet Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientia, non eſſe incapaces Beneficiorum ſacularium ſiue ſimplicium, ſiue Curatorum, neque etiam Penſionum.* Sed Clerici Fratres Militiarùm emittunt ea vota ſubſtantialia, ergo à contrario ſenſu ſunt incapaces Beneficiorum ſæcularium. 36

Reſpondeo primò, Beneficia omnia ſita in Eccleſiis Militiarum non eſſe ſæcularia, ſed regularia, ac propterea hanc declarationem noſtræ aſſertioni non obſtare. Reſpondeo ſecundò, non obſtare etiamſi daremus, aliqua Beneficia erecta in eis Eccleſiis eſſe ſæcularia. Etenim ea Congregationis declaratio loquitur de Equitibus Militaribus, non de Fratribus Regularibus; & non agit de beneficiis ſæcularibus ſitis in Eccleſiis Militiarum, ſed de beneficiis ſitis in quibuſvis Eccleſiis ſæcularibus, quæ, declarat, poſſe ab eis obtineri; ſicut de facto obtinentur; hæc autem non poſſe obtineri à Fratribus Militiarum, noſtro aſſerto non contradicit, cum nos loquamur de beneficiis, quæ extant in Eccleſiis Regularibus Ordinum Militarium. Ex eis autem Congregationis verbis ſolùm poteſt inferri, quod nos non inficiamur in hoc aſſerto. 37

Quòd autem ſermo ſit de Equitibus, conſtat ex eis verbis *Milites Regulares*; nam nomen Militum Clericis Fratribus non competit. Conſtat præterea, quia Fratres Clerici emittunt tria vota ſubſtantialia, & ibi aſſeritur, Milites non emittere votum Caſtitatis perfectum, & abſolutum; cum tamen emittant votum Caſtitatis coniugalis, & quia hoc, & cætera vota cenſentur à pluribus eſſe ſufficientia, vt ſint Regulares ſtrictè hi Equites, & nomine Regularium ipſa Congregatio eos nuncupat, 38

inde

inde exortum fuit dubium, an cum eſſent Milites Regulares, poſſent obtinere beneficia ſæcularia in quibuſvis Eccleſiis; aliter non extitiſſet anſa dubitandi.

39 Arguitur ſecundo. Religioſi nequeunt obtinere beneficia ſæcularia, neque capaces ſunt acquirendi fructus, cum Monaſterio acquirant, quidquid acquirunt, iuxta *Authen. Ingreſſi, C. de ſacroſanct. Eccl.* & ratione voti Paupertatis nequeunt dominio fructuum potiri; ergo Clerici Fratres Militiarum incapaces ſunt eiuſmodi beneficiorum, cum ſtrictè ſint Religioſi. Confirmatur; nam per Profeſſionem Religioſi vacat beneficium obtentum, iuxta *cap. Beneficium, de regular. lib.6.* Ergo à fortiori nequit illud obtinere.

40 Reſpondeo, beneficia, & Capellanias, de quibus eſt noſtra quæſtio, non eſſe ſæculares, vt probauimus. Et præterea Regi conceſſum eſſe ab Innocentio VIII. vt omnia beneficia ſita in Eccleſiis Ordinum Militarium poſſit conferre ſiue Fratribus Regularibus eorundem Ordinum; ſiuè aliis. Vnde confirmatio ruit, cum non ſint incapaces obtinendi ea beneficia, eſtò, ſi ante Profeſſionem obtinuiſſent aliquod beneficium ſæculare in eccleſia ſæculari, illud vacaret. Et cum voto Paupertatis ſtat, quòd poſſint percipere, & adminiſtrare fructus eo modo, quo aſſeruimus *diſq.* 4. de voto Paupertatis agentes. Cæterùm hæc aduerſantium ratio multum probat, atque adeò nihil, cum ſuadeat, Clericos Fratres Militiarum non poſſe habere beneficia Curata ſuorum Ordinum. Atque eſt obſeruandum in præſenti, Clericos Fratres Militiarum non fore eo ſtrictò iure metiendos, quo cæteri Religioſi, circa quos reperiuntur in Iure Canonico plures diſpoſitiones. Hi enim intra Clauſtra Monaſterij debent degere; illi queunt extra illa in ſuis beneficiis reſidere. Hi ratione prædicationis, & adminiſtrationis Sacramentorum dumtaxat ad beneficia Regularia admittuntur; illi tum ob eam rationem, tum quia Rex ex conceſſione Pontificia poteſt eis conferre omnia beneficia Ordinum Militarium; etiam illa, quibus non eſt annexa Prædicatiò, & Sacramentorum adminiſtratio. Alia diſcrimina dantur, quibus argumenta contraria infringuntur.

41 Arguitur tertiò. Beneficium ex primæva ſui inſtitutione præſumitur ſæculare; ergo ſæcularibus eſt concedendum, iuxta *cap. cum de beneficio, de præbend. lib.6. cap.2. de ſtat. monach. cap. in noua actione*, 16. *quaſt.*1. Confirmatur primò; nam vt beneficium fiat de ſæculari regulare, requiritur præſcriptio quadraginta annorum, quæ tamen non datur. Confirmatur ſecundò ex Motu proprio Pij V. expedito anno 1568. In quo ait; *Sed nec vlli Milites, aut Fratres, etiam ſimplices Clerici, vel Presbyteri, prætextu huiuſmodi diſpenſationum, & gratiarum, aliqua ſimplicia, aut alia Beneficia Eccleſiaſtica ſæcularia, aut aliorum Ordinum regularia, etiam nullum omnino onus, aut ſeruitium habentia, vt præſtimonia, deinceps recipere, & retinere poſſint.*

Reſpondeo, præſumptionem ceſſare, cum Beneficium ſitum eſt intra Eccleſiam regularem; imò, ſicut Beneficium ſitum in Eccleſia ſæculari præſumitur ſæculare, pari ratione ſitum in regulari præſumitur regulare, cum contrariorum ſit eadem diſciplina. Et non ſolùm præſumi, ſed eſſe regularia ea Beneficia, ſatis oſtenſum eſt. Indè ergo fit, poſſe illa conferri Regularibus, & eſſe id conformius ipſi naturæ Beneficiorum; vt liquet ex *Clementin.* 1. *de ſupplend. neglig. Prælator.* Ad primam confirmationem aſſero, ſæcularium poſſeſſionem fuiſſe ad beneplacitum Ordinum, & quaſi precariam, nec potuiſſe præſcribere contra beneficia, quæ ſunt propria ipſorum Ordinum, atque adeò ea beneficia non fieri de ſæcularibus regularia, nec opus eſſe præſcriptione ex parte Regularium; cum ex ſe ſint beneficia regularia; & ſæculares pacificè non obtinuerint illa, tanquam ſibi debita, nec bona fide; ſed ex beneplaeito Ordinum, & victi fuerint in iudicio, cum litem ſuper eo inſtituerint; quare nunquam ea retinuerunt, aduerſario inuito; nec tanquam ſuo iure vtentes eum ſcientia, & patientia domini; hincque nequeunt ad præſcriptionem confugere. 42

Ad ſecundam confirmationem reſpondeo, fatendo, non poſſe Clericos Fratres Militiarum obtinere abſque diſpenſatione beneficia ſæcularia, in Eccleſiis maximè ſæcularibus ſita; nec Fratres Clericos vnius Ordinis poſſe potiri beneficiis alterius Ordinis; Quod ſolum decernit Pius V. Nos autem in præſenti defendimus Clericos Fratres cuiuſque Ordinis poſſe obtinere quævis beneficia ſita in Eccleſiis proprij Ordinis, præcipuè cum ea omnia cenſenda ſint regularia. De Militibus autem Equeſtribus ea diſpoſitio Pij V. poſtmodum fuit reformata, cum obtinere valeant beneficia ſæcularia, iuxta *ſuprà* dicta. 43

QVÆST. IV.

QVÆSTIO IV.

An Clerici Fratres Ordinum Militarium de licentia ſuorum Superiorum poſſint obtinere quaſlibet Præbendas, & Beneficia ſæcularia abſque diſpenſatione Pontificis?

§. I.

Examinantur fundamenta ſententiæ affirmantis.

44 SVpponit quæſtio, abſque licentia Prælatorum explicita, aut implicita ſufficienti tamen ad ſignificandum eorum conſenſum; non poſſe in Eccleſiis ſæcularibus Dignitates, Canonicatus, Beneficia Curata, aut ſimplicia; vel Capellanias obtineri. Etenim, cum ſint Religioſi, & à voluntate Superiorum dependentes, & nequeant de ſe ipſis diſponere, maximè vt extra propriam Religionem occupentur, ita vt ab impendendo ſeſe ipſos totos in eis obſequium, abſtrahantur, debent ſanè beneplacitum Superiorum expectare; ſiuè Regis, ſiuè Capituli, aut Senatus Regij Ordinum, eorumvè, quos, vt Prælatos, habent.

45 Igitur ſententiam affirmantem reſpectu Fratrum Clericorum Ordinis D. Iacobi ſtabilire conatur D. Franciſcus de Ocampo Iacobæus *in reſponſione ad hanc quæſtionem*; Cuius rationes aliquæ ſunt ſpeciales pro ſuo Ordine, aliæ verò communes, quæ æquè pro cæteris militant; Eas, & alias, quæ poſſunt proferri, euoluamus.

46 Supponit primò, Fratres Clericos Iacobæos retinere bonorum dominium; quod ex variis capitibus intendit ſuadere, & quia id non opponitur Voto paupertatis, vt ab ipſis emittitur, & quia teſtamenta condere poſſunt, indeque ait, non comprehendi ſub Decretis Pontificiis, vbicumque prohibēt bonorum diſpoſitionem. Ex hoc fundamento latè probato infert, poſſe eos obtinere quaſlibet Præbendas, & Beneficia ſæcularia.

47 Quidquid pro nunc ſit de fundamento, quod falſum eſſe oſtendi *diſq.* 4. *quæſt.* 8. fateor, me non potuiſſe callere vim illationis huius; habent dominium rerum, ergo poſſunt obtinere Beneficia ſæcularia. Etenim id dominium non reddit eos ſæculares; cum remaneant verè, ſtrictè & propriè Religioſi; quod, vt firmum, ac conſtans, eſt præmittendum. Difficultas ergo eſt, quomodo Religioſi, ſiuè habeant dominium, ſiuè non; ſeu his qualitatibus afficiantur, ſeu illis, dummodò Religioſi permaneant, valeant Beneficia ſæcularia obtinere, cum hæc ex Iure communi non minùs priuatiuè videantur competere ſæcularibus, quàm regularia competunt regularibus; illud antem dominium bonorum non reddit ſæculares Iacobæos, cum nunquam admittendum ſit quidquam, quo ab eſſentia primaria Religioſorum deflectant. Itaque id principium de dominio bonorum eatenùs poterat aſſumi, quatenùs ex eo inferretur, habentes dominium non eſſe propriè Religioſos, atque adeò reputandos eſſe veluti ſæculares, & conſequenter capaces Beneficiorum ſæcularium. Sic eo principio vtuntur plures *infrà* referendi loquentes de Equitibus Militaribus; (ſed an rectè de his ita philoſophentur, *alibi* exponimus) Verùm cum de Fratribus Iacobæis nullus poſſit dicere, non eſſe verè Religioſos, illud principium omninò extra rem videtur deſumi. Idque præ oculis habendum, non debere coniungi duo incompoſſibilia iuxta varietatem euentuum. Etenim, ſi agatur de exemptionibus, de foro, & pluribus aliis, mordicùs curatur à pluribus defendi, non ſolùm Clericos Fratres, verùm & Equites Militiarum eſſe propriè Religioſos, & emittere tria vota ſubſtantialia conſtituentia rigorosè Religionem; Cum autem perueniiur ad caſus, in quibus ratio Religioſorum obſtat, aut obſtare videtur, confugitur ad laxitatem Religionis, ad paupertatem quæ non excludit bonorum dominium, & alia ſimilia; indeque ſimul coniungi curantur omnia fauorabilia Religioſorum ſimul & ſæcularium, & excutiuntur onera Religioni anuexa. Opto ſanè, in his omnibus conſequentiæ filum attexi, quamvis fatear, plura competere Religioſis Militaribus, quæ neutiquam competunt non Militaribus; attamen ea debent eſſe, quibus Religionis propriæ & veræ tenor omninò ſeruetur.

Sed ait ille Author ſecundò; Fratres Clericos Iacobæos non venire, nec comprehendi in odioſis ſub nomine Religioſorum; atque adeò Beneficia ſæcularia prohibita Religioſis, eis non eſſe prohibita. In primis id non minùs militat reſpectu Iacobæorum, quàm Fratrum Calatrauæ, Alcantaræ, Auiſij, Monteſæ, & Chriſti. Nam omnes hi non adeò ſtrictam paupertatem profitentur, ac alij Religioſi; diſponunt de ſuis bonis tum viuentes, vt aſſeruimus 48

diſq.

diſq. 4. tum decedentes, eo modo, quo dicemus *diſq.* 15. Gaudent redditibus beneficiorum Ordinum; Ad plura munera ex ſe ſæcularia euehuntur; Degunt extra Communitatem Eccleſiis addicti; ſæcularibus immixti victitant, & ſæcularia negotia tractantes, diſſidentque ſolùm exteriori ſpecie per teſſeram à reliquis Clericis ſæcularibus. Quid igitur in Iacobæis reperitur, ratione cuius non comprehendantur ſub nomine Religioſorum in odioſis, quod in cæteris non inueniatur? Etenim quòd illi præ cæteris dominium rerum retineant, (eſtò ita foret) quid refert ad præſens? Rurſùs, quamvis alij Clerici Fratres Militiarum dominium bonorum non retineant, non obſtat quominùs valeant beneficiorum Ordinis redditus percipere, & de eis diſponere, modo *inferiùs* aſſignando; Vnde ergo ex dominio retento, vel non retento, probatur, poſſe, aut non poſſe beneficia ſæcularia, eorunque redditus retineri, & diſcrimen verſari inter Iacobæos, & alios Clericos Fratres Militiarum? Etenim, ſi ſemel ſuadeatur, Iacobæos poſſe ea beneficia obtinere, idem de cæteris erit dicendum, cum his non obſtet dominij abdicatio, ſi quidem abſque dominio redditibus gaudent, & de illis diſponunt, Ordinibus conſentientibus; quare ipſi Ordines pariter poſſent licentiam, ac conſenſum præbere, vt de redditibus Beneficiorum ſæcularium diſponerent, eiſque fruerentur. Et ſanè hi, qui ex cæteris Ordinibus Militaribus, in Senatores, aut ad alia munera aſſumuntur, vel, cum diſpenſatione Pontificia, obtinent Præbendas, ſeu Beneficia ſæcularia, de conſenſu Ordinum, & licentia generali, eiſque annuentibus, liberè diſponunt de redditibus, & fructibus. Vnde ex hoc capite nulla erit repugnantia, quominùs omnes Fratres Clerici Militiarum Præbendas, & Beneficia ſæcularia obtineant.

49 Id autem capere non valeo, quòd Clerici Fratres eiuſmodi generaliter, & abſolutè in odioſis nomine Religioſorum non comprehendantur, aſſerendo ſimul, eſſe odioſam diſpoſitionem illam, quòd Beneficia ſæcularia Regularibus non conferantur. Id ſanè eſt, quod *ſuprà* attigi de conjunctione incompoſſibilium. Et in primis in his, quæ, rigoroſè loquendo, odioſa ſunt, comprehenduntur prædicti Fratres Clerici; nam non eſt ratio, cur excipiantur, ſiquidem propriè Religioſi ſunt, quantumvis normam laxiorem vitæ ſequantur; ſicut cæteri omnes Religioſi comprehenduntur, quamvis aliqui collati cum aliis laxiorem normam ſectentur; Confer namque Carthuſienſes, Capucinos, & ſimiles cum aliquibus, adhuc ſanctiſſimum Inſtitutum profitentibus, & animaduertes diſtantiam ingentem in auſteritate habitus, rigore vitæ, pœnitentiis, cibo, cellis, itineribus, & aliis huiuſmodi. Quamvis ergo Fratres Militares diſtent ab aliis Religioſis in vitæ tenore, attamen propriè, & ſtrictè inter Religioſos ſunt recenſendi. Et quidem in ſuis Monaſteriis auſterum, & exactum vitæ retinent modum, & extra illa tenentur ſui ſtatus meminiſſe, ædificationique populi, ac bono Religionis nomini in victu, & cæteris, conſulere.

Præterea non ſunt cenſenda odioſa ea, 50 quæ ex Iure communi conueniunt omnibus Religioſis ratione ſtatus; ſunt enim diſpoſitiones congruæ, & aptæ, ac veluti regulæ ab illis obſeruandæ, Quod à poſteriori conſtat; Etenim, ſi ea omnia, quæ in Iure communi Eccleſiaſtico prohibentur Religioſis (ſicut prohibetur, habere Beneficia ſæcularia, inter quam prohibitionem, & alias, nullum extat diſcrimen) eſſent odioſa, & ad ea non tenerentur Clerici Fratres Militares, fieret, vt ferè nulla lex, aut diſpoſitio Eccleſiaſtica eos ligaret; nam leges, & diſpoſitiones prohibentes aliquid ſæcularibus, quà ſæculares ſunt, eos non ligant, quia in id inſiſtunt, nempè quòd ſunt Religioſi, & exempti; aliundè contenditur, leges, & diſpoſitiones prohibentes aliquid Religioſis eos non ligare, quia odioſæ ſunt, & ipſi in odioſis non comprehenduntur nomine Religioſorum; ergo vndique ſoluti ſunt legibus, & diſpoſitionibus Eccleſiaſticis aliquod onus continentibus; &, quin ſentiant onus Religioſorum, nec ſæcularium, commoda vtrorumque ſentire intendunt; &, qui ratione ſtatus ſtrictioris legibus ſtrictioribus ſubeſſe debent, ſolùm ſibi fauentes amplecti conantur, ſi fundamentum propoſitum vim habeat. Hæc autem omnia ex terminis ſunt abſurda.

Tertiò inſtat D. Franciſcus de Ocampo; 51 Iacobæos eſſe Canonicos Regulares, hoſque non includi in prohibitione Concilij Lateranenſis, quod ſolùm Monachis vetuit, Beneficia ſæcularia obtinere, imò & Monachos ad Beneficia Curata potuiſſe promoueri, ſtatuit, *ex cap. quod Dei timorem, de ſtatu monachor.* iuxta quod Canonici Regulares ea valent obtinere Beneficia; & pro hac doctrina affert Nicolaum Garcia, qui licèt *7. part. de Benefic. cap.* 10. *ex n.* 31. docuiſſet, nequire Canonicos Regulares prædicta Beneficia obtinere abſque diſpenſatione

ſatione Pontificia, mutauit ſententiam *in addit. ad cap. 4. lib. 1. n. 24.* Addit, non obſtare Conſtitutiones Gregorij XIII. & Pauli IV. qui eam expediuit anno 1558. prohibentes, Beneficia ſæcularia à Regularibus obtineri, eo quòd non exprimantur Iacobæi, qui in odioſis non comprehunduntur nomine Regularium; & quia Conſtitutio Pauli IV. derogata eſt per Conſtitutionem Pij IV. expeditam anno 1560. & res hæc relata eſt ad terminos Iuris communis.

52 Verùm hæc non ſolidè ſtabiliuntur. Nam inprimis, eſtò Conſtitutio Pauli IV. ſit derogata, attamen Conſtitutio Gregorij XIII. derogata non eſt, quod *infrà* conſtabit. Deindè Canonicos Regulares non poſſe obtinere Beneficia ſæcularia, docet Gonzalez *in regul. 8. Cancellar. gloſſ. 7. ex num. 53.* Ioannes Maria Nouarin. *in lucerna Regul. verbo, Canonici Regulares, num. 1.* Lezana *in ſumm. tom. 2. cap. 2. num. 72.* Barboſa *de Iure Eccleſiaſtic. lib. 3. cap. 4. num. 79. Et in ſumma Apoſtolic. deciſ. collectan. 102. n. 9.* Quaranta *in ſumma Bullary, verbo, Canonicus Regularis.* Extat expreſſa Declaratio *Congregationis Sacræ Epiſcop. & Regul.* quæ prodiit *die 1. Sept. anno* 1603. Cuius meminerunt Authores relati. Nec fauet Nicolaüs Garcia *loco prædicto*, nam loquitur de Equitibus Iacobæis, non de Canonicis Fratribus, de quo *inferiùs.* Et quidem hæc de Canonicis Regularibus eſt doctrina communis, ſaltem poſt Conſtitutiones nouiſſimas Pontificias, & Declarationes.

53 Rursùs, ſi ad Ius antiquum attendatur, iuxta quod aſſeritur, Monachum poſſe promoueri ad Beneficia Curata, vel ſaltem ad Præpoſituram Eccleſiæ Cathedralis, aut Collegialis, vt ait Abbas *in dicto cap. Quod Dei timorem*, & refertùr ab Emanuële Rodriguez *tom. 1. qq. regul. q. 34. art. 4.* Sanè id multum probat, atque adeò nihil; Probat namque, etiam nunc non ſolùm Iacobæos, ac alios Regulares Militiarum poſſe ea Beneficia, aut Præpoſituras obtinere, ſed etiam Monachos. At id nequit dici; ergo res non permanet in terminis eius Iuris antiqui; quod quidem eò tetendit, vt, cum non facilè forſan reperirentur Clerici ſæculares, qui officium prædicationis ſuſciperent, aliiſque qualitatibus inſtruerentur ad eas Præpoſituras requiſitis, ne illæ vacarent, & Eccleſiæ deſtituerentur Miniſtris ſufficientibus, & idoneis, velut in caſu neceſſitatis, ſtabilitum fuit, vt Monachi poſſent ad illas eligi; Sicut in caſu ſimili poſſunt alia exequi, quæ ipſis aliundè ſunt prohibita.

54 Quartò mouetur idem Author, nam ſacra Congregatio Concilij die 10. Nouembris anno 1600. declarauit, *Milites Regulares Militia S. Iacobi de Spatha, aliosque huiuſmodi non emittentes omnia tria vota ſubſtantialia, videlicèt Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientia non eſſe incapaces Beneficiorum ſæcularium, ſiuè Simplicium, ſiuè Curatorum, nec etiam Penſionum.* Quam declarationem afferunt Lezaua, Nicolaüs Garcia, & Barboſa *in ſumma Apoſtolicar. deciſ. collectan. 61. n. 20.* Per quam deciſionem, ait Ocampo, ceſſare Conſtitutionem Gregorij XIII. *ſuprà* relatam. Canonicos autem Iacobæos nomine *Militum* in ea Declaratione intelligi, probat, quia etiam ipſi militare ſunt parati, idemque illis, ac Equitibus pugnandi contra Infideles eſt animus, indeque gladium pro teſſera afferunt.

In multis offendit hæc probatio. Primò, 55 quia hæc declaratio loquitur de his, qui non emittunt tria vota ſubſtantialia, ſcilicèt intelligendo, votum Caſtitatis coniugalis non eſſe ſtrictè ſubſtantiale, iuxta plurium opinionem. Etenim Declaratio connectit prædictos Milites, *& alios ſimiles, &c.* Videat ergo Ocampo, an Clerici Fratres Iacobæi emittant tria vota ſubſtantialia, & ſint propriè Religioſi, nam id implicitè negare videtur, cum nullus adhuc negauerit. Et pariter poſſet eam Declarationem extendere ad alios Fratres Clericos Militiarum, aſſerendo, contineri ſub illis verbis, *& alios ſimiles, &c.* Quæ abſurdiſſima ſunt.

Deindè ſub nomine *Militum* non intel- 56 liguntur Clerici Fratres, vt oſtendam *diſq. 15.* & conſtat ex aliis Bullis Pontificiis; aliàs etiam Fratres Clerici Calatrauenſes, & Alcantarenſes, poſſent teſtari, quia Bulla extat concedens *Militibus* Calatrauæ, & Alcantaræ, facultatem teſtandi; Quod tamen nec ipſi, quorum is erat fauor, dicere auſi ſunt; ergo vox *Militum* ad eos non eſt extendenda, & quidem, cum Pontifices volunt, comprehendi Equites, & Fratres, non vtuntur voce *Militum*, ſed voce *Regularium Militia*; Sic in Bulla Cruciatæ latina, cum conceditur eis priuilegium edendi oua, & lacticinia diebus Quadrageſimalibus, aſſeritur; *Et ſub hoc indulto veſcendi carnibus, & ouis, & lacticiniis comprehenduntur omnes cuiuſuis Militia Regulares*; Et, quod mireris, hæc verba in Bulla Hiſpana ſic extant; *Y todos los Caualleros de las Ordenes Militares*; Quam verſionem impugnaui Ego *tom. in Bullam Cruciat. diſp. 18. n. 16.* Vt indè ſaltem conſtet, *Milites* non ſignificare Fratres Clericos; cum Viri graues, voce vniuerſaliori, nempè *Regulares Militia*, eos non ſignificari, adhuc cèſuerint.

Nec

57 Nec ex ſuis Statutis poteſt ille Author quidquam pro ſe afferre; nam quoties in illis aſſeritur, debere eſſe paratos *los Freyles* ad pugnandum contra Infideles, ſermo eſt de Equitibus, qui eo nomine nuncupabantur, & ita eos vocat Alexander III. in Bulla Confirmationis Ordinis; & id euidenter oſtendimus ſuprà *diſquiſit.* 8. *num.* 24. contra ipſum Ocampo. Certè Inſtitutum Ordinis eſt, militare contra Infideles, & quia ad militandum, requiritur ſubſidium ſpirituale Orationum, & Sacramentorum, ſub eodem Inſtituto degunt Fratres Clerici, quorum munus non eſt, arma exercere, ſed Orationi, & animarum Curæ inuigilare; niſi in caſu neceſſitatis extremæ, in quo etiam Clerici ſæculares poſſunt aliqua munia exequi in bello; Quæ autem tum in eo caſu, tum abſque neceſſitate extrema poſſint, quin irregularitatem contrahant, expoſui *tom. in Bull. Cruciat. diſp.* 10. Fratres verò Clericos Iacobæos, (quod Ocampo ait) debere eſſe paratos ad aſſiſtendum in bello, id quidem non eſt, vt pugnent, ſed vt miniſteria ſpiritualia exerceant, quæ belli tempore fuerint neceſſaria. Quòd autem Clerici Fratres Iacobæi pro teſſera gladium geſtent, non innuit, ipſos gladium in manibus geſtaturos, quod omnino eſt abſonum, ſed id eſſe totius Ordinis, ſub quo degunt, Inſigne. Ampliùs adhuc eneruabitur hæc probatio ex dicendis §. *ſequenti.*

58 Addit Ocampo, inter Canonicos Iacobæos, & Clericos ſæculares non agnoſci diſcrimen notabile, aut profeſſionis diſparitatem, indeque hos admitti ad aliqua Beneficia Regularia Ordinis D. Iacobi, atque, adeò ipſos pariter admittendos ad ſæcularia Beneficia. Animus huius Authoris ſanè fuit, ſolùm probare, Canonicos Regulares Iacobæos poſſe obtinere Beneficia ſæcularia, quaſi id ſit ſpeciale eorum priuilegium, & ſuboluit difficultates *infrà* exponendas circa alios Fratres Clericos Militiarum; Attamen eius probationes (vt in... imbecilles eſſe, liqueat) pariter cæte... comprehendunt; nam etiam Clerici ...ulares admittuntur ad aliqua Beneficia ...ularia aliorum Ordinum Militarium; ...ampliùs inter ſe differunt cæteri Fra... Militiarum, & Clerici ſæculares, ... Iacobæi.

59 ...terea vi caret hæc confirmatio; ...Clerici ſæculares admittuntur ad ...cia Regularia Ordinum, ex ipſorum ...m conceſſione, & electione, qui... Clerici eo ipſo ſubduntur; & quia ...ulares non expedit, vel ob tenuitatem, vel ob alias cauſas eiuſmodi Beneficia adminiſtrari, eis committitur adminiſtratio, Pontificibus annuentibus, & præbentibus ad id omnimodam poteſtatem Ordinibus ipſis. Secùs contingit in appoſito caſu; nam Ius commune, & Epiſcopi non concedunt, imò reſiſtunt, vt Clerici Regulares Beneficia ſæcularia obtineant; Rurſus, ſi ea obtineant, exemptionem amittunt, & Epiſcopis ſubduntur, (ſicut Clerici ſæculares habentes Beneficia Ordinum, eis manent ſubiecti) quod contra aut præter priuilegia propriorum Ordinum ſpeciem præferre videtur; Et quamvis hæc abſurda vitari videantur ex eo, quod ſupponitur, Ordines fore priùs licentiam conceſſuros, attamen, etſi poteſtas Ordinum in conceſſione licentiæ exerceatur, ſemel ea conceſſa, negari nequit, iuriſdictionem Ordinum erga ſubditos valdè poſtmodum imminui; Et, quidquid de hoc ſit, diſparitas præſtita eſt manifeſta; maximè cum in Religioſorum Militarium defectum Clerici ſæculares valeant obtinere Beneficia regularia, vt aſſerunt Nicolaus Garcia, & Gonzalez, relati à Barboſa *in remiſſionib. ad Trident. ſeſſ.* 14. *cap.* 10.

Adhuc Ocampo aliundè probare contendit, Clericos Fratres Iacobæos poſſe obtinere Beneficia non Curata ſæcularia, ſiuè ſimplicia ſint, ſiuè Dignitates, Præbendæ, aut Capellaniæ. Quippè ait, prohibitiones circa id circumferri ſolitas non debere extendi ad illos, eo quòd retineant bonorum dominium, & in odioſis ſub nomine Religioſorum non comprehendantur. Sed hæc ratio ſatis ex ſuperioribus eluditur. 60

Poſſet autem adhuc probari præfatum aſſertum affirmativum reſpectu omnium Fratrum Clericorum Militiarum, ex eo quòd, eſtò Religioſi ſint, tamen quoad munia exequenda, pro ſæcularibus recenſentur. Hinc eliguntur in Quæſitores, & Fiſcales Tribunalium Fidei: in Senatores omnium Senatuum Regiorum; in Viſitatores, & Præſides eorundem; & in Iudices Eccleſiaſticos, & ſæculares, quorum plures retulimus *diſq.* 9. *quæſt.* 11. Hæc autem munera alij Religioſi non Militares exercere nequeunt; ergo diſcrimen quoad hæc inter eos eſt conſtituendum. Et quidem nunquam diſpenſatio Pontificia ad eiuſmodi munera eſt deſiderata, ſed dumtaxat Ordinum licentia, vt ſubiectio oſtendatur, cum nihil poſſint de ſeipſis Regulares diſponere abſque Prælatorum conſenſu. Et aliqua ex dictis in his muneribus infringuntur; indeque conſtare videtur, Fratres Militares, velut alios Clericos, 61

DISQVISITIO XI.

De Beneficiis Ordinum Militarium.

QVÆSTIO I.

De examine, electione, & collatione ad Beneficia Militarium requiſita.

1 BENEFICIA Ordinum Militarium, ſcilicèt quæ in eorum ſunt Eccleſiis, Regularia ſunt, ipſorumque Ordinum propria, & de Iure Patronatus Regij, vt conſtat ex fundamentis Bullis & plurimis Pontificiis allatis *diſquiſ.* 1. & toto Operis decurſu, ac *inferius* attingendis. Quare eorum diſtributio pertinet ad Regem, vt Patronum, & ad ipſum Ordinem, nempè vel ad Senatum Ordinũ, vel ad Priores, ſeu Monaſteria ex conceſſione ipſius Regis, aut ex cõſuetudine, de quo *alibi* egimus. Beneficiorũ Regularium natura, & qualitates communes ſunt Beneficiis Ordinum Militarium; de illis autem integri extant apud authores tractatus, & quæſtiones, ad quas omnes diſcutiendas totus hic non ſufficeret liber; ideò ſolùm magis ſpeciales, opportunas, ac neceſſarias attingam. De cæteris videautur Summiſtæ *verbo*, *Beneficium*; Nicolaus Garcia, Portel, Emanuël Rodriguez, Barboſa, Proſper Farinacius, Machado, Bonacina, P. Layman, Azor, Caſtro Palao, & innumeri alij paſſim, quos referre, eſſet prolixum.

2 Praxis, quæ in Ordinibus Militaribus obſeruatur, hæc eſt. Quædam beneficia ex illis conferuntur Clericis ſæcularibus ob defectum Fratrum Clericorum, & ex ipſorum Ordinum beneplacito; quædam verò Clericis Fratribus. Ad prima præcedunt edicta, & concurſus oppoſitorum, vel coram Senatu Regio Ordinum, vel coram Prioribus reſpectu habito ad eos, ad quos pertinet electio, (Nec ſermo eſt de Dignitatibus, de quibus egimus *diſquiſ.* 8.) Examinantur oppoſitores, & eligitur is, qui iudicatur aptior, iuxta ſtabilita in Sacris Canonibus, & in Concilio Tridentino. Et ſatis ex illis, ac ex his, quæ communiter Authores proferunt, conſtat arctiſſima obligatio conſtituendi in Paſtores animarum ac Parochos, Viros benemeritos, ſcientia inſtructos, prudentia, maturitate, & virtute præditos, vtpotè quibus incumbit, oues paſcere, docere, exemplo præire, in ſpiritualibus, & temporalibus indigentiis iuuare, atque ad vitam æternam promouere. Quod præ oculis habere oportet eos, ad quos ſpectat eligere Parochos, vt omni affectu depoſito, eos Rectores animarum conſtituant, qui magis expediant. Sic Pontifices, Cõcilia, Eccleſię Patres, & Authores repetitò pręcipiunt, & hortantur; nec quidquam eſt accuratiori meditatione dignius.

3 Circa beneficia, ad quæ promouentur ipſi Clerici Fratres, in vnoquoque Ordine ſpecialis conſuetudo ſeruatur. In Ordine D. Iacobi Priores de Vcles, & S. Marci Legionenſis eligunt Regulares ad ea Beneficia, quorum diſtributio ad ipſos pertinet, iuxta dicta *diſquiſit.* 1. Examen autem idoneitatis præcedere debere, ex dicendis *infrà* conſtabit. Cæterùm cum Beneficia ſunt in territorio Ordinis, ad ipſum ſpectat examen, & collatio; At, ſi in territorio ſint Archiepiſcopi Toletani, aut aliorũ Epiſcoporũ, Rex, vt Patronus, præſentat, & Antiſtes præſtat collationẽ, quę in ſui exordio ortum habuit ex Regis cõmiſſione, & beneplacito qui poteſt, cui velit, collationẽ cõmittere; Quare aliquãdo, dum aliud cõſuetudine non eſt inductũ, cõmittit eam alicui ex ordine, & id ſemper pręſtat in Prioratu *de Villar de Donas*, in diœceſi Lucẽſi; nã Beneficia Ordinũ, licèt ſint in diœceſi extranea, non ſunt de diœceſi. Rex autem, vt Patronus, præſentat; vt Superior verò, & vices Magiſtri gerens, collationẽ præſtat per perſonas idoneas à ſe deputatas, in tribus Ordinibus; Quã collationẽ ad eum pertinere, liquet ex Bulla incorporationis Magiſtratuũ ſæpè repetita, ibi; *Ac alia Beneficia Militariũ huiuſmodi perſonis idoneis liberè cõferre poſſit.* Et inferiùs; *Diœceſanorum locorũ, ac quorũvis aliorũ licentia, ſeu conſenſu minimè requiſitis.* Vox autẽ *liberè* ſignificat, ſine alterius authoritate, conſenſu, requiſitione, & grauamine, vt plurimis Deciſionibus, & authoritatibus probat Barboſa *in tract. dictionũ, dict* 190. *nu.* 2. 3. *&* 10. Cõſtat illud ipſũ ex Bulla Iulij II. expedita in gratiã Ordinis Calatrauenſis. Et quamvis collatio aliorũ Beneficiorũ, ad quæ Rex præſentat vt Patronus, veluti in Indiis, & alibi, collatio ſpectet ad Ordinariũ; at ibi non præſẽtat, vt Superior, ac habens omnẽ iuriſdictionẽ ſpiritualẽ exercendã per aliũ, ſicut in Ordinibus militaribus. Vt autẽ quis Clericus Frater Iacobęus ad Beneficiũ promoueatur, triginta ætatis annos debet habere, & examinari de idoneitate ab Examinatore deputato ab Ordine. Ita in ſtatutis *tit.* 16. *c.* 19. Anni ibi requiruntur expleti; & etiã exigitur, vt in Monaſterio, aut Collegio quatuor annis verſatus fuerit; Additur autẽ examinãdũ fore eũ, qui Gradu non ſit inſignitus; vnde iſte examini non ſubjacet; Quod ſanè durum eſt, & emolliendum

emolliendū aliqua via,iuxta aſſerēda *infrà.* Qui velit dignoſcere exéptionem Ordinis Iacobæi quoad omnia Beneficia, legat bullam Martini V. quæ incipit *Glorioſa* expeditam anno 1427. & Iulij I I. quæ incipit *Ex debito*,expeditam anno 1509. vbi Ordini conceditur omnimoda iuriſdictio, & poteſtas circa Commendas, perſonas, Eccleſias, Prioratus, Vaſſallos, & alia ſimilia ad ipſum Ordinem pertinentia.

4 In Ordine Calatrauæ collatio Beneficiorum pertinet ad ipſum Ordinem, penes quem etiam eſt conſequenter ius, ac debitum examinandi. Ad Beneficia autem aſſumuntur, & promouentur ratione antiquitatis Clerici Fratres; ita vt qui Habitu eſt antiquior, poſſit optare Beneficium vacans; & cum id ſit priuilegium, & fauor, poteſt etiam ei cedere, & non optare, expectaréque aliud vacaturum, dum tamen rationes ſufficientes, vt ſe excuſet, proponat, & exaudiatur à Rege, ſeu Senatu Ordinum; aliàs poteſt compelli ad acceptandum Beneficium; vt docet Emanuël Rodriguez *tom.* 1. *qq. Regul. quæſt.* 34. *art.* 8. nam licèt Beneficium non detur inuito, Regulares verò tenentur ſuis Superioribus obedientiam præſtare.Qui autem iam Beneficium obtinuerunt, ſi aliud commodius vacet, poſſunt etiam illud ratione antiquitatis acceptare, ita vt optent dumtaxàt vna vice. Vacante autem Beneficio Commendæ, tenetur Commendatarius requirere Superiorem, & Monaſterium Calatrauæ, vt ei deſignetur Clericus Frater optans Beneficium, quem ipſe intra tres menſes debet præſentare Regi, ſeu Senatui Ordinum; Quòd ſi nullus acceptet Beneficium, poteſt præſentare Clericum ſæcularem. At, ſi non præſentet intra terminum præfixum, aut præſentatus non ſit idoneus, iure deuoluto pertinet ad Regem præſentare, dum tamen requirat Superiorem, & Monaſterium Calatrauæ, ſicut Commendatarius præſtare tenebatur. Præſentatus autem à Rege, ſeu à Senatu Ordinum, Rege ſubſcribente, (quod ſemper præſtatur circa horum omnium Ordinum Beneficia) remittitur ad Capellanum Regium ipſius Ordinis,qui illum examinet circa latinam linguam, peritiam cantus, & doctrinam requiſitam ad Sacramenta adminiſtranda, iudiciumque ſuum in ſcriptis Senatui ipſi referat, vt ei Beneficium conferatur, ſi approbetur. Ita in Definitionibus *tit.* 12. *cap.* 6. *&* 7. Cenſeo autem, hanc optionem Beneficiorum in Ordine Calatrauæ inductam,ſeu conſeruatam fuiſſe ex conſenſu Regio; aliàs præiudicium fieret Patronatui, & iuri præſentandi. De collatione autem dicendum eſt, quod præmiſimus *num. præcedent.* nempè ad Ordinem ſpectare.

In Ordine Alcantaræ Prior Monaſterij quotannis Regem, ſeu Senatum Ordinum informat de idoneitate Clericorum Fratrum, & Clericorum ſæcularium, qui ad Beneficia Ordinis reſpectiuè poſſunt aſſumi; Et commendatur vt expediens, ne alij, niſi qui in Collegio Alcantarenſi Salmantino verſati fuerint, ad Beneficia admittantur. Deſignata autem ſunt pro Clericis Fratribus Beneficia, & congrua, quæ ad minus ad quinquaginta mille teruntios perueniat. Ita in Definitionibus *tit.* 11. *ex cap.* 5. Statim ac vacat Beneficium, quamvis ob notorietatem non præfigantur edicta, fit Oppoſitorum ex ipſo Ordine concurſus ante Priorem Alcantaræ, qui eos examinat, & Senatum Ordinum informat de vniuſcuiuſque meritis, in qua informatione tenetur anteponere digniores, vt Senatus eos eligat, & titulum præſtet, Rege ſubſcribente. Collatio autem Beneficiorum, ſi ſit in territorio Alcantaræ, pertinet ad Epiſcopum Caurienſem, ratione Concordiæ,de qua egimus *diſquiſ.*7.Si verò Beneficium extet in quovis alio Ordinis territorio,ad ipſum ſpectat collatio. 5

6 Collatio autem Beneficiorum, quæ præſtantur Clericis ſæcularibus in Eccleſijs Ordinum,quæ extra eorum territoria ſunt, ad Epiſcopos diœceſum (ex priſtino Regum conſenſu, iuxta dicta *num.* 3.) pertinent, ab illiſque examinantur; niſi in territorio Alcantaræ, in quo Clerici ſæculares examini ſubduntur, ſicut de Clericis Fratribus diximus, & collatio ſolummodò ad Caurienſem Epiſcopum ſpectat,vt Concordia relata conſtat.

7 In Ordine D. Ioannis Hieroſolymitani, Priores, Caſtellanus Empoſtæ, Baiuliui, & Commendatarij habent ius præſentandi ad Beneficia ſuorum Prioratuum, ſeu Commendarum; (præter Beneficia, quæ ipſe magnus Magiſter confert.) Præſentatio autem fit coram Capitulo Prouinciali, ſeu Aſſemblea, à qua committitur examen præſentati alicui, vel aliquibus Viris doctis, & præſtatur collatio. Semper autem præſentantur ad Beneficia Clerici Fratres ipſius Ordinis, aut alij, qui eo ipſo in Ordinem admittantur, præcedentibus Informationibus, & alijs requiſitis, vt *diſq.* 3. tetigimus. Sic extat in Statutis Ordinis *tit.* 14. §. 18. *cap.* 60 *& c.* 61. §. 1.

8 Iam verò examen eſſe prorsùs neceſſarium, vt quæuis Beneficia in Prælatis Ordinibus conferantur, mihi eſt certo certius. Etenim in Tridentino, *ſeſſ.* 24. *cap.* 18. *de reform.* & *ſeſſ.* 25. *cap.* 9. *de reform.* & *ſeſſ.* 7. *cap.* 13. *de reformat.* repetito præcipitur, vt examinentur omnes, qui ad Beneficia Curata promouentur, ſiuè prouiſio pertineat ad Epiſcopum, ſiuè præſententur à quocumque; ſolúmque excipiuntur hi, qui ab Vniuerſitatibus, & Collegiis generalium ſtudiorum præſentantur; ſanè quia ſupponitur, præſentari manifeſtè, ac notoriè idoneos, ſeu eos de quibus in ipſis Vniuerſitatibus ſufficiens probatio, examenque eſt habitum. Er quidem Tridentinum commendat ſtrictiſſimè id examen, injungitque idoneos eſſe repellendos; cum enim in Paſtores animarum conſtituantur, opus eſt, vt ea doctrina, & morum probitate ſint inſtructi, quæ ad tantum munus omninò exiguntur. Præterea, cum in Bulla incorporationis Magiſtratuum conceditur Regi, vt conferat omnia Beneficia Ordinum, aſſerit Pontifex, conferenda eſſe perſouis idoneis; idoneitas autem per examen conſtare debet. Et quidem qua conſcientiæ ſecuritate poſſit in Paſtorem animarum aſſumi is, de cuius ſcientia, & probitate non conſtat? An animarum regimen tumultuariè eſt commendandum, & animæ tradendæ alicui inſcio, aut moribus probis non prædito? Hoc eſſet lupis eas objicere, & abſque paſtore deſerere. Quin in Statutis Iacobæis injungitur, Beneficia eſſe conferenda dignioribus; Idem in aliis Ordinibus deſideratur. De qua videndus ſum ego *in ſtatera opinionum benignarum diſſert.* 13. *ex n.* 258.

9 Nec ſufficit, eos, qui ad Beneficia aſſumuntur, inſignitos eſſe Gradu Bacchalaureatus, Licentiatus, Doctoratus, aut Magiſterij in Theologia, vel in Iure. Primò, quia hi Gradus non ſufficiunt, quominùs quis debeat examinari, ad approbari, quamvis Regularis ſit, & audiendas Confeſſioues ſæcularium, iuxta Tridentinum *ſeſſ.* 23. *cap.* 16. *de reform.* ita vt gradus non excuſet ab examine ſubeundo, vt cum Tamburino, Lezana, Leandro de Sacramento, P. Suarez, Filiucio, & pluribus aliis docui *tom. in Bull. Cruciat. diſp.* 22. *ex cap.* 2. & *tom. de iure Academico lib.* 2. *quaſt.* 7. Nec opinio contraria defendi poteſt, cum deleta fuerit ex Summa Hieronymi Llamas iuſſu Tribunalis Sanctæ Fidei in Indice Expurgatorio *anni* 1640. Tunc ſic. Qui conſtituitur Parochus debet Confeſſiones ſæcularium audire, ergo debet examinari, & approbari.

10 Secundò, quia valdè frequenter poteſt contingere, quem eſſe Gradu inſignitum, maximè ſolius Bacchalaureatus, & non eſſe præditum eo genere diſciplinæ moralis, quæ ad Curam animarum requiritur, vnde opus eſt, vt examen fiat. Præterea Gradus non eſt probatio honeſtatis, & morum, qui, neceſſum eſt ad Parochi munus, vt ſint rectè compoſiti; adeò vt Farinacius *in Declarat. Trident. ad ſeſſ.* 24. *cap.* 18. *verbo, Majoribus, doctrina*, aſſerat; *Præferendus minùs doctus, modò idoneus, quando eius mores ſunt noti, & approbati, doctiori, cuius vita ignoratur*, Ibidem plures Declarationes, & Deciſiones affert, ex quibus conſtat præfati examinis omnimoda neceſſias. Firmat idem Barboſa *de officiis Parochi cap.* 2. *num.* 20. referens Deciſionem Rotæ circa examen ad Beneficia Regularium. Idem *in Remiſſion. ad Trident. ſeſſ.* 24. *cap.* 18. affert Declarationem Cardinalium, ex qua conſtat, non ſufficre Gradum Doctoris, ſeu Magiſtri in Theologia, aut Iure Canonico, vt quis abſque examine obtineat Beneficium Parochiale. Tradit id ipſum, pluribus congeſtis, Don Ioannes de Solorzano *in Politica Indica lib.* 4. *cap.* 17. *ex pag.* 650.

11 Quin, etſi quis examinatus & approbatus ſit ab alio Ordinario, non poſſe ſubterfugere examen Ordinarij, iu cuius Diœceſi, vel territorio ſitum eſt Beneficium, docet Farinacius *ſeſſ.* 25. *cap.* 9. *de reform. verbo, irrita ſit*; Quod eſt conſequens doctrinæ à me traditæ *loco relato in Bull. Cruciatæ*; nempè approbatum ab vno Ordinario, debere adhuc ab alio approbari, vt in eius Diœceſi Confeſſiones excipiat; de quo datur expreſſa Bulla Innocentij X. quam affert D. Didacus Frances Vrritigoyti *in Paſtorali Regularium*, & extat *in tom. vlt. Bullarij nouiſſimi.*

12 Addendum eſt vlteriùs, eum, qui ab vno Beneficio promoueatur ad aliud, fore adhuc denuò examinandum; Ita deciſum eſt in Rota, vt affertur à Seraphino *tom.* 2. *deciſ.* 1323. Prodiit etiam Declaratio Cardinalium, quam referunt Farinacius, Marcilla, Gallemarcius *ad Trident. ſeſſ.* 24. *c.* 18. *de reform.* Docent Nicolaus Garcia *de Benefic. lib.* 1. *cap.* 7. *ex num.* 1. Nauatrus *de officio Ordin. conſil.* 5. Rebuffus *in tract. nomin. quaſt.* 18. Flaminius Pariſius *de reſignat. lib.* 8. *quaſt.* 9. *ex num.* 77. & *lib.* 10. *quaſt.* 7. Quaranta *in Bullar. pag.* 93. Lucarinus *acad.* 2. *obſeru.* 1. Don Ioannes de Solorzano *tom.* 2.

de

de Iure Indiarum, lib. 3. *cap.* 17. *num.* 3. *&* 32. *& in Politica Indica lib.* 4. *cap.* 17. *pag.* 652. Oldradus *conſil.* 18. Rogerius *quæſtionum diuerſar. quæſt.* 2. *pag.* 165. & plures alij; loquentes de promouendis ad Beneficia Parochialia, ſiue ſint Regulares, ſiuè Clerici ſæculares. Et quidem ſi Beneficium denuò conferendum extet in diuerſa diœceſi, ratio ſuadet, debere conſtare ordinario, cui ſuas oues committat, ne temerè eas in diſpendium iactet. Si autem in ipſa diœceſi ſit Beneficium, in quo primum erat, adhuc examen prærequiritur; tum quia poteſt contingere, Beneficiatum aliis intentum, à libris deſtitiſſe, & ignauia, ac otio, ſeu ætate, & obliuione fuiſſe redditum ineptum, vt curam animarum exerceat, varia enim accidentia hinc indè ſuboriuntur, vt quis in deteriorem qualitatem ſcientiæ, & probitatis redigatur; nec id eſt infrequens, nec parùm dolẽdum; Tum quia aliquando major ſcientia, doctrina, & dexteritas requiritur ad vnum Beneficium, quàm ad aliud; v. g. aptus poteſt quis cenſeri ad Curam animarum in oppido exiguo, ſeu ruſticorum, minori doctrina inſtructus, quàm neceſſaria eſt ad eandem curam in oppido frequenti, & mercimoniis pleno; atque adeò examen etiam ex hoc capite, neceſſe, vt adhibeatur.

13 Ex dictis infertur obligatio examinandi, & non quidem perfunctoriè, omnes Clericos Fratres quibus Beneficia Parochialia conferuntur, ſiuè gradu inſigniantur, ſiuè non; atque etiam, ſi ad Beneficium aliud promoueantur; Et repelli debent illi, qui inidonei fuerint iudicati; quamvis titulo antiquitatis aliundè ius ad Beneficia prætendant; Eatenùs enim antiquioribus ius optandi Beneficia Statuta, ac definitiones Ordinum poſſunt tribuere, quatenùs ſubſint examini, quod requiritur pro forma ad obtentionem Beneficiorum, & cæteris qualitatibus ſint præditi, quæ eos proximè habiles, & capaces reddant; ſupponitur enim capacitas, & habilitas, vt antiquitas, & præſentatio proſint, aliàs neutiquam profuturæ. Et quidem, ſi examen non ſupponeretur præuium, illę Definitiones eſſent Sacris Canonibus contrariæ, requirentibus examen; Quod dicendum non eſt, cum Capitula generalia poſſint quidem Statuta, & Definitiones edere, non verò aduerſantes Sacris Canonibus; vt in Bullis Pontificiis expreſſè cauetur. Cæterùm iam diximus, examen ex ſe pertinere ad ipſos Ordines, niſi Rex illud aliis committat, vel ex eius conſenſu ſuppoſito, ſeu præhabito ad aliqua Beneficia alij examinent.

Aduerte primò in præſenti, generaliter 14
loquendo, quãdo quis reſignat Beneficium Parochiale in alium, ſi id impetretur, eſto non ſit neceſſarius concurſus, eſſe tamen opus examine eius, in cuius fauorem reſignantur; vrgent enim rationes iam traditæ, & firmat Farinacius in Declarat. ad Tridentinum *ſeſſ.* 24. *cap.* 18. *de reform. pag.* 92. *in fin.* Aduerte ſecundò cum eodem *pag. mihi* 93. in permutationibus Eccleſiarum Parochialium non requiri examen; niſi in duplici euentu; alius eſt, ſi permutantes non fuiſſent examinati tempore, quo Beneficia Parochialia obtinuerunt; alius eſt, ſi detur inæqualitas in numero Parochianorum; Quod prouenit ex libatis *ſuprà num.* 12. quia ad plures Parochianos, & diuerſa officia exercentes plus ſcientiæ, prudentiæ, ac dexteritatis exigitur, quàm ad pauciores, nec officiis, mercibus, aut adminiſtrationibus illaqueatos. In Ordinibus Militaribus reſignatio, & permutatio Beneficiorum fit apud Senatum Ordinum abſque conſenſu Epiſcoporum, quamvis Eccleſiæ ſint materialiter in ipſorum diœceſi. Etenim hi non habent Beneficiorum deſtitutionem circa perſonas exemptas, ſed earum Superior; & aliundè Beneficia Regularia ſunt amouibilia ad nutum Prælati, vnde ipſi incumbit, reſignationes, & permutationes admittere. Aduerte tertiò, non debere obſeruari formam examinis ad Beneficia Regularia, quæ præſcripta eſt ad examen Beneficiorum ſæcularium, nempè quòd ſaltem tres Examinatores aſſiſtant, & illi quidem in Synodo diœceſena deſignati; Quare vnus ſufficiet Examinator ad Beneficia Regularia; ſatis autem expedit, plures adeſſe, vt plenior cognitio habeatur. Eam autem examinis formam non eſſe neceſſariam, conſtat tum ex praxi, tum ex Deciſionibus, ac Declarationibus allatis à Barboſa, & Farinacio *locis ſuprà latis.*

QVÆSTIO II.

An Beneficia Ordinum Militarium ſint amouibilia ad nutum?

RESpondeo affirmatiuè contra Emanuëlem Rodriguez *tom.* 1. *qq. Regul. q.* 34. *art.* 2. *in fin.* Etenim omnia Beneficia Regularia ſunt amouibilia ad nutum Superiorum, vt conſtat *ex cap. cum ad* 15

Monaſterium, §. *teles*, *de ſtatu Monachor. Clementin.* 1. *de ſupplenda neglig. Prælator.* Videantur Gonzalez *ad reg.*8. *Cancell.gloſſ.* 5. §.6. *num.*6. P. Azor *tom.* 2. *inſt. mor. lib.* 3. *cap.* 26. *q.* 2. P. Tom Sanchez. *in ſumm. lib.* 7. *de relig. cap.* 29. *ex num.* 110. P. Leſſius *de iuſt. lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 12. *num.* 98. Extatque Bulla Pij V. id declarantis. Quod etiam probatur ex Bullis, in quibus Pontifices conceſſerunt Magiſtris Ordinum, vt ea Beneficia Clericis Fratribus largirentur.. Ita conſtat ex Bulla Iulij II. expedita anno 1508. reſpectu Calatrauenſium. Et ex Bulla Innocentij VIII. anno 1486. quæ incipit, *Sollicitudo Paſtoralis*; In qua proponit petitionem Magiſtri Ordinis, nempè; *C n ſint nonnullæ Parochiales Eccleſia eidem Militia ſubiecta, quæ per presbyteros ſæculares conductitios, & ad nutum Præceptorum Præceptoriarum, in quibus dicta Eccleſia conſiſtunt, amouibiles, gubernari conſueuerunt, ſi Eccleſia ipſa deinceps etiam per Fratres dicta Militia in Presbyteratus Ordine conſtitutos, pari modo ab eis amouibiles, gubernarentur, &c.* Cui petitioni annuit Pontifex.

16 Notaueris tamen obiter, ea Beneficia fuiſſe propria Ordinis indeque ſolita fuiſſe conferri Presbyteris ſæcularibus, qui ad nutum erant amouibiles; Quare videbatur, non fuiſſe opus indulto Pontificio, vt conferrentur Clericis Fratribus; Verũ quia tũc Clerici Fratres vt plurimum intra Monaſteria verſabantur ex Inſtituto, & ſtylo Ordinis ſolumque vnus aut alter extra Clauſtra in Eccleſijs Ordinis verſabatur; hinc à Pontifice exoratum eſt, vt poſſent plures extra Clauſtra in Beneficijs degere; idque etiam intentum fuit per eiuſmodi indultum, vt ius Ordinis erga Beneficia ampliùs firmaretur. Cæterùm ab initio ipſius Ordinis Alcantaræ iam Clerici Fratres Beneficia cum animarum Cura obtinebant; nempè Prior de Alcantara, qui ſimul regebat Parochiam Sanctæ Mariæ de Almocouar: & Priores del Pereyro, de Santiuañez, de Valencia, & Magacela, quos dari anño 1224. legi in Inſtrumento D. Garſiæ Fernandez, Septimi Magiſtri eius Ordinis.

17 Redeo ad concluſionem. Sanè, cum Clerici Fratres ea Beneficia obtinentes ſint ſtrictè Religioſi, ad nutum Superiorum; iuxta Regulam, Statuta, & Definitiones debent gubernari; ac ſi expediat, vel ob ingens Ordinis commodum, vel ob ipſorum culpas, ſufficientes iuxta ipſa Statuta, & Definitiones, par eſt, vt poſsint à Beneficijs amoueri, vt ſic Obedientiæ Voto debitè fiat ſatis. Dices. Hæc Beneficia ſunt collatiua, ergo non amouibilia. Sciendum quidem eſt, ea non fuiſſe collatiua, quod ſatis cernitur in verbis Bullæ adductis *numer. præcedent.* ſed ab ipſis Ordinibus reddita fuiſſe collatiua. Tunc autem Beneficia collatiua non ſunt amouibilia, cum duo concurrunt, nempè collationem ab Epiſcopis, aut ſimilibus præſtari: Et Beneficiarios remanere ipſis ſubiectos. Quando autem ſecùs contingit, poſſunt Beneficia remanere amouibilia; vt docet P. Leſsius *de iuſt. lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 12. *num.* 98. *in fin.* Clerici autem Fratres, quamvis aliquorum Beneficiorum collatio eis præſtetur ab Epiſcopis, eis non remanent vllo modo nec ratione officij, nec Beneficij ſubiecti. Rursùs Beneficium eſſe amouibile, aut perpetuum, eſt quid de Iure poſitiuo; Conſtat autem ex prædictis Bullis; Pontifices conſtituiſſe, aut confirmaſſe ea Beneficia amouibilia. Demum conſuetudo legitimè præſcripta facit Ius; Certum eſt autem, quadraginta, & multò pluribus anuis hunc morem in Ordinibus Militaribus, nullo reclamante, inualuiſſe, vt Beneficia ſint amouibilia, & aliquando nonnullos fuiſſe amotos à Beneficijs; quod tamen non niſi raro præſtari debet; & cauſis concurrentibus, quæ vel in Ordinum ingentem vtilitatem cedant; vel indignos Beneficijs Clericos Fratres conuincant.

Quare Beneficia eſſe ad nutum amouibilia in his Ordinibus, non eſt, pro ſolo nutu Adminiſtratoris perpetui Regis noſtri, Capituli, aut Senatus, poſſe ea amoueri; id enim non æquitati, aut rationi conſonum; nec quid fixum Clerici Fratres haberent; quod adhuc timendum foret, in præiudicium animarum vergere, ſi Parochi timentes, ſe facilè, & pro nudo nutu poſſe remoueri, perfunctoriè eis inuigilarent; & aliundè ipſi honoris paterentur detrimentum, cum cenſeri poſſet, ipſos cauſam dediſſe amotioni. Videatur Dominus Don Ioannes de Solorzano *In Politica Indiarum libr.* 4. *capit.* 15. *folio* 628. Quare requiritur cauſa iuſta, & rationabilis, inſpectis Statutis, & Definitionibus Ordinum; & tunc ea cauſa præualet detrimento amotionis. Id confirmatur à paritatibus; Nam Commendæ (quæ ab aliquibus cenſentur Beneficia Eccleſiaſtica, ſaltem latè, & ſic nuncupantur in Definitionibus Calatrauæ *c.* 10. *pagin.* 49.) nequeunt tolli à Commendatarijs, niſi præcedant cauſæ ſufficientes iuxta Ordinum ſanctiones. Nec in Reli- 18

gionibus

gionibus ſacris Prælaturæ inferiores poſſunt pro nutu Superiorum tolli, niſi dentur cauſæ in Conſtitutionibus expreſſæ, aut inſinuatæ.

QVÆSTIO III.

An Fratres Clerici Ordinum Militarium poſſint obtinere quaſvis Capellanias in Eccleſiis ſui territorij ſitas, etiam ſolitas obtineri à Clericis ſæcularibus.

§. I.

Deciditur quæſtio.

19 PLures ſunt Eccleſiæ ſitæ in Territoriis Ordinum Militarium, & extra illa, ſubjectæ Prælatis eorundem Ordinum, in quibus extant aliquæ Capellaniæ vel à priſcis temporibus erectæ, vel noſtris ſæculis ſtabilitæ, quæ vel iure ſanguinis conferuntur his, qui ab hac, aut illa familia, & propagine deſcendunt; vel obtinentur per præſentationem illius, qui habet ius præſentandi, vel demùm conferri ſolent Clericis ſæcularibus à Prælatis ipſorum Ordinum. Quærimus ergo, an Fratres Militiarum; abſque vlla diſpenſatione Pontificia, capaces ſint, vt iure ſanguinis obtineant eas Capellanias vel præſentationem, vel demùm Prælati poſſint eas ipſis conferre, quantumvis ſæculares Clerici ſoleant eas obtinere, eo quòd iure ſanguinis ad eos pertinuerint, aut præſentati fuerint ad ipſas, vel electi, & nominati ab eiuſmodi Prælatis; ita vt, ſi Fratres prædicti quoquomodo ex præfatis eas Capellanias nanciſcantur, nequeat à Clericis ſæcularibus reclamari, eo quòd ab ipſis hactenùs fuerint obtentæ?

20 Iam diu ventilata fuit hæc quæſtio, & cum de ea conſulerentur anno 1617. Viri ſapientiſſimi; parti affirmatiuæ ſubſcripſerunt, eorumque cenſuram mihi videre licuit. Ab illa ſteterunt Salmanticæ Doctor Marcus Diez egregius Iuriſconſultus, necnon omni literatura inſignis, Dom. D. Petrus de Vega, & Illuſt. Dom. D. Martinus de Bonilla, poſt primariam Iuris Canonici Cathedram, à Regis noſtri Conſiliis, in ſupremo Caſtellæ Senatus, nunc Epiſcopus Abulenſis. Et in vrbe Ciuitatenſi Doctor Ioannes Gutierrez, ob ſuas Canonicas quæſtiones celeberrimus. Hæc pars eſt omninò vera, & tenenda, quam operæpretium erit, firmiter exornare, & comprobare; Eamque tenet Rodriguez *tom. 1. qq. Reg. q. 34. art. 3.*

Etenim omnes Eccleſiæ ſitæ intra territorium proprium Ordinum Militarium, ſunt ipſis ſubjectæ, atque adeò ſunt Regulares, & omnia Beneficia, ac Capellaniæ in eis ſitæ pariter ſunt Regulares, indeque eiſdem Clericis Fratribus Regularibus poſſunt conferri. Sicut enim rectè Epiſcopi ſuum ius, ac intentionem fundant, & ſtabiliunt in eo, quòd Eccleſiæ ſint intra ſuum territorium extructæ, ad hoc vt eis ſubjiciantur, & præſumantur ſæculares; *cap. omnes Baſilicæ 16. q. 2. cum aliis*; ita ius Ordinum Militarium rectè fundatur in continentia Eccleſiarum in proprio territorio. Quæ doctrina traditur ab Archidiacono, & pluribus DD. *in cap. 1. ne Clerici, vel Monachi*, Rebuffo *in praxi, tit. quotuplex beneficium, num. 6.* Maſcard. *1. tom. concluſ. 172. num. 17.* Emanuële Rodriguez *1. tom. qq. regular. q. 34.* Zeuallos *quæſt. 281. num. 12.* Hoieda *de incompatib. benefic. in præf. num. 6.* Lambert. *lib. 1. prim. gloſ. quæſt. 11. art. 3. num. 5.* Gonzalez *ad reg. 8. Cancellar. gloſſ. 7. num. 2.* Nicol. Garcia *de benef. 1. part. cap. 2. num. 67. §. 1.* Et firmatur *ex leg. 25. tit. 7. partit. 1.* ibi; *Mas ſi las Igleſias fueſen quietamente de los Monaſterios con todos ſus derechos, bien los pueden poner ſus Mayorales ſin otorgamiento de los Obiſpos; y los Monges, que deſta manera fueſen pueſtos en las Igleſias Parroquiales, pueden predicar en ellas, y baptizar, y facer todas las otras coſas, que pueden fazer los otros Clerigos de Miſſa ſeglares en las Igleſias, que tienen.* 21

22 Cæterùm territoria propria, ſeu Eccleſiæ Ordinibus Militaribus, eorumque Prælatis conceſſæ ſunt à Regibus, vt conſtat ex donationibus ab eiſdem factis, quarum Inſtrumenta in Conuentibus Militaribus aſſeruantur, & earum frequens fit mentio ab Authoribus, qui eiuſmodi Ordinum inſtitutionem, & progreſſum ſcripsêre; quod, vt certiſſimum, in præſenti eſt ſupponendum; ſicut etiam quoad ſpiritualia, eadem territoria, ſeu Eccleſiæ conceſſæ ſunt Ordinibus à Pontificibus.

23 Deindè Rex, vt Adminiſtrator perpetuus Ordinum Militarium, eſt Patronus omnium Beneficiorum, & Capellaniarum, quæ in Eccleſiis eorundem ſunt dotatæ; nec vllæ dotari poſſunt, inuitato Patrono, vt ex iure eſt conſtans. Etenim ratione ſoli, & extructionis Eccleſiæ ius patronatus acquiritur, iuxta *l. 1. tit. 15. partit. 1.* & cum territorium ſit Regis, quatenus domini, &

Adminiſtratoris, ac conceſſum ipſis Ordi-
dinibus, qui & Eccleſias plures ædifica-
runt, & ipſis incumbit earum reſtauratio,
& reædificatio, ſimulque eas viſitant, & gu-
bernant, fit, vt penes Regem, & Ordines
ſit Patronatus earum, neque quidquam tol-
lat, quominùs Capellanias poſſint ſuis Fra-
tribus conferre, ſicut lites ſuper ipſis exor-
tas valent decidere. Et quidem omnes Ca-
pellaniæ includuntur, ac continentur ſub
Eccleſiis præcipuis Ordinum, vt ſub Ma-
tricibus, quare earum naturam ſequi de-
bent, & regulares cenſeri; indeque non
ſunt iudicandi, vt extranei, ac incapaces
illarum Clerici Fratres Militiarum. Videa-
tur Gonzalez *vbi ſuprà gloſ.* 10. *à num.* 10.
Magiſtrum autem, ſeu Regem, vt Admini-
ſtratorem, eſſe Patronum Eccleſiaſticum
eiuſmodi Eccleſiarum cum iure præſen-
tandi, conſtat ex Bulla Martini V. quæ ex-
tat in Bullario Alcantaræ, *pag.* 44. Eccleſias
autem proprias Ordinum eſſe, & contineri
ſub Eccleſiis Monaſteriorum, quæ ſunt
Matrices, liquèt ex Bulla Innocentij III.
expedita anno 1214. confirmantis denuò
Ordinem Calatrauæ; ac ex Bulla Gregorij
IX. circa Ordinem de Alcantara, quæ ex-
tat in Bullario *pag.* 21. Et ex Definitioni-
bus huius Ordinis *tit.* 5. *c.* 38. *& titul.* 11.
c. 19. Et ex Bulla Confirmationis Ordinis
D. Iacobi.

24 Rursùs, Capellanias fundatas in Eccleſiis
regularibus eſſe regulares, ſtabilitum fuit
in Rota deciſ. 15. *ſub tit. de iur. patr.* Quod
à paritate roboratur; nam de iure commu-
ni Eccleſiæ ſitæ intra limites alicuius Paro-
chiæ, Matricis, aut diœceſis, ſemper eis
cenſentur ſubiectæ; iuxta *c.* 2. *de Capell.
monach. c. conſtitutus, de religioſis domib.* Ma-
ximè cum præfatæ Eccleſiæ incluſæ ſub
Matrice regulari ſint acceſſoriæ, & ſequan-
tur naturam principalis; *leg. principalis, ff.
de reg. iur. regula, aceeſſorium, eodem tit. lib.*
6. Et huius doctrinæ fundamentum opti-
mum deſumitur, *ex cap. ſuper, de prabend.
lib.* 6. *vbi gloſſa, verbo, obtiet. Ex cap. cum ſin-
gula* 32. *capit. quia ſapè, iuncta gloſſa, verbo,
annexa, eodem titulo, & cap. cum ſuper eo, de
paroch.* Docent Citadinis *de iure patronat.* 3.
part. num. 79. Surdus *conſil.* 188. *lib.* 1. *n.* 16.
& alij plures. Vnde communiter traditur,
non eſſe gratiam ſubreptitiam, ſi quis im-
petret Beneficium, nulla facta mentione
alterius ei annexi, quia hoc ſequitur illius
naturam, & ſub illo expreſſum iudicatur.

Idipſum firmius redditur ex Concilio
Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 9. *de reformat.* vbi Be-
neficia, quæ aliis vniuntur, eiuſdem naturæ
fieri, & ſub eodem iure patronatus conſti-
tui, ſtatuitur. Et *in leg.* 4. *tit.* 12. *partit.* 1.
aſſeritur de his; *Ca eſtonce aquella, que es
ſometida à la otra, debe viuir ſola regla de
aquella. à que ſe ſomete, y vſar de los priuile-
gios della. E ſegun eſto dyeron los Santos Pa-
dres, que la vna Igleſia cuelga de la otra.* Vi-
deantur Ferretus *conſil.* 236. *n.* 1. Anchar-
ran. *conſil.* 114. *n.* 2.

Adhuc confirmatur; nam membra de- 25
bent ſuo capiti conformari, nec decet, ab
eo diſiungi; cum autem Eccleſia matrix ſit
naturæ regularis, & caput, conſequens eſt,
vt Capellaniæ, quæ ſunt membra, cum illa
conformentur, nec diuerſam ſubeant na-
turam; Quod deſumitur *ex c. non decet,* 12.
diſtinct. c. celebritatem 3. *diſt. c. miramur* 61.
diſt. vbi ea conformitas commendatur. Ita-
que ratione annexionis, acceſſorij, & con-
iunctionis Capellaniæ fiunt Regulares, ſeu
naturam ſortiuntur regularium; atque
etiam ratione continentiæ; nam conten-
tum ſequitur naturam continentis, iuxta
*leg. at teſtium, §. fin. ff. de teſtament. leg. adeò,
§. inſula, ff. de acquir. rer. domin.* Capellaniæ
autem ſub Eccleſiis continentur, hincque
fiunt regulares iuxta Eccleſiarum naturam.
Cui rationi fauent *Deciſio Rota* 15. *&* 16. *de
Iur. patronat.* Cabedo *de patronatu Regio,
capit.* 2. *num.* 2. cum aliis. Idque poſſet robo-
rari pluribus paritatibus deſumptis ex Iure
Ciuili, & Canonico, à quibus ſuperſedeo,
ne rem protrahamus.

Sanè, quæ religioſis adhærent, religio- 26
ſa eſſe, decernitur *in l. qua religioſis* 43. *ff.
de rei vindic.* vnde cum hæ Capellaniæ ad-
hæreant Religioſis Ordinibus, & Regula-
ribus Eccleſiis, erunt etiam Regulares, &
valebunt Regularibus concedi; vtpotè ca-
pacibus obtinendi abſque vlla diſpenſatio-
ne Beneficia Regularia ipſorum Ordinum.
Prætereà magis dignum trahit ad ſe minùs
dignum, iuxta *leg. iuſtiſſimè, ff. de Ædilitio
edict. §. ſi quis in aliena tabula, inſtit. de re-
rum diuiſ. cap. quod in dubiis, de conſecr. Ec-
cleſ. vel altar.* cum autem Eccleſia matrix
ſit dignior, & maiori prærogatiua gaudeat,
quàm Capellaniæ ſitæ in ipſa, fit, vt illa
has ad ſe, & ad ſuam naturam trahat; ſicut
Eccleſia ſæcularis vnita Regulari fit Regu-
laris iuxta *deciſ.* 10. *antiquam Rota, de Rebus
Eccl. non alien.*

Cæterùm ex ſe etiam apparet abſurdum, 27
in Eccleſiis ſubiectis Ordini Militari, eiuſ-
que Adminiſtratori, fundari Capellanias,
& excludi ab eis Clericos Fratres ipſius
Ordinis; quin potiùs illicò ac fundatæ
ſunt, ſubierunt leges, & naturam eiuſmodi
Eccleſiarum. Quò facit Deciſio Rotæ alla-
ta à Nicolao Garcia *de Benef.* 1. *p. c.* 2. *n.* 67.

ſic

ſic aſſerens; *Et ad probandum, quòd ſit Regulare, ſufficit, quòd ſit fundatum in Eccleſia Monachali, cum aliàs ibi ſæcularis eſſe non poſſit.* Quid clarius? Et quidem Fundator Capellaniæ cenſetur ſe velle conformare naturæ ipſius Eccleſiæ, in qua eam erigit; ſicut teſtator præſumitur voluiſſe ſe conformare cum Statuto Ciuitatis, vt docet Bartolus, & cum eo communior ſententia *in leg. nemo poteſt, ff. ad Trebell.*

28 Vrgetur amplius. Si Beneficium regulare Parochiale eſſet tenue, poſſet ei annecti Beneficium ſimplex, iuxta Tridentinum, ſitum in eadem Eccleſia; ergo tunc poſſet ei annecti Beneficium intra ipſam erectum, quamvis aliundè Clerici ſæculares ſoliti eſſent illud obtinere; igitur etiam ſi non fiat annexio, poterit illud Beneficium conferri Clerico Fratri Ordinis, ſeu Regulari, ſi quidem primus caſus oſtendit, eum eſſe capacem obtinendi hoc Beneficium, idque ſequi naturam Beneficij Parochialis. Imò de facto Capellanias à ſæcularibus olim habitas, annexas fuiſſe Priotatibus, aut ſimilibus Beneficiis Ordinum Militarium, conſtat ex eorum Capitulis Generalibus, & Definitionibus. Nam quòd Clerici ſæculares Beneficia eiuſmodi, aut Capellanias poſſederint, ſolùm euincit, fuiſſe id permiſſum à Prælatis Ordinum Militarium.

§. II.

Stabilitur ampliùs, poſſe Clericos Fratres Ordinum Militarium habere quaſvis Capellanias in Eccleſiis eorundem Ordinum erectas.

29 ITidem ſtabilitur aſſertio noſtra. Quippè à Fundatoribus prædictarum Capellarum non excluduntur Clerici Fratres Militiarum; quin potiùs, cum in ipſorum Eccleſiis eas erexerint, videntur annuiſſe, vt illi eas poſſent obtinere; maximè cum non poſſint in his Eccleſiis erigi Capellaniæ abſque facultate ipſorum Ordinum, quam non eſſe concedendam cum excluſione Clericorum Fratrum, Fundatoribus debet eſſe compertum. Cum igitur nec excludantur hi Fratres Clerici, nec prohibitum alicubi eis ſit, præfatas Capellanias vel iure ſanguinis, vel per præſentationem obtinere, fit, vt id ipſis liceat; nam regulariter quod non reperitur prohibitum, cenſetur permiſſum; iuxta *leg. in tantum 8. ff. de rer. diuiſ. vbi Gloſſa verbo, reſcripſerunt; leg. ad ſtatuas, ff. de religioſ. & ſumpt. funer. leg. necnon, §. quod eis, ff. ex quibus cauſ. maior. cap. cum ordinem, de reſcript. cap. cum apud, de ſponſalib. cap. piæ mentis, 10. quæſt. 2.* Imò omnia Monacho ſunt permiſſa, quæ prohibita non inueniuntur in regula; *cap. ſunt nonnulli, 10. quæſt. 1.* & docent Cardinal. *in Clement. 2. §. 1. de ſtat. Monach.* Bertachin. *verbo, Monachus 1. num.* 10. Felinus *in cap. in noſtra, de reſcript. n. 46.*

Vt autem inhabiles cenſerentur ad eas Capellanias Clerici Fratres Militiarum, prohibitio deberet probari; nam qui aliquem inhabilem dicit, etiam in Beneficiis obtinendis, debet eius inhabilitatem probare in ſpecie, & priuatiuè; vt tradunt Menoch. *lib. 2. præſump.* 10. *n.* 26. Maſcard. 2. *tom. concl. 666. n. 8.* Faciliùs autem probari poſſet, Clericos ſæculares eſſe incapaces obtinendi eas Capellanias, cum ſitæ ſint in Eccleſiis Regularibus ſubiectis Ordini Militari, quàm Clericos Fratres Militiarum eſſe incapaces. 30

Ipſi ſanè Ordines Militares in ea ſemper 31
mente fuerunt, vt iudicarent, ad ſe pertinere omnia Beneficia, & Capellanias ſitas in ſuis Eccleſiis. Audi, vt alia omittam, verba *ex cap. 15. & 19. ſub Rubrica de los Arcipreſtazgos, y Beneficios, in Definitionibus Ordinis de Alcantara.* ibi; *La prouiſion de los Beneficios Curados, y ſimples ſeruideros de las villas, y lugares de nueſtra Orden ſon à prouiſion del ſeñor Maeſtre.* Et ibi; *Por parte de los Concejos de las villas, y lugares de nueſtra Orden fue hecha relacion, que muchos Clerigos de la Orden de S. Pedro, que reſiden eñ ellos, no han querido, ni quieren ayudar à los Curas, y Rectores de las tales villas, y lugares à las Viſperas, y Miſſa que ſe dicen los dias de Fieſta en las Igleſias Parroquiales; y pues las Igleſias ſon de nueſtra Orden, y ninguna perſona puede en ellas decir Miſſa ſin licencia del ſeñor Maeſtre, ò del Beneficiado della, y que ſe les ha permitido, y tolerado de gozar de pitanzas, y Capellanias, que en las tales Igleſias eſtan dotadas, perteneciendo todo à nueſtra Orden.* Ecce, quòd Clerici ſæculares obtinuerint Capellanias in Eccleſiis Militiarum, fuit permiſſio Prælatorum, & illæ ad Ordines ipſos omnino ſpectant. Definitiones autem præfatæ à Sede Apoſtolica approbationem habent.

In primis verò verbis, vbi aſſeritur, 32
omnia Beneficia ad Ordinem ipſum pertinere, etiam includuntur Capellaniæ, tum ex identitate rationis, tum quia nomine Beneficij etiam Capellania comprehenditur, vt conſtat *ex cap. 1. & toto tit. de Capell. Monachor.* & aduertunt Rebuffus *in praxi, ſuper reg. de infirm. reſignant. gloſſ. 1. verbo, aliquod Beneficium.* Zeuallos *quæſt.* 693. *num.* 19.

num. 19. Garcia *de beneſic.* 1. *part. cap.* 6. *à num.* 37. Quin ſi ad Capellaniam vocentur conſanguinei, præferendus videtur, cæteris paribus, Frater Militaris Clerico ſæculari; cum natura Capellaniæ regularis, & in Eccleſia ſubiecta Ordini ſita, potius ius ei tribuat, quàm alteri, iuxta dicta, & dicenda. Et ſanè plurimi ex Ordinibus Militaribus prædictis Capellaniis potiuntur; atque in litibus, quæ ſuper his fuerunt exortæ, ſemper victores euaſerunt. Quare noſtra controuerſia ſolùm tendit, vt conſtet de iure, quo res fuit iam iudicata.

33 Et certè Fratres Clerici Militiarum, qui in ſuis Eccleſiis ſunt Parochi, acquirunt diſtributiones pro Anniuerſariis ibi fundatis à ſæcularibus, quare ergo, ſicut has poſſunt percipere, non poterunt & Capellanias? Et cum valeant Beneficia Curata obtinere, cur non valeant ſimplicia? cum difficilius ſit ad illa, quàm ad hæc promoueri, vt tradit Paríſius Flaminius *de reſignat. Beneſ. lib.* 4. *q.* 11, *n.* 46.

34 Imò ſi concederemus, ea Beneficia eſſe ſæcularia, non eſt; cur excludantur prædicti Fratres ab illis; nam ſi ſæculares Clerici ſunt capaces Beneficiorum regularium, cur illi ſint incapaces ſæcularium, quæ in ſuis Eccleſiis ſunt erecta? Nec inhabiles ad ea ſunt cenſendi, argumento deſumpto ex Concil. Tridentin. *ſeſſ.* 14. *cap.* 11. *de reformat.* Vbi loquens de Religioſo trànſlato de vno Ordine ad alium inquit; *At taliter tranſlatus, etiam ſi Canonicorum regularium fuerit, ad Beneficia ſæcularia, etiam Curata, omnino incapax exiſtat.* Ecce in pœnam ſtatuit incapacitatem ad beneficia ſæcularia; ergo iure communi illi Canonici regulares capaces forent eiuſmodi Beneficiorum; aliàs non eſſet pœna illa incapacitas. Quare ſolùm poſſet contendi, Regulares eſſe incapaces Beneficiorum ſæcularium, quæ in Eccleſiis ſæcularibus ſita ſint, non verò eorum, quæ in Eccleſiis Regularibus, vt expreſsè docet Lambertinus *lib.* 2. 1. *part. quæſt.* 2. *in reſolut. concluſ. fol.* 63.

35 Hic aduerte, poſſe hæc Beneficia conferri Clericis Fratribus Nouitiis, qui non tenentur eis renuntiare, cum Profeſſionem emittunt, ſicut aliis Beneficiis, quæ ſunt ſæcularia ex ſua natura. Etenim ſi poſſunt, vt oſtendimus, Profeſſi hæc Beneficia, & Capellanias, vtpotè ex natura ſua regulares, obtinere, quare dum Profeſſionem emittunt, teneantur eis renuntiare, cum non debeant renunciare, niſi his, quæ ſunt incompatibilia cum ſtatu Religioſo? Hinc in Monaſterio S. Marci Legionenſis Nouitio Fratri contulit Capellaniam Prior, quæ ad ipſum iure deuolto conferenda ſpectauit, & eam retinens Frater Clericus Profeſſionem emiſit; ac rectè id fuit peractum.

§. III.

Diluuntur argumenta contendentia, non poſſe Clericos Fratres Militiarum obtinere in ſuis Eccleſiis Capellanias fundatas à ſæcularibus, iure ſanguinis, aut per præſentationem.

36 Arguitur primò ex quadam Declaratione Congregationis Concilij Tridentini adducta à Proſpero Farinacio, quæ ſic ait. *Congregatio Concilij cenſuit, Milites Regulares Militia Sancti Iacobi de Spatha, alioſque huiuſmodi non emittentes omnia tria vota ſubſtantialia, videlicèt Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientia, non eſſe incapaces Beneficiorum ſæcularium ſiuè ſimplicium, ſiue Curatorum, neque etiam Penſionum.* Sed Clerici Fratres Militiarum emittunt ea vota ſubſtantialia, ergo à contrario ſenſu ſunt incapaces Beneficiorum ſæcularium.

37 Reſpondeo primò, Beneficia omnia ſita in Eccleſiis Militiarum non eſſe ſæcularia, ſed regularia, ac propterea hanc declarationem noſtræ aſſertioni non obſtare. Reſpondeo ſecundò, non obſtare etiamſi daremus, aliqua Beneficia erecta in eis Eccleſiis eſſe ſæcularia. Etenim ea Congregationis declaratio loquitur de Equitibus Militaribus, non de Fratribus Regularibus; & non agit de beneficiis ſæcularibus ſitis in Eccleſiis Militiarum, ſed de beneficiis ſitis in quibuſvis Eccleſiis ſæcularibus, quæ, declarat, poſſe ab eis obtineri; ſicut de facto obtinentur; hæc autem non poſſe obtineri à Fratribus Militiarum, noſtro aſſerto non contradicit, cum nos loquamur de beneficiis, quæ extant in Eccleſiis Regularibus Ordinum Militarium. Ex eis autem Congregationis verbis ſolùm poteſt inferri, quod nos non inficiamur in hoc aſſerto.

38 Quòd autem ſermo ſit de Equitibus, conſtat ex eis verbis *Milites Regulares*; nam nomen Militum Clericis Fratribus non competit. Conſtat præterea, quia Fratres Clerici emittunt tria vota ſubſtantialia, & ibi aſſeritur, Milites non emittere votum Caſtitatis perfectum, & abſolutum; cum tamen emittant votum Caſtitatis coniugalis, & quia hoc, & cætera vota cenſentur à pluribus eſſe ſufficientia, vt ſint Regulares ſtrictè hi Equites, & nomine Regularium ipſa Congregatio eos nuncupat, inde

inde exortum fuit dubium, an cum eſſent Milites Regulares, poſſent obtinere Beneficia ſæcularia in quibuſvis Eccleſiis; aliter non extitiſſet cauſa dubitandi.

39 Arguitur ſecundo. Religioſi nequeunt obtinere Beneficia ſæcularia, neque capaces ſunt acquirendi fructus, cum Monaſterio acquirant, quidquid acquirunt, iuxta *Authen. Ingreſſi, C. de ſacroſanct. Eccl.* & ratione voti Paupertatis nequeunt dominio fructuum potiri; ergo Clerici Fratres Militiarum incapaces ſunt eiuſmodi Beneficiorum, cum ſtrictè ſint Religioſi. Confirmatur; nam per Profeſſionem Religioſi vacat Beneficium obtentum, iuxta *cap. Beneficium, de regular. lib.6.* Ergo à fortiori nequit illud obtinere.

40 Reſpondeo, Beneficia, & Capellanias, de quibus eſt noſtra quæſtio, non eſſe ſæculares, vt probauimus. Et præterea Regi conceſſum eſſe ab Innocentio VIII. vt omnia Beneficia ſita in Eccleſiis Ordinum Militiarum poſſit conferre ſiuè Fratribus Regularibus eorundem Ordinum; ſiuè aliis. Vnde confirmatio ruit, cum non ſint incapaces obtinendi ea Beneficia, eſtò, ſi ante Profeſſionem obtinuiſſent aliquod Beneficium ſæculare in Eccleſia ſæculari, illud vacaret. Et cum voto Paupertatis ſtat, quòd poſſint percipere, & adminiſtrare fructus eo modo, quo aſſeruimus *diſq.* 4. de voto Paupertatis agentes. Cæterùm hæc aduerſantium ratio multum probat, atque adeò nihil, cum ſuadeat, Clericos Fratres Militiarum non poſſe habere Beneficia Curata ſuorum Ordinum. Atque eſt obſeruandum in præſenti, Clericos Fratres Militiarum non fore eo ſtricto iure metiendos, quo cæteri Religioſi, circa quos reperiuntur in Iure Canonico plures diſpoſitiones. Hi enim intra Clauſtra Monaſterij debent degere; illi queunt extra illa in ſuis Beneficiis reſidere. Hi ratione prædicationis, & adminiſtrationis Sacramentorum dumtaxat ad Beneficia Regularia admittuntur; illi tum ob eam rationem, tum quia Rex ex conceſſione Pontificia poteſt eis conferre omnia Beneficia Ordinum Militarium; etiam illa, quibus non eſt annexa Prædicatio, & Sacramentorum adminiſtratio. Alia diſcrimina dantur, quibus argumenta contraria infringuntur.

41 Arguitur tertiò. Beneficium ex primæva ſui inſtitutione præſumitur ſæculare; ergo ſæcularibus eſt concedendum, iuxta *cap. cum de beneficio, de præbend. lib.6. cap.2. de ſtat. monach. cap. in nona actione, 16. quæſt.1.* Confirmatur primò; nam vt Beneficium fiat de ſæculari regulare, requiritur præſcriptio quadraginta annorum, quæ tamen non datur. Confirmatur ſecundo ex Motu proprio Pij V. expedito anno 1568. In quo ait; *Sed nec vlli Milites, aut Fratres, etiam ſimplices Clerici, vel Presbyteri, prætextu huiuſmodi diſpenſationum, & gratiarum, aliqua ſimplicia, aut alia Beneficia Eccleſiaſtica ſæcularia, aut aliorum Ordinum regularia, etiam nullum omnino onus, aut ſeruitium habentia, vt præſtimonia, deinceps recipere, & retinere poſſint.*

Reſpondeo, præſumptionem ceſſare, 42
cum Beneficium ſitum eſt intra Eccleſiam regularem; imò, ſicut Beneficium ſitum in Eccleſia ſæculari præſumitur ſæculare, pari ratione ſitum in regulari præſumitur regulare, cum contrariorum ſit eadem diſciplina. Et non ſolùm præſumi, ſed eſſe regularia ea Beneficia, ſatis oſtenſum eſt. Indè ergo fit, poſſe illa conferri Regularibus, & eſſe id conformius ipſi naturæ Beneficiorum; vt liquet ex *Clementin.* 1. *de ſupplend. neglig. Prælator.* Ad primam confirmationem aſſero, ſæcularium poſſeſſionem fuiſſe ad beneplacitum Ordinum, & quaſi precariam, nec potuiſſe præſcribere contra Beneficia, quæ ſunt propria ipſorum Ordinum, atque adeò ea Beneficia non fieri de ſæcularibus regularia, nec opus eſſe præſcriptione ex parte Regularium; cum ex ſe ſint Beneficia regularia; & ſæculares pacificè non obtinuerint illa, tanquam ſibi debita, nec bona fide; ſed ex beneplacito Ordinum, & victi fuerint in iudicio, cum litem ſuper eo inſtituerint; quare nunquam ea retinuerunt, aduerſario inuito; nec tanquam ſuo iure vtentes cum ſcientia, & patientia domini; hincque nequeunt ad præſcriptionem confugere.

Ad ſecundam confirmationem reſpondeo, fatendo, non poſſe Clericos Fratres 43
Militiarum obtinere abſque diſpenſatione Beneficia ſæcularia, in Eccleſiis maximè ſæcularibus ſita; nec Fratres Clericos vnius Ordinis poſſe potiri Beneficiis alterius Ordinis; Quod ſolum decernit Pius V. Nos autem in præſenti defendimus Clericos Fratres cuiuſque Ordinis poſſe obtinere quævis Beneficia ſita in Eccleſiis proprij Ordinis, præcipuè cum ea omnia cenſenda ſint regularia. De Militibus autem Equeſtribus ea diſpoſitio Pij V. poſtmodùm fuit reformata, cum obtinere valeant Beneficia ſæcularia, iuxta *ſuprà* dicta.

QVÆSTIO IV.

An Clerici Fratres Ordinum Militarium de licentia ſuorum Superiorum poſſint obtinere quaſlibet Præbendas, & Beneficia ſæcularia abſque diſpenſatione Pontificis?

§. I.

Examinantur fundamenta ſententiæ affirmantis.

44 SVpponit quæſtio abſque licentia Prælatorum explicita, aut implicita ſufficienti tamen ad ſignificandum eorum conſenſum; non poſſe in Eccleſiis ſæcularibus Dignitates, Canonicatus, Beneficia Curata, aut ſimplicia; vel Capellanias obtineri. Etenim, cum ſint Religioſi, & à voluntate Superiorum dependentes, & nequeant de ſe ipſis diſponere, maximè vt extra propriam Religionem occupentur, ita vt ab impendendo ſeſe ipſos totos in eis obſequium, abſtrahantur, debent ſanè beneplacitum Superiorum expectare; ſiuè Regis, ſiuè Capituli, aut Senatus Regij Ordinum, eorumvè, quos, vt Prælatos, habent.

45 Igitur ſententiam affirmantem reſpectu Fratrum Clericorum Ordinis D. Iacobi ſtabilire conatur D. Franciſcus de Ocampo Iacobæus *in reſponſione ad hanc quæſtionem*; Cuius rationes aliquæ ſunt ſpeciales pro ſuo Ordine, aliæ verò communes, quæ æquè pro cæteris militant; Eas, & alias, quæ poſſunt proferri, euoluamus.

46 Supponit primò, Fratres Clericos Iacobæos retinere bonorum dominium; quod ex variis capitibus intendit ſuadere, & quia id non opponitur Voto paupertatis, vt ab ipſis emittitur, & quia teſtamenta condere poſſunt, indeque ait, non comprehendi ſub Decretis Pontificiis, vbicumque prohibētbonorum diſpoſitionem. Ex hoc fundamento latè probato infert, poſſe eos obtinere quaſlibet Præbendas, & Beneficia ſæcularia.

47 Quidquid pro nunc ſit de fundamento, quod falſum eſſe oſtendi *diſq.* 4. *quæſt.* 8. fateor, me non potuiſſe callere vim illationis huius; habent dominium rerum, ergo poſſunt obtinere Beneficia ſæcularia. Etenim id dominium non reddit eos ſæculares; cum remaneant verè, ſtrictè & propriè Religioſi; quod, vt firmum, ac conſtans, eſt præmittendum. Difficultas ergo eſt, quomodo Religioſi, ſiuè habeant dominium, ſiuè non; ſeu his qualitatibus afficiantur, ſeu illis, dummodò Religioſi permaneant, valeant Beneficia ſæcularia obtinere, cum hæc ex Iure communi non minùs priuatiuè videantur competere ſæcularibus, quàm regularia competunt regularibus; illud autem dominium bonorum non reddit ſæculares Iacobæos, cum nunquam admittendum ſit quidquam, quo ab eſſentia primaria Religioſorum deflectant. Itaque id principium de dominio bonorum eatenùs poterat aſſumi, quatenùs ex eo inferretur, habentes dominium non eſſe propriè Religioſos, atque adeò reputandos eſſe veluti ſæculares, & conſequenter capaces Beneficiorum ſæcularium. Sic eo principio vtuntur plures *infrà* referendi loquentes de Equitibus Militaribus; (ſed an rectè de his ita philoſopheutur, *alibi* exponimus) Verùm cum de Fratribus Iacobæis nullus poſſit dicere, non eſſe verè Religioſos, illud principium omninò extra rem videtur deſumi. Idque præ oculis habendum, non debere coniungi duo incompoſſibilia iuxta varietatem euentuum. Etenim, ſi agatur de exemptionibus, de foro, & pluribus aliis, mordicùs curatur à pluribus defendi, non ſolùm Clericos Fratres, verùm & Equites Militiarum eſſe propriè Religioſos, & emittere tria vota ſubſtantialia conſtituentia rigorosè Religionem; Cum autem perueniitur ad caſus, in quibus ratio Religioſorum obſtat, aut obſtare videtur, confugitur ad laxitatem Religionis, ad paupertatem quæ non excludit bonorum dominium, & alia ſimilia; indeque ſimul coniungi curantur omnia fauorabilia Religioſorum ſimul & ſæcularium, & excutiuntur onera Religioni annexa. Opto ſanè, in his omnibus conſequentiæ filum attexi; quamvis fatear, plura competere Religioſis Militaribus, quæ neutiquam competunt non Militaribus; attamen ea debent eſſe, quibus Religionis propriæ & veræ tenor omninò ſeruetur.

Sed ait ille Author ſecundò; Fratres Clericos Iacobæos non venire, nec comprehendi in odioſis ſub nomine Religioſorum; atque adeò Beneficia ſæcularia prohibita Religioſis, eis non eſſe prohibita. In primis id non minùs militat reſpectu Iacobæorum, quàm Fratrum Calatrauæ, Alcantaræ, Auiſij, Monteſæ, & Chriſti. Nam omnes hi non adeò ſtrictam paupertatem profitentur, ac alij Religioſi; diſponunt de ſuis bonis tum viuentes, vt aſſeruimus 48

diſq.

*diſq.*4. tum decedentes, eo modo, quò dicemus *diſq.*15. Gaudent redditibus beneficiorum Ordinum; Ad plura munera ex ſe ſæcularia euehuntur; Degunt extra Communitatem Eccleſiis addicti; ſæcularibus immixti victitant, & ſæcularia negotia tractantes, diſſidentque ſolùm exteriori ſpecie per teſſeram à reliquis Clericis ſæcularibus. Quid igitur in Iacobæis reperitur, ratione cuius non comprehendantur ſub nomine Religioſorum in odioſis, quod in cæteris non inueniatur? Etenim quòd illi præ cæteris dominium rerum retineant, (eſtò ita foret) quid refert ad præſens? Rursùs, quamvis alij Clerici Fratres Militiarum dominium bonorum non retineant, non obſtat quominùs valeant beneficiorum Ordinis redditus percipere, & de eis diſponere, modo *inferiùs* aſſignando; Vnde ergo ex dominio retento, vel non retento, probatur, poſſe, aut non poſſe beneficia ſæcularia, eorunque redditus retineri, & diſcrimen verſari inter Iacobæos, & alios Clericos Fratres Militiarum? Etenim, ſi ſemel ſuadeatur, Iacobæos poſſe ea beneficia obtinere, idem de cæteris erit dicendum, cum his non obſtet dominij abdicatio, ſi quidem abſque dominio redditibus gaudent, & de illis diſponunt, Ordinibus conſentientibus; quare ipſi Ordines pariter poſſent licentiam, ac conſenſum præbere, vt de redditibus Beneficiorum ſæcularium diſponerent, eiſque fruerentur. Et ſanè hi, qui ex cæteris Ordinibus Militaribus, in Senatores, aut ad alia munera aſſumuntur, vel, cum diſpenſatione Pontificia, obtinent Præbendas, ſeu Beneficia ſæcularia, de conſenſu Ordinum, & licentia generali, eiſque annuentibus, liberè diſponunt de redditibus, & fructibus. Vnde ex hoc capite nulla erit repugnantia, quominùs omnes Fratres Clerici Militiarum Præbendas, & Beneficia ſæcularia obtineant.

49 Id autem capere non valeo, quòd Clerici Fratres eiuſmodi generaliter, & abſolutè in odioſis nomine Religioſorum non comprehendantur, aſſerendo ſimul, eſſe odioſam diſpoſitionem illam, quòd Beneficia ſæcularia Regularibus non conferantur. Id ſanè eſt, quod *ſuprà* attigi de coniunctione incompoſſibilium. Et in primis in his, quæ, rigoroſè loquendo, odioſa ſunt, comprehenduntur prædicti Fratres Clerici; nam non eſt ratio, cur excipiantur, ſiquidem propriè Religioſi ſunt, quantumvis normam laxiorem vitæ ſequantur; ſicut cæteri omnes Religioſi comprehenduntur, quamvis aliqui collati cum aliis laxiorem normam ſectentur; Confer namque Carthuſienſes, Capucinos, & ſimiles cum aliquibus, adhue ſanctiſſimum Inſtitutum profitentibus, & animaduertes diſtantiam ingentem in auſteritate habitus, rigore vitæ, pœnitentiis, cibo, cellis, itineribus, & aliis huiuſmodi. Quamvis ergo Fratres Militares diſtent ab aliis Religioſis in vitæ tenore, attamen propriè, & ſtrictè inter Religioſos ſunt recenſendi. Et quidem in ſuis Monaſteriis auſterum, & exactum vitæ retinent modum, & extra illa tenentur ſui ſtatus meminiſſe, ædificationique populi, ac bono Religionis nomini in victu, & cæteris, conſulere.

Prætereà non ſunt cenſenda odioſa ea, 50 quæ ex Iure communi conueniunt omnibus Religioſis ratione ſtatus; ſunt enim diſpoſitiones congruæ, & aptæ, ac veluti regulæ ab illis obſeruandæ; Quod à poſteriori conſtat; Etenim, ſi ea omnia, quæ in Iure communi Eccleſiaſtico prohibentur Religioſis (ſicut prohibetur, habere Beneficia ſæcularia, inter quam prohibitionem, & alias, nullum extat diſcrimen) eſſent odioſa, & ad ea non tenerentur Clerici Fratres Militares, fieret, vt ferè nulla lex, aut diſpoſitio Eccleſiaſtica eos ligaret; nam leges, & diſpoſitiones prohibentes aliquid ſæcularibus, quà ſæculares ſunt, eos non ligant, quia in id inſiſtunt, nempè quòd ſunt Religioſi, & exempti; aliundè contenditur, leges, & diſpoſitiones prohibentes aliquid Religioſis eos non ligare, quia odioſæ ſunt, & ipſi in odioſis non comprehenduntur nomine Religioſorum; ergo vndique ſoluti ſunt legibus, & diſpoſitionibus Eccleſiaſticis aliquod onus continentibus; &, quin ſentiant onus Religioſorum, nec ſæcularium, commoda vtrorunque ſentire intendunt; &, qui ratione ſtatus ſtrictioris legibus ſtrictioribus ſubeſſe debent, ſolùm ſibi fauentes amplecti conantur, ſi fundamentum propoſitum vim habeat. Hæc autem omnia ex terminis ſunt abſurda.

Tertiò inſtat D. Franciſcus de Ocampo; 51 Iacobæos eſſe Canonicos Regulares, hoſque non includi in prohibitione Concilij Lateranenſis, quod ſolùm Monachis vetuit, Beneficia ſæcularia obtinere, imò & Monachos ad Beneficia Curata potuiſſe promoueri, ſtatuit, *ex cap. quod Dei timorem, de ſtatu monachor.* iuxta quod Canonici Regulares ea valent obtinere Beneficia; & pro hac doctrina affert Nicolaum Garcia; qui licèt *7. part. de Benefic. cap.* 10. *ex n.* 31. docuiſſet, nequire Canonicos Regulares prædicta Beneficia obtinere abſque diſpenſatione

ſatione Pontificia, mutanit ſententiam *in addit. ad cap. 4. lib. 1. n. 14.* Addit, non obſtare Conſtitutiones Gregorij XIII. & Pauli IV. qui eam expediuit anno 1558. prohibentes, Beneficia ſæcularia à Regularibus obtineri, eo quòd non exprimantur Iacobæi, qui in odioſis non comprehunduntur nomine Regularium; & quia Conſtitutio Pauli IV. derogata eſt per Conſtitutionem Pij IV. expeditam anno 1560. & res hæc relata eſt ad terminos Iuris communis.

52 Verùm hæc non ſolidè ſtabiliuntur. Nam in primis, eſtò Conſtitutio Pauli IV. ſit derogata, attamen Conſtitutio Gregorij XIII. derogata non eſt, quod *infrà* conſtabit. Deindè Canonicos Regulares non poſſe obtinere Beneficia ſæcularia, docet Gonzalez *in regul. 8. Cancellar. gloſſ. 7. ex num. 53.* Ioannes Maria Nouarin. *in lucerna Regul. verbo, Canonici Regulares, num. 1.* Lezana *in ſumm. tom. 2. cap. 2. num. 72.* Barboſa *de Iure Eccleſiaſtic. lib. 3. cap. 4. num. 79. Et in ſumma Apoſtolic. deciſ. collectan. 102. n. 9.* Quaranta *in ſumma Bullary, verbo, Canonicus Regularis.* Extat expreſſa Declaratio *Congregationis Sacræ Epiſcop. & Regul.* quæ prodiit *die 1. Sept. anno 1603.* Cuius meminerunt Authores relati. Nec fauet Nicolaüs Garcia *loco prædicto*, nam loquitur de Equitibus Iacobæis, non de Canonicis Fratribus, de quo *inferiùs.* Et quidem hæc de Canonicis Regularibus eſt doctrina communis, ſaltem poſt Conſtitutiones nouiſſimas Pontificias, & Declarationes.

53 Rursùs, ſi ad Ius antiquum attendatur, iuxta quod aſſeritur, Monachum poſſe promoueri ad Beneficia Curata, vel ſaltem ad Præpoſituram Eccleſiæ Cathedralis, aut Collegialis, vt ait Abbas *in dicto cap. Quod Dei timorem*, & refertur ab Emanuële Rodriguez *tom. 1. qq. regul. q. 34. art. 4.* Sanè id multum probat, atque adeò nihil; Probat namque, etiam nunc non ſolùm Iacobæos, ac alios Regulares Militiarum poſſe ea Beneficia, aut Præpoſituras obtinere, ſed etiam Monachos. At id nequit dici; ergo res non permanet in terminis eius Iuris antiqui; quod quidem eò tetendit, vt, cum non facilè forſan reperirentur Clerici ſæculares, qui officium prædicationis ſuſciperent, aliiſque qualitatibus inſtruerentur ad eas Præpoſituras requiſitis, ne illæ vacarent, & Eccleſiæ deſtituerentur Miniſtris ſufficientibus, & idoneis, velut in caſu neceſſitatis, ſtabilitum fuit, vt Monachi poſſent ad illas eligi; Sicut in caſu ſimili poſſunt alia exequi, quæ ipſis alinndè ſunt prohibita.

54 Quartò mouetur idem Author, nam ſacra Congregatio Concilij die 10. Nouembris anno 1600. declarauit, *Milites Regulares Militiæ S. Iacobi de Spatha, alioſque huiuſmodi non emittentes omnia tria vota ſubſtantialia, videlicèt Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientia non eſſe incapaces Beneficiorum ſæcularium, ſiuè Simplicium, ſiuè Curatorum, nec etiam Penſionum.* Quam declarationem afferunt Lezana, Nicolaüs Garcia, & Barboſa *in ſumma Apoſtolicar. deciſ. collectan. 61. n. 20.* Per quam deciſionem, ait Ocampo, ceſſare Conſtitutionem Gregorij XIII. *ſuprà* relatam. Canonicos autem Iacobæos nomine *Militum* in ea Declaratione intelligi, probat, quia etiam ipſi militare ſunt parati, idemque illis, ac Equitibus pugnandi contra Infideles eſt animus, indeque gladium pro teſſera afferunt.

55 In multis offendit hæc probatio. Primò, quia hæc declaratio loquitur de his, qui non emittunt tria vota ſubſtantialia, ſcilicèt intelligendo, votum Caſtitatis coniugalis non eſſe ſtrictè ſubſtantiale, iuxta plurium opinionem. Etenim Declaratio connectit prædictos Milites, *& alios ſimiles, &c.* Videat ergo Ocampo, an Clerici Fratres Iacobæi emittant tria vota ſubſtantialia, & ſint propriè Religioſi, nam id implicitè negare videtur, cum nullus adhuc negauerit. Et pariter poſſet eam Declarationem extendere ad alios Fratres Clericos Militiarum, aſſerendo, contineri ſub illis verbis, *& alios ſimiles, &c.* Quæ abſurdiſſima ſunt.

56 Deindè ſub nomine *Militum* non intelliguntur Clerici Fratres, vt oſtendam *diſq. 15.* & conſtat ex aliis Bullis Pontificiis; aliàs etiam Fratres Clerici Calatrauenſes, & Alcantarenſes, poſſent teſtari, quia Bulla extat concedens *Militibus* Calatrauæ, & Alcantaræ, facultatem teſtandi; Quod tamen nec ipſi, quorum is erat fauor, dicere auſi ſunt; ergo vox *Militum* ad eos non eſt extendenda, & quidem, cum Pontifices volunt, comprehendi Equites, & Fratres, non vtuntur voce *Militum*, ſed voce *Regularium Militiæ*; Sic in Bulla Cruciatæ latina, cum conceditur cis priuilegium edendi oua, & lacticinia diebus Quadrageſimalibus, aſſeritur; *Et ſub hoc indulto veſcendi carnibus, & ouis, & lacticiniis comprehenduntur omnes cuiuſvis Militiæ Regulares*; Et, quod mireris, hæc verba in Bulla Hiſpana ſic extant; *Y todos los Caualleros de las Ordenes Militares*; Quam verſionem impugnaui Ego *tom. in Bullam Cruciat. diſp. 18. n. 16.* Vt indè ſaltem conſtet, *Milites* non ſignificare Fratres Clericos; cum Viri graues, voce vniuerſaliori, nempè *Regulares Militiæ*, eos non ſignificari, adhuc cẽſuerint.

Nec

57 Nec ex ſuis Statutis poteſt ille Author quidquam pro ſe afferre; nam quoties in illis aſſeritur, debere eſſe paratos *los Freyles* ad pugnandum contrà Infideles, ſermo eſt de Equitibus, qui eo nomine nuncupabantur, & ita eos vocat Alexander III. in Bulla Confirmationis Ordinis; & id euidenter oſtendimus ſuprà *diſquiſit.* 8. *num.* 24. contra ipſum Ocampo. Certè Inſtitutum Ordinis eſt, militare contra Infideles, & quia ad militandum, requiritur ſubſidium ſpirituale Orationum, & Sacramentorum, ſub eodem Inſtituto degunt Fratres Clerici, quorum munus non eſt, arma exercere, ſed Orationi, & animarum Curæ inuigilare; niſi in caſu neceſſitatis extremæ, in quo etiàm Clerici ſæculares poſſunt aliqua munia exequi in bello; Quæ autem tum in eo caſu, tum abſque neceſſitate extrema poſſint, quin irregularitatem contrahant, expoſui *tom. in Bull. Cruciat. diſp.* 10. Fratres verò Clericos Iacobæos, (quod Ocampo ait) debere eſſe paratos ad aſſiſtendum in bello, id quidem non eſt, vt pugnent, ſed vt miniſteria ſpiritualia exerceant, quæ belli tempore fuerint neceſſaria. Quòd autem Clerici Fratres Iacobæi pro teſſera gladium geſtent, non innuit, ipſos gladium in manibus geſtaturos, quod omnino eſt abſonum, ſed id eſſe totius Ordinis, ſub quo degunt, Inſigne. Ampliùs adhuc eneruabitur hæc probatio ex dicendis §. *ſequenti.*

58 Addit Ocampo, inter Canonicos Iacobæos, & Clericos ſæculares non agnoſci diſcrimen notabile, aut profeſſionis diſparitatem, indeque hos admitti ad aliqua Beneficia Regularia Ordinis D. Iacobi, atque adeò ipſos pariter admittendos ad ſæcularia Beneficia. Animus huius Authoris ſanè fuit, ſolùm probare, Canonicos Regulares Iacobæos poſſe obtinere Beneficia ſæcularia, quaſi id ſit ſpeciale eorum priuilegium, & ſuboluit difficultates *infrà* exponendas circa alios Fratres Clericos Militiarum; Attamen eius probationes (vt inde imbecilles eſſe, liqueat) pariter cæteros comprehendunt; nam etiam Clerici ſæculares admittuntur ad aliqua Beneficia Regularia aliorum Ordinum Militarium; nec ampliùs inter ſe differunt cæteri Fratres Militiarum, & Clerici ſæculares, quàm Iacobæi.

59 Prætereà vi caret hæc confirmatio; Nam Clerici ſæculares admittuntur ad Beneficia Regularia Ordinum, ex ipſorum Ordinum conceſſione, & electione, quibus hi Clerici eo ipſo ſubduntur; & quia per Regulares non expedit, vel ob tenuitatem, vel ob alias cauſas eiuſmodi Beneficia adminiſtrari, eis committitur adminiſtratio, Pontificibus annuentibus, & præbentibus ad id omnimodam poteſtatem Ordinibus ipſis. Secùs contingit in appoſito caſu; nam Ius commune, & Epiſcopi non concedunt, imò reſiſtunt, vt Clerici Regulares Beneficia ſæcularia obtineant; Rursùs, ſi ea obtineant, exemptionem amittunt, & Epiſcopis ſubduntur, (ſicut Clerici ſæculares habentes Beneficia Ordinum, eis manent ſubiecti) quod contra aut præter priuilegia propriorum Ordinum ſpeciem præferre videtur; Et quamvis hæc abſurda vitari videantur ex eo, quod ſupponitur, Ordines fore priùs licentiam conceſſuros, attamen, etſi poteſtas Ordinum in conceſſione licentiæ exerceatur, ſemel ea conceſſa, negari nequit, iuriſdictionem Ordinum erga ſubditos valdè poſtmodum imminui; Et, quidquid de hoc ſit, diſparitas præſtita eſt manifeſta; maximè cum in Religioſorum Militarium defectum Clerici ſæculares valeant obtinere Beneficia regularia, vt aſſerunt Nicolaüs Garcia, & Gonzalez, relati à Barboſa *in remiſſionib. ad Trident. ſeſſ.* 14. *cap.* 10.

Adhuc Ocampo aliundè probare contendit, Clericos Fratres Iacobæos poſſe obtinere Beneficia non Curata ſæcularia, ſiuè ſimplicia ſint, ſiuè Dignitates, Præbendæ, aut Capellaniæ. Quippè ait, prohibitiones circa id circumferri ſolitas non debere extendi ad illos, eo quòd retineant bonorum dominium, & in odioſis ſub nomine Religioſorum non comprehendantur. Sed hæc ratio ſatis ex ſuperioribus eluditur. 60

Poſſet autem adhuc probari præfatum aſſertum affirmatiuum reſpectu omnium Fratrum Clericorum Militiarum, ex eo quòd, eſtò Religioſi ſint, tamen quoad munia exequenda, pro ſæcularibus recenſentur. Hinc eliguntur in Quæſitores, & Fiſcales Tribunalium Fidei: in Senatores omnium Senatuum Regiorum; in Viſitatores, & Præſides eorundem; & in Iudices Eccleſiaſticos, & ſæculares, quorum plures retulimus *diſq.* 9. *quæſt.* 11. Hæc autem munera alij Religioſi non Militares exercere nequeunt; ergo diſcrimen quoad hæc inter eos eſt conſtituendum. Et quidem nunquam diſpenſatio Pontificia ad eiuſmodi munera eſt deſiderata, ſed dumtaxat Ordinum licentia, vt ſubiectio oſtendatur, cum nihil poſſint de ſeipſis Regulares diſponere abſque Prælatorum conſenſu. Et aliqua ex dictis in his muneribus infringuntur; indeque conſtare videtur, Fratres Militares, velut alios Clericos, 61

reputari; ac ſæpè hoc nomine *Clericorum eos* Pontifices nuncupant in ſuis Bullis, & Conſtitutionibus, quaſi nulla habita ratione diſcriminis. Quòd ſi ad Ius commune confugiatur, æquè per illud prohibentur Religioſi ſæcularibus ſe negotiis immiſcere, & Iudices eſſe in cauſis ſaltem ciuilibus, ac obtinere Beneficia ſæcularia; ergo, ſicut Clerici Fratres Militares negotia ſæcularia pertractant, Senatores, ac Iudices ſunt, non obſtante Iure communi id prohibente Religioſis; ita etiam poterunt obtinere Beneficia ſæcularia, non obſtante ſimili Iure communi prohibente; nam quod reſpondendum eſt in primo euentu, reſpondebitur in ſecundo; nempè præfatos Clericos Militiarum, ob ſui Inſtituti ſpecialem prærogativam, & ob viuendi normam non parùm conniuentem normæ Clericorum ſæcularium, non comprehendi ſub illis prohibitionibus, quæ ſolùm diriguntur ad alios Religioſos non Militares, cuius Inſtituti ratio poſcit, quòd intra Clauſtra degant, & ſæcularibus negotiis non ſe immiſceant, ſed ſtrictiorem vitæ normam ſequantur.

62 Hæc quidem aliquam ſpeciem roboris, ad probandum aſſertum præferunt, attamen non conuincunt; nam eodem modo poteſt intendi, nihil omnino in legibus Eccleſiaſticis præfixum reſpectu Religioſorum obligare Fratres Clericos Militares, quare, ne in hoc abſurdum *ſuprà* expenſum deueniamus, fatendum eſt, aliquas ex his legibus reſpectu Religioſorum Militarium, ſcientibus, & conſentientibus Pontificibus, & conſuetudine legitimè introducta, fuiſſe vel derogatas, vel benigniori modo acceptas, ac interpretatione donatas; non verò alias, in quibus nec conſuetudo præſcripta, nec conſenſus Pontificius adſunt, imò reſiſtentiæ, lites, quæſtiones, & ſtylus contrarius. Qua diſtinctione, veluti principio generali, præiacta, facilè diſcrimen apparebit inter ea, quæ in probatione facta adducuntur.

63 Etenim nullus dubitare poteſt de conſuetudine, qua promoti ſunt ad Senatus, Tribunalia Fidei, & ſimilia munera Clerici Fratres Militares, nullo reclamante, nec obſiſtente. Deindè nec dubitari valet de conſenſu Pontificio; quippè Nuntij Pontificum in Hiſpania eam conſuetudinem rectè callent, indeque Pontifices; maximè cum in ipſis Italiæ regionibus præfecturas illi obtinuerint, nempè Iudices Monarchiæ Siciliæ aliquando fuerint.

64 Ea autem conſuetudo non extat, vt Beneficia ſæcularia obtineant, nec Pontificius conſenſus, imò diſſenſus, cum Conſtitutiones nouæ circa id editæ ſint, & ſtylus Curiæ ſit, vt diſpenſatio poſcatur ad ea obtinenda. Hinc Alexander VI. in Bulla, quæ affertur *in Bullario Alcantaræ, pag. 72.* diſpenſauit, vt tres Clerici Fratres comitaturi Don Ioannem de Zuñiga, qui Magiſtratui Ordinis renuntiauit, poſſent obtinere Præbendas, & Beneficia ſæcularia; [Et obiter nota, ibi aſſerere, dum plura huiuſmodi priuilegia concedit, *ſaluis votis ſubſtantialibus*; vt conſtet rectè cohærere, Religioſos ſtrictè permanere, & ſimul eas obtinere Præbendas, ac Beneficia, ac de eorum fructibus diſponere, vt ibi indulgetur.] Vnde cernitur diuerſitas perſpicua inter alia munera, & Beneficia, cum reſpectu horum, & non illorum, Ius commúne non ſit derogatum, ſed ad tollenda dubia renouatum.

65 Nec probatur conſuetudo in Beneficiis ſæcularibus obtinendis ex eo, quod plures Clerici Fratres Dignitates, & Canonicatus in præcipuis Eccleſiis Hiſpaniæ obtinuerunt. Etenim diſpenſationem à Pontificibus impetrarunt, quod mihi eſt compertum; idque potiùs refragatur, quàm fauet huic opinioni; cum omnes illi actus contrarij continuè exerciti ſententiam oppoſitam reddant certiorem, & quaſi iure ſuo poſſidentem. Adde, quòd ipſum Capitulum Generale Ordinis Iacobæi anno 1600. & iterùm anno 1652. Regem noſtrum conſuluit ſuper hoc, vt extat in Statutis nouiſſimis *pag. 213.* in hæc verba; *Suplicoſe à ſu Mageſtad, ſe ſirvieſe de pedir à ſu Santidad diſpenſacion general, ò por via de declaracion, para que los Freyles Clerigos d'eſta Orden puedan obtener Dignidades, Prebendas, y penſiones, y Beneficios ſeculares.* Ecce Ordo totus in Capitulo Generali congregatus iudicat, neceſſariam eſſe diſpenſationem Pontificiam, aut ſaltem declarationem, ad conſcientiæ ſecuritatem, vt præbendæ, & Beneficia ſæcularia obtineantur; Et Ocampo indubitatè decidit, non eſſe neceſſariam, contra totius Ordinis ſententiam. Sanè non alia impugnatione erat refutandus.

§. II.

Expenduntur fundamenta ſententiæ negantis poſſe Clericos Fratres Militiarum obtinere Præbendas, & Beneficia ſæcularia.

PRimum fundamentum eſt, quia prædicti Fratres ſunt verè, ac propriè Religioſi; his autem prohibitum eſt in Iure obtinere Beneficia ſæcularia, cum ſtatuitur; Regularia Regularibus, ſæcularia ſæcularibus eſſe concedenda; Ita *in cap. vt poſſeſſiones, de rebus Eccleſ.* 66

Eccleſ. alienand. vel non; *cap. cum de Beneficio 5. de prebend. in 6. Clementin. 1. de ſupplend. negligent. Prælat. & ferè per totum titulum de ſtatu Monachor.* Cui iuri non eſt derogatum, ſed potiùs confirmationes additæ, vt notauimus *§. præcedenti.* Ita etiam ſtatuitur in Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 10. de reform.*

67 Secundum fundamentum eſt, (ſi ex dominio, vt intendit Ocampo, ſequitur facultas ad obtinenda ea Beneficia) quia Clerici Fratres non retinent dominium, & proprietatem bonorum, vt *diſquiſit. 4. quæſt. 8.* oſtendimus, ergo nequeunt Beneficia ſæcularia obtinere. Quam doctrinam tradit P. Azor *tom. 1. inſtitution. moral. lib. 13. cap. 3.* Cuius verba truncat Ocampo, & cum ſit contra ipſum, pro ſe illum affert; & vt id conſtet, ecce verba, quæ tranſcribit Ocampo ex P. Azor; *Iſ etiam Clerici, qui tria vota faciunt Caſtitatis ſimpliciter, Obedientiæ perpetuæ, & Paupertatis; ſed Paupertatem ita laxam promittunt, vt iuxta ſuæ Regulæ profeſſionem proprium habere permittantur, &c. Eiuſmodi Clericus capax eſt Beneficij ſæcularis, & Eccleſiaſticæ penſionis.* O quàm bellè Azorium in ſui ſententiam traxit. Sed iterùm eum audiat, & quæ omiſit, conſideret; *Vnde & etiam Clerici, qui tria quidem vota faciunt, Caſtitatis ſimpliciter, Obedientiæ perpetuæ, & Paupertatis; ſed paupertatem ita laxam promittunt, vt iuxta ſuæ regulæ profeſſionem proprium habere permittantur, non ſunt verè, & propriè Religioſi; quoniam in cap. cum ad Monaſterium de ſtatu Monachorum, dicitur, ſicut Religioni per ſe, & intrinſecus annexa eſt Caſtitas, ita etiam abdicatio proprietatis; ergo non eſt ſimpliciter Religioſus Clericus, qui iuxta ſuæ regulæ profeſſionem permittitur habere proprium; & ideò eiuſmodi Clericus iure communi capax eſt Beneficij ſæcularis, & Eccleſiaſticæ penſionis.* Hæc P. Azor, qui ideò capacem Beneficij ſæcularis facit Clericum habentem bonorum proprietatem, quia iudicat, eum ſimpliciter non eſſe Religioſum; quæ eius eſt ratio vnica motiua; quarè à contrario ſenſu, is qui ſimpliciter ſit Religioſus, incapax erit Beneficij ſæcularis, iuxta expreſſam Azoris mentem. At in *eodem cap.* ait, Clericos Fratres Militares eſſe ſimpliciter religioſos, ergo euidenter docet, eos eſſe incapaces Beneficij ſæcularis. Videat iam D. Franciſcus de Ocampo, quam pro ſe authoritatem afferat, quæ vt ei faueat, debet priùs fateri, Clericos Fratres Iacobæos non eſſe propriè, & ſimpliciter Religioſos; quod non poterit fateri, & aliundè id eſt expreſsè contra P. Azor, cuius authoritate nititur.

68 Nec fœliciùs pro ſe tranſcribit verba P. Thomæ Sanchez *tom. 1. ſumm. lib. 7. cap. 29. num. 103.* Nam ibi ait; *Caterùm exiſtimo, hos eſſe capaces Beneficij ſæcularis.* Sed audi, de quibus loquatur; ipſe enim quæſtionem inſtituerat *num. 102.* his verbis; *De Militibus Commendatariis autem Sancti Iacobi, Alcantaræ, Calatraua, & Diui Ioannis, & aliis eiuſmodi Militibus difficultas eſt.* Et pro ſententia aſſerente, adhuc hos eſſe incapaces Beneficij ſæcularis, affert Nauarrum, Mandoſium, Emanuëlem Rodriguez, Gambaram, Gonzalez, & Lambertinum. Ipſe verò immediatè *num. 103.* affirmat, eos eſſe capaces Beneficij ſæcularis, & refert pro hac ſententia Patrem Azor *loco nuper adducto*, eiuſque vtitur ratione. Quare non magis fauet P. Thom. Sanch. quàm P. Azor præfatæ opinioni; Et clarè loquitur de Equitibus.

Dices, falsò aſſeri à P. Azor, non ſtare ſimpliciter Religionem cum proprietate, ſi quidem Equites Militares ſimpliciter ſunt Religioſi, iuxta plurium ſententiam, & retinent proprium. De hoc egimus *diſquiſit. 2. quæſtion. 2.* Nunc verò id non diſputamus, ſed aſſerimus, P. Azor, ex ſolo eo principio proprietatis retentæ inferre, non dari ſimpliciter eſſentiam Religionis; & ex hoc, quòd quis non ſit ſimpliciter Religioſus, inferre, eſſe incapacem Beneficij ſæcularis. Si autem principia non admittantur, eo quòd falſa iudicentur, probabitur etiam, illationes eſſe falſas, & vi carere; atque adeò non poterit illatio vltima eius Authoris fauere Don Franciſco de Ocampo non admittendi principium, ex quo P. Azor eam deduxit. 69

Tertium fundamentum eſt, quia omnes Clerici Fratres, ſaltem Calatrauenſes, & Alcantarenſes, qui Canonicatus, Præbendas, & Beneficia ſæcularia obtinuerunt, diſpenſationem pontificiam, vel à Nuntio, ſi is ad id poteſtatem habeat, vt habet ad Capellanias ſæculares, impetrarunt; ergo abſque diſpenſatione nequeunt illa obtinere; aliter Ordines reclamaſſent, nec permiſiſſent, poſtulari, cum indè ſuo iuri, ac priuilegiis derogaretur, & ſumptus non exigui fierent; aut ſanè ſuper hoc quæſtionem pontifici propoſuiſſent, & curaſſent, rem decidi; nihil autem horum fuit peractum. Cæterùm diſpenſationem fuiſſe petitam, & impetratam ab illis, mihi conſtat; & hoc noſtro tempore Calatrauenſes Fratres eam petierunt. Quin, cum quidam in numerum Fratrum Clericorum Calatrauæ fuerit admiſſus, qui ante ingreſſum in Religionem Beneficio ſæculari fruebatur, adhuc poſt octo annos, cum hæc ſcribo, 70

Profeſſionem non emiſit, obtenta facultate non profitendi à Rege noſtro, ac à Senatu Ordinum iuſtas ob cauſas; eo quod per Profeſſionem Beneficio priuaretur. Quin & ipſi Iacobæi Fratres eam diſpenſationem frequenter poſtularunt, & circa eos videatur, quod de conſultatione Capituli Generalis diximus *ſuprà*.

71 Confirmatur. Ipſi Equites Calatrauæ, & Alcantaræ gaudentes Præbendis, & Beneficiis ſæcularibus conſulto non emittunt Profeſſionem, verentes, ne Beneficia indicentur vacantia, & ab aliis impetrentur; ergo à fortiori id militabit in Clericis Fratribus, pro quibus nec Declarationes, nec Authores ſunt, qui pro illis ſtant. Sed hinc argues; Equites poſſunt ea Beneficia ſæcularia obtinere, & tamen etiam diſpenſationem petunt, vt à litibus, & controuerſiis abſtineant; ergo ex eo, quòd Clerici Fratres diſpenſationem petant, non probatur, non poſſe obtinere eiuſmodi Beneficia, ſed id præſtare, vt vitent lites, & contentiones, & ad maiorem conſcientiæ ſecuritatem. Vt diſparitas innoteſcat, altiùs res eſt introſpicienda.

72 Etenim Declaratio Concilij tranſcripta *ſuperiùs*, & ſtylus Curiæ Romanæ is eſt, vt Equites non emittentes tria vota ſubſtantialia Religionis minimè indigeant diſpenſatione Pontificia. Quare, ſi Equites ſequerentur opinionem aſſerentium, eos non emittere tria vota ſubſtantialia, (quod in ea Declaratione videtur ſupponi) poſſent tutò abſque diſpenſatione Beneficia ſæcularia retinere; Sed quia nolunt eam opinionem ſequi, vtpotè ipſis Ordinibus Militaribus odioſam, & conſequenter nolunt aſſentire ei Declarationi, quatenùs eos habere liberam poteſtatem obtinendi ea Beneficia ex eo aſſerit, quia ſupponit, non emittere tria vota ſubſtantialia, ideò diſpenſationem petunt; Quaſi ſic ſe habeant; Non indigent ſanè diſpenſatione, qui tria Vota ſubſtantialia non emittunt; Nos vero ea emittimus; ergo ea diſpenſatione indigemus. Adhuc conſequenter iudicant; caſu quo abſque diſpenſatione retinerent Beneficia, poſſe aliquem, vt ea impetraret, ita contra eos inſurgere in Curia; Hi Equites fatentur, & proteſtantur, ſe emittere tria vota ſubſtantialia; ergo iuxta Declarationem Concilij nequeunt obtinere Beneficia ſæcularia. Conſequentia cenſeretur legitima; Equites nollent ſe defendere, impugnando antecedens, & negando, ſe emittere tria vota ſubſtantialia; Quare, tum ad conſcientiæ ſecuritatem, tum ad lites vitandas, diſpenſationem poſcunt, vel Profeſſionem non emittunt. Iam verò ex his nulla paritas fit ad Clericos Fratres, qui verè in omnium ſententia, abſque opinionum varietate, Religioſi ſunt, ac tria vota ſubſtantialia emittunt, & per conſequens non comprehenduntur nec expreſsè, nec implicitè in præfata Declaratione Concilij.

Quartum fundamentum eſt impugnatio 73 rationum pro contraria ſententia, §. *præcedenti* præſtita; Impugnatio autem ſequentibus continetur propoſitionibus. Nullo iure, ſeu ratione ſolida poteſt ſtabiliri, Beneficia, & Præbendas ſæculares valere à Fratribus Clericis obtineri, ergo non valent. Rursùs extat Declaratio expreſſa Sacræ Congregationis Concilij decernentis, nullos Regulares Clericos Ordinum Militarium fore admittendos ad concurſum Parochialium; Eam afferunt Barboſa *in ſumma Apoſtolicar. deciſ. collectan.* 623. *num.* 21. Nicolaus Garcia *de Benef. p.* 7. *cap.* 10. *n.* 52. Deindè ſtant pro hac ſententia Authores communiter. Plures retulimus *ſuperiùs*, & ab ipſis alij afferuntur; Et in ſpeciali non poſſe prædictos Fratres abſque diſpenſatione obtinere Dignitates, Canonicatus, & Beneficia non habentia curam animarum, & generaliter Canonicos Regulares non eſſe habiles ad illa, tuentur, præter adductos, Abbas, Rochus, Selua, Bellamera, Lambertinus, Corraſius, & Nauarrus relati à Nicolao Garcia *de Benefic. part.* 70. *cap.* 10. *n.* 28. qui affert Deciſionem Rotæ in vna Papienſi Iuriſpatronatus, die 6. Martij, anno 1598. in hæc verba; *Beneficium ſæculare non poſſe conferri Canonico Regulari, ſine Apoſtolica diſpenſatione, niſi ſit Parochiale.* Item Dom. Vrritigoyti *in paſtorali Regularium, part.* 2. *quaſt.* 22. Vbi affert plures Authores, & Declarationem Congregationis.

Et quidem ea omnia, quæ aſſeruntur de 74 Clericis Fratribus Militaribus, nempè quod extra Clauſtra degunt, inter ſæculares immixti, parùm à Clericis ſæcularibus diſſidentes, & ſimilia, cum eos non extrahant à vero ſtatu Religioſorum, non ſuadent, poſſe ab ipſis obtineri Beneficia ſæcularia abſque diſpenſatione; ſuadent tamen, facilè à ſuis Prælatis concedendam eis fore licentiam ad eam diſpenſationem poſcendam, & non difficulter fore à Sede Apoſtolica impetrandam. In quo ſufficiens diuerſitas inter ipſos, & Religioſos non Militares adſtruitur; nam his nec facilè ea licentia concederetur, nec, niſi valdè difficulter, Pontifices diſpenſarent. Vnde ex hoc capite reſpectu Militarium Ius commune mollitur.

§. III.

§. III.

Fertur iudicium de fundamentis vtriuſque ſententiæ.

75 FVndamenta ſententiæ negantis certiora, & ſolidiora fatebitur, quiſquis ingenuo captu vtraque penſitauerit. Ego quidem meum iudicium ſequentibus aſſertis proferam, Aſſero primò, in quocumque euentu, tutius eſſe, diſpenſationem Pontificiam poſcere, & impetrare, ad eiuſmodi Beneficia ſæcularia obtiuenda; nam, quidquid defendatur, res eſt lubrica, dubiiſque plena, vt ex antecedentibus conſtat; atque adeò tutiori via debet procedi, cum non ſatis queat animus quieſcere, ſi ad opinionem affirmantem inflectatur; nec facilè quis doctus, ac timoratus poterit pacata mente eam ſectari, quin hinc inde contrariæ ſententiæ rationes, ac ſcrupuli pungant. Quare id ego ſemper conſuluerim.

76 Aſſero ſecundò, probabile ſpeculativè eſſe, Clericos Fratres Iacobæos poſſe obtinere Beneficia Curata abſque diſpenſatione. Moueor primò, quia in Deciſione Rotæ, *ſuperiùs* allata, aſſeritur non poſſe Canonicos Regulares obtinere beneficium ſæculare abſque diſpenſatione, *niſi ſit Parochiale*; ergo, ſi ſit Parochiale, poſſunt, cum exceptio firmet regulam in contrarium. Iacobæi autem Fratres ſunt Canonici Regulares, & non eſt, cur eis non competat, quod cæteris Cauonicis Regularibus. Moueor ſecundò ab authoritate extrinſeca Doctorum, quos pro tertio aſſerto afferemus, qui à fortiori ſtant ab hac concluſione, cum difficilius ſit, poſſe obtinere alias Præbendas, aut beneficia ſimplicia, quàm Curata; & præterea Nauarrus noſtram aſſertionem de beneficiis Curatis tuetur *lib. 3. conſ. 9. n. 2.* Eſtò ibi aſſerat; *licèt omnes dicant, cautius eſſe, vt id Epiſcopi diſpenſatione fiat.* Vide, quàm cautè ipſe loquatur, cum tamen fuerit Canonicus Regularis *de Ronceſualles.* Attamen probabilius eſt oppoſitum, quod tuentur Proſper de Auguſtino, Veralus, Aloyſius Riccius, P. Reginaldus, aliati à Barboſa *in remiſ. ad Trident. ſeſſ. 14. c. 11. de reform.* Vbi affert Declarationem Sacræ Congregationis Cardinalium, qui expoſuerunt, Canonicos Regulares non poſſe nec in perpetuum, nec ad tempus beucficia Curata habere; & id in praxi obſeruari teſtatur Gonzalez *ad reg. 8. Cancell. gloſſ. 7. n. 53.*

77 Aſſero tertiò, probabile eſſe, ſpeculativè per authoritatem extrinſecam, prædictos Canonicos Iacobæos poſſe obtinere quaſvis Præbendas, & beneficia ſimplicia ſæcularia, Etenim Garcia *de benefic. p. 7. cap. 4. n. 24.* loquens de Canonicis Regularibus Eccleſiæ *del Burgo*, affirmat, plures Iuriſperitos conſultos ſubſcripſiſſe, *Dictos Canonicos del Burgo poſſe habere Beneficia ſæcularia ſine diſpenſatione*; vbi non diſtinguit inter beneficia, & id ipſum aptandum eſt Canonicis Regularibus Iacobæis. Præterea Emanuël Rodriguez *tom. 1. qq. Regular. quæſtion. 34. articul. 5. circa fin.* hæc habet: *Notandum etiam, quòd Fratribus Sancti Ioannis Hieroſolymitani, & Sancti Iacobi de Spatha Militiarum, & Religioſis Ordinis Beatæ Mariæ Theutonicorum, & Canonicis Monaſterij Sancti Antonij, Viennenſis diœceſis, & membrorum eiuſdem Ordinis Sancti Auguſtini, nec dabatur, nec datur diſpenſatio ad obtinendum Beneficium.* Et quamvis prima fronte videatur aſſerere, quod diſpenſatio aliis dari ſolita, prædictis negatur, attamen id nequit ita intelligi; nam non eſt, cur eis negaretur diſpenſatio potiùs, quàm aliis; Quare ego eum ita capio, vt ſignificet, non dari diſpenſationem, quia neceſſaria illis non eſt iuxta ſtylum Curiæ; & ſi aliter intendatur, eum fore capiendum, non reperio, quomodo poſſit veritas verborum adſtrui. Demùm pro hoc aſſerto facit, quod in ſequenti proferemus.

Aſſero quartò, ſpeculativè poſſe non 78
improbabiliter defendi, cæteros Militiarum Clericos Fratres poſſe quæcumque Beneficia ſæcularia, & Præbendas obtinere. Primò à paritate Canonicorum Regularium, & Iacobæorum; cum æquè ſint omnes verè, & propriè Religioſi, & aliundè adeò ſimiles in vitæ norma, vt nulla ratio his fauens ſimul non faueat & illis; ac vbi eadem eſt ratio, eadem etiam videtur eſſe diſpoſitio. Dices, Iacobæos retinere dominium rerum, quod cæteri Fratres Clerici non retinent, & inde diuerſitas debet ſtatui. Contrà, nam id eſt falſum, & quidquid de hoc ſit, vt §. 1. prænotaui, ex dominio, aut careutia dominij, non infertur capacitas, ſeu incapacitas habendi Beneficia ſæcularia, atque adeò in aſſertis præcedentibus id priucipium non aſſumpſi. Nam id principium tunc rectè deſumitur, cum ex eo probatur, illos, qui retinent dominium, non eſſe verè Religioſos, atque adeò, vt ſæculares fore cenſendos, & capaces Beneficiorum ſæcularium; & ſic eo principio vtuntur P. Azor, & Thom. Sanchez *ſuprà* relati.

Secundò, nam & ſi maximè varient Au- 79
thores in explicando, quænam dicenda ſint odioſa, quænam fauorabilia in legibus, & diſpoſitionibus, in id inclinat Emanuël Rodriguez *tom. 1. qq. Regular. quæſt. 11. art. 6.*

pag. 95. eas dicendas eſſe odioſas, quæ priuant aliqua re, (eſto plurimi ab hac expoſitione diſſideant) iuxta quem dicendi modum diſpoſitiones, & Iura priuantia Religioſos facultate obtinendi Beneficia ſæcularia, odioſa ſunt cenſenda. Quo ſuppoſito, Religioſos Militares non comprehendi ſub eis Conſtitutionibus, ex eo quòd non comprehendantur in odioſis, quæ ad Religioſos ſpectant, defendi probabiliter valet. Quippe illos in odioſis non contineri, variæ Deciſiones, Declarationes, & Authores pronuntiant; & id eſt principium generale, quod omnibus debet caſibus aptari; & non eſt ratio, cur his Clericis Fratribus, potiùs quàm illis competat.

80 Et quidem ſub Decreto Tridentini *ſeſſ.* 25. *cap.* 25. *de Regular.* nullum Regularem Militarem comprehendi, quia non veniunt in odioſis, decidit Rota die 11. Decembris, anno 1570. & Congregatio Concilij coram Cardinali Alciato; vt videre eſt apud Barboſam *ibidem in Declarat.* Docet idem principium Portel *in dub. Regul. verbo, Religioſus, n.* 1. & pro eodem D. Franciſcus Ocampo *loco relato, n.* 3. refert Quarantam, & Petrum de Aragon. Ac loquendo de Equitibus S. Ioannis idem affirmat Rodriguez *tom.* 1. *qq. Regul. quæſt.* 1. *art.* 6. Alias etiam Deciſiones,& Declarationes, quibus Militares excipiuntur ab odioſis, affert Proſper Farinacius *in Deciſ. Trident. volum.* 4. *frequenter.* Quo fundamento infringitur, aut mollitur inconueniens §. 1. propoſitum, quòd inde ſequatur, Clericos Fratres Militiarum nec teneri legibus ſæcularibus, nec Eccleſiaſticis oneroſis, & ſentire commoda, non verò onera. Etenim idem de præfatis Equitibus docet Rodriguez; & de Nouitiis Religionum communiter idem ab Authoribus affirmatur; eſtò Nouitij, per ſe (nam per accidens aliter ſolet euenire) vno dumtaxat vel duplici anno, vtantur eo priuilegio, quod in præſenti ſemper competere Fratribus Militaribus, contenditur; quod ſanè latius, & amplius eſt priuilegium. Sed quis neget, potuiſſe illis à Sede Apoſtolica id concedi; tum ob Ordinum Militarium merita inſignia erga Fidem & Eccleſiam; tum quia Fratres Clerici ex vno capite plus oneris, quam ſæculares, ſubeunt, cum votis adſtringantur, & Ordinum Statutis ligentur; & ex alio, non adeò auſteram vitæ normam, nec ſemper intra Clauſtra, vt alij Religioſi non Militares, ſequantur? Hinc in odioſis, quæ ſpeciale onus afferunt, & ſunt velut ſupra normam vitæ, quam ſectantur, non veniunt, ſecùs in aliis; Quod prudenti iudicio, & circumſtantiis omnibus inſpectis, penſandum eſt; vt ſic nec ab omnibus odioſis excipiantur, nec includantur in omnibus; Et indè ceſſabit inconueniens eo §. 1. appoſitum.

Aſſero quintò, rebus vt nunc extantibus, non poſſe ad praxim deduci, vt prædicti Fratres Clerici cuiuſvis Militiæ, etiam Iacobææ, Beneficia ſæcularia abſque diſpenſatione Apoſtolica obtineant. Quippè ſuum Ius, quodcumque illud ſit, non eſt in Curia Romana ſtabilitum, imò nec controuerſum, ſeu litigatum, quin potiùs ſtylus, & praxis Curiæ penitùs opponuntur, cum diſpenſationes petantur, & impetrentur; atque adeò, ſi abſque diſpenſatione aliquis Beneficium, aut Præbendam ſæcularem obtineret, ea in Curia impetrarentur, & impetrantibus aſſiſterent ſtylus, conſuetudo, & praxis, quibus fundamentis in Beneficiis impetratis tutò perſiſterent. In his autem rebus, quæ vt deducantur ad praxim, non ſufficit dictamen, & conſcientia operantis, ſed requiritur quid extrinſecum ab alterius dictamine, & arbitrio pendens, dum hoc reſiſtit, nequeunt illæ ad praxim deduci; cum parùm interſit iudicium ſpeculatiuè probabile, quòd Clerici Fratres valeant ex ſe obtiuere Beneficia ſæcularia, ſi ad eorum retentionem exigatur non reſiſtentia Curiæ, ſtyli, & praxis, & hæc omnino reſiſtant. Quare meo iudicio, opinio intēdens, eos poſſe obtinere prædicta Beneficia, reipſa, & practicè (quòd exoptari poterat) par&, aut nihil eis adfauet. 81

Obſeruandum eſt in præſenti, Regem noſtrum ex delegatione Pontificia, de qua agunt Emanuël Rodrig. *tom.* 1. *qq. Regular. quæſt.* 56. *art.* 11. & cum aliis Don Ioannes Solorzano *in Politica Indica, lib.* 4. *per plura capita*, eligere Viros idoneos ad omnia Eccleſiaſtica munera in Indiis Occidentalibus. Ea verò in duplici ſunt differentia; alia ſunt Præbendæ, Canonicatus, Beneficia, & Dignitates; alia verò ſunt Eccleſiæ, quæ abſque titulo Beneficij dantur in Commendam, & vocantur vulgò *Doctrinas*, in quibus adminiſtrantur Sacramenta, & cura animarum habetur, ac Indi in Fide inſtruuntur. Hæc vltima etiam Religioſis commendantur, tum ob Clericorum ſæcularium defectum; tum quia illi ex munere tenentur meliùs exercere munus prædicationis. Oſtendit autem Rodriguez *vbi nuper*, licitè, & meritoriè Religioſos inibi adminiſtrare Sacramenta, quin incidant in excommunicationem in Iure latam contra Religioſos immittentes ſe in adminiſtrationem Sacramentorum, quę Parochis competunt; cum habita deſignatione, ſeu licētia 82

à Rege noſtro operante ex delegatione Pontificis, perinè res ſe habeat, ac ſi Pontifex immediatè, vt poteſt, eis hæc munera commiſiſſet. Hinc fit, poſſe etiam Regem deſignare, ac eligere ad hoc munus Clericos Fratres Militiarum, ſicut & cæteros Religioſos, quod exterminis eſt manifeſtum.

83 Prima verò munera Dignitatum, Præbendarum, & Beneficiorum, eodem prorsùs modo ſe habent reſpectu Clericorum Fratrum Militarium, ac alia Beneficia, & Præbendæ, quæ non ſunt Patronatus Regij. Nec enim Rex, etiam ſuppoſita ea delegatione, & fine eligendi Miniſtros aptos, poteſt pro libito deſignare, quos velit; Pater euidenter, nam aliàs poſſet eligere in Decanos, Canonicos, & ſimiles, Monachos, & Religioſos Mendicantes; quos tamen eligere non poſſe, eſt certo certius. Quippè ita ei à Pontificibus poteſtas ad id eſt delegata, vt eligat in eas Præbendas eos, qui aliundè à Iure non prohibentur illas obtinere; ſicut contingit etiam in Regno Granatenſi, quod ſubjacet Patronatui. Vndè eadem, & non alia probabilitate, vel improbabilitate poterit, aut non poterit Rex deſignare Clericos Fratres Militares ad Præbendas ſui Patronatus, qua ipſi poſſunt, aut non poſſunt obtinere alias quaſvis Præbendas, aut Beneficia ſæcularia, quæ non ſpectant ad Patronatum Regium. Et cum Fratres Clerici Militiarum, iuxta hucvſque dicta impediti ſint à Iure, vt obtineant Præbendas, & Beneficia ſæcularia, nec probabilitas præfixa ad praxim ſufficiat, cum ſit vel ſpeculatiua ſolùm, vel valdè controuerſa, fit non poſſe Regẽ noſtrũ eos præsẽtare ad eiuſmodi Beneficia ſui Patronatus, nã preſẽtare nequit impeditos à Iure. Scio in Principatu Cataluniæ aliquos Religioſos opponi ad Canonicatus, eoſque obtinere. Sed ibi ſpecialiſſimum eſt, & Apoſtolica Sede conceſſum, nec id Priuilegium, vt à Iure exorbitans, extendi valet. Cæterùm inter ea munera Eccleſiaſtica Indiarum eſt apertum diſcrimen; nam exercitia docendi, ac inſtruendi in Fide Indos ſunt oneroſa, laborioſa, incommodis referta, periculis, etiam ipſius vitæ, obnoxia, atque adeò Religioſorum propria, qui, par eſt, ſe exponant laboribus, ac periculis ob proximorum ſalutem. At Dignitates, Canonicatus, ac Præbendæ, ſunt quid honorificum, vtile, & commodum, ac in nihilo differunt à ſimilibus Muneribus Eccleſiaſticis, ſeu Præbendis, & Beneficiis, quæ Regio Patronatui non ſubſunt; imò & illa vtiliora, ac ditiora eſſe ſolẽt.

QVÆSTIO V.

Præſtringuntur Obligationes Clericorum Fratrum Militarium, qui Parochi ſunt.

HÆc per compendium dabimus, tum 84
quia plura iam expoſuimus *in ſuperioribus*; tum quia hæ obligationes communes ſunt Parochis, etiam non Militaribus; noſque ex profeſſo ſolùm ſpeciali ad Ordines Militares ſpectantia ventilamus. Igitur tenentur Parochi ad adminiſtrandum Sacramenta, & exercenda alia munia, quæ ad curam animarum ſpectant per ſe ipſos. Ita ſæpè reperitur in Tridentino *ſeſſ. 7. cap. 3. ſeſſ. 23. cap. 1.* Extat expreſſa Declaratio Cardinalium adducta à Farinacio *deciſ. 9.* in qua prohibentur Parochi vti ſubſtitutis in exercendis muniis, ad quæ tenentur, niſi in caſibus expreſſis in Tridentino. Sancitum id etiam eſt Iure; *cap. extirpanda, §. qui verò de præbend.* Ita piè ſancitum eſt in ſynodo Toletana anno 1622. *fol.* 35. & quidem paſtor tenetur per ſe ipſum de ouis cuſtodia, *leg. qui mercedem ff. locati.* Hanc obligationẽm tradunt paſſim Authores, quorum plures affert Ioannes Sanchez *in ſelectis diſq. 47. n. 2.* Tractat D. Thom. 2. 2. *quæſt. 158. art. 5. & quodlib. 9. art. 15.*

Et quidem reſidentia Parochis ſeueriſſi- 85
mè præcipitur, vt attigimus, & *infrà* repetemus, reſidentia autem non eſt ſola materialis habitatio loci, invtiliſque eſſet, niſi ad Sacramenta miniſtranda per ſe ipſos, & curandum de ouibus dirigeretur, vt declarauit Congregatio Cardinalium *ad ſeſſ. 23. cap. 1. Tridentini*, adducitu rque à Nicolao Garcia *de Benefic. tom. 1. 2. part. cap. 2. n.* 179. Indè Syluester *verbo, reſidentia, n. 2.* definiuit, reſidentiam eſſe perſonalem ſolutionem proprij officij in proprio Beneficio, & ſic intelligendam eſſe reſidentiam, docent Poſſeuinus *de offic. Curat. cap. 1, n.* 11. P. Thom. Sanchez *de matrim. lib. 3. diſp. 13. n. 11.* Durantus, Zerola, D. Antoninus, Gofredus, P. Sà, Vaſquez, & alij innumeri. Et certè invtilis eſt, qui ſuæ Eccleſiæ non inſeruit, iuxta *cap. inter corporalia, de tranſlat. Epiſc.* Ille non præſens, ſed abſens eſt cenſendus: non paſtor, ſed mercenarius. Vide Bart. Carranza *tract. de reſident. Epiſc. cap. 1. fol.* 14. Bonacinam *diſput. 3. dub. 2. punct. 2.* P. Layman *lib. 4. ſumm. tit. 2. c. 6.*

Hinc non facere fructus ſuos parochum, 86

qui per ſe ipſum Eccleſiæ non inſeruit, Confeſſiones non audit, cæteraque Sacramenta non miniſtrat, non ſecùs ac non reſidentem (cum re ipſa eodem modo ſe habeat, ac ille, quoad munus ſuum) tuetur Aragon *in* 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. Hoſtienſis, Graffis, Corduba, Ludouicus de S. Iuan, Syluester, Aſtenſis, & alij, quibus ſubſcribit Ioannes Sanchez *vbi ſuprà num.* 4. Nec Iudicis ſententia eſt expectanda ad amiſſionem fructuum; nam cum Beneficium detur propter officium iuxta vulgata Iura, amiſſio fructuum non eſt pœna ſtrictè, & ſed ſeruitium beneficij eſt conditio, ſine qua non ad acquiſitionem fructuum, qui non acquiruntur, deficiente conditione Ita Emanuël Rodriguez *tom.* 2. *qq. Regul. q.* 44. *art.* 4. Cardinalis Toletus, Graffis, & alij. Et pœna non reſidentis, ac non inſeruientis Beneficio, vſque ad huius priuationem extenditur in Tridentino *ſeſſ.* 6. *c.* 2. *& ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *& in cap. dictum, diſtin.* 81. *cap. ſi quis Epiſcopi*, 1. *quæſtion.* 1. Nec ſufficit, vnum, vel aliud miniſtrare Sacramentum, ſed regulariter omnia, quæ ex æquitate à parochis debent miniſtrari, vt obſeruat P. Vaſquez *tom. de pœnit. quæſt.* 93. *art.* 3. *dub.* 6. Hinc non ſat eſt, parochum audire Confeſſiones tempore paſchatis, ſed ita eſſe paratum, vt quoties velint parochiani, poſſint illi confiteri, cum teneatur ex vi officij neminem arcere à bono ſpirituali, ſuam opem negando; & non ſolùm neceſſitati ſuccurrere, ſed commodum, & profectum & ſpiritualem ſui gregis procurare. Sic P. Suarez *tom. de pœnit. diſp.* 32. *ſec.* 1. *num.* 4. Nauarrus, Ochagauia, Coriolanus, Gallego, P. Hurtado de Mendoza, Fagundez, & innumeri. Et ſanè, cum ſentiat parochus commodum, ſentire debet & onus. Nec conſuetudo contraria, ſi alicubi eſt, eis fauet, quominùs Sacramentorum adminiſtrationi, & funeribus, ac Officiis diuinis aſſiſtant; nam hæc non conſuetudo, ſed corruptela, & deſertio proprij officij eſt vocanda, nec contra ius ipſum naturale dictans, lucro onus eſſe annexum, præualere valet; id etiam contra ius diuinum eſſet. Conſulántur Treuino *in praxi examinat. fol.* 33. P. Salas *de legib. diſp.* 13. *ſec.* 1. *num.* 6. & alij. Contra diuerſas autem virtutes peccare, iuxta varias circumſtantias, parochum, qui etiam quotidianas Confeſſiones parochianorum, volentium confiteri, non audiret, latè proſequitur Ioannez Sanchez *vbi ſuprà ex num.* 9.

87 Poterit tamen Parochus per Vicarium noctu adminiſtrare Sacramenta, niſi ægrotans cum ipſo velit determinatè confiteri. Inſuper duobus menſibus in anno, (ſi totidem non abſit) poterit ceſſare ab adminiſtratione, appoſito idoneo Vicario, & ſanè abſque licentia Epiſcopi, vt cum pluribus tenet ipſe Sanchez *num.* 5. Nec grauiter peccat, qui vna, vel alia vice renueret audire Confeſſiones, niſi eſſet vrgens neceſſitas. Attamen grauiter peccat, ſi adeò ægrè, ac moleſtè adminiſtret Sacramenta, vt indè retardentur parochiani à petitione illorum; vt adnotat P. Suarez *vbi ſupra diſp.* 32. *ſec.* 1. Peccat itidem, quamvis alium miniſtret Confeſſarium, cui toties, quoties velint, ſubditi confiteantur, ſi ſciat, illos velle cum ipſo, & non cum alio confiteri. Præthereà, ſi impediat alios Confeſſarios pios, & doctos, excipere Confeſſiones, quando illis libenter confitentur oues ipſi commiſſæ; debet autem curare, ne Confeſſarij, quibus zelus animarum non inſidet, & veluti conductitij, in ſua Eccleſia Confeſſiones audiant.

Alienus à cupiditate, & auaritia debet 88 eſſe Parochus; cum id admonente Paulo 1. *Timot. vlt.* Damnandique ſunt illi, qui noluut ſepelire defunctos, niſi priùs ſtipendium, aut pignora accipiant; vt cernitur in Tridentino *ſeſſ.* 22. *decreto de obſeruandis, & euitandis in celebrat. Miſſar. in cap. fin. de pact.* & in Synodo Pampilonenſi *anni* 1590. *tit. de celebrat. Miſſar.* Nec de funeribus pauperum defunctorum poſſunt exigere pretium.

Præthereà Parochi debent rectè callere 89 leges Eccleſiaſticas diœceſis, aut territorij; item cæremonias, vt conſtat ex Tridentino *vbi nuper.* Curare tenentur, quòd Altaria, & veſtes, ac ornamenta, & lintea-mina ſacra ſint mundà, iuxta *cap. relinqui nolumus de cuſtodia Euchariſtiæ*; Incuriam circa hæc vocat crimen valdè intolerabile Caietanus *in ſumm. verbo Miſſæ celebratio*; Et immunda habere corporalia, eiſque vti, mortalem eſſe culpam, docet Dominicus Baltanas *in ſumm. Confeſſ. fol.* 146. Miſſas, ad quas tenentur, illicò celebrare debent; iuxta *cap. oblationes, cum ſequentibus*, 13. *quæſt.* 2. *cap. nos quidem, cap. Ioannes, cap. tua, de teſtament.* Vide D. Thomam *quodlib.* 6. *art.* 13. Nauarrum *in ſumm. cap.* 25. *num.* 65. P. Valentia *tom.* 4. *diſp.* 11. *quæſt.* 1. *punct.* 1. & alios paſſim. Tenentur rurſùs Parochi non permittere in Eccleſia garrientes, & inhoneſtiùs loquentes; iuxta Tridentinum *ſeſſ.* 22. *in Decret. reform.* Extat id grauiter iniunctum in Synodo Salmantina *tit.* 11. *fol.* 163. celebrata anno 1654. ab Illuſtriſſimo D. Don Petro Carrillo de Acuña, tunc

tunc Salmanticenſi Antiſtite, nunc Archipræſule Compoſtellano.

90 Adhuc Parochus tenetur diſcordias ſuarum ouium componere; pauperibus ſubuenire; Chriſtianam doctrinam docere; Euangelium prædicare, ſeu exponere; de Feſtis, ac Vigiliis certiores facere Parochianos; curare, vt omnes adimpleant præceptum Communionis in Paſchate; ita vt de ſingulis conſcius ſit, an adimpleuerint; exemplo vitæ omnibus præire, & ſtudio diligenter vacare, vt poſſit adminiſtrare Sacramentum Pœnitentiæ, & alia, ac dubia, & caſus occurrentes decidere. Et quidem obligatio docendi populum, & concionandi grauiter vrget Parochos, vt conſtat ex Tridentino *ſeſſ.* 5. *cap.* 2. *& ſeſſ.* 24. *cap.* 4. Quæ obligatio eſt de iure diuino. Vnde aliqui rigide cenſuerunt, ei non ſatisfacere Parochum, dum per ſeipſum non doceat populum, quamvis ad id munus alios afferat Concionatores. Verùm tuta ſententia oppoſitum docet, dummodò apti Concionatores præſtò ſint, qui rectè populum in omnibus neceſſariis inſtruant. Quarè non ſatisfaciet Parochus muneri ſuo, ſi in populo, in quo eiuſmodi Concionatores non dantur, ipſe populum non doceat, & dumtaxàt vna, vel alia die Quadrageſimæ Concionatorem quaſi gregarium ſubſtituat. Quin Parochum grauiter peccare, ſi vno integro menſe populum non doceat, aut duobus, vel tribus menſibus diſcontinuatis, docent Authores. Videantur P. Suarez *lib.* 2. *de relig. cap.* 16. *n.* 6. Bonacina *tom.* 2. *diſp.* 5. *quæſt. vnic. punct.* 2. *ex n.* 19. *& diſp.* 6. *quæſt. vnic. punct.* 8. *num.* 4. & alij paſſim.

91 Cæterùm tenentur Parochi in ſuis Beneficiis reſidere ex iure diuino relato à Tridentino *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. & ex iure Eccleſiaſtico, vt conſtat *ex eodem loco*, eſtò ibi potiùs hortetur Concilium ad præceptum diuinum implendum, quam nouum aliquid præcipiat; *& ex cap. ſicut; cap. peruenit; c. ſciſcitaris*, 7. *quæſt.* 1. *cap. extirpanda, de præbend.* Pius V. in Bulla, quæ eſt 64. *in Bullario.* Eſt autem reſidentia habitatio in loco Beneficij, ſufficit autem ita parùm diſtare ab illo, vt parochiani facilè poſſint adire Parochum pro quavis neceſſitate ſpirituali; Quare non eſt opus, Parochum in Ciuitate habitare intra fines propriæ Parochiæ, vt docent Beia *part.* 4. *cap.* 21. *ſub fin.* Bonacina *tom.* 1. *in tract. var. diſp.* 5. *punct.* 1. *num.* .... Qui autem duas Eccleſias habet, debet habitare in digniori; Si vtraque ſit æquè principalis, poteſt in qualibet. Ita Barboſa *de poteſt. Epiſc. allegat.* 43. *num.* 8. Nec reſidere ita quis tenetur, vt nequeat aliquibus horis diei in agrum, aut oppidum vicinum pergere, ſtatim reuerſurus; qui enim, dum nullum Parochianis ſubeſt periculum, in id offendit, eum non cenſeatur abeſſe, qui per exiguum temporis ſpatium abeſt.

Parocho non reſidenti in Ordinibus Militaribus poterit Prior, cui ſubiectus eſt, vel Senatus Ordinum infligere pœnas, aut præcipere infligi iuxta qualitatem culpæ, & contumaciæ, etiam vſque ad priuationem Beneficij; vt conſtat ex Tridentino *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *de reform.* præter amiſſionem fructuum, qui reſtituendi ſunt fabricæ Eccleſiæ, vel pauperibus, quin poſſit compoſitio dari. De quo egi *tom. in Bullam Cruciat. diſput.* 34. *num.* 35. Idemque dicendum eſt de Coadiutoribus Parochorum, iuxta Declarationem ſacræ Congregationis, vt obſeruat Gonzalez *ad regul. Cancellariæ gloſſ.* 5. §. 7. *n.* 17. Probabile tamen eſt non teneri ad integram fructuum partem correſpondentem tempori abſentiæ reſtituendam, eo quod etiam fructibus gaudeat propter recitationem Officij Canonici, & titulo Beneficij. In id inclinant Poſſevinus *de officio Parochi, cap.* 1. *num.* 35. Barboſa *de poteſt. Epiſc.* 3. *part. allegat.* 43. *num.* 101. Bonacina *vbi ſupra, punct.* 4. *num.* 3. Videtur ergo ſatisfieri, ſi reſtituantur duæ ex tribus partibus fructuum. Nam, qui non recitat, ſatisfacit, ſi reſtituat tertiam partem iuxta tutam opinionem; ergò duæ remanent, quas retineat titulo onerum beneficij; igitur è conuerſo, ſi recitet, & non ſuſtineat ea onera, tenebitur reſtituere eas duas partes, & poterit retinere illam, quæ recitationi reſpondet. Coadjutor verò Parochi, cum non recitet ex vi Beneficij, tenebitur totam partem ſibi aſſignatam pro cura animarum reſtituere, quia non præſtat id, ob quod præcisè ea quantitas illi eſt deputata.

Cum autem Parochus iuſta de cauſa, & de licentia Prælati, per bimeſtre poſſit abeſſe, tunc nihil tenetur reſtituere, cum in ea abſentia careat culpa. Ita communis. Quin probabile eſt, non eſſe licentiam Epiſcopi neceſſariam ad abſentiam per bimeſtre; vt tenet Bonacina *vbi ſuprà num.* 9. cum Nauarro, & aliis. Tutius eſt oppoſitum, & probabilius iuxta Tridentini mentem. Ita P. Thom. Sanchez *lib.* 3. *de matrim. diſp.* 3. *n.* 11. Nicolaus Garcia, Leſſius, Reginaldus, & plures. Et quidem licentia Epiſcopi, ſeu Prælati non debet extorqueri per dolum, aut mendacia circa cauſam motiuam, & finalem, nam ſic extorta erit inualida, & qui extorſit, non faciet fructus ſuos, vt docet Barboſa *de poteſt. Epiſc. allegat.* 92 93

gat. 43. *num.* 98. Et extat Deciſio Rotæ apud Nicolaum Garcia *de Benefic. part.* 5. *cap.* 4. *num.* 228. Sed, quamvis hæc licentia in ſcriptis obtinenda ſit iuxta Tridentinum, tamen ore tenùs conceſſam ſufficere in foro conſcientiæ, ne fructus amittantur, ſic enim ſubſtantiæ præcepti ſatisfit, docent aliqui apud Bonacinam *vbi ſuprà punct.* 5. *num.* 16. *in fin.* Licentia petita, & non obtenta minimè ſufficit, cum Tridentinum exigat de facto licentiam obtentam.

94 Cum datur cauſa aliqua excuſans à reſidentia, non amittuntur fructus. Cauſæ autem excuſantes ſunt, Chriſtiana charitas, vrgens neceſſitas, debita obedientia, & euidens Eccleſiæ, aut Reipublicæ vtilitas. Sub quibus cauſis plures continentur caſus, de quibus Bonacina *punct.* 5. Farinacius *ad cap.* 1. *ſeſſ.* 23. & plurimi apud ipſum, qui afferunt varias Deciſiones Rotæ, & Congregationes Cardinalium. Ex quibus omnibus ſequentes deducuntur propoſitiones; in quibus ſupponimus conſenſum Epiſcopi, aut prælati, & quòd Vicarius idoneus eſt ſubſtituendus.

95 Excuſatur à reſidentia, qui inimicitias gerit cum aliquo cum periculo vitæ. Is etiam, qui ob morbum nequit reſidere abſque vitæ diſcrimine; Secùs eſt ob peſtem, cuius tempore tenetur reſidere, & conſulere ſaluti animarum, niſi per alium æquè benè conſulat; cum ſic euitetur damnum alienum, & aliundè magnum ius detur ad tuendam vitam propriam; ſed conſultius erit, animam ſuam ponere pro ouibus ſuis. Excuſatur quis etiam à reſidentia, ſi impetret priuilegium à Summo Pontifice, qui iuſta de cauſa poteſt cum illo diſpenſare. Excuſatur prætereà, qui abeſt ad dirimendas graues lites, & controuerſias; Item qui Pontifici inſeruit in vtilitatem Eccleſiæ. Rursùs qui occupatur in munere cedente in magnam Reipublicæ vtilitatem, ſi alius non ſit, qui illud æquè benè præſtet, aut ſaltem abſque damno publico, vt cum Epiſcopus Proregis, aut Viſitatoris, vel ſimile Munus gerit. Excuſatur etiam, qui abeſt ad ſequendam litem ortam ſuper iuribus, aut fructibus ſui Beneficij. Cauſa peragendi informationes non eſt ſufficiens ad non reſidendum vltra bimeſtre, cum non comprehendatur vllo modo ſub cauſis à Tridentino præfixis, ad excuſandum ab illa. Cauſa ſtudiorum, ſiuè addiſcantur, ſiuè doceantur, etiam excuſat à reſidentia; Circa quod, & circa Bullam Eugenianam expeditam in fauorem Academiæ Salmantinæ, plura dedi *tom. de Iure Academico lib.* 2. *quaſt.* 23. *& lib.* 3. *quaſt.* 21. Et de reſidentia non pauca præſtrinxi *tom. in Bullam Cruciat. diſp.* 11. *cap.* 1.

Nequit Prior Militaris occupare parochum ſubditum vltra bimeſtre in viſitatione territorij. Ita declarauit Sacra Congregatio Cardinalium, loquens de Epiſcopis reſpectu parochorum; afferturque Declaratio à Riccio *deciſ.* 50. Et id docent P. Filiucius *tract.* 41. *cap.* 6. *quaſt.* 6. Nicolaus Garcia, Gonzalez, Barboſa, Bonacina, Sanctarellus, & alij; Estò poſſit Epiſcopus in viſitanda diœceſi occupare Canonicum, vt tenent Nauarrus, Vaſquez, Leſſius, Reginaldus, & alij quos ſequitur Bonacina *vbi ſuprà punct.* 5. *nu.* 23. Attamen Proſper Farinacius *in deciſionibus ad Tridentinum, volumine* 4. *ad ſeſſ.* 23. *de reform. cap.* 1. *pag.* 55. ait, poſſe parochum ſingulis annis per quatuor menſes occupari à prælato in viſitatione diœceſis ſeu territorij. Poſtmodùm verò *pag.* 56. ſub titulo, *Cauſæ excuſantes à reſidentia* ſolùm per duos menſes poſſe occupari Parochum in viſitatione ex Declaratione Cardinalium, oſtendit; & huic ſtandum eſt. Qui munus Inquiſitoris ſacræ Fidei exercet, parochiale Beneficium debet dimittere, nam id munus non excuſat parochum à reſidentia, ſicut in Hiſpania excuſat Canonicos, & Dignitates Eccleſiarum. 96

Nec excuſatur parochus à reſidentia, & à ſeruitio, quamvis vnus, vel etiam duo Coadjutores perpetui ab ipſa Sede Apoſtolica cum congrua portione fuerint ei deputati, vt cenſuit Congregatio Concilij adducta à Farinacio *vbi nuper.* Circa Clericos Fratres Ordinis S. Ioannis, extat ibidem deciſio, his verbis: *Poſtulantibus Equitibus Hieroſolymitanis, vt Capellani Melitæ commorantes, Confeſſores Equitum, & habentes in aliis locis Parochias, non cogantur reſidere. Congregatio reſpondit, illis qui habent Parochias in Italia, permittendum eſſe, vt non reſideant ad annum; Qui verò habent in aliis Prouinciis, ad decem & octo menſes.* Scilicèt, ſtatim ac eis confertur Beneficium parochiale, excuſantur per annum, aut per annum & dimidium, vt poſſint ſe parare ad viam, & ex inſula Melitenſi proficiſci ad prouincias, & loca, in quibus Beneficium eis fuit collatum. 97

Dicta de parochis à fortiori aptanda ſunt prioribus iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentibus, cum eos ampliùs adhuc vrgeant obligatione reſidendi, & aliæ ipſorum propriæ; indéque Tridentinum ſeueriori diſciplina Epiſcopos adſtringit, quàm parochos, & omnes Authores in id ipſum concordant. Superiores locales Monaſteriorum, 98

ſteriorum, qui iuriſdictione pro foro externo non gaudent, etiam reſidere tenentur; ſed, ſi non reſideant, ad nullam tenentur reſtitutionem; imò abſque culpa, & iuſta cauſa, idoneos Vicarios relinquendo, & obtenta licentia, ſi neceſſaria ſit, à majoribus Prælatis, poſſunt abeſſe plus temporis à Monaſteriis, quàm Parochi à locis Beneficiorum.

QVÆSTIO VI.

Aliqui caſus occurrentes circa Parochos, & eorum Vicarios in Ordinibus Militaribus exponuntur.

99 QVære primò, an Rex noſter, aut Senatus Ordinum poſſit cogere Clericum Fratrem, vt acceptet beneficium? Reſpondeo, ſi Beneficium ſit ſæculare, aut non proprium Ordinis, non poſſe eum cogere, niſi indè vtilitas Ordini foret annexa, & aliquo modo id Beneficium ſpectaret ad Ordinis commune bonum; Nam aliter Prælatus non poteſt præcipere, & cogere ad ea, quæ non ſunt ſecundùm regulam propriam, Statutaque ſui Ordinis, vt docet D. Thom. 2. 2. *q.* 104. *art.* 5. & nos tradidimus *diſq.* 3. Non autem ad Regulam, vel Monaſterium pertinet ea Beneficia ſæcularia, imò à Regularibus abſque diſpenſatione obtineri non poſſe, *ſuprà* ſtabiliuimus. Imò adhuc obtenta diſpenſatione, eorum Beneficiorum obtentio non eſt quid ad Regulam, vel Monaſterium ſpectans, quare nequit cogendo præcipi. Ita tuetur Emanuël Rodriguez *tom.* 1. *qq. Regular. quæſt.* 34. *art.* 8. At, ſi Beneficium ſit proprium Ordinis, poteſt cogi Clericus Frater ad illud acceptandum, vt idem Author tuetur. Quippè ille tenetur obedire Prælatis in his, quæ ſecundum Regulam, & Statuta ſunt, & ab eis poteſt cogi, vt obediat; quod eſt commune omnibus ſub obedientia degentibus, quando iuſta non adeſt excuſationis cauſa; acceptatio autem eius Beneficij regularis, eſt actus ſecundùm regulam, & Statuta, cum Beneficia regularia Regularibus ſint conferenda; ergo poteſt cogi Clericus Frater ad illud acceptandum; & quamvis Beneficium non detur inuito, quatenùs ſolam rationem fauoris includit; at, quatenùs Prælatus cenſet, acceptationem expedire, eam poteſt præcipere, vt patet in Prælaturis Regularibus, quæ ſæpè ſub obedientiæ præcepto acceptari iniunguntur; Etenim Religioſus iudicatur non habere velle, nec nolle; & indè non reputatur inuitus.

Quæres ſecundò, an Clericus Frater iam Parochus, ſi promouendus ſit ad aliud Beneficium parochiale, examinari debeat ab eo, à quo debet examinari, cum primum Beneficium obtinuit. Reſpondeo ſi Beneficium ſit conferendum, concurrentibus ad illud Oppoſitoribus, neceſſariò debere examen præcedere, vt contingit in ſimilibus Beneficiis ſæcularibus, ad quæ obtinenda examinantur Parochi, qui ad ea promoueri intendunt; alias non poſſet fieri diſcretio de ſingulorum meritis, nec anteponi is, qui eſſet dignior. Quando autem concurſus Oppoſitorum non datur, circunſtantiis eſt attendendum; Nam, ſi non conſtat, aut rationabiliter dubitatur de incuria, negligentia, aut obliuione ſcientiæ Parochi, nec requiritur major ſcientia ad Oppidum, in quo eſt ſitum Beneficium ei de nouo conferendum, non videtur opus eſſe nouo examine; nam perindè ſe habet, illud nouum Beneficium regere, ac antiquum continuare; at qui ad perſeuerandum in antiquo nouum examen non requiritur; ergo nec ad obtinendum nouum; cum omnia ſint paria. 100

Attamen, ſi rationabiliter dubitetur de ſufficientia Parochi, aut conſtet de eius incuria, & obliuione, debet nouum examen præcedere; Aliter nec Senatus Ordinum poteſt tutò eum ad Beneficium eligere, ſeu Regi noſtro illum proponere; nec Prior v. g. Alcantaræ valet eum ipſi Senatui, vt idoneum, offerre; nec Tridentini Decretis ſtrictè expoſcentibus idoneitatem in parochis ſtabitur; nec Bullæ Adriani VI. cauenti, quòd Beneficia Ordinum Militarium perſonis idoneis conferantur. Videatur Ioannes Ramirez, Iacobæus *in Comment. Bullæ Confirmationis Ordinis D. Iacobi, cap.* 18. vbi qualitates proponit eius, qui præficiendus eſt Curæ animarum; & à domeſtico libentiùs Clerici Fratres doctrinam excipient. Id ipſum tradit Mota *in Regul. Ordin. D. Iacobi, lib.* 2. *c.* 23. *ex pag.* 207. Iam ergo, cum Priores ſint triennales, & adeò frequenter alij poſt alios de nouo in eo Munere ſuccedant, non facilè exactam notitiam poſſunt comparare Parochorum, maximè diſtantium, & eorum qui iam diu in Beneficiis ſunt verſati; quin de ſe dederint experimentum; Et in re adeò neceſſaria, vt digni animarum paſtores conſtituantur, non licèt perfunctoriè operari, ſed nullo ad temporalia habito reſpectu, idoneos inquirere Parochos, quibus tutò credatur animarum Cura. Idem 101

dicitq

dicito, ſi Oppidum, in quo ſitum eſt ſecundum Beneficium, maiorem ſcientiam in Parocho expoſcat, ob populi numeroſiorem frequentiam, negotiationes, lites, & ſimilia; nam, qui ad alia minora oppida eſt ſufficiens, poteſt non ſufficere ad maiora; vndè, ſi non conſtet, ſaltem probabiliter, de ſufficientia Parochi, iterum debet examinari. Sic in ſimili dixi *tom. in Bullam Cruciatæ, diſput. 22. cap. 5. & 6.* approbatum determinatè pro certo genere perſonarum, aut pro determinato loco, indigere noua approbatione ad audiendum Confeſſiones in alio loco, aut aliarum perſonarum, quod proportionatè in præſenti eſt aptandum. Nam licèt Parochus approbationem iam habeat ab Eccleſia, & ideò vbique poſſit eligi per Bullam Cruciatæ, vt Confeſſiones excipiat, attamen id dumtaxàt probat, poſſe quoſlibet eum adire, & eligere in Confeſſarium, quia ſupponitur, eſſe ſufficientem; De hac autem ſufficientia quænam, & quanta ſit, debet curare Prælatus, non pænitens, & ea approbatio ab Eccleſia præſtita non tollit à Prælato obligationem inquirendi, an ille per incuriam, & obliuionem ſit redditus minùs idoneus. Quin adde, ad munus Parochi, præter ſcientiam ad audiendum Confeſſiones, requiri alia, v.g. peritiam in explicanda doctrina Chriſtiana, & in Euangeliis declarandis, ad quæ Parochi tenentur. Vnde opus eſt, examinare Parochum ad nouum Beneficium obtinendum in loco, in quo neceſſaria eſt expoſitio doctrinæ Chriſtianæ, & Euangelij per ſe ipſum præſtanda; ſi in loco, in quo priùs verſabatur, per ſe ipſum non peragebat, eo quòd alij huic muneri ſatisfacerent. Itaque hæc omnia ex circunſtantiis pendent ſollicitè expendendis.

102 Quæres tertiò, an in Ordinibus Militaribus poſſint permutari Beneficia, & opus ſit examine ad eorum permutationem? Reſpondeo, de licentia Regis noſtri permutari Beneficia Regularia Ordinum à Clericis Fratribus, & à Clericis ſæcularibus ea obtinentibus, inter ſe reſpectiuè; atque ea Beneficia; quæ Senatus Ordinum, ex Regia commiſſione, ſolus per ſe ipſum præſtat, de eius licentia permutari valebunt. Id enim perindè ſe habet, ac ſi illi Beneficia non haberent, & hoc illi, illud huic concederetur; cum aliundè conceſſio ſit libera Regi, ſeu Senatui, & Beneficia ſint amouibilia; quin abſque eorum licentia permutari nequeunt. Circa examen autem in permutatione idem dicendum eſt, proportionatè, ac *num. præcedenti* diximus de promouendis ad alia Beneficia. Cæterùm propria authoritate permutatio Beneficiorum nequit fieri, continet enim crimen ſimoniæ, & ſtrictè in Iure eſt prohibita. Videantur Sotus *de iuſt. lib. 9. quæſt. 7. art. 2.* P. Layman *lib. 4. ſum. tract. 10. cap. 8.* Bonacina *tom. 1. tract. de ſimonia, diſp. 1. quæſt. 4. §. 12. ex num. 3.* & alij plures apud ipſos.

Quæres quartò, ſi Parochus in Eccleſia Ordinum Militarium ſit impeditus graui ſenectute, aut ægritudine diuturna, vel diu legitimè abſens, quis ſit approbaturus Vicarium, aut ſubſtitutum illius? Reſpondeo, id pertinere ad Ordinarium, qui debet approbare eum, qui in Vicarium conſtituitur. Sic in Bulla Eugenij IV. expedita in fauore ſtudentium, & docentium in Academia Salmantina, injungitur, Parochos debere deſignare Vicarios ab Ordinario examinandos, & approbandos, vt munus exerceant parochiale, dum illi in Academia verſantur; vt latè tradidi *tom. de Iure Academico, lib. 2. quæſt. 24.* In Tridentino etiam *ſeſſ. 6. cap. 2. de reform.* ſtatuitur, quòd, abſentibus parochis, Epiſcopi curent, per deputationem idoneorum Vicariorum, animarum ſaluti prouideri. Id ipſum in ſimilibus aliis caſibus à Tridentino decernitur. Ordinarius autem reſpectu Parochorum, de quibus loquimur, eſt Senatus Regius Ordinum, ſi Parochi ſint intra limites alicuius Diœceſis; Si autem ſint in territorio, in quo Prior Militaris iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudet, is eſt Ordinarius, ad quem examen, & approbatio Vicarij ſubſtituendi ſpectant. Idem dicito de Vicario conſtituendo, dum Beneficium Parochiale vacat. 103

Similiter, ſi Parochus ob populi frequentiam indigeat Sacerdote aliquo, qui ad Sacramentorum adminiſtrationem adiuuet, ille erit examinandus, & approbandus ab Ordinario. Solent autem Parochi deſignare, ſeu nominare eum, qui examinandus, ac approbandus eſt; In quo ſtati debet conſuetudini. 104

Semel autem iam poſito, quis ſit Ordinarius Parochorum Eccleſiarum Militarium, alia dubia facilè diluuntur; cum ea omnia, ad quæ in diœceſibus Ordinarij poteſtas requiritur, ſint peragenda, interueniente poteſtate Senatus Ordinum, aut Priorum iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentium, reſpectiuè iuxta Parochorum ſubjectionem. Hinc, ſi Parochus velit renuntiare Beneficium, cum renuntiatio coram Ordinario ſit facienda, eam exequi debet reſpectiuè coram vno ex prædictis. 105

Rurſus

Rursùs, ſi abeſſe velit à ſua Parochia per id tempus, quod à Tridentino permittitur, & ab Ordinario iniungitur poſcenda licentia, ab vno ex prædictis reſpectiuè erit depoſcenda. Quòd ſi ſubditus Prioris Militaris obtendat, ſe à Senatu Ordinum impetrauiſſe facultatem, debet manifeſtare inſtrumentum illius Priori poſcenti, vt de ea conſtet; & Prior tenetur de ea licentia certior fieri, vt fraudes viteutur, & reſidentiæ in Beneficiis, cum animarum diſpendio, non detrahatur.

106 Eiſdem Ordinariis incumbit, deſignare congruam ſuſtentationem prædictis Vicariis, iuxta circunſtantias loci, perſonæ, ac laboris, ſicut id præſtant in ſingulis Diœceſibus Ordinarij. Attamen, ſi Parocho ſit adjungendus alius Sacerdos, qui ſimul cum illo Sacramenta adminiſtret, eo quòd non ſufficiat ipſe ob populi frequentiam, & ex redditibus Parochi nequeat ſuſtentatio congrua ei Sacerdoti tribuenda detrahi, eo quòd vterque ex eis decenter ſuſtentari non valeat, ſanè Commendatario (niſi ex pacto ad parochianos id ſpectet) incumbet ſupplere defectum, cum ipſe Decimis Eccleſiæ potiatur, & penes eum ſit, Eccleſiæ & Parochianis conſulere. Vacantis autem Beneficij fructus ad quem pertineant, an ad Parochum defunctum, an ad ſucceſſorem, aut ad vtrumque, & quota pars illorum, omninò à conſuetudine legitimè inducta tum in Diœceſibus ſingulis, tum in territoriis, ſeu Eccleſiis Ordinum Militarium, pendet.

107 Quæres quintò, quæ idonea requiratur ad obtinenda Beneficia ſimplicia Ordinum, aut Capellanias, quæ abſolutè ſub nomine Beneficiorum veniunt; cum Pontifices in Bullis aſſerant, Beneficia Ordinum Militarium conferenda eſſe perſonis idoneis? Reſpondeo, ſingulis muneribus, ac Officiis ſuam eſſe proportionatam idoneitatem, nempè eam, quæ deſideratur, vt munera, ac officia pro debito exerceantur. Sic in Tridentino deſignatur idoneitas requiſita ad ſuſcipiendos Ordines, Parochi munus, & ad alia ſimilia. Vnde inſpiciendum eſt, quid requirant ea Beneficia ex natura ſua, aut ex inſtitutione, vel fundatione; ſcilicèt an Ordinem Sacrum, vel etiam Presbyteratus in Beneficiario, aut Capellano exigant; an hanc, vel illam ætatem, ſeu alia huiuſmodi, quæ profectò reperiri debent, vt quis cenſeatur idoneus. Aliqua etiam communia requiruntur, nempè ſaltem prima tonſura: Officij Canonici recitandi peritia, aut capacitas proxima, illam habendi; & ſimilia, quæ ſpecialia non ſunt Clericorum Fratrum Militarium. Cæterùm in Ordine Calatrauæ, vt quis obtineat Prioratum formatum, adhuc ſine animarum Cura, Presbyteratus Ordine debet eſſe initiatus.

Quæres ſextò, an idem Clericus Frater Militaris poſſit plures Capellanias, 108 aut Beneficia ſimplicia obtinere; & an ea poſſit ſimul cum Beneficio Curam animarum habente conjungere? Reſpondeo, ſi præciſè attendamus ad compatibilitatem, vel incompatibilitatem Beneficiorum, nihil eſſe ſpeciale reſpectu Clericorum Fratrum; nam ea, quæ de cæteris communiter docentur, eis omninò congruunt; Nec ad nos attinet, ea diſcutere; Videantur Nicolaus Garcia, Rebuffus, Barboſa, Illuſtriſſ. Dom. D. Didacus Frances de Vrritigoyti, Epiſcopus de Barbaſtro, Bonacina, P. Layman, & alij innumeri paſſim hanc materiam eruditè euoluentes. Si autem ad ſpecialem Profeſſionem Clericorum Fratrum aduertamus, operæpretium erit, eos, qui Beneficia præſtant, non in vnum plura coaceruare, vt ſic inter plures diſtribuantur, & commoda Ordinum pluribus obueniant; maximè cum Fratrum Clericorum ſtatus honeſtus moderata indigeat opulentia, & par ſit, vt concordia, & vniformitas ſeruentur, & quòd, præter Prælatos, quibus maior eſt ſplendor annexus, cæteri inter ſe ſe non nimiùm diſtent in victu, ornatu, & rerum copia; niſi cauſa meritorum aliud exigat. Et quidem, cum illi Votum Paupertatis emiſerint, eſto ſeruandum iuxta formam apud ipſos conſuetam, tamen non debent fræna laxare cupiditati bonorum, & redditurum ex Beneficiis, aut aliundè prouenientibus, ne animus in eis totus eis occupetur, ac diſtrahatur, ipſique, quaſi ſui ſtatus, & muneris Religioſi obliti, ad temporalia mentem conuertant; parúmque à ſæcularibus diffideant.

Obſeruandum eſt præſenti, Emanuë- 109 lem Rodriguez *tom. 1. qq. Regular. quæſt. 34. art. 9.* docere, non poſſe quem habere ſimul duo Beneficia regularia, nec à Prælato ſuo reddi habilem ad ea obtinenda, & diſpenſatione opus eſſe, vt duo habeat etiam ſimplicia; hancque diſpenſationem communiter non concedi, vt quis duo Ordinis Beneficia in titulum habeat, ſed aliud in titulum, aliud in Commendam; Id probat *ex cap. cum ſingula, de præbend.* & ex Rebuffo *in praxi beneficior. titul. de diſpenſation. cum Regular. num. 8.* Et rationem adſtruit

ſtruit; quia ſi duo Beneficia Regularis habeat in titulum in diuerſis Monaſteriis, eſſet ſub diuerſa Prælatorum obedientia, contra ius ſtabilitum *in cap. final. de religioſ. dom. cap. quoniam in pleriſque, de offic. Ordinar.* niſi ea Beneficia eſſent vnita, aut vnum ab alio penderet, iuxta *dictum cap. cum ſingula, de prabend.* Latè hæc exornat Nauarrus *in cap. ſtatuimus* 19. *quæſtion.* 3. Hæc doctrina de Beneficiis Parochialibus eſt certa, cum hæc in Regularibus, & in Clericis ſæcularibus ſint incompatibilia. Deindè etiam eſt conſtans de Beneficiis exigentibus reſidentiam; nam, cum quis nequeat ſimul in duplici Eccleſia reſidere, nun poterit ea Beneficia ſimul coniungere; atque ad id tendit ea ratio de duplici Monaſterio, & de obedientia diuerſa Prælatorum. Præterea ſi beneficium ſimplex, aut Capellania ex ſui inſtitutione cōtineat onus perſonale; cui ſatisfieri nequeat, ſi aliud beneficium, aut Capellania cum ſuis etiam oneribus adnectantur, nec ſæculares nec regulares poterunt ſimul plura obtinere. Attamen; ſi nihil horum reperiatur, & beneficia ſimplicia regularia ſint quoad id eiuſdem naturæ ac beneficia ſimplicia ſæcularia, eodem modo erit de vtriſque philoſophandum in ordine ad coniunctionem, vel incompatibilitatem; ita vt quæ à Clerico ſæculari nequeunt ſimul haberi, proportionatè nequeant intra Ordinem à Clerico Fratre, & è conuerſo; quippè non adeſt in Iure fundamentum, nec in ipſis Ordinibus Statutum, ad diſcrimen conſtituendum.

QVÆSTIO VII.

De Reſignatione, ſeu renuntiatione Beneficiorum in Ordinibus Militaribus.

110 NOmine beneficiorum intelligo Prioratus, Dignitates, Beneficia Parochialia & ſimplicia, necnon Capellanias, quæ omnia Beneficia Eccleſiaſtica ſunt. Reſignatio autem eſt dimiſſio ſpontanea, & libera Beneficij obtenti facta cum cauſa coram Superiore. Quæ verba latè exponit Flaminius Pariſius *de reſignat. beneficior. tom.* 1. *lib.* 1. *quæſtion.* 1. *ex numer.* 33. Confundi autem ſolet reſignatio cum renuntiatione; & aliquando reſignatio denotat renuntiationem beneficij in fauorem alterius; quamuis autem non fiat in fauorem vllius, reſignatio erit, dum coram Superiore qui ius ſuum dimittit. Fieri autem debet coram Superiore, vt cum Abbate *in cap. audita, de reſtitut. ſpoliator. num.* 5. tenet communis. Cauſa verò requiritur, vt conſtat *in cap. ſuper hoc de renuntiat.* Reſignatio alia eſt expreſſa, cum quis nempè expreſsè coram Prælato dimittit beneficium; alia tacita, nempè cum quid operatur retentioni beneficij oppoſitum; v. g. Si Clericus Frater Parochus obtineat aliud Beneficium Parochiale, aut Canonicatum, aut in Religione non Militari profiteatur; vel munus aliud acceptet extra locum Beneficij, ſanè per quodlibet ex his tacita datur renuntiatio illius, cum ſit vtrumque incompatibile.

Generaliter loquendo, omnia Beneficia 111 poſſunt renuntiari à Clericis Fratribus, ſicut à quibuſcumque aliis, vt conſtat ex toto titulo *de renuntiat. extra; & lib. 6. & in Clement.* Quippè vnuſquiſque poteſt cedere fauori, ac Beneficio tum in ſpiritualibus, tum in temporalibus, vt communiter Doctores enuntiant. Superior quidem valet non admittere renuntiationem, & maximè reſpectu Religioſorum, qui non habent velle, aut nolle; & Senatus Ordinum, Rexque noſter, ſicut poſſunt cogere Clericos Fratres ad acceptanda Beneficia, iuxta dicta *ſuperiùs*, ſic etiam valent non admittere renuntiationem Beneficij iam accepti, & cogere ad retinendum ipſum.

Fit hinc Priores omnes Militares, & 112 Vicarios iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentes, & Sacriſtas maiores Ordinum Calatrauenſis, & Alcantarenſis poſſe renuntiare Prioratibus, Vicariis, & Muneri Sacriſtarum; Sic in caſibus ſimilibus de Abbatiis Regularibus, de Prioribus ſæcularibus, & Dignitatibus Eccleſiaſticis, ſæpè fuit in Sacra Rota deciſum, vt videre eſt apud Pariſium *vbi ſuprà lib.* 2. *quæſtion.* 1. *ex num.* 63. Et tradunt Mandoſius *in regul. Cancellar. regul.* 3. *quæſtion.* 8. Oldraldus *conſil.* 281. & alij plures. Similiter Abbatiſſæ, ſeu Superioriſſæ Monialium, quæ Ordinibus Militaribus ſubijciuntur, ſicut & cæteræ aliæ, poſſunt renuntiare officio ſuo, nam Abbatiſſa æquiparatur Abbati, vt tradit Panormitanus *in cap. vltim. de ſtatu Monachorum, num.* 5. Pariter Beneficia curata, & ſimplicia, necnon Capellaniæ valent renuntiari; de quo plurimæ extant Rotæ deciſiones, & eſt communis Authorum ſententia. Videantur Creſcentius *lib.* 1. *deciſion.* 64. Paleotus *deciſion.* 381. Peregrinus *lib.* 2. *deciſion.* 247. Idem dicito de Vicariis perpetuis beneficiorum, nam

ex recenſentur Beneficia, vt docet Alfonſus Hoieda *tract. de incompatibilit. Benefic. part.* 1. *cap.* 15.

113 Quia tamen Beneficia Ordinum Militarium ſunt iuriſpatronatus, & ſi renunciari valeant, non tamen in fauorem alterius abſque conſenſu Patroni, nempè Regis, quod omnibus Beneficiis Iuris Patrunatus eſt commune, vt docent Couarruvias *in practic. quaeſtion. cap.* 36. *num.* 9. Lambertinus *tractat. de iurepatronat. tractat.* 2. *articul.* 5. *quaeſtion.* 3. *part.* 5. *num.* 50. & plures alij. Quare aliter facta ea reſignatio erit nulla, vtpotè in præiudicium Patroni, cuius intereſt, ne vllus contra ipſius voluntatem, ipſoque inſcio, præficiatur Beneficio. Hinc nec poſſunt permutari Beneficia, neque vniri abſque illius conſenſu, nec item bona Beneficij propria alienari, nec demùm poſſunt ea dari in Commendam. Quæ omnia exornat Flaminius Pariſius *vbi ſuprà quaeſtion.* 4. Ibique tractat, an reſignatio abſque conſenſu Patroni facta ſit ipſo iure nulla, vel ſit annullanda, aliaque huiuſmodi, quæ non ſunt ſpecialia Beneficiorum Ordinum Militarium. Et *quaeſtion.* 7. oſtendit, Beneficia exempta, qualia ſunt Militaria, poſſe renuntiari coram proprio Prælatu, adhuc in fauorem alterius, dum Prælatus tamen conſentiat, & Patronus. Et *quaeſt.* 8. tuetur, Beneficia etiam, quæ non habent redditus, poſſe reſignari. Huiuſmodi ſunt in Ordine Calatrauæ aliqui ex Prioratibus formatis.

114 Et quamvis Beneficia Ordinum Militarium ſint amouibilia ad nutum, tamen accedente Regis conſenſu, poſſunt reſignari, etiam in fauorem alterius, & permutari. Sic deciſum fuit in Rota, circa Beneficium amouibile, *in vna Aquilan. coram Domin. Cantuccio die* 28. *Ianuarij, anno* 1583. Et docent Bellamera *de permutation. Benefic. part.* 3. *quaeſtion.* 5. Gamma *in cap. licet, de rerum permutat. lib.* 6. *num.* 84. & alij. Reſignatum autem eiuſmodi Beneficium adhuc à Prælatis ex cauſa amoueri poteſt, quia per reſignationem non eſt eius natura mutata. Poſſunt prætereà Capellaniæ aut Beneficia iure ſanguinis in Eccleſiis Ordinum obtenta reſignari in fauorem alterius, cui iure ſanguinis competant; ſicut Beneficia Patrimonialia poſſunt reſignari in fauorem aliorum, qui ſint filij patrimoniales, dummodo accedat conſenſus eorum, qui habent ius eligendi, ſeu præſentandi. Sic deciſum fuit in Sacra Rota *in vna Calaguritana, coram Domin. Orano, die XXX. Martii, anno* 1590.

Cæterùm, ſi Beneficio vacante, Commenda illius pro tempore alicui conferatur, nequit ea Commenda permutari, nec in fauorem alterius reſignari, quia illa nullum ius confert, & quandocumque eſt reuocabilis; vt docent Gloſſa, & Doctores *in cap. nemo deinceps, de electiòn. lib.* 6. Secùs eſt de Commendis perpetuis beneficiorum, vt obſeruat Rebuffus *in praxi titul. de Commendis.* Maius dubium eſt, an poſſint reſignari beneficia in fauorem alterius, quando datur conſuetudo optandi, aut ius ex Pontificia conceſſione proueniens; ſicut in Ordine Calatrauæ plura beneficia optantur. Plures Authores loquendo de reſignatione facta in Curia Romana, aiunt, ea beneficia poſſe reſignari; quia ſic reſignata vacant in Curia, beneficia autem in Curia vacantia ſunt reſeruata, in quibus optio non habet locum, & conferuntur à Pontifice, appoſita clauſula, quòd conſuetudo, aut ſtatutum contrarium non obſtet. Verùm beneficia Ordinum Militarium coram Rege, aut Senatu Ordinum renuntianda ſunt, & ab illis obtinenda, & non aliter; vnde, cùm ex Bulla Pontificia detur in Ordine Calatrauæ ius optandi, non poterit beneficium reſignari in fauorem alterius cum præiudicio iuris optionis, quod à Pontifice conceditur. 115

Inquires, an Clerico Fratre ingrediente Religionem ſtrictiorem, eius beneficium ante profeſſionem poſſit conferri alteri, ipſeque poſſit ei renuntiare, ſeu illud in fauorem alterius reſignare? circa alia beneficia ſtatutum eſt *in capit. beneficium, de regularibus, lib. ſexto*, ea non fore conferenda alicui tempore nouitiatus, niſi beneficiarij nouitij conſenſus accedat; Vnde, ſi is accedat, attento eo iure poterunt conferri. Verùm in Concilio Tridentino *ſeſſion.* 25. *cap.* 16. *de Regularib.* ſancitur, nullam renuntiationem, aut obligationem factam, tempore nouitiatus, niſi intra duos menſes proximos ante Profeſſionem, eſſe validam, quamvis iuretur; & ſub voce *renuntiationis* non ſolùm intelligi renuntiationem bonorum, ſed etiam beneficiorum, Sacra Congregatio declarauit. Videatur Maiolus *de irregularitat. lib. tertio, cap. ſexto.* Verùm reſpectu beneficiorum Regularium hæc non militant; cum enim ſint amouibilia ad nutum, ſufficiens cauſa datur, vt aliis conferantur, ſi Clerici Fratres ingrediantur aliam Religionem ſtrictiorem; maximè cum ceſſet finis, propter quem tempore nouitiatus vſque ad duos vltimos menſes 116

renuntiatio non permittitur; ſcilicèt vt nouitius onera Religionis penſet, & caſu, quo ea ſuſtinere nequeat, ac egrediatur, ſuis ſe bonis, & redditibus deſtitutum non doleat, indéque in mendicitate vitam tranſigat; At verò Clericus Frater, ſiuè renuntiet Beneficio, ſiuè abſque eius expreſſa renuntiatione illud alteri conferatur tempore nouitiatus, & poſtmodùm ipſe ab ea Religione ſtrictiori exeat an e emiſſionem Profeſſionis; in ſui Ordinis Monaſterio eſt admittendus, in quo neceſſaria ei ad victitandum alimenta ſuppeditantur.

117 Nequeunt autem Clerici Fratres habentes Beneficia Ordinum Militarium renuntiare Beneficia in fauorem ſæcularium; Nec è contra Clerici ſæculares poſſunt in fauorem Clericorum Fratrum reſignare Beneficia; adhuc independenter ab eo quòd ea Beneficia ſunt iuriſpatronatus, & amouibilia. Etenim Beneficia ſæcularia ſæcularibus, Regularia Regularibus ſunt conferenda; Et expreſsè in Concilio Tridentino *ſeſſion.* 14. *cap.* 10. *de reformat.* *& ſeſſ.* 25. *cap.* 21. *de regul.* cauetur, Beneficia conſueta tribui Regularibus, ſi vacent per reſignationem, aut quovis alio modo, Religioſis ipſius Ordinis eſſe conferenda.

118 Plures cauſæ ſunt, quæ iuſtæ cenſentur, vt poſſit quis renuntiare Dignitati Eccleſiaſticæ, aut Beneficio Curato. Nempè in primis illæ, ob quas Alexander Tertius *in cap. niſi, de renuntiation.* tradit, poſſe Epiſcopum ſuæ Dignitatis exercitio cedere; *Conſcientia criminis, debilitas corporis, defectus ſcientiæ, malitia plebis, graue ſcandalum, irregularitaſque perſonæ.* Has cauſas latiſſimè exponit, pluribus allatis Iuribus, & Authoribus, Flaminius Pariſius *tom.* 1. *de reſignation. Benefic. lib.* 5. *quæſtion.* 3. *&* 4. Et quidem cauſæ ad renuntiandum, quæ Epiſcopis ſufficiunt, militant etiam in Parochis, vnde idem de his eſt ſtatuendum; nam vbi eſt eadem omnino ratio, eadem etiam intelligitur iuris diſpoſitio, iuxta vulgatos textus *in leg. illud, ff. ad leg. Aquiliam; leg. A Titio, ff. de verborum obligation. leg. his ſolis, Codic. de reuocand. donation.* Quin & ſæpè cauſæ aliquæ ex prædictis non ſolùm ſunt ſufficientes, vt quis Beneficio renuntiet, ſed vt renuntiare cogatur. Cæterùm in reſignatione Dignitatum, & Beneficiorum ſæcularium iam nulla cauſa iuxta ſtylum Curiæ exigitur; Et quidem etiam iuxta Ius commune ad reſignauda Beneficia ſimplicia, nullam cauſam exprimi, eſt neceſſum, ſola quippè affectio reſignantis ſufficit, vt tradunt Rebuffus *in praxi, titul. de reſignation.* Redoanus *de ſimonia cap.*13. *num.*12. Etenim Beneficia ſimplicia non requirunt induſtriam perſonæ, nec reſidentiam, vt omnes fatentur, & videri poſſunt Nauarrus *in manual. cap.* 25. *num.*121. Ioannes Sellius *de Benefic. p.*4. *quæſt.*1.

Quoad reſignationem in fauorem alicuius, nulla eſt in Ordinibus Militaribus adhuc conſuetudo; Nec, ſi daretur, poſſet abſolutè dici reſignatio in fauorem, cum non interueniant hæ circunſtantiæ, ac ſolemnitates, quæ ad reſignationem in fauorem requiruntur; Eſſet autem humilis quædam ſupplicatio ad Regem noſtrum, aut ad Senatum Regium Ordinum, vt alium ad Beneficium deſignare dignarentur; & omnino pro arbitrio ſuo id poſſent præſtare. Quin, admiſſa renuntiatione, aliquando teneretur non conferre Beneficium ei, qui à renuntiante deſignaretur; nempè ſi eſſet inſufficiens; ſi in alio Munere incompatibili detineretur; aut alia cauſa legitima adeſſet cogens ad negandam ei collationem Beneficij. At quoad renuntiationem Dignitatum, & Beneficiorum ſimpliciter peractam, & non in fauorem, poſſunt plures euenire caſus: ſed ad eorum praxim ſufficiunt, quæ libauimus. Alia videnda ſunt apud Authores relatos, alioſque recentiores, qui de reſignatione Beneficiorum libros integros conficiunt. 119

Obſerua tamen pro Prioribus, aut Vicariis Ordinum Militarium, qui ſunt Ordinarij in ſuis territoriis, ſi in his dentur aliqua Beneficia, aut Capellaniæ, quarum conceſſio non ſpectet ad Regem noſtrum, nec de eius commiſſione ad Senatum Regium Ordinum, eorum reſignationem in fauorem alterius non poſſe fieri coram ipſis Ordinariis, niſi certis ex cauſis; Quippè, niſi ex eiuſmodi cauſis, prohibita eſt reſignatio in fauorem coram Ordinariis, vt conſtat ex Conſtitutione Pij Quinti, quæ incipit, *Quanta Eccleſia*, expedita Kaleudis Aprilis, anno 1568. in qua cauſæ continentur, & latè exponuntur à Flaminio Pariſio *vbi ſuprà lib.*5. *q.*6. 120

Obſerua etiam pro eiſdem, ſi intra territoria Ordinum, ac Priorum aliqua Capellania, aut Beneficium iuriſpatronatus non ſpectantis ad Ordines vacet, & Patronus non præſentet, tempore ad id præfixo, iure deuoluto pertinere ad Priores prouiſionem Beneficij, aut Capellaniæ; quam poterunt conferre Clerico 121

Fratri,

Fratri, eo quod, dum intra Ordinis territorium eſt inſtituta, regularis eſt cenſenda; quod *ſuprà quæſtion.* 3. ſtabiliuimus; dum tamen Inſtitutor Capellaniæ non deſignauerit perſonas; nam, quando Iure deuoluto Prælatus præſentat, debet ſeruare conditiones in Inſtitutione appoſitas, verbi gratia, quòd Capellania conferatur perſonis ex determinatis familiis, vel ſanguine. Ita Lambertinus, Rochus, Gutierrez, Azeuedo, Valenzuela, Cabedo, Rebuſfus, quos refert, & ſequitur Barboſa *de poteſtate Epiſcopi part.* 3. *allegation.* 72. *num.* 169. Vbi plura poſſunt videri circa præſentationem. Itaque tunc conferri poterit Capellania Clerico Fratri, cum inſtitutioni non repugnet. Verùm vacante beneficio, aut Capellania per obitum eius, cui Prior illam conceſſit, aut alia ex cauſa, Patronis incumbit præſentatio, nec Prior iterùm eam prouidere valet, niſi rursùs iure deuoluto ad eum pertineat. Et ſanè poteſt contingere, Priorem aliquando conceſſiſſe Capellaniam Clerico Fratri, quæ iure deuoluto ad illum pertiuuit, & poſtmodùm obeunte eo Fratre, alium Priorem, non explorato iure præſentandi, exiſtimare, ad ſe pertinere prouiſionem, ex eo quòd videat, eam Capellaniam à Clerico Fratre fuiſſe obtentam, & ignoret ius deuolutum, ratione cuius eam obtinuerit. Quare maximè oportet, Priores, alioſque eiuſmodi Ordinarios ſollicitè inueſtigare inſtitutionem Capellaniarum, ne vltrà ſuam poteſtatem quidquam operentur. Quin, vt malitiæ, & ſpeciei fraudis occurratur, ſi probabiliter poſſit ignorari à Patronis, vacare Capellaniam, eo quòd Clericus Frater, qui eam obtinebat, in loco diſtanti obierit, aut alia ex cauſa, tenetur Prior certiores de eo reddere Patronos; aliàs illi vacationis inculpabiliter ignari, & neutiquam negligentes, non poterunt intra tempus præfixum præſentare; indéque contendet Prior, ſed non rectè ad ſe ius deuolui, & Capellania ſemper Clericis Fratribus ex prouiſione ipſius Prioris concedetur in præjudicium Patronorum. Dixi *ſuprà*, præſentationem Capellaniæ, aut Beneficij vacantis ſpectare ad Patronos; quod reſpectiuè intelligendum eſt; ſi Ius Patronatus ſit laïcum, quovis tempore ad eos ſpectat præſentatio; ſi verò ſit Eccleſiaſticum, ſolis menſibus iam à Iure, conſuetudine, & ſtylo præfixis, poſſunt præſentare Patroni; De quo Iure Patronatus, & an Patroni poſt primam præſentationem poſſint variare, & alium præſentare, plura dedi *tomo de Iure Academico, lib.* 1. *quæſt.* 40.

DISQVISITIO XII.

De Receptione Sacramentorum, ceremoniis, ornatu, victu, & cultu Equitum, & Clericorum Fratrum Militarium.

QVÆSTIO I.

An ſub peccato mortali teneantur Equites Militiarum geſtare Habitum ſeu inſigne ſuorum Ordinum & quomodo.

DIRIMENDVM eſt dubium iuxta duplicem ſententiam, à qua reſolutio pendet. Aſſero primò, iuxta ſententiam (de qua egimus *diſquiſit.* 2. *quæſtion.* 2.) tuentem Equites Militares eſſe ſtrictè, & propriè Religioſos, peccare mortaliter, ſi non affectant Habitum, ſeu inſigne proprium ſuorum Ordinum. Ita abſolutè docent Calderon de Robles *in quæſtione ſuper hoc dubio*; Mota *de confirmat. Ordin. Sancti Iacobi, lit.* 2. *cap.* 1. §. 6. Corduba *in inſtruction. Confeſſ. part.* 2. *cap.* 3. *num.* 6. Diana *part.* 3. *tract.* 2. *reſolut.* 30. *verſu* 3. Illa *in regul. D. Iacobi, cap.* 14. Rades *in Chronic.* 24. Nauarrus *in ſumm. c.* 27. *n.* 151. 1

Et in primis *in cap. vt periculoſa ſit, ne Clerici, vel Monachi, lib.* 6. prohibetur ſub pœna excommunicationis maioris quibuſvis Religioſis Profeſſis (de his enim eſt quæſtio, nam ante Profeſſionem in nulla ſententia ſunt ſtrictè religioſi) deſerere Habitum ſui Ordinis, abſque legitima cauſa. Deinde Alexander III. confirmans Ordinem S. Iacobi, ſtrictè prohibet, ne redeant Equites Profeſſi ad ſæculum, ſed per cenſuras cogantur, ſi redierint, ad Ordinem deuenire; Et Honorius III. eundem Ordinem confirmans vocat Apoſtatas eos, qui ab Ordine diſceſſerint, & eſſe vitandos enuntiat. Si autem Eques nunquam geſtaret Habitum, cenſendus eſſet deſertor, & Apoſtata ſui Ordinis, cum iudicaretur communiter indiſtinctus à cæteris, quin eſſet aliquod diſtinctiuum; exterioraque indicia, ac fundamenta ad id indicium prudenter traherent. 2

Rursùs Benedictus XIII. commutans caputia, quæ ab Equitibus de Alcantara afferebātur, in Crucem viridis coloris, hanc ab eis afferri præcipit eo rigore, quo priùs illa caputia geſtabātur, tuncque planè ceſſa- 3

batur, geſtationem illorum ſub peccato lethali eſſe obligatoriam. Præterea Sixtus V. in Motu proprio expedito, anno 1589. priuat Commendis eos Equites, qui inſignia ſuorum Ordinum non geſtauerint. Demùm in Statutis,ac definitionibus cuiuſque Ordinis Militaris idipſum grauiter præcipitur, & ſub pœnis variis decernitur.

4 Ratio etiam id ſuadet. Nam is, qui habitum ſui Ordinis non affert, non ſe gerit vt Religioſum, ac ſuo ſtatui, muneri & officio non ſatisfacit in re graui; ergo grauiter delinquit,imò incidit in cenſuras à Iure, & à Clemente VIII. inflictas contra Religioſos deſerentes ſuum Habitum. A paritate etiam id confirmatur; nam quilibet alius ex cæteris Religionibus non afferens ſuum Habitum abſque legitima cauſa, ſine dubio peccati lethalis reus cenſeretur; ergo ſimiliter ſunt cenſendi Equites, ſuum Iuſigne, ſeu Habitum non geſtantes; nam ſi ſemel ponatur, eos eſſe ſtrictè, & propriè Religioſos, cur non peccent, non afferendo Ordinum ſuorum Habitum, ſi cæteri Religioſi peccant? A paritate adhuc magis propinqua firmatur. Nullus excuſabit à peccato lethali Equites Sancti Ioannis, ſi ſuum Habitum non geſtent; at in ſententia, iuxta quam nunc diſſerimus, cæteri Equites Militares non minùs ſtrictè, & propriè ſunt Religioſi; ergo pariter peccabunt non afferentes proprium Habitum. Etenim diſcrimen inter ipſos penes hoc nullum datur, ſed ſolùm penes vota rigidioris, aut laxioris materiæ; quibus Votis poſitis, & ſufficientibus ad conſtituendam propriam, & ſtrictam Religionem, in aliis pariter ſe habent, cum geſtatio Habitus non dependeat à Votis huius qualitatis, vel illius, ſi quidem Vota non tendunt ad geſtationem Habitus, ſed hæc ſit annexa, & conſequens ad illa; Vouent enim Caſtitatem, Obedientiam, & Paupertatem in propria Religione, cuius Habitus eſt afferendus, cum per Profeſſionem fiat quis membrum eiuſmodi Religionis, & intra ipſam viuere, & degere voueat.

5 Attamen non adeò rigidè id eſt accipiendum, vt peccet mortaliter Eques, qui vno, vel altero die Habitum, ſeu Inſigne non afferret; opus enim eſt, vt aliquo tempore, quod prudentum iudicio ſit notabile, illud deſerat ad hoc, vt grauiter delinquat. Sic etiam Religioſi Hoſpitalis Regij iuxta Burgos, lethaliter peccarent, ſi per tempus non exiguum enſes accinctos afferrent; nam eorum Habitus eos excludit, idque iam poſt longa litigia fuit obtentum ab Abbatiſſa *de las Huelgas*, cui ſubduntur. Non verò peccabunt lethaliter, ſi breui tempore itinerando, (non verò publicè incedendo per oppida, in quibus commorantur) eos afferant; id enim ipſis Sacerdotibus ſæcularibus aliquando permittitur, vt obſeruabo *infrà numer.* 13. Dices, Religioſus alterius Ordinis non Militaris peccaret mortaliter, ſi abſque Habitu proprio adhuc vno die per locum deambularet, alieno Habitu indutus; ergo, ſi Eques Militaris eſt ſtrictè Religioſus, etiam delinquet mortaliter non afferens ſuum Habitum vno vel altero die. Nego conſequentiam. Diſparitas conſiſtit in diuerſitate Ordinum; Sicut enim Equites Militares ſectantur diſciplinam non adeò rigidam, eorumque vota non obligant ipſos ad ea omnia, ad quæ cæteri Religioſi obſtringuntur; ita in præſenti caſu non ſunt eadem menſura metiendi,ſed plus illis,quàm his eſt indulgendum. Quod ex aliis euentibus inſpicitur. Nam ſi Religioſus non Militaris publicè, v. g. ad ludendum pila ſe veſtibus, & Habitu exueret vſque ad intimas veſtes,grauiter delinqueret; non autem Eques Militaris. Nec ex peccatis Equitis Militaris, v. g. ex violatione Caſtitatis, & ſimilibus, graue adeò ſcandalum ſequeretur, ac ſi eadem peccata Religioſus non Militaris patraret. Id equidem ex diuerſitate Inſtitutorum, & obſeruantiæ regularis dimanat. Sic etiam inter ipſos Religioſos non Militares diuerſorum Ordinum quædam actiones ab aliis licitè fiunt, quæ non omnibus licitæ eſſent; Nam v. g. adeſſe aliquos ſpectaculo agitationis Taurorum, propter tolerantiam, non eſt lethale peccatum; nonnulli autem, vt Capuccini, Carthuſienſes, & alij, ſi adeſſent, grauiter peccarent, vt latè tradidi *Tomo de Iure Academico, lib. 2. num.* 305. *& ſuprà diſq. 9. q. 7.*

Obſeruandum etiam eſt, à Pontificibus 6 ſub pœnis grauibus fuiſſe iniunctum, vt Equites Militares afferant Habitum in ipſis veſtibus; idque etiam in Definitionibus ipſorum Ordinum ſeuerè fuiſſe præſcriptum. Communiter tamen ferè omnes Crucem in pallio geſtant, & in pectore Crucem auream, vel argenteam, aut ex alio lapillo conſtructam. Quin aliqui ſolam hanc Crucem pendentem afferunt, non verò aliam in pallio ſuperpoſitam. Hi ſanè poſſunt à Prælatis, & Superioribus eiuſmodi Ordinum puniri iuxta propria Statuta, ac Definitiones; vt in Definitionibus Ordinis de Alcantara, *tit.* 13. *cap.* 14. pœna ſtatuitur contra illos. Verùm arbitror,

eos

eos non peccare lethaliter, dum Crucem pendentem è collo geſtant. Etenim ſic diſtinguuntur ſufficienter à cæteris, qui non ſunt Equites Militares, & Inſigne ſpeciale ſuorum Ordinum afferunt, ac videntur ſatisfacere menti Pontificum, qui id optarunt, vt proprio Inſigni à cæteris diſcriminarentur. Aliundè id ita inualuit, vt in communi ipſorum Equitum iudicio, ac perſuaſſione, imò & Virorum, & Authorum Sapientum, non cenſeatur lethale peccatum. Conſultiùs tamen agerent, ſi Habitum geſtarent, ad quod ſanè ſunt hortandi.

7 Veniamus iam ad reſolutionem dubij *in hac quæſtione* propoſiti iuxta opinionem defendentem, Equites Militiarum non eſſe ſtrictè Religioſos, quam propoſuimus *ea diſq. 2. quæſt. 2.* Iuxta eam ergo tenendum eſt primò, prædictos Equites non ſubiacere pœnis, ac cenſuris, quæ à Pontificibus inflictæ ſunt contra Apoſtatas, etiam ſi illi Habitum perpetuò deſerant; nam Apoſtatæ à Religione non ſunt, qui Religioſi non cenſentur; & cum cenſuræ ſint odioſæ, & ſtrictè interpretandæ, nullatenùs debent extendi ad eos, qui non ſunt propriè Apoſtatæ.

8 Secundò tenendum eſt, eos peccare grauiter, ſi Habitum, ſeu Inſigne propriæ Militiæ non geſtent. Ita Iſla *in reg. Ord. D. Iacobi, c. 24.* afferens pro ſe D. Antoninum, & Syluestrum. Quod exindè probant aliqui, nam hi Equites ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ, quamvis non eſſent abſolutè Religioſi, gaudentes priuilegio Canonis, & proprij Fori, cui poſt Profeſſionem emiſſam nequeunt renuntiare, ſi quidem conſtituuntur Eccleſiaſtici per emiſſionem Votorum, quibus ſemper ligantur, & à quibus nequeunt pro libito exonerari; Sicut initiatus Ordine Sacro non valet renûntiare foro, nec pro nutu liberari ab obligatione Ordinis, & Voti ſolemnis Caſtitatis. Ac perſona Eccleſiaſtica, quæ non poteſt pro libito forum, & ſtatum Eccleſiaſticum deſerere (ſicut poteſt Clericus Beneficiatus non initiatus Ordine ſacro) peccat mortaliter, ſi Habitum Eccleſiaſticum non geſtet, vt apud Authores eſt conſtans; ergo Equites illi peccabunt mortaliter, ſi Habitum ſuorum Ordinum non geſtent, qui in ipſis eſt Habitus Eccleſiaſticus, eoſque deſignat perſonas Eccleſiaſticas, & diſcriminat ſpecialiter ab aliis.

9 Vnde à ſic differentibus præoccupatur fundamentum quorundam, qui conſulti de hoc arbitrati ſunt, non eſſe peccatum lethale, non afferre prædictum Habitum, eo quòd præfati Equites non ſint ſtrictè Religioſi, Habituſque potiùs ad honorem, & nobilitatis oſtenſionem geſtetur, quam ad alium finem, nec propterea ſcandalum geueretur, nec ſtatui Religioſo detrimentum inferatur. Nam contra, aiunt, licèt non ſint Religioſi ſtrictè, tamen Equites hi ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ, & hunc ſtatum ratione Profeſſionis, & emiſſionis Votorum nequeunt deſerere. Attamen hæc ratio non conuincit eos, qui negant Equites eſſe tum ſtrictè Religioſos, tum perſonas Eccleſiaſticas. Verùm adhuc aſſertum ex alio capite probatur; nempè quia hi Equites in Profeſſione vouent Obedientiam in proprio Ordine Militari; cui Voto non ſatisfaciunt, ſi Habitum non afferant, nam ſe gerunt, vt extra Ordinem exiſtentes, & ab illo ſe remouent, & in re grauiſſima ab Obedientia deflectunt, nempè in geſtatione Habitus, qui eſt diſcriminatiuus proprij ſtatus, & index fundamentalis Obedientiæ, quam profitentur, ac Ordinis, intra quem degunt; cum aliundè non ſit illis liberum ab Ordine ipſo, ac à Profeſſione reſilire. Ex dictis colligo, tum Equites, tum Clericos Fratres, qui tempore Nouitiatus Habitum non afferrent per tempus notabile, diſrumpere annum Nouitiatus, huncque ab illis peragendum fore integrum à die, quo iterum Habitum reſumant. Neque enim ſtat abſque Habitu Nouitiatus, niſi ipſi Superiores in geſtatione illius diſpenſent. Verùm non nimis ſcrupuloſè cum Equitibus eſt procedendum, qui laxiorem vitæ normam ſequuntur; & in ſententia tuente, eos non eſſe ſtrictè Religioſos, rigor erit magis temperandus.

Addo, Equitem, qui omnino non affer- 10
ret Habitum ſui Ordinis, quamvis non præſtaret id in contemptum, & formalem inobedientiam, tamen ex ſe præbere ſufficiens fundamentum ad iudicandum, eum operari in contemptum, ac inobedientiam. Vnde & ſcandalum gigueret, dum exteriùs ſic communiter iudicaretur; & peccaret vlteriùs, ſi de facto formalis inobedientia in re adeò graui, vt contemptus, daretur, iuxta doctrinam D. Thomæ 2. 2. *quæſt. 104. art. 2. ad 1. & 3.* Patris Leſſij *de iuſt. & iur. lib. 2. cap. 41. num. 74. & cap. 46. à num. 45.* P. Vazquez *in 1. 2. diſp. 158. cap. 4. num. 37.* P. Reginaldi *in praxi fori pœnit. lib. 15. num. 32.* Quin, ſiuè prima, ſiuè ſecunda ſententia defendatur circa ſtrictam Religionem Equitum Militarium, ſemper erit peccatum mortale, non afferre Habitum ſui Ordinis, etiam per exiguum

tempus, ſi id præſtent in contemptum illius, vt ex doctrina prædictorum Authorum, & communi, ſatis apertè colligitur.

11 Eadem quæſtio. quæ de Equitibus eſt diſcuſſa, Clericis Fratribus Militiarum eſt adaptanda (& latiùs eam diſcutiemus *infrà quæſt.* 5. circa hos Clericos Fratres) erga quos abſque diſtinctione eſt loquendum, cum de eorum ſtricta Religione non ſit opinionum controuerſia, ſed conſtanter eos eſſe abſolutè, ac propriè Religioſos, omnes affirment. Quare lethaliter peccarent, ſi Habitum ſuorum Ordinum non afferrent; etſi ab illis deficerent, eſſentque deſertores, inciderent in cenſuras inflictas contra Apoſtatas, atque vt propriè tales, forent puniendi. Et hi quidem, ſi publicè, tanquam ſæculares, incederent, grauiter delinquerent, etiamſi id eueniret per exiguum temporis ſpatium, nam ſcandalum ſequeretur graue, ſtatim ac ſic incedere conſpicerentur; ſicut ſi Religioſus non Militaris incederet publicè ſæculari ornatu indutus, quamvis id præſtaret exiguo tempore, graue peccatum patraret; in his enim non attenditur paruitas materiæ tempo is, ſed grauitas ſcandali, certumque eſt, in ſpatio paruo temporis poſſe ſcandali grauis occaſionem præberi, ſicut poſſunt in eo ſpatio plura grauia peccata committi. Hinc in Definitionibus ipſorum Ordinum grauiſſimis verbis iniunctum eſt, vt Fratres Clerici ſuum Habitum decentem, & honeſtum ferant; deſignaturque eis, qualis futurus ſit. Sic in Definitionibus Ordinis de Alcantarâ ſtatuitur, *tit.* 5. *cap.* 5. *& tit.* 12. *cap.* 3. *num.* 16.

12 At non damno peccati mortalis eos, qui abſque ſcandalo, & non publicè, habitu decenti incederent, quamvis proprium per tempus exiguum relinquerent; v.g. ſi quis noctu in agrum, aut fluuium, recreationis cauſa tendat, & in ſimilibus euentibus; eſtò ſemper, ſit conſultius, & decentius, ornatu, & habitu proprio indutos eo incedere. Nec ab aliis Religioſis non Militaribus; qui nec in eis caſibus poſſunt Habitum proprium relinquere, paritas deſumenda eſt; Quippè Religioſos Militares plura decent, aut licent, quæ aliis non licent, nec decent; & id ad diuerſitatem Inſtitutorum referendum eſt; qua inſpecta, prudenter eſt philoſophandum.

13 Attamen damno peccati lethalis Clericos Fratres, qui itinerantur, veſtibus ſæcularibus, ac armis accincti; cum debeant habitum, qui in itinere Clericos Regulares decet, geſtare; & ad ſummum poſſint enſem, & tormentum igneum (ob latronum pericula) portare, dum in locis ea ſecum non afferant, ſed ſtatim in aliqua domo relinquant. Id enim (non autem veſtes ſæculares) etiam Sacerdotibus honeſtis aliquando permitti ſolet ob pericula viarum, vt videre eſt in *Synodo Salmantina anni* 1654. *lib.* 3. *tit.* 1. Quod tamen non eſt præſtandum, ſi abſint pericula. Et conſultus eſſet, in nullo euentu arma à Fratribus Clericis afferri, ſicut à Religioſis cæteris itinerantibus non afferuntur.

Obſerua in præſenti, Equites Militares non afferentes Inſignia ſuorum Ordinum, reddi inhabiles ad obtinendum Commendas. Sic enim ſanxit Sixtus V. in Bulla expedita anno 1589. Deindè id poſſet P. Sà, *in ſumma, verbo, Clericus, num.* 33. aſſerens, eum, qui iam Commendam obtinuit, ſi Habitum Militarem non afferat, ipſo facto priuatum eſſe Commenda, eiuſque redditibus; ſicut habens Beneficium, aut Penſionem, ſi non afferat Habitum Eccleſiaſticum, ipſo facto eſt priuatus Officio, & Beneficio. Commendas tamen iuxta poſita *ſuperiùs*, non amittent ex eo, quod per exiguum temporis ſpatium Habitum Militarem non geſtent. 14

QVÆSTIO II.

An Religioſi Militares, dum adminiſtrant Sacramenta, poſſint vti Toga Capitulari loco ſuperpellicei, aut Albæ?

ANſam huic dubio dedi vſus per aliquot tempora vigens Religioſorum, qui immediatè ſuper togam Capitularem, ſtolam imponebant, & inſuper pluuiale, cum id exigebat adminiſtratio Sacramenti conferendi. Verùm id non poſſe fieri, ſed ſuperpelliceo, aut Alba eos fore vſuros, omnino tenendum eſſe, ſequentibus fundamentis, videtur poſſe ſuaderi. Etenim toga Capitularis non eſt veſtis Clericalis, & ad vſus ſolos Eccleſiaſticos inſtituta, ſed veſtimentum Religioſorum, quo tam Equites, quàm Fratres Clerici vtuntur, & hi quidem non ſolùm in Choro, ſed etiam in triclinio, dum ſimul veſcuntur; nec aliter ſe habet, quam in aliis Religioſis non Militaribus pallium, ſeu indumentum ſuperius, quo ornati ad Chorum, & ad Communitatis actus aliquos ſolent incedere, vel vt cucullus Monachorum S. Benedicti, & S. Bernardi. Conſtat autem, hos Religioſos non poſſe adminiſtrare Sacramenta, ſtolam imponentes 15

immediatè

immediatè ſuper ea tegumenta ſuperiora.

16 Deindè, cum Religioſi Militares prima tonſura initiantur, ſuperpelliceo induuntur, eoque ornati, & non toga Capitulari, procedunt ad ſuſcipiendos minores Ordines; vnde cernitur, ſuperpelliceum eſſe habitum Clericalem, quo ſunt vſuri, dum actus proprios Ordinum exequuntur.

17 Demum Rituale Romanum habet vim obligandi, vtpotè authoritate Pauli V. de conſilio Eminentiſſimorum Cardinalium editum; In eo autem, dum obſeruationes neceſſariæ ad Sacramentorum adminiſtrationem præmittuntur, afferitur; *In omni Sacramentorum adminiſtratione ſuperpelliceo ſit indutus, & deſuper ſtola eius coloris, quem Sacramenti ritus expoſcit, niſi in Sacramento Pœnitentiæ miniſtrando occaſio, vel conſuetudo, vel locus interdum aliter ſuadeat.* Hoc autem Rituali vtuntur Religioſi Militares, atque adeò ſtare debent eiuſmodi ſanctioni, quamvis intra Monaſteria Miſſali, & Breuiario Benedictino debeant vti Calatrauenſes, & Alcantarenſes. Et ſanè in omnibus Sacris Religionibus, adhuc in illis, quæ ex conceſſione Sedis Apoſtolicæ non vtuntur Miſſali, & Breuiario Romano, ſed alio ſpeciali, cum diuerſis cæremoniis, ſuperpelliceo tamen ſuper veſtiuntur, cum Sacramenta adminiſtrant. Videantur de his Barboſa *ad cap.* 10. *de celebrat. Miſſar.* Paulus Tuſchus *de viſit. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 10. Menochius *lib.* 1. *conſil.* 52. *num.* 145. Diana *part.* 3. *tract.* 3. *reſol.* 4.

18 Nec obſtat ille vſus contrarius; iam enim videtur fuiſſe correctus, & quod bona fide, rebus non accuratè exploratis, exercebatur, maturiori, & attentiori conſideratione ſuperueniente, mutatum eſt. Nec rurſus obſtat, quòd in Definitionibus Ordinis de Calatraua *tit.* 12. *cap.* 10. afferitur, *Mandamos, que los Clerigos de nueſtra Orden, que reſiden en los Beneficios Curados, ſean obligados à decir las Horas; y adminiſtrar los Sacramentos con mantos blancos de Choro de la Orden.* Et in Definitionibus Ordinis de Alcantara *tit.* 23. *cap.* 23. ſic extat diſpoſitum; *Quando el Viſitador viſitare el Sanctiſſimo Sacramento en los lugares de la Orden, ſea obligado à lleuar vn Freyle Sacerdote, para hazer la dicha viſita; lo qual encargamos ſe haga con exemplar decencia, y reuerencia con ſus mantos blancos, como los deben traer para la adminiſtracion de los Sacramentos.* Poteſt autem Magiſter, ſeu Adminiſtrator Ordinis in Capitulis Generalibus, de conſilio Diffinitorum, Statuta, & ſtabilimenta de nouo facere, & facta corrigere, ac immutare, quæ illicò eo ipſo confirmationem, & approbationem Apoſtolicam ſortiuntur; vt conſtat ex Bulla Clementis VII. quæ incipit, *Ad ſtatum fidelium*, & affertur in Bullario Ordinis de Alcantara, *pag.* 118. Non, inquam, id obſtat, quia forſan conniuentes vſui antiquo, nec re accuratius diſcuſſa, eas ordinationes ſtatuerunt, ſeu inſcripſerunt hi, quibus demandata fuit cura diſponendi, ac ordinandi Definitiones; quod tunc ob bonam fidem licuit. At id ab ipſis Ordinibus videtur reformatum, ſi quidem plures iam Religioſi non toga Capitulari, ſed ſuperpelliceo in Sacramentorum adminiſtratione vtuntur.

Adde, non poſſe Ordines ſtatuta facere aduerſus Eccleſiæ Canones, & Ordinationes, id enim non fuit ipſi indultum in ea Bulla; ſicut non eſt conceſſum aliis Religionibus, quæ in ſuis Capitulis Generalibus poſſunt ſimilia ſtatuta condere; nam in ea facultate condendi Ordinationes conceſſa à Pontificibus, ſemper illa ſubſtat incluſa conditio, *dum non ſit contra bonos mores, aut Eccleſiaſticas Ordinationes, ſeu ritus.* Hinc, cum extet Eccleſiaſticus ritus, ac ordinatio, vt ſuperpelliceo vtantur, qui Sacramenta miniſtrant, vim non habet ſtatutum oppoſitum, quamvis in eo condendo bona fides à culpa excuſauerit. Quin, etſi ſtatutum fuiſſet ab exordio validum, eo quòd adhuc in Eccleſia non eſſet oppoſitum ſtabilitum, ſtatim tamen ac Eccleſia oppoſitum decreuiſſet, ſtatutum foret inualidum, ex vi nouæ Conſtitutionis vniuerſalis antiquas oppoſitas infirmantis. Et quidem ratio poſtulat, vt in adminiſtratione Sacramentorum, non ſolùm quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad circunſtantias, & exteriores ceremonias, vniformis in Eccleſia vſus, ac ſtylus obſeruetur, quod in Sacramentorum reuerentiam, ac populi Chriſtiani cedit ædificationem, ne vel exterior diuerſitas infirma pectora turbet. 19

Inquires, an iuxta hunc philoſophandi ſenſum, ſit peccatum graue, Religioſos Militares non vti ſuperpelliceo in adminiſtratione Sacramentorum? Hoc dubium commune eſt cæteris, etiam non Religioſis Militaribus, qui Sacramenta adminiſtrant. In primis ad Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtrandum non requiritur ſuperpelliceus, ſaltem in noſtra Hiſpania, vbi abſque illo ab omnibus adminiſtrari ſolet. Deindè dico, aliquando ob cauſam rationabilem poſſe excuſari ab omni culpa eum, qui ſuperpelliceo non vteretur; v.g. ſi inſtaret neceſſitas vngendi moribundum, 20

nec

nec præſtò eſſet ſuperpelliceus, aut alia ſimilis cauſa. Rursùs ſi ob leuem negligentiam, aut incuriam quis ſtolam abſque ſuperpelliceo ſibi apponeret, poſſet à culpa lethali excuſari, cum nullus adeſſet contemptus, nec animus obſtinatus violandi ritum Eccleſiæ.

21 Demùm communiter cenſendum eſt (ſtando dictis) eſſe peccatum lethale, non vti ſuperpelliceo in adminiſtratione Sacramentorum, ad quæ ille deputatus eſt, veluti ad miniſtrandum Baptiſmum ſolemniter, Euchariſtiam ſacram, & Extremam vnctionem. Sic docent P. Suarez *de Euchariſt. diſp.* 72. *ſect.* 2. P. Sà *in ſumm. verbo, Euchariſtia, n.* 31. P. Antonius de Quintanadueñas *in inſtruct. ordinand. p.* 5. §. 12. *num.* 8. *&* §. 4. *num.* 16. Etenim Eccleſiæ ritus in re grauiſſima, qualis eſt Sacramentorum adminiſtratio, obſeruari debent accuratiſſimè, daturque gravis indecentia, ſi ea adminiſtrentur abſque ſuperpelliceo, & populi Chriſtiani ædificationi, ac venerationi detrahitur, ac videntur contemni ſolemnitates externæ ab Eccleſia deſignatæ, atque Concilij Tridentini regula ſeuerè iniuncta *ſeſſ.* 7. *can.* 17. Vbi aſſeritur; *Si quis dixerit, receptos, & approbatos Catholicæ Eccleſiæ ritus in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato à Miniſtro pro libito omitti, aut in nouos alios per quemcumque Eccleſiarum Paſtorem mutari poſſe, anathema ſit.*

22 Itaque pro libito omittere ſuperpelliceum, erit graue peccatum, cum ſuperindui illo ſit vnus ex ritibus Eccleſiæ in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione; & cum Tridentinum ait, id abſque peccato omitti non poſſe, de peccato graui eſt intelligendum, iuxta principium commune, quòd Statuta, & leges obligantes ad peccatum in materiis grauibus, ad mortale quidem extenduntur, niſi reddatur culpa leuis ob aliquam circunſtantiam. Et quidem ritus vtendi ſuperpelliceo lineo, & non laneo, ſuam habet ſpecialem ſignificationem, & repræſentationem ab Eccleſia intentam; de qua conſuli poſſunt Villalobos *in ſumm.* 1. *part. tract.* 8. *diffic.* 28. P. Reginaldus *in praxi fori pænit. tom.* 2. *lib.* 19. *num.* 33. Et indè etiam confirmatur, non poſſe Religioſos Militares vti toga Capitulari, nam ea lanea eſt, non linea; quare, ſi ea vterentur in Sacramentorum adminiſtratione, deficeret ibi repræſentatio intenta ab Eccleſia in lineo ſuperpelliceo, aut in linea Alba.

23 Dicta adhuc ſecundùm ſe inſpecta rem ſuadere videntur. Sed adhuc poteſt defendi, valere Fratres Militares vti toga Capitulari loco ſuperpellicei ad Sacramenta adminiſtranda. Quod ſuadetur fundamentis euertentibus rationes oppoſitas. Primò, quia toga Capitularis deſtinata eſt ad vſus Eccleſiaſticos, cum Fratres illa vtantur, dum Choro aſſiſtunt, & Equites, cum recipiunt Sacramenta, & vtrique, cum Profeſſionibus interſunt. Nec obeſt, ea etiam vti, eum aliis Actibus Communitatis aſſiſtunt; ſicut Canonici etiam vtuntur ſuperpelliceo, cum ſuis Capitulis adſunt; Etenim, cum Actus Communitatis ex ſe ſint grauiſſimi, non dedecet, in eis vti Habitu Eccleſiaſtico. Nec proportionatur toga Capitularis pallio ſuperiori, quo alij Religioſi non Militares in Choro vtuntur. Etenim horum eſt proprius Habitus illud pallium, vt Choro aſſiſtant; At Fratres Militares ſunt Clerici Religioſi, indeque aptandus eſt illis habitus, quo Clerici vtuntur; at hi ſuperpelliceo vtuntur in Choro; ergo toga Capitularis, qua Militares Fratres in Choro vtuntur, correſpondet illi ſuperpelliceo, non verò pallio ſuperiori aliorum Regularium. Et quidem, ſi attentè res introſpiciatur, & ſupponatur, eos Fratres eſſe Clericos, argumenta, quæ probant, debere eos vti ſuperpelliceo, dum adminiſtrant Sacramenta, æquè omnino ſuadent, debere, eodem ſuperpelliceo vti in Choro, ſicut alij Clerici vtuntur. Hoc autem non conuincitur, ergo nec primum.

Nec obeſt, quòd ſuperpelliceo ornentur, cum Ordines accipiunt ab Epiſcopis. 24 Id enim præſtatur, tum vt cæteris accipientibus conformentur in Habitu, tum, ne Epiſcopi quæſtionem ſuper hoc moueant. Nec paritas ſit à ſuſceptione Ordinum ad adminiſtrationem Sacramentorum, cum diuerſa poſſint Ornamenta ad ea munia deſignari; maximè cum in illa adminiſtratione Fratres Militares non intermiſceantur cum aliis Clericis, & Prælatis extra Ordinem, atque adeò poſſint iuxta proprios ritus ſe gerere.

Secundò. Fratres Militares Calatrauæ, 25 & Alcantaræ (Fratres Iacobæi non toga, ſed ſuperpelliceo vtuntur, atque adeò de illis non eſt quæſtio) intra Monaſteria renentur conformare ſe Miſſali, & Breuiario, ac Rituali ſui Ordinis, vt extat in Definitionibus Calatrauæ *in Inſtructione pag.* 72. & in Definitionibus Alcantaræ *tit.* 5. *cap.* 1. Vnde, leſtò in Rituali Romano vſus ſuperpellicei requiratur, non tenentur eo vti. Quin extra Monaſteria non coguntur Breuiario, & Miſſali Romano vti, ſed

poſſunt

poſſunt ex conceſſione Clementis VII. Et dum in Eccleſiis Ordinum munus Parochorum exercent, nihil obſtat, quominùs vtantur ſuo Breuiario, Miſſali, & Rituali. Id autem, quod in Statutis, & Ordinum Definitionibus circa ritus decernitur, eſt ipſorum Rituale, cum ex illis ritibus Rituale componatur. Conſtat verò ex locis Definitionum ſuprà allatis, togas Capitulares eſſe deſignatas ad Sacramenta adminiſtranda.

26 Nec maior eſt obligatio conformandi ſe Rituali Romano, quam Breuiario, & Miſſali; vnde, cum ex ſpeciali priuilegio aliqui Ordines vtuntur proprio Miſſali, ac Breuiario, etiam proprij Ritualis vſum exercent; quod cernere eſt, dum ſuos ſepeliunt defunctos, & in aliis functionibus Eccleſiaſticis, in quibus, ſpecialibus ritibus, ac orationibus vtuntur., etiam poſt Rituale Romanum editum. Imo ipſe Paulus V. qui Rituale hoc edidit, deſignauit Ordinibus Calatrauæ, & Alcantaræ Miſſale, & Breuiarium Ordinis S. Benedicti, intra ipſorum Monaſteria recitandùm, quod nunc præſtatur, cum olim Breuiario, & Miſſali Ciſtercienſium vterentur. Quare ipſe Pontifex noluit eos cogere ad Rituale Romanum obſeruandum, quod conſectarium, & annexum eſt Breuiario, & Miſſali Romano.

27 Ex his cernitur, quare nunc intra ipſos Ordines alij Parochi vtantur toga Capitulari in adminiſtratione Sacramentorum, alij ſuperpelliceo, & nec hi, nec illi peccent; Quippè primi ſequuntur ſententiam *nuper* ſtabilitam, & juxta ſui Ordinis Definitiones operantur; alij verò aut ſectantur opinionem oppoſitam, quæ fundamentis ſatis probabilibus fulcitur, maximè cum Paulus V. ediderit Rituale poſt annum 1600. quo Definitiones Calatrauæ, & Alcantaræ (quas *in hoc Opere* citamus) in Capitulo Generali fuerunt ſancitæ; Aut, cum extra Monaſteria poſſint Fratres aptari Breuiario, & Miſſali Romano, conſequenter etiam conformantur Romano Rituali, in quo ſuperpelliceus ad Sacramentorum adminiſtrationem præſcribitur.

* * *

QVÆSTIO III.

An Clerici Fratres Militiarum peccent lethaliter, & in Excommunicationem incidant, ſi proprium Habitum non geſtent?

28 DIxi *ſuperiùs quæſt.*1. ac probaui, Clericos Fratres Militares non geſtantes proprium Habitum peccare mortaliter; & deſertores Ordinis, velut Apoſtatas, incidere in excommunicationem. Alia nunc his affinia exponemus. Igitur Clericus Frater, qui adhuc abſque animo deſcrendi Ordinem, dimitteret Religionis Habitum, incideret in excommunicationem maiorem inflictam ipſo facto in Iure, *in cap. Vt periculoſa, ne Clerici, vel Monachi in* 6.

29 Peccaret etiam mortaliter Clericus Frater, qui Habitum occultum afferret, cum perindè ſe haberet, ac ſi illum abſolutè non geſtaret, ſi quidem non poſſet iudicari Religioſus, quod ex habitu externo eſt dignoſcendum. Quin in Concilio Tridentino *ſeſſ.*25.*c.*19. prohibetur, ne facultas ad tegendum habitum concedatur; ibi; *Nec detur licentia cuiquam Regulari occultè ferendi habitum ſuæ Religionis.* Nec ſufficiens erit, ſi Frater Clericus afferat exteriùs in pectore Inſigne aureum, vel argenteum, & nullum aliud Inſigne in veſtibus, nam Pontifices, tanquam proprium habitum Regularium Militiarum deſignarunt crucem in veſtibus afferendam; vt reſpectu Ordinis de Alcantara conſtat ex Breui Benedicti XIII. qui Crucem viridem in panno in veſtimentis ſuperioribus geſtari præcipit; Veſtes autem ſuperiores ſunt pallium, & toga, vt declaratum eſt in Definitionibus eiuſdem Ordinis, *tit.*13. *cap.*14.

30 Attamen non peccabit mortaliter, qui in toga ſolùm Crucem attulerit, & non in pallio, cum ſit leuis tranſgreſſio præcepti, ſi quidem ſatisfit ſini præcipuo, dum per eam geſtationem Crucis dignoſcitur quis exteriùs Religioſus Ordinis. Venialiter autem peccabit; & curandum eſt ſemper, vt etiam in pallio Crux afferatur; gloriarique quiſque debet de perfecta manifeſtatione ſui habitus, & ſtatus Religioſi. Conſequenter non incidet in cenſuras; nam vt excommunicatio maior contrahatur, neceſſum eſt, præcedere culpam lethalem, vt decernitur *in cap. nemo, cap. nullus,* 11. *q.*3. Et tenent communiter Authores cum D.Thoma *in* 4. *diſtinct.*18. *quæſt.*2.

P.Thomas

31 P. Thomas Sanchez *tom. 2. ſum. lib. 6. cap. 9.* aſſerit, eſſe valdè probabile, non incidere in cenſuras Religioſum, qui non tollit Habitum, ſed illum occultat, attamen cum pluribus Authoribus ab ipſo relatis contrarium tenet. Etenim is, quamvis materialiter obſeruare verba legis cenſeatur, tamen formaliter non obſeruat, nec menti Legiſlatoris obſecundat. Aliquæ tamen ſunt cauſæ excuſantes à peccato in occultatione habitus; nempè timor probabilis mortis, ſi ex habitu quis cognoſcatur, aut metus grauis damni, quo imminente, prudenter iudicetur, noluiſſe Legiſlatorem obligare ad habitum afferendum, ſeu manifeſtandum. In *ſuperioribus* etiam appoſui caſus, in quibus non eſt peccatum, per breue tempus habitum exui à Religioſis Militaribus ob materiæ leuitatem.

32 Attamen ſi Frater Clericus abſque aliqua cauſa ex dictis occultaret habitum etiam per breue tempus, eo animo vt in aliqua actione, aut euentu non dignoſceretur vt Religioſus, ſanè grauiter peccaret; quippè temporis breuitas tunc materialiter ſe haberet, cum ex alio capite adeſſet grauitas in animo occultandi proprium ſtatum Religioſum, vt docent Bañez *in 2.2. quæſt. 18. art. 2.* P. Suarez *de cenſur. diſp.* 33. P. Reginaldus *in praxi fori pœnit. lib.* 18. *num.* 105, & alij plures. P. Pellizarius tuetur, eſſe quidem lethale peccatum, Habitum relinquere, non verò incidi in cenſuras, niſi conditiones concurrant, quæ rarò eueniunt. Et in hac opinione poſſet quis à cenſuris contrahendis excuſari, niſi in eo raro euentu. Oppoſitum eſt tutius; videatur Bonacina *tom. 1. de clauſura, & pœnis, &c. quæſt. 2. punct. 2.* Ex his cernitur, Clericum Fratrem, qui noctu è Monaſterio, aut Collegio exiret, habitum ſæcularem geſtans, grauiter peccare. Nec ad id, niſi ob cauſam vrgentem licentia à Superioribus ei præſtari valet.

33 Sed aduerſus dicta oppones doctrinam à nobis *ſuprà* traditam de Equitibus, quos non peccare lethaliter, aſſeruimus, ſi habitum in veſtibus non afferant, dum Inſigne aureum, vel argenteum, aut ſimile pendens geſtent, eſtò poſſint puniri; quare ergo peccent Clerici Fratres Militares, ſi id ipſum peragant? Siquidem, iuxta plurium ſententiam, Equites ſunt propriè Religioſi, & licèt laxiorem vitæ normam ſequantur, tamen quoad habitum proprij ſtatus regularis afferendum eadem omnino ratio militet in ipſis, ac in Clericis Fratribus. Nec poteſt confugi ad vſum, & conſuetudinem; Nam nec reſpectu Equitum poteſt conſuetudo præſcripta adduci, cum Ordo reclamet, & pœnas deſignet his, qui Habitum in veſtibus non geſtant. Imò non multis ab hinc annis puniebantur Equites, qui non geſtabant Habitum nedum in pallio, verum & in pectore in ipſamet veſte.

Reſpondeo tamen, interuenire diuerſitatem inter Equites, & Clericos Fratres Militiarum quoad finem præcipuum intentum. Nam Eques afferens Inſigne pendens in pectore ſufficienter dignoſcitur vt Miles Ordinis, & ſub eo degens, ac in communi exiſtimatione reputatur afferre habitum proprium Equeſtris Militiæ, quo à cæteris diſcriminatur; & is fuit finis præcipuus legiſlatoris, vt per habitum dignoſceretur ſtatus Militiæ Equeſtris; qui finis non obtinetur ſpecialiter, ſi Clericus Frater ſolùm afferat Inſigne pendens in pectore, nam non poterit dignoſci vt Clericus Frater Regularis, ſtatumque retinens arctioris, & ſeuerioris diſciplinæ, quàm eſt ſtatus Equitum; Quin potiùs in communi exiſtimatione cenſebitur Eques Militaris; quod ſanè non manifeſtat proprium eius vitæ Inſtitutum iuxta legiſlatoris mentem, vt cuique rem introſpicienti conſtabit. Neceſſe eſt, vt diſcriminetur ab Equitibus, quòd togam, & pallium geſtet oblongum vſque ad talos; nam plures ſunt Equites Scholaſtici, aut etiam Eccleſiaſtici, qui ſimilibus vtuntur veſtibus. 34

Id explicatur à paritate aliquo modo ad id conducente; nam Religioſi vnius Ordinis, alij ſolent eſſe Calceati, alij Excalceati; Si ergo Excalceatus eo genere veſtium vteretur, quo Calceatus, grauiter peccaret, quamvis dignoſceretur eſſe eiuſdem Ordinis; eo quòd non afferret veſtes ſpeciales, quibus ſeuerior diſciplina proprij Inſtituti, quod intra eum Ordinem profitetur, omnibus manifeſtaretur. Sic proportione ſeruata, Clerici Fratres Militares rigidius vitæ Inſtitutum ſequuntur intra eundem Ordinem, quàm Equites; quare ſi id occultent non aliter ſe ornando, quàm illi, grauiter peccabunt. Et confirmatur; quia licèt Frater Clericus non ſit conſtitutus in Sacris, nec Beneficium Eccleſiaſticum habeat, tamen mortaliter peccaret, ſi incederet indutus vt laïcus, abſque veſte oblonga, & cum enſe ad latus, nulloque ſigno ſui proprij ſtatus oſtenſo, quamvis Inſigne Ordinis afferret; ergo non ſufficit, id Inſigne geſtare, ſed eſt neceſſum eo modo ornari, quo dignoſcatur eſſe Clericus Frater. 35

Audiui

Audiuî Viros doctos cenſentes, rigidam eſſe hanc doctrinam, & iudicantes, non committi in caſu propoſito peccatum graue. Quibus ſi aliquis aſſentiri velit, à peccato lethali in prædicto caſu excuſabitur.

36 Obſeruandum verò eſt, Crucem, quam ex panno in veſtibus ſuperioribus afferri præcipiunt Pontifices, (quod olim obſeruabatur tum ab Equitibus, tum à Clericis Fratribus) iam in Ordinibus de Calatraua, & Alcantara, ſolùm ex filis retortis confici, ex vſu,& approbatione Ordinis, quin præceptum Pontificium violetur, cum penes ſubſtantiam, & colorem nihil fuerit immutatum, & ea Crux, quæ nunc geſtatur, ſit ſufficiens,& manifeſtum diſtinctiuum, quo dignoſcuntur Militares Equites, ac Clerici Fratres.

37 Cæterùm Clerici Fratres præter Habitum, debent etiam afferre veſtes decentes, & honeſtas, vt per exteriorem ornatum actionum interiorum moderatio, & affectuum temperantia innoteſcat; Et ſic ſtabilitum eſt in Definitionibus ipſorum Ordinum; ac conſtat in Statutis Ordinis D. Iacobi *tit.6.c.6.& 7.* In Ordine Calatrauæ, *tit.8.c.2.*& in Ordine Alcantaræ,*tit.5.c.5.& tit.12.c.3.n.16.*

38 Quin,cum Clerici ſint, ſi habitum laicalem afferant, in pœnas incidunt à Iure ſtatutas, quæ ſancitæ ſunt in Concilio Viennenſi,& extant *in Clementina, Quoniam, de vita, & honeſtate Clericor.* ac innouantur in Trident. *ſeſſ.14.c.7.de reformat.* Vbi habetur. *Tanta autem hodie aliquorum inoleuit temeritas, religioniſque contemptus, vt propriam dignitatem, & honorem Clericalem paruipendentes, veſtes etiam deferant publicè laicales, pedes in diuerſis ponentes, vnum in diuinis, alterum in carnalibus; propterea omnes Eccleſiaſticæ perſonæ, quantumcunque exemptæ, quæ aut in Sacris fuerint, aut Dignitates, Perſonatus, Officia, aut Beneficia qualiacumque Eccleſiaſtica obtinuerint, ſi poſtquam ab Epiſcopo ſuo, etiam per edictum publicum, moniti fuerint,honeſtum habitum Clericalem illorum Ordini, & Dignitati congruentem,& iuxta ipſius Epiſcopi ordinationem, & mandatum,non detulerint perſuſpenſionem ab Ordinibus,ac officio, & Beneficio, ac fructibus, redditibus; & prouentibus ipſorum Beneficiorum; necnon ſi ſemel correpti denuò in hoc deliquerint,etiam per priuationem officiorum,& beneficiorum huiuſmodi coërceri poſſint, & debeant.*

39 Ex quibus verbis dignoſcitur grauitas culpæ, & pœnæ infligendæ. Pœnæ tamen inflictio pertinet ad Prælatos Ordinum, cum Clerici Fratres à iuriſdictione Epiſcoporum ſint exempti. Et quamvis inibi aſſeratur, Epiſcopum contra quoſvis exemptos procedere poſſe, id intelligendum eſt de exemptione ratione priuilegij alicuius, non ratione ſtatus Regularis; De his conſuli poſſunt Sayrus, Bonacina, P. Suarez, Pater Thomas Sanchez, Caſtro Palao, & alij allati à Diana *part.5.tractat.10.reſolut.44.& part.9.tractat.7.reſol.5.* Qui autem habitus ſit cenſendus indecens, aut laicalis, ex communi exiſtimatione eſt penſandum; & in vnaquaque Regione proprius vſus ornamentorum viget, quibus laici à Clericis diſcriminantur, ac in noſtra Hiſpania id facilè innoteſcit.

Obſeruandum eſt in præſenti, in Ordinibus pohibitas eſſe veſtes ſericas Clericis Fratribus, vt conſtat in Statutis nouiſſimis Diui Iacobi, *tittul.7. cap.7.* In Definitionibus Calatrauæ, *titul. 8. cap. 2.* In Definitionibus Alcantaræ idem inſinuatur, cum deſignentur veſtes non ſericæ afferendæ à Fratribus Clericis, *tit.5.cap.11. num.14.& tit.11.n.17.* Sed in primis cenſeo, eas leges eſſe ſolùm pœnales. Deindè poſſet aſſeri, ſancitas fuiſſe iuxta normam antiquiorem, cum Clerici modeſti non vtebantur veſtibus ſericis;ſed procedente tempore res ſunt immutatæ, nec iudicantur profanæ veſtes ſericæ in Clericis modeſtè, ac decenter ornatis; Vnde cum finis Ordinum fuerit, quòd habitus Clericorum Fratrum is eſſet, qualis decet Clericos modeſtos, & graues, videtur, non contrairi ei fini, ſi veſtes ſericæ extra Communitatem afferantur, dum hæ ſplendidæ non ſint, nec auro, aut argento circumdentur. 40

Sed dices; etiam nunc temporis Equites ipſi poſcunt licentiam à Senatu Regio Ordinum, vt ſericas veſtes induant; ergo à fortiori etiam nunc Clerici Fratres non poterunt vti his veſtibus. Et olim quidem, cum Equites Iacobæi per *regulam* 24. ſui Ordinis prohiberentur vti veſtibus ſericis, Innocentius VIII. diſpenſauit, vt Magiſter poſſet concedere licentiam ad vtendum illis. Quin aduerſus veſtes profanas, Equitum inuehitur acriter Iſla *in reg. Ordin. Diui Iacobi,cap.24.* vbi præſcribit modeſtiam in eis ſeruandam. Reſpondebit aliquis, vt vim paritas habeat, ſolùm inferri, Clericos Fratres non poſſe vti veſtibus ſericis abſque licentia; indeque dum in Communitate viuunt, indigere licentia Priorum, aut Rectorum, vt interiùs veſtibus ſericis vtantur, quam tunc expedit, raro, & non niſi cum vrgente cauſa concedi, ſi quidem id exigit norma Communitatis, quæ eſt rigidior, & aliundè vniformitas 41

inter omnes debet ſeruari in veſtibus, ne hi ſericis, illi panneis ornentur. At de Clericis Fratribus extra Communitatem degentibus, ſolùm probari ex vi paritatis factæ, egere licentia ſui Prælati, quiſquis is ſit; alias pœnæ Definitionum ſubiacebunt.

42 Priores de Vcles, & Sancti Marci poſſunt, iuxta Statutum *nuper* relatum, ornari veſtimentis ſericis, & Inſigne aureum, vel deauratum in pectore pendens geſtare; at Iacobæi Fratres poſſunt Inſigne argenteum, & non deauratum afferre. Equitibus de Calatraua *loco ſuprà allato* conceditur, poſſe geſtare Inſigne aureum, quod Definitiones non extendunt ad Clericos Fratres. In Ordine autem Alcantaræ nihil de eo Inſigni in Definitionibus habetur, nec circa Equites, nec circa Clericos Fratres, ſed omnibus indiſcriminatim iniungitur *titul. decimotertio, cap. decimoquarto*, quòd Crucem ex panno viridi in pectore, ac in pallio geſtent. Conſuetudo inualuit, vt Crux aurea, vel argentea in pectore geſtetur, quod etiam video extendi ad Clericos Fratres extra Communitatem degentes, vnde ſi ab Ordinibus id toleretur, conſuetudini erit ſtandum. Sed omnino non licet, Fratres Clericos geſtare Crucis inſigne nimis elaboratum, vel lapillis interſertum, ſed modeſtum, & non pretioſum; id enim ſui Status norma, & æquitas expoſcunt.

QVÆSTIO IV.

An Equites Militares debeant accinctos tenere enſes, dum Sacramenta recipiunt?

43 AFfirmat Ioannes Sanchez *in ſelect. diſputat.* 45. *num.* 3. P. Peñafiel Araujo *de Ordin. Militar. tract.* 2. *cap.* 2. *num.* 21. Thomas del Bene *part.* 1. *tractat. de immunitat. Eccleſiaſtic. dub.* 11. *ſection.* 2. Diana 3. *part. tract.* 2. *de dubiis Regular. reſolution.* 30. Probant; nam Equites Militares differunt à cæteris in habitu; at enſis eſt habitus proprius Equitum Militarium; ergo in eo à cæteris differunt. Tunc ſic. Is habitus, in quo quilibet Religioſus ab aliis diſcriminatur, non debet, nec poteſt deponi, cum recipit Sacramenta; quis enim dicat, poſſe Religioſum ex Ordine Sancti Dominici, aut Sancti Franciſci deponere habitum proprium, quo à cæteris diſtinguitur, dum Sacramenta recipit? Igitur, licèt alij ſæculares diſcingant enſes ad Sacramentorum receptionem, maximè Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & Confirmationis, Equites Militares nec debent, nec poſſunt.

Roboratur. Hi Equites enſes afferunt 44 in ſignum proteſtationis Fidei, ad quam defendendam ſunt parati; in receptione autem Sacramentorum etiam Fidei fit proteſtatio; atque adeò tunc munus ſuum adimplent, enſes accinctos tenendo. Ideò enim Chriſtiani ſtant, dum Euangelium in Miſſa legitur, vt denotent, ſe proteſtari Fidem in Euangelio contentam, paratoſque eſſe ad illam tuendam; Imò olim, vt adnotarunt plures, dum recitabatur Euangelium, enſes in manibus Fideles habebant. Equites ergo, quibus Fidem tueri ex proprio Inſtituto congruit, rectè accinctos retinent enſes, dum recipiunt Sacramenta, fidem Catholicam confitendo; præcipuè cum Euchariſtia ſit, & dicatur myſterium Fidei, tum in conſecratione Calicis, tum *in cap. cum Martha, de celebrat. Miſſar.* tum paſſim apud Concilia, & Patres.

Confirmatur adhuc; nam, dum Equites 45 ad Ordinem Militarem admittuntur, eis enſis confertur, & ad latus ſiniſtrum cingitur; vnde quaſi proprius habitus ipſis enſis donatur, atque adeò eum debent retinere, & non diſcingere, dum res ſpirituales, & ſacras exercent. Et quidem id etiam locum habet in Sacramento Confirmationis, quod miniſtratur ad muniendum, & confortandum animum in Fide; & benè inter ſe cohærent exteriora arma cum interioribus, vt alia ab aliis protegantur. Demùm ex conſuetudine id probatur, cum Equitibus ſit frequens, recipere Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, accinctis enſibus.

Negant alij, Equites Militares teneri, 46 aut poſſe accedere ad Sacramenta recipienda, enſibus accinctis. Probant, nam Equitum Militarium miniſteria ſunt duplicia; alia, Fidem armis in bello defendere; alia, res ſpirituales exercere, Orationes recitare, Choro, & Capitulo aſſiſtere cum Clericis Fratribus, dum in Monaſteriis degunt, Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ diebus deſignatis recipere. Igitur enſes ad Fidem in bello defendendam, eis accinguntur; ad res autem ſacras toga Capitularis, tanquam proprius habitus donatur; atque adeò ac ornari debent, enſibus relictis; cum ſit eorum Actuum proprius, & opportunus ille habitus, deceatque ſigna humilitatis deferre, & arma manſuetudini contraria deponere,

Nec

Nec enim ad pugnandum pergunt, ſed ad propalandum ſua delicta, & pabulo ſalutari animum reficiendum; Nec minùs humilitate, ac manſuetudine fit proteſtatio fidei, quàm armis, cum hæc nec opportuna, nec neceſſaria ſunt.

47 Deindè, quia in ipſis Ordinibus Militaribus ſtabilitum eſt, ne Equites ad ſimiles Actus accedant, enſibus accinctis; vnde fit, non eſſe enſem habitum proprium Equitum ad omnes Actus publicos; aliàs in nullo Actu deberent, aut poſſent deponere enſem, ſicut Religioſi aliorum Ordinum in nullo Actu publico valent habitum proprium exuere. In Ordine Alcantaræ, in Definitionibus *titul.* 13. *cap.* 14. ſtatuitur, quòd Equites togis albis laneis ornati recipiant Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, quin enſium fiat mentio. Et *titul.* 15. *cap.* 1. præcipitur, quòd Equites in Monaſteriis, cauſâ nouitiatus, aut pœnitentiæ degentes, nullum armorum genus ſecum afferant. Et *titul.* 1. *cap.* 10. iniungitur, quòd Dignitates, Commendatarij, & Equites abſque armis ad Capitulum generale conueniant, ſub pœna amiſſionis armorum, quæ detulerint. Præterea anno 1492. cum eſſet Ordinis Magiſter Don Ioannes de Zuñiga, Ordinem viſitauit Petrus Abbas Clareuallenſis authoritate Apoſtolica, & in ea viſitatione, vt extat in illa *cap.* 14. præcepit in virtute Sanctæ Obedientiæ Commendatariis, & Equitibus, ne ingrederentur in Eccleſiam, aut Capitulum afferentes ſecum enſes, gladiolos, aut alia arma, ſed togis Capitularibus ornati. In Statutis autem Militiæ Diui Iacobi, *titul.* 5. *in Inſtructione Equitum*, apponitur forma deferendi eos ad ſepulchrum, & cum alia deſignentur Ornamenta, non fit vlla mentio enſis.

48 Denique aſſertum fulciunt, eneruando fundamenta oppoſita. Etenim habitus, quo Equites Militares diſcriminantur à cæteris, non eſt enſis, ſed Inſigne in pectore geſtatum; quod eſt conſpicuum, nam id, quod eſt diſcriminativum, nequit eſſe cæteris commune; Sic Habitus diſtinguens Religioſos Ordinis Sancti Dominici, non eſt communis Religioſis Sancti Franciſci; Enſis autem communis eſt Equitibus non Militaribus, & quibuſcumque Militibus, ac pluribus aliis; Et præterea plurimi Equites Militares enſem non geſtant; tum hi, qui in Sacris ſunt conſtituti; tum Togati, & Scholares; tum alij ſenio, aut imbecillitate laborantes; ſignum ergo eſt euidens, enſem non eſſe proprium Habitum Equitum Militarium; aliàs Equites incedentes ſine enſe Habitum proprium non geſtarent, quod nullus vnquam aſſeuerauit.

49 Ad fidei autem proteſtationem in Receptione Sacramentorum magis opportuna eſt humilitas, & manſuetudo, quàm enſis. Quòd autem Fideles ſtantes Euangelium audiant, ceremonia eſt valdè conſentanea ad oſtendendum interiorem animum defendendi myſteria Fidei; Sed indè retorquetur argumentum; nam licèt ſtando, manifeſtetur proteſtatio Fidei, tamen ſtando non debent recipi Sacramenta, quia maior humilitas flexis genibus indicatur, ergo, licèt accinctus enſis poſſit eſſe ſignum proteſtationis Fidei, (& nec id, quaſi certum, videtur fore ſupponendum) tamen ob maiorem humilitatem in Sacramentorum receptione diſcingendus eſt. Etenim, eſtò in ea receptione Fideles profiteantur fidem, at Sacramenta immediatè, proximè, & primariò non tendunt ad hoc, vt illi fidem profiteantur, ſed vt gratiam propriam cuiuſque Sacramenti recipiant. Similiter, etſi olim audiretur Euangelium, apprehenſo manibus enſe, qui ritus in ea circunſtantia erat omninò laudabilis; at quis dicat, oportere, Sacramenta recipi à Fidelibus habentibus enſem in manibus? Ergo ab omnibus dignoſcendum eſt diſcrimen inter alias actiones religioſas, & receptionem Sacramentorum, nec ijdem ritus vtriſque ſunt aptandi; nec debet oſtendi per eas actiones externas in quibuſcumque Actibus, & exercitiis piis proteſtatio Fidei, quæ interiùs ſemper eſt fouenda.

50 Nec obſtat, quòd Euchariſtia ſit myſterium Fidei, vt in conſecratione Calicis exprimitur. Quippè plura alia ſunt Fidei myſteria, & dum audiuntur, exercentur, vel recipiuntur, non eſt opportunum, per eas actiones externas proteſtari Fidem, quæ animo firmiter debet adhærere; Et id patet inſtando, fundamentum contrariorum; Nam fideles aſſurgunt, & ſtant, dum Euangelium in Miſſa legitur, vt animum paratum ad tuenda Fidei Myſteria manifeſtent; & tamen non aſſurgunt, nec ſtant, dum conſecratur Hoſtia, & Calix, ac Fidei myſterium exprimitur; quia tunc ingentior reuerentia erga Euchariſtiam denotatur, ſi genua flectant, quam ſi aſſurgant; ergo dum recipiuntur Sacramenta, attendendum eſt maiori reuerentiæ, & humilitati, quam alij ſigno repræſentatiuo animi parati ad defendendam Fidem.

51 Claram etiam inſtantiam patitur, vltima confirmatio; Nam, ſi ideò Equites recipere debent Sacramenta, accinctis enſibus, quia eis armantur in admiſſione ad Ordinem, ſanè debebunt etiam calcaria ferre, quia in ipſa admiſſione calcaria eorum pedibus aptantur; Quod abſonum ex ſe cernitur. Itaque arma, & calcaria illis apponuntur, vt Equites armentur; hoc eſt, vt neceſſaria ad equitandum, & pugnandum contra hoſtes eis deſignentur, ac ſuppeditentur; non verò vt ornati ſemper eis incedant, tanquam proprius ille ſit eorum Habitus; quare nec calcaria afferunt, nec plurimi, vt iam dixi, enſem; quia Crux eſt Habitus proprius Equitum, quidquid geſteut has, aut illas veſtes, hunc, aut illum ornatum.

52 Et quidem, cum admittuntur in Ordinem, duo præſtantur; aliud, armari eos Equites ritu ſolemni, quaſi olim armabantur Equites alij, qui non admittebantur in vllum Ordinem, atque adeò ea arma, & ornatus non ſunt propria Equitum Militarium, vt Militarium, ſed vt Equitum, in quibus conueniunt cum aliis Equitibus, vt olim armabantur, quin eſſent Ordinum Militarium. Id ſupponitur, vt requiſitum ad hoc, vt recipiant Habitum proprium Ordinum, ac vt ſint capaces ingrediendi in illos; ſicut ſupponitur Ordo presbyteratus, vt concedatur iuriſdictio ad audiendas Confeſſiones. Aliud præſtatur, nempè admiſſio in Ordinem, ac conceſſio Habitus proprij; Id autem ſolùm per appoſitionem Crucis in toga Capitulari; quare is eſt Habitus propriiſſimus illorum; nempe Crucis Inſigne in pectore, quo ornati ſemper incedant; Et toga Capitularis ad Actus ſpeciales, & determinatos. Et quamvis ſimul illa duo præſtentur, tamen primum, vt requiſitum eſſentiale, ſecundum vt conſtitutivum admiſſionis in Ordinem, ſeu conceſſionis proprij Habitus exercentur. Et hinc aſſeruit Mota *in tract. de Ordine S. Iacobi, lib. 2. num. 76.* Habitum eius Ordinis ſubſtantialiter in Cruce conſiſtere. De conſuetudine autem non multum eſſe curandum, aiunt hi, qui hanc opinionem defenſant, cum nec ſit conſtans, nec videatur iuſta, vtpotè contra Ordinationes Militiarum, & Viſitatorum; vnde vlteriùs colliguut, eſſe peccatum veniale, accinctos portare enſes, dum Sacramenta recipiuntur, quia eis Ordinationibus contraitur. Sic philoſophantur aliqui, qui hoc dubium in manuſcriptis diſcuſſerunt.

53 Ego quidem, rem eſſe exigui ponderis, arbitror, nec inuenio decentiam, aut indecentiam in eo ritu diſcingendi enſes, aut accinctos portandi in receptione Sacramentorum, & video plures, qui Equites Militares non ſunt, recipere illa, accinctis enſibus, quin indè vlla nota, aut ſcandalum generetur; atque adeò non eſt id ſignum diſtinctionis inter Equites Militiarum, & alios. Laudo quidem illos, qui, vt maiorem animi ſummiſſionem præſeferant, diſcingunt enſes; ſed eos non damno, qui non diſcingunt, cum adhuc ſic interiorem reuerentiam, ac humilitatem, valeant fouere, quæ in Sacramentis recipiendis omnino eſt neceſſaria. Res itaque, quæ cæteris eſt arbitraria, non adeò ſpecialis Equitum Militarium cenſenda eſt, vt de illa nimiùm ſollicitentur.

Itaque in primis contra ſecundam opinionem cenſeo, nullo modo peccare, ſi accedant ad Sacramenta, enſibus accinctis. 54 Quippè, ſi Viſitationi Abbatis Clareuallenſis in Ordine Alcantaræ ſtandum foret, peccatum lethale eſſet, accedere, armis accinctis, quod nec contrarij admittunt, nec dici valet; Et ſicut illud præceptum ibi appoſitum non obligare ad mortale, dicere tenentur, eo quòd in deſuetudinem ierit, ſic de aliis Ordinationibus aſſerendum eſt, deſuetudine fuiſſe abrogatas, & ſcientibus, ac conſentientibus ipſis Militaribus Ordinibus, reuocatas. Quare conſuetudo contraria nequit vocari corruptela, & abuſus, cum Ordines ipſi adſaueant, & penes ipſos ſit, ſua ſtabilimenta, ac ritus reformare, ſeu de nouo condere.

Deindè ſentio, nullo modo peccare 55 Equitem Militarem, qui diſcingat enſem ad recipiendum Sacramentum. Nulla enim lex, aut Statutum extat obligans ad non diſcingendum illum; ſicut non datur obligans ad hoc, vt qui communiter enſem non afferunt, eum ſibi aptent, dum Sacramenta recipiunt. Aliud enim eſt, Ordines annuere, vt Equites non teneantur diſcingere enſes, & id *nuper* aſſerebamus; aliud eſt, præſcribere, aut præcipere, vt eos accinctos portent; & id non reperitur præſcriptum, vel præceptum; cum nec reprehendantur, nec puniantur Equites ſecùs facientes, nec in Capitulis Generalibus denuò coactis Definitio vlla circa hoc fuerit confecta; & veriſimile eſt, non fuiſſe eam omittendam, ſi animus foret obligandi Equites.

Demùm ſentio, rectè eos facere non 56 diſcingendo enſem, & deinceps expediens eſſe, vt ritum hunc proſequantur; quippè, iuxta dicta, nulla in hoc eſt indecentia, nec legis

legis tranſgreſſio; & aliundè iam hæc conſuetudo inualuit, Ordinibus annuentibus, & id ſibi populus perſuaſum habet, quod Equites ſuo quaſi priuilegio, ac munere vtuntur, dum accinctis enſibus, accedunt ad Sacramenta; ac cum aliundè ſummiſſio, & reuerentia interior non minuatur, ſignum oſtendunt ſui animi parati ad defendendum Fidem, eiuſque myſteria, & Sacramenta, quod eorum proprij muneris eſt.

QVÆSTIO V.

De excommunicatione, quæ fertur in Monaſteriis Calatrauæ, & Alcantaræ, die Dominica Palmarum.

57 Singulis annis, Dominica Palmarum, in Monaſteriis Calatrauæ, & Alcantaræ legitur, ac fertur excommunicatio, in hæc verba; *Authoritate Dei Omnipotentis, Patris, Filij, & Spiritus Sancti, & Apoſtolorum eius Petri, & Pauli, & totius Ordinis, excommunicamus omnes Conſpiratores, Incendiarios, Fures, Falſarios, & etiam Proprietarios, qui ab hinc vſque ad proximam Dominicam in Albis non reſipuerint, hoc omittentes malitiosè, vel per contemptum. Fiat. Fiat. Amen.* Sic extat in Definitionibus Ordinis Calatrauenſis *tit.* 3. *cap.* 1. Contra eaſdem perſonas excommunicatio lata continetur in Definitionibus Ordinis Alcantaræ *tit.* 34. Sed ibi terminus non extenditur vſque ad Dominicam in Albis, ſed vſque ad Feriam V. in Cœna Domini. In Ordine Ciſtercienſi, à quo hæc fuit conſuetudo deſumpta, non eſt deſignatus in Definitionibus dies, in quo cenſuræ contra Proprietarios, & alios legantur, ac intimentur.

58 Plura ſuboriuntur dubiola circa hanc excommunicationem, quæ proculdubio eſt latæ ſententiæ. Dubitabis primò, qui ſint Conſpiratores? Id exponitur in Definitionibus Alcantaræ *vbi nuper*; *Que ſon aquellos, que blaſpheman del Maeſtre, ò de la Orden vniuerſalmente, ò ſe leuantan contra ella, ò hazen confederaciones, ò monopolios para ello.* Hi autem blaſphemare dicentur, qui verba grauia conuicioſa, ac probroſa, contra Regem, vt Adminiſtratorem, loco Magiſtri ſuccedentem, iactauerint, quibus inhonorari, & veluti contemni intendatur; vel qui idipſum contra Ordinem præſtiterint. Illi verò aduerſus Ordinem inſurgere cenſebuntur, qui conati fuerint eum euertere; Statuta, ſeu Definitiones diſſipare; loca, ditiones, Patronatus, Beneficia, ac ſimilia vſurpare, & quoquo modo bellum, inſidias, aut detrimentum afferre. Monopolia autem contra Ordinem tunc fierent, ſi aliqui inter ſe conuenirent de non ſoluendo penſiones, aut redditus, quos deberent; aut de poſtulando, ſeu auferendo, quaſi ſibi debita, quæ non deberentur, aut de aliis huiuſmodi.

Dubitabis ſecundò, quinam Incendiarij excommunicentur? *Loco relato* in Definitionibus Alcantaræ aſſeritur; *Que ſon aquellos, que queman Igleſias, ò Monaſterios, ò bienes de la Orden, ò de la Igleſia.* Itaque comprehenduntur hi, qui incenderint malitiosè quamcumque rem vniuerſaliter, quæ ſit Ordinis, ſiuè ſit ſacra, ſiuè profana; & qui incenderint in communi quamvis Eccleſiam, eſtò non ſit Ordinis, vel bona propria illius. Bona autem Eccleſiarum ſunt quævis bona Eccleſiaſtica, iuxta communem vſurpationem. 59

Dubitabis tertiò, quinam intelligantur in præſenti nomine Furum? Intelliguntur illi: *Que toman, hurtan, ò roban, ò encubren qualeſquier bienes, y otras coſas de la Orden.* Ita *loco citato*. Quare Fures, qui alia bona, quæ non ſunt Ordinis deprædantur, ſub hac cenſura non continentur; Nomine autem aliarum rerum Ordinis intelliguntur Inſtrumenta publica, Bullæ, Diplomata, Priuilegia, libri Bibliothecæ, Schedulæ, & cætera, quæ in archiuio ſeruantur, ac alia huiuſmodi. 60

Dubitabis quartò, qui Falſarij ſubiaceant huic excommunicationi? Reſpondeo ex *ibidem* appoſitis; *Que ſon aquellos, que hazen, ò mueuen alguna falſedad contra la Orden, ò perſonas en general, ò falſean letras del Santo Padre, ò del ſeñor Maeſtre.* Mouere autem falſitatem eſt, inſtrumenta, epiſtolas, aut ſchedulas falſas producere, quibus aliquid contra Ordinem, aut perſonas in generali intentetur. Falſificare autem literas Regis noſtri tunc ſubiacebit huic cenſuræ, cum literæ quaſi ab Adminiſtratore Ordinis expeditæ falſificentur. Qui ſint Falſarij, latè explicaui *in ſatera opinionum benignarum, diſſ.* 13. *ex num.* 147. 61

Dubitabis quintò, quinam cenſeantur Proprietarij? Exponitur *ibidem*, eum cenſendum fore Proprietarium, qui ex contemptu, vel ex malitia, cauſa occultandi bona ſua Ordini, quotannis non confecerit Inuentarium; cui obligationi ſatisfacit, qui illud confectum apud ſe habuerit. Recolenda ſunt, quæ docuimus *diſq.* 4. circa Inuentarium conficiendum; Nec incidetur in hanc cenſuram, 62

cenſuram, niſi quando omiſſio Inuentarij, iuxta *ibi* dicta fuerit graue peccatum, cum nequeat contrahi excommunicatio maior niſi ob lethalem culpam.

63 Dubitabis ſextò, an hæc excommunicatio extendatur ad omnes Equites, & Fratres Clericos vtriuſque Ordinis, adhuc extra Monaſteria degentes? Ex proœmio Definitionum, quas *ſuprà* retulimus, videtur, eam ad omnes extendi, & expreſſius id extat in Definitionibus Alcantaræ, vbi aſſeritur, eam excommunicationem promulgari, *En el Conuento, y Monaſterios de nueſtra Orden vniuerſalmente ſobre las perſonas della, aſſi Religioſos, como Caualleros.* Prætereà, dum ibi exponitur, qui ſint Proprietarij, nempè non peragentes Inuentarium, aſſeritur; *Y el que hiziere Inuentario, y le tuuiere conſigo, cumpla, como ſi pidiera licencia al ſeñor Maeſtre.* Quod ſolùm competit exiſtentibus extra Monaſterium; nam qui intra illud degunt, Inuentarium non apud ſe retinent, ſed Prælato Monaſterij tradunt. Illud tamen difficile apparet, quia ſolùm apponitur terminus quatuor dierum, ſcilicet à Dominica Palmarum vſque ad Feriam V. in Cœna Domini, & in Ordine Calatrauæ, quindecim dierum, nempè vſque ad Dominicam in Albis vt reſipiſcant, & ſatisfaciant hi, qui aliquod ex illis peccatis patrarunt. Euidens autem eſt, non ſufficere id tempus, vt excommunicatio perueniat in notitiam abſentium, & diſtantium, & ſatisfaciant, abſolutionemque poſcant; maximè cùm *ibi* indicetur, ad Monaſterium fore acceſſuros ad emendationis ſigna propalanda; *Deſde que ſe pone, haſta el Iueues de la Cena, para que vengan à hazer conciencia, y enmienda, y ſatisfacion à Dios, y à la Orden, y los abſueluan.* Et etiam eſt euidens, Moniales non poſſe pro abſolutione ad Monaſteria Calatrauæ, & Alcantaræ aduentare.

64 Dices, iam omnes eſſe conſcios, aut debere eſſe certiores huius excommunicationis infligendæ, cum in Definitionibus contineatur, quas tenentur apud ſe habere, & callere; atque adeò poſſe incidere in illam abſentes, & diſtantes, ac valere, tempus præuenire, vt ſatisfactionem præſtent. Contrà, nam in Definitionibus non infligitur hæc cenſura, ſed aſſeritur, eam infligi debere in Monaſteriis; id autem eſt res facti; quare, dum de facto non infligitur; nequit in illam incidi; & indè opus eſt notitia, quòd ſit inflicta, vt contrahatur. Nam demus, Superiorem Monaſterij ob incuriam, obliuionem, vel malitiam non promulgaſſe illam; ſanè nulla tunc erit appoſita excommunicatio; ergo opus eſt, noſcere, eam fuiſſe promulgatam. Hinc augetur difficultas. Etenim, quomodo ſciant Regulares abſentes, & præcipuè diſtantes, excommunicationem fuiſſe pronuntiatam? Crediderim, plurimos, maximè Equites, ignorare, quid in Monaſteriis peragatur, nec poſſe id pluribus ex illis conſtare, cum careant commercio cum ipſis Monaſteriis.

65 Replicabis; ſaltem conſtat, aut conſtare debet omnibus, aliquo anno fuiſſe promulgatam eam excommunicationem, quæ ſanè ſuam vim retinet, donec delinquentes reſipiſcant, & abſoluantur, nam tempus in ea præfixum non eſt terminus obligationis, hæc enim vlteriùs protrahitur, conſeruata vi ligandi; ſed eſt terminus, intra quem illa non contrahitur, ſi delinquentes reſipiſcant. Contrà primò, quia videtur etiam terminus, intra quem ſunt abſoluendi, vt ex verbis *ſuprà* tranſcriptis apparet. Contrà ſecundò, nam excommunicatio hæc non fertur contra eos, qui poſt illius promulgationem, & terminum in ipſa deſignatum, delicta patrauerint, ſed contra eos, qui antecedenter illa commiſiſſent, aut intra terminum præfixum non confecerint Inuentarium bonorum ex malitia, vel contemptu. Quod probatur, tum quia quotannis pronuntiatur, vt qui in ea delicta inciderint, reſipiſcant, qui finis ſatis exprimitur in verbis relatis; tum quia iniungitur, vt pro abſolutione accedant vſque ad diem præfixum; non autem poſſunt accedere, qui poſt illum diem delinquunt. Hinc, quamvis conſtet, aliquo anno fuiſſe promulgatam eam excommunicationem, ſi poſtmodùm quis deliquit, opus eſt, vt noſcat, iterùm fuiſſe pronuntiatam, aliàs quomodo in illam incidat, ſi quidem neceſſum eſt ad contrahendam excommunicationem notitia illius?

66 Accedit, eam cenſuram, vtpotè odium, eſſe reſtringendam, non ampliandam; & quamvis dicatur *loco relato*, extendi ad omnes Equites, & Fratres Clericos Ordinis, debent ſupponi termini habiles, nempè ſi in Monaſteriis adſint, vbi eius notitiam habeant. Nam quomodo degens in Italia, Frandria, Indiis, imò in locis Hiſpaniarum, maximè diſtantibus, ſciat, eam excommunicationem fuiſſe promulgatam? Nec ignorantia illius eſt craſſa, aut affectata, ſed moraliter, & communiter contingens; nec tenentur ſinguli Equites, & Clerici Fratres inquirere à Monaſterio per epiſtolas, an promulgata fuerit ea cenſura; vt ex ſola terminorum propoſitione quilibet prudenter arbitrabitur.

Ego

67 Ego quidem, melius expectans judicium, cenſerem, ejuſmodi excommunicationem ſolum extendi ad eos, qui in Monaſterio verſantur, vel extra illud certam notitiam percipiunt, quòd de facto fuerit promulgata; quæ notitia ſufficiens eſt, vt contrahatur, ſi quis delinquens non reſipiſcat intra dies reſpectiuè annumerandos, ſicut in ea præfiguntur; nam ex verbis iam adductis conſtat, ad omnes Ordinis perſonas extendi ſuppoſitis nempè terminis habilibus, notitiæ illius, abſque obligatione inquirendi de illa, & non reſipiſcentiæ intra dies connumeratos; qui non pauciores debent deſignari abſentibus, quàm præſentibus; Et materialiter ſe habet, quòd ſiut dies immediati poſt Dominicam Palmarum, quando quis poſt menſem, v. g. notitiam certam habuit excommunicationis; nam à tempore eius notitiæ incipiunt annumerari, dies.

68 Dubitabis ſeptimò, à quo ſit hæc abſolutio præſtanda? Reſpondeo, hanc excommunicationem, vt conſtat ex verbis illius, non eſſe reſeruatam, atque adeò poſſe abſoluere ab illa quemlibet Sacerdotem, qui poſſit abſoluere Regulares earum Militiarum à peccatis lethalibus; quæ eſt doctrina communis, & certa circa cenſuras. Et quidem conſtans eſt apud Ordines præfatos Militares, nullos eſſe in eis caſus de facto reſeruatos. Cæterùm ſi tolleretur à Regularibus facultas eligendi Confeſſarium, vt à Superioribus tolli poteſt, non valerent abſolui ab ea cenſura, niſi per Confeſſarios in Ordine deſignatos, quia hi ſoli poſſent abſoluere eos à peccatis lethalibus. Adhuc tamen in hoc caſu poſſent Regulares, ſi Bullam Cruciatæ haberent, eligere quemvis Confeſſarium approbatum ab Ordinario, qui eos abſoluerет à peccatis lethalibus, & cenſuris, cum ſupponamus, non eſſe reſeruatas intra ipſum Ordinem. Id latiſſimè tradidi *tom. in Bull. Cruciat. diſp. 24. ex num.* 185. Nec ea verba; *para que vengan à hazer emmienda*, oſtendunt, reſeruatam Priori eſſe cenſuram; Nam, quomodo à Priore Equites nimiùm diſtantes, vel Clerici Fratres, aut Moniales abſolutionem expoſcerent? Deindè reſeruatio eſt odioſa, nec extendenda ad verba adeò obſcura, cum ſemper apponatur ſub expreſſis vocibus *reſeruationis*, aut ſimilibus. Rursùs in ſententia aſſerente, Equites non eſſe ſtrictè Religioſos, etiam abſque Bulla Cruciatæ, poſſunt abſolui à quavis cenſura non reſeruata per quemlibet Confeſſarium approbatum ab Ordinario loci.

69 Dubitabis octauò; an præfata excommunicatio promulgari poſſit, & debeat in Collegiis Salmanticenſibus Calatrauæ & Alcantaræ? Mihi conſtat nunquam promulgatam fuiſſe eam excommunicationem in prædictis Collegiis. Et ex hoc facto reſpondeo, in primis non dari obligationem promulgandi illam. Etenim ea conſuetudo (quæ abuſus & corruptela nequit vocari, cũ tot extiterint in his Collegiis Rectores apprimè docti, ac in Ordinum ſuorum Definitionibus, ac obligationibus verſati, necnon timoratæ conſcientiæ, qui ei conſuetudini indulſerunt) ſit optima legis interpres, ex eaque colligatur, Definitiones, quæ de hac excommunicatione loquuntur, ſtrictè intelligi de Monaſteriis, nec vocem *Monaſteria* in præſenti extendi ad Collegia. Ea cæterùm conſuetudo non promulgandi excommunicationem eſt antiquiſſima, ſiquidem vtriuſque Collegij Erector, ac Fundator fuit inuictiſſimus Imperator Carolus V. Hiſpaniarum Rex; & à prima erectione vſque adhuc non extat memoria, nec veſtigium, quòd ea excommunicatio fuerit vnquam promulgata; cum tamen in Monaſteriis ſemper fuerit repetita; non tamen in Monaſteriis Monialium, in quibus nunquam fuit promulgata.

70 Deindè cenſeo, non poſſe in his Collegiis præfatam cenſuram à Rectoribus promulgari, (eſto data vrgẽti cauſa illi valeant cenſuras in ſubditos ferre) Nam ex conſuetudine poſita, interprete optima legis, infertur, Definitiones non locutas fuiſſe de Collegiis, aliàs incredibile apparet, omnes Rectores muneri ſuo defuiſſe; id ignoraſſe; Senatum Ordinum non fuiſſe monitum; nec præcepiſſe obſeruantiam ejuſmodi Definitionum. Si ergo hæ de Collegiis non loquuntur, non eſt penes Rectores poteſtas, vt ipſi extendant eam Ordinationem vltra mentem, & placitum Capitulorum Generalium, ac ipſorum Ordinum; nec quòd imponant hoc onus, & grauamen ſubditis, qui ſaltem, dum ignorant, excommunicationem illam de facto fuiſſe promulgatam in Monaſteriis, ea nequeunt ligari, iuxta dicta *ſuperiùs*; iuxta quæ non abſque fundamento etiam contendi poſſet, ſolùm extendi eam excommunicationem ad Fratres Clericos degentes in ipſis Monaſteriis, & ad Equites in eiſdem ratione nouitiatus, pœnitentiæ, aut alia ex cauſa commorantes. Cæterùm Nouitij nequeunt culpam proprietariorum contrahere, cum votum Paupertatis non emiſerint.

71 Obſerua in præſenti, vocem *Proprietarios* contentam in formula excommunica-

tionis latiùs patere, quàm expoſitum eſt *ſuprà*, ſecundùm ſe ſumptam; attamen potuerunt Ordines reſtringere cenſuram ad eos ſolos Proprietarios, qui inuentarium ex malitia, aut contemptu non peragerent; vtpotè deficienres in actione præcipua, ratione cuius Votum paupertatis in Ordinibus Militaribus viget, (quamvis ad plura extendatur, de quibus *diſq.* 4.) & ſubjectio, ac ſubordinatio ſignificantur. Reſtrinxiſſe ad ſolos Proprietarios non peragentes Inuentarium bonorum, conſtat ex eis verbis; *Y declaro el Capitulo; que aquel ſe rendra por Proprietario, y caera debaxo de la excommunion ſuſodicha, que dexare de hazer Inuentario cada anno, como de Orden es mandado, por menoſprecio, ò por malicia de en cubrir algo à la Orden*; Ergo cæteri alij, qui aliud peccatum proprietatis commiſerint, in eam non incident excommunicationem. Hæc conſequentia eſt recta, ſuppoſitis duobus principiis; ſcilicèt quod exceptio firmat regulam in contrarium; & quòd odia (odium autem eſt præfata excommunicatio, vt ex ſe liquet) non ſunt amplianda, ſed reſtringenda. Nec reſtrictio prædicta continet quidquam abſonum, imò eſt iuxta ipſorum Ordinum mentem, & expoſitionem expreſſam.

QVÆSTIO VI.

Oſtenditur expediens, diem S. Benedicti inſtitui Feſtum in territoriis Ordinis Alcantaræ. Vbi attinguntur Indulgentiæ Ordinum Militarium.

72 SVpponendum eſt, Clementem VII. expediuiſſe Bullam anno 1530. quæ incipit *Paſtoris*, & affertur in Bullario Alcantaræ *pag.* 126. in qua ſtatuit, vt in omnibus locis, ac territoriis Ordinis Alcantaræ, omnes tum ex Ordine, tum cæteri inibi habitantes diem S. Benedicti, vt ſolemnem, & feſtum colerent, atque ab omni opere ſeruili ceſſarent, ſicut in diebus Dominicis, & aliis Feſtiuis; pœna excommunicationis latæ ſententiæ inflicta tranſgreſſoribus. Deindè indulgentias concedit, de quibus *infrà*.

73 Supponendum eſt rursùs, S. Benedictum eſſe Patronum, & Aduocatum prædicti Ordinis Alcantaræ, vt exprimit ibi Pontifex; ſimul, & æquè præcipuè, ac S. Bernardum fore anteponendum, ſi quidem hic Ordo eſt Ciſtercienſis, nihilominùs in omnibus Eccleſiis Ordinis ſimul apponuntur effigies S. Benedicti & S. Bernardi; Et quod amplius eſt, vt extat in Definitionibus *tit.* 39. *c.* 2. quoties Equites Alcantarenſes ſimul ad bella procedunt, in vexillo Ordinis ex vna facie effigies Chriſti crucifixi, ex alia effigies S. Benedicti afferuntur, & in vtraque facie inſigne proprium Ordinis. Id qua ſpeciali ratione fiat, non liquet; quòd ſic ab exordio Ordinis fuit inductum. Supponendum eſt demum, Vrbanum VIII. aliquos dies Feſtos è medio tuliſſe, ita vt dumtaxàt ex præcepto obſeruarentur hi, quos ipſe declarauit, & paſſim circumferuntur; indulſiſſe tamen poteſtatem, vt dies Sancti, Patroni Diœceſis valeret feſtiuus inſtitui; necnon in quovis Oppido poſſet Patronus eligi, cuius dies feſtus inſtitueretur.

Hinc dies S. Benedicti Feſtiuus eſſe deſiit, cum non fuerit expreſſus inter deſignatos ab Vrbano VIII. & aliundè non fuerit de nouo inſtitutus in territoriis Ordinis de Alcantara; nec enim datur obligatio, ſed permiſſio, aut indultum, vt poſſint inſtitui feſtiui dies Patronorum. 74

His ſuppoſitis, aſſero, poſſe Ordinem Alcantaræ inſtituere Feſtum diem S. Patriarchæ Benedicti in cunctis ſuis ditionibus, territoriis ac oppidis; & inſuper valdè congruum, expediens, ac debitum eſſe, vt inſtituatur. Primùm patet; nam Diœceſes, & Oppida poſſunt eligere Patronos, quorum dies, vt Feſtos, obſeruent; cum autem Ordines habeant iuriſdictionem ſpiritualem, & temporalem in ſuis territoriis, & Oppidis, & ex eis conſtituant quædam quaſi Diœceſes, nulli alij ſubjectæ Antiſtiti, in quibus Ordines idem poſſunt, ac Epiſcopi in ſuis Diœceſibus, fit, vt valeat Ordo Alcantaræ deſignare Patronum S. Benedictum, ac eius diem adſcribere Feſtiuum in ſuis territoriis. 75

Imò, etſi in toto aliquo territorio, vel Prioratu, alius iam fuiſſet Patronus deſignatus, dieſque inter Feſtos præfixus (quod tamen conſenſum Ordinis requirit) poteſt ipſe in quovis Oppido determinato S. Benedictum promulgare, vt eius Patronum, & diem obſeruandum iniungere; ſiquidem, præter Patronum Diœceſis, alius cuivis Oppido ab Apoſtolica Sede indulgetur. Id tamen, fateor, præſtari non poſſe, ſi de conſenſu, ac licentia Ordinis ſint iam præfixi duo alij dies Feſti, alter ratione Patroni Diœceſis: alter ratione Patroni ſpecialis Oppidi. Nec id ſemel ſtabilitum poteſt, niſi à Pontifice, immutari; cum ille ſolùm permiſerit primam deſignationem, & electionem, qua peracta, 76

idem met

idemmet Pontifex ſolemnitatem confert diebus deſignatis, atque adeò ea ſolemnitas vt ab eo dimanans, nequit, niſi àb ipſo reuocari, aut immutari.

77 Iam verò inſtitutionem eiuſmodi Feſti S. Benedicti expedire, & veluti ex debito, fore præſtandum, facilè ſuadetur. Etenim quæ Religio ſacra ſuum Patronum maiori ſolemnitate, qua poteſt, non veneretur in ſuis Domibus, & Eccleſijs, cum nequeat cultum ampliùs extendere? Vel quæ, ſi poſſet, eius diem obſeruari, totis animis non conaretur? Ratio ad id vrget. Nam, qui parentes honorare poteſt, omittit, ingratitudinis notatur, ne dicam, exiguæ pietatis; Cum ergo poſſit Ordo præfatus Parentem ſuum S. Benedictum hoc exteriori cultus, ac honoris ſigno, & obſequio donare, ſi non præſtet, argui poſſe videtur, quaſi parum ſollicitus de ſplendore Parentis. Quòd ſi Militia Iacobæa adeò ſedulè ſuum, & Hiſpaniæ vnicum Patronum veneratur, & colit, cur Militia Alcantaræ ſtrenuam operam in ſui Patroni cultum non impendat? Maximè cum id in animo feruenter habuerit, ſi quidem Pontificem Clementem VII. Alcantarenſes ad eam Bullam expediendam excitauerint; & præterea Apoſtolica Sedes, vt in ea exprimitur, cupierit, *vt ipſe S. Benedictus amore perampliùs honoretur, ac militia, & Ordinis prædictorum, aliorumque fidelium deuotio ad illud augeatur*; Et idcircò Indulgentias *infrà* referendas pro feſto S. Benedicti conceſſerit. Quare in eiuſmodi Feſti inſtitutione, cœptis, & deſiderijs antiquis inſiſtitur, & Pontificiæ voluntati indulgetur.

78 Poteſt autem hoc feſtum inſtituere Capitulum generale Ordinis, & Senatus Regius Ordinum. Quin & Priores Militares, iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentes id valerent præſtare in ſuis territorijs, ſicut Epiſcopi in ſuis diœceſibus, aut Oppidis; Sed tamen quia hi Priores, præter ea, quæ ſpecialiter, & perſonaliter ad ipſorum poteſtatem ſpectant, maximè ſubordinatam ipſis Ordinibus retinent iuriſdictionem, nec quid pertinens generaliter ad totum Ordinem poſſunt abſque ipſius conſenſu peragere, ideò nequeunt hunc diem Feſtum inſtituere, quin Capitulum, vel Senatus Ordinum monitus ratum habeat. Quod certè eſt in aliquibus alijs actibus ad territorium ſpectantibus, v.g. in ædificatione Monaſteriorum, & ſimilibus, in quibus recurſus ad Capitulum, vel Senatum eſt neceſſarius. Sicut etiam in alijs Religionibus, etſi omnis poteſtas Ordinaria ſit penes Superiores locales, & Prouinciales, attamen in materijs grauiſſimis exigitur recurſus à Superioribus ad prouinciales, & ab his ad Generalem, & Capitulum ſæpè; Capitulum autem generale Ordinis Militaris repræſentat ipſum Ordinem; Senatus autem habet ſe inſtar Generalis trium Ordinum.

79 Inquires, ſi id Feſtum inſtitueretur, Regulares exiſtentes extra territoria Ordinum tenerentur illud obſeruare? Reſpondeo, non teneri; quia Inſtitutio Feſtorum, prout communiter fit in Eccleſia, non eſt pro perſonis ſeorſim, & ſecundùm ſe, ſed pro locis ſimul, & perſonis; ſeu pro perſonis in hoc, aut illo loco exiſtentibus; leges autem locales non obligant eos, qui extra loca, pro quibus promulgantur, exiſtunt; vt cum communi Authorum ſententia tradidit, & expoſui *tom. de Iure Academico lib. 3. quæſt. 22. ex num. 239.*

80 Dices, poſſe Capitulum obligare ſub præcepto Sanctæ Obedientiæ omnes ſuos Regulares, vt vbique illud Feſtum obſeruent. Reſpondeo, ſub hac ratione, non poſſe; nam id eſſet inſtituere Feſtum in alieno territorio pro aliquibus perſonis, quod Capituli excedit poteſtatem; cum obligatio diei Feſti afficiat pariter perſonam, locum, non autem poteſt Capitulum, nec Senatus Ordinum inſtituere diem Feſtum pro Regularibus ſuis Matriti, v.g. verſantibus; nam ea obligatio afficeret illos, & Matritum reſpectu illorum, quod eſſet, ſuam iuriſdictionem ad alienum territorium protrahere. Sub alijs rationibus poſſet Capitulum, aut Senatus præcipere, vt in die S. Benedicti omnes ſubditi Regulares audirent Miſſam, ſicut poteſt præcipere, vt die eo peccata confiteantur, & ſicut alia pia opera valet iniungere. Prælati enim poſſunt ſubditis præcipere opera pietatis, maximè cum vrgens, & grauis cauſa datur, & hi tenentur illis obedire ex vi Voti Obedientiæ. Vnde, ſi tunc Regulares Militarum exiſtentes extra territorium, in quo dies S. Benedicti obſeruaretur, non audirent Miſſam præceptam à Capitulo, peccarent contra Votum Obedientiæ, non verò contra præceptum Eccleſiaſticum audiendi Miſſam die Feſto; Hinc ab affectu, & à poſteriori infertur, per illud præceptum Capituli non inſtitui idem Feſtum extra territorium; eſtò eadem (aut maiori ratione Voti) eſſet obligatio præſtandi in illo die, quidquid in diebus Feſtis præſtari debet. Sic etiam poſſet Prælatus præcipere ſubdito ſub virtute Sanctæ Obedientiæ, vt audiret Miſſam die Dominico, & alio die non Feſto; Tunc ſi ſubditus omitteret vtroque die

Miſſam

Miſſam ; prima die peccaret peccato ſacrilegij contra votum Obedientiæ ; & præterea contra præceptum Eccleſiaſticum ; Secunda vero die, primum dumtaxat peccatum committeret. Videantur dicta à Me *tom. de Iure Academico lib. 3. quæſt. 25. ex num. 268.* Vbi id punctum exagitaui.

81 Deueniamus ad Indulgentias, quæ ad inuicem communicantur ab Ordinibus, niſi loco ſint affixæ. Clemens VII. in præfata Bulla pro Alcantarenſibus expedita concedit triginta annos, & totidem Quadragenas Indulgentiæ de iniunctis pœnitentijs eis, qui annuatim viſitauerint in Prioratu Alcantaræ quamlibet Eccleſiam, totius territorij à primis Veſperis vſque ad Occaſum Solis quovis ex diebus; ſeu feſtiuitatibus ſequentibus ; In Epiphania Domini ; In Natiuitate Virginis, eiuſque Annuntiatione, & Aſſumptione, ac in Feſto S. Benedicti. Eandem Indulgentiam impertitur, his, qui in territorio totius Prioratus *de Villa noua*, ſeu *de Magacela*, viſitauerint quamlibet Eccleſiam, in Feſto Reſurrectionis Domini, Corporis Chriſti, Omnium Sanctorum, S. Iacobi, & S. Benedicti, fundendo preces, vt ad ſimiles Indulgentias obtinendas aſſolet fundi. Obiter nota, quòd pro mortis articulo, ſeu periculo omnes ex Militibus Ciſtercienſibus plenariè poſſunt abſolui, & obtinent eas Indulgentias, quas lucrantur, qui tempore Iubilæi Eccleſias viſitant. Ita Sixtus IV. vt extat in Definitionibus Alcantaræ *pag.* 329. & in Bullario *pag.* 205. Aliæ Indulgentiæ continentur in Bullis Pontificijs, quæ afferuntur in Bullario Alcantaræ *pag.* 122. *&* 242. Pro mortis articulo eadem Indulgentia plenaria, & item ſemel in vita, applicanda à Confeſſario, conceſſa eſt Clericis Fratribus Iacobæis Monaſteriorum de Vcles, & S. Marci à Leone X. in Bulla, quæ incipit, *Religionis zelus.* Ibi etiam eis conceduntur omnes Indulgentiæ Stationum Romæ, dum iiſdem diebus Stationum viſitent vnam, vel duas Eccleſias, ſeu Monaſteria, aut Capellas, ſeu duo, aut tria Altaria, intra Monaſterium. Quæ Indulgentiæ *ibi* etiam conceduntur ſeruitoribus, & domeſticis ſæcularibus eorundem Monaſteriorum, ſed hi abſque Bulla Cruciatæ nequibunt eas obtinere. Deindè Paulus V. in Bulla expedita anno 1619. quæ extat in Bullario Alcantaræ *pag.* 172. conceſſit Clericis Fratribus trium Ordinum Militarium omnes Indulgentias conceſſas cunctis Religionibus, ſiuè Mendicantes ſint, ſiuè non. Vrbanus VIII. in Bulla allata in eodem Bullario *pag.* 239. concedit Indulgentiam plenariam Equitibus Iacobæis ſumentibus Euchariſtiam in die Natiuitatis Domini, Pentecoſtes, & Aſſumptionis. Quas Indulgentias communicare etiam Equites Calatrauæ, & Alcantaræ, aſſerui *in ſuperioribus.* Non verò hanc vltimam Indulgentiam communicant Clerici Fratres, eſtò communicent alias non deſignatas in ſpeciali Equitibus, quia communicatio ſemper eſt reſpectiua, Equitum nempè ad Equites ; cum proportio ſit inſpicienda, attentis perſonis, & circunſtantijs qualitatis & capacitatis, & cauſæ motiuæ, ac finalis.

Quomodo intelligantur anni, & Quadragenæ Indulgentiæ, expoſui *tom. in Bullam Cruciat. diſp. 6. c. 1. num.* 7. Quid ſignificent ea verba, *de pœnitentijs iniunctis*, declaraui *ibidem num.* 9. Quota oratio ſufficiat, & an mentalis, & in quo Eccleſiæ loco, tradidi *eo loco diſp. 19. ex num. 4. 7. ac 12. & diſp. 20. ex num.* 28. An oratio vocalis determinata? ibi *diſp. 20. num.* 30. Non eſſe neceſſarium, exprimere finem, pro quo oratur, ſed ſatis eſſe, orare pro intentione concedentis Indulgentiam, aſſerui *inibi diſp. 19. num.* 6. Poſſe eandem Indulgentiam toties quoties, eadem die obtineri, viſitatione, & oratione repetita, docui *ibidem diſput. 6. cap.* 5. Plurima his affinia ventilaui *eo tom. per plures diſputationes*, circa Indulgentias, quæ huius loci ſpecialia non ſunt, ſed communia omnibus Indulgentijs, ideóque à repetendis iiſdem abſtineo. Aliqua alia ſcitu digna nunc attingam, non tamen ex profeſſo diſcutiam, quia etiam cæteris ſimilibus Indulgentijs aptari queunt. 82

Igitur obſeruandum eſt primò, Indulgentias conceſſas à Veſperis diei obtineri poſſe ab ea hora, in qua pulſantur campanæ in Eccleſia Matrice territorij ad Veſperas, tunc enim incipit Feſtum celebrari ; quare tempore Quadrageſimæ, cum ante meridiem Veſperæ dicantur, ab ea etiam hora antemeridiana incipit Iubilæum, aut Indulgentia obtineri. Ita cum Nauarro, Medina, Rodriguez, Bonacina, P. Henriquez, Suarez, Reginaldo, & Coninch. tenet P. Antonius de Quintanadueñas *tom. 1. ſingularium, in appendice tract. 3. dub.* 3. Ipſe verò *dub.* 4. docet, Occaſum Solis, qui eſt terminus Iubilæi, intelligi, cum Completorium finitur, quod in Monaſterijs ſolet finiti ſub Occaſum Solis, tunc enim, ait, Feſtum illud Eccleſiaſticè terminatur. Sed id ſcrupulis eſt obnoxium; cum ſoleat Completorium in Monaſterijs hora quinta recitari, aut cantari ; & tempore veris adhuc Sol non illico ad Occaſum pergat ; Nec eſt, 83

cur

cur reſtringamus verba Pontificum in materia fauorabili; quare, cum propriè poſſint intelligi de ipſo Occaſu Solis, vſque ad ipſum poſſe Iubilæum, ſeu Indulgentiam obtineri, eſt aſſeuerandum.

84 Secundò obſeruandum eſt, ſi Feſti celebratio Eccleſiaſtica transferatur in diem alium, (v.g. Annuntiatio Virginis incidens in diem Dominicam Quadrageſimæ, aut in quamlibet diem hebdomadæ maioris, transfertur in alium diem) Iubilæum, ſeu Indulgentiam non transferri, nam conceditur in honorem diei, & ille eſt proprius dies. Ita P. Azor *tom. 2. inſtit. moral. lib. 1. cap. 28.* P. Fagundez *in 1. præcep. Eccleſiaſt. lib. 1. cap. 2. num. 10.* P. Quintanadueñas *vbi ſuprà dub. 5.* Qui *dubys ſequentibus*, tractat, quomodo hæc Iubilæa debeant eſſe ſignata, quo ſigillo, & à quo Notario ſubſcripta, & à qua perſona in Dignitate Eccleſiaſtica conſtituta, & qui hanc Dignitatem obtinere dicantur? Deindè *in Appendice tract. 4. dub. 1. & 2.* exprimit plurimas, & ingentes Indulgentias Regularibus ab Apoſtolica Sede conceſſas, quæ Ordinibus Militaribus per communicationem priuilegiorum competunt, & conſonum eſſet, ab omnibus dignoſci, vt theſaurum adeò copioſum, ac æſtimabilem comparare valerent. Nos etiam *diſq. 7.* attigimus aliquas Indulgentias ex innumeris, quas Religioſi Militares lucrari queunt.

85 Tertiò obſeruandum eſt, Regulares, qui per Obedientiam reperiuntur extra Monaſteria, aut loca, quorum viſitationi annexa eſt conceſſio Indulgentiæ, ſi aliud requiſitum præter viſitationem non exigatur, poſſe obtinere Indulgentiam viſitando Eccleſiam loci, in quo adſunt; & etiam infirmos eam lucrari, recitando in cellis, ſeu valetudinarijs preces, quæ in Eccleſia erant recitanda. Latè id probat P. Quintanadueñas *eo tract. 4. dub. 4.* Præterea ſi Regulares euehantur in Epiſcopos, gaudent priuilegijs, & Indulgentijs Religionum, niſi ſpecialiter à Pontifice aliquibus id ſit denegatum. Ita idem Author. Nouitij etiam obtinere poſſunt Indulgentias Religionum, vt nos diximus de Nouitijs Militaribus *diſquiſit. 3.* & cum pluribus docet P. Quintanadueñas *ſuprà dubio 3.* Qui *per plura dubia ſequentia* tractat, quomodo detur communicatio Indulgentiarum inter Religiones Sacras? an ad lucrandas omnes Indulgentias indigeant Regulares Bulla Cruciatæ, vbi hæc viget? An Religioſi (hæc omnia aptanda etiam ſunt Monialibus) poſſint in ſuis Eccleſijs lucrari Indulgentias conceſſas pro Eccleſijs, locis, & Stationibus totius Orbis? Videndus eſt ille, nam longum hæc deſiderabant tractatum.

QVÆSTIO VII.

Cui confiteri teneantur Equites, & Clerici Fratres Ordinum Militarium? Vbi de Reſeruatione caſuum?

QVamuis in Statutis Ordinis D. Iacobi *tit. 7. cap. 2.* præcipiatur, Equites, & Fratres Clericos tempore Paſchatis (nec enim ibi de Confeſſionibus per annum quidquam decernitur) confiteri Prioribus, aut Sacerdotibus Ordinis idoneis, qui ab ipſo Ordine licentiam obtinuerint excipiendi Confeſſiones; Et deſignantur ibi loca, ad quæ ex ſingulis Hiſpaniæ territorijs Equites, ac Fratres ſunt acceſſuri; vt ſua peccata confiteantur; Ac inſuper additur in Feſtis Natiuitatis, Pentecoſtes, & Aſſumptionis Deiparæ, poſſe confiteri Clerico ſæculari, dum tamen à Prioribus facultatem habeant, quibus miſſuri ſint teſtimonium Confeſſionis peractæ; excepto articulo mortis, vel ſi adeò diſtent, vt licentiam poſcere nequeant; Et præterea iniungitur, quòd Regulares ex Ordine extra Hiſpaniam commorantes impetrent facultatem à Priore S. Iacobi de Vcles, vt poſſint confiteri Sacerdoti idoneo ſæculari, aut Regulari; Similia ferè præcipiuntur in Definitionibus Calatrauæ *tit. 4. c. 2. & 3.* Et in Definitionibus Alcantaræ *tit. 16. c. 1.* laxior facultas permittitur confitendi cuilibet Sacerdoti approbato de licentia Prioris. Quãuis, inquam, hæc ita ſe habeant, legitima tamen conſuetudine vt plurimum ſunt abrogata, vt obſeruat P. Quintanadueñas *tom. 2. ſingul. tract. 3. ſingul. 10.* 86

Etenim Equites, & Clerici Fratres extra Communitatem degentes, confitentur cuicunque Sacerdoti approbato. Et quidem cũ adeò ſint diſperſi difficillimũ eſſet, normam præſcriptam exequi, quæ ſanè ortum habet ab eis temporibus, in quibus pauciores erant Equites, nec adeò à Monaſterijs ſeiuncti. Præterea, cum in Ordinibus Militaribus nullus de facto caſus ſit reſeruatus Superioribus, & virtute Bullæ Cruciatæ poſſint omnes Religioſi eligere Confeſſarium approbatum, qui eos ab omnibus peccatis, & cenſuris non reſeruatis Superiori, nec Sedi Apoſtolicæ, abſoluat, iuxta tradita à Me *tom. in Bullam Cruciata, diſputation. 24. capite 18.* fit indè, virtute Bullæ, adhuc vigentibus præfatis Statutis, 87

Statutis; & Definitionibus, Equites, & Fratres Clericos extra, & intra Communitatem degentes poſſe eligere quemcumque Confeſſarium approbatum ad omnia peccata, & cenſuras. A reſeruatis tamen Pontifici Regulares nequeunt abſolui virtute Bullæ, niſi facultas Superiorum accedat, vt latè tradidi *loco relato*, *diſ.* 24.

88 Demùm circa Equites, Ordines annuunt, quòd cuivis Confeſſario approbato confiteantur. Etenim cum viſitantur, non poſcitur ab eis teſtimonium licentiæ Prioris, nec quòd confeſſi fuerint Sacerdoti ex Ordine, ſed dumtaxàt teſtimonium Confeſſionis, diebus feſtiuis ab Ordine deſignatis; Vnde Equites virtute Bullæ poterunt abſolui, etiam à reſeruatis Pontifici, eo modo, quo in ipſa Bulla indulgetur, & ego explanaui *eo tom. in Bull. Cruc. diſp.* 23. Etenim libera eis poteſtas eſt, non ſecùs ac ſæcularibus, ex conſuetudine, & conniuentia Ordinum, vt cuicumque Confeſſario approbato confiteantur.

89 Verùm non eſſe neceſſariam approbationem Ordinarij in Sacerdote excipiente Confeſſiones Equitum, ſed ſufficere Superiorum licentiam, docent Ioannes Sanchez *in ſelect. diſputation.* 49. *num.* 11. Diana *part.* 3. *tractat.* 2. *reſolut.* 30. P. Quintanadueñas *vbi ſuprà num.* 4. (quod intelligendum eſt in ſententia tuente, Equites eſſe ſtrictè Religioſos; nam in ſeutentia oppoſita idem de illis quoad hoc diccudum eſt, ac de cæteris ſæcularibus.) Etenim Tridentinum ſolùm exigit approbationem Ordinarij ad excipiendas Confeſſiones ſæcularium, non verò Religioſorum; Verùm addit Diana, contrariam eſſe conſuetudinem. Ego quidem cenſeo, ideò contrariam eſſe, vel quia ſtatur ſententiæ tuenti, Equites non eſſe ſtrictè Religioſos, vel quia prædicti Equites, vt iam attigi, virtute Bullæ Cruciatæ eligunt Confeſſarium; electio autem facta vigore Bullæ, etiam à Regularibus, debet eſſe Confeſſarij approbati ab Ordinario, & non aliter, vt docui latè *tom. in Bullam Cruciata*, *diſputat.* 22. Et aliundè, cum Ordines annuunt, vt Equites confiteantur cuilibet Sacerdoti, non ſecùs ac ſæculares, conſequenter voluut, vt ea qualitas approbationis in Confeſſario detur, ſicut datur ad audiendum Confeſſiones ſæcularium; Quod patet, tum quia ipſi Ordines non deſignant alios Sacerdotes non approbatos, quibus poſſint Equites confiteri; eatenùs autem poſſent confiteri illis, quatenùs à Superioribus fuiſſent deſignati; nàm aliàs occaſio daretur confitendi Sacerdotibus idoneis. Vndè cum ſpecialiter ab ordinibus in Cõfeſſarios deſignantur Fratres Clerici, ſupponitur, aut exprimitur, eos priùs fore idoneos iudicandos; Tum quia expreſsè, Confeſſarios approbatos fore eligendos, decernitur in Definitionibus Alcantaræ *vbi ſuprà*; Et in Statutis Diui Iacobi aſſeritur, extra Hiſpaniam Equites de licentia Prioris de Vcles electuros eſſe Confeſſarios idoneos, quæ idoneitas per approbationem conſtare debet, cum id non ſit relinquendum arbitrio, & iudicio ipſorum Equitum.

Id vires accipiet ex dicendis *diſq.* 14. *num.* 90 56. de priuilegio Clericorum Fratrum Ordinis D. Iacobi ad eligendum in Confeſſarium quemcumque Sacerdotem; vbi conuincemus, debere eſſe idoneum. Quod nũc fundamento manifeſto adhuc ſuadeo; nam in Statutis *loco relato*, iniungitur, quòd Equites, & Clerici Fratres confiteantur. *A los Priores, ò otros Sacerdotes de la Orden idoneos, que ſu licencia tuuieren, ò à las Confeſſores diputados por Capitulo.* Si ergo Confeſſarij intra Ordinem eligendi debent eſſe idonei, & ſimul habentes licentiam à Priore, aut à Capitulo deputati, quomodo liceat, eligere extra Ordinem Sacerdotes non approbatos, nec licentiam à Superioribus habentes. Et loquendo in communi, is qui habet facultatem eligendi Confeſſarium, non alium eligere poteſt, niſi approbatum ab Ordinario, vel à ſuo Superiore, iuxta qualitatem priuilegij, quo in electione vtitur. Nam in generali conceſſione non veniunt ea, quæ Superior non concederet, ſi ſpecialiter rogaretur; Summus autem Pontifex non concederet in ſpecie facultatem confitendi cuicumque Sacerdoti, ſine delectu; cum periculum eſſet, vt pœnitens Sacerdoti rudi, & indocto confiteretur. Ita ſacra Cardinalium Congregatio *ad ſeſſ.* 23. *c.* 15. Viualdus, Angelus Vancius, Suarez, Vazquez, Reginaldus, Filiucius, & plures alij, quos ſequitur Bonacina *tom.* 1. *diſp.* 5. *q.* 7. *punct.* 3. *n.* 5. Videatur Ioannes Sanchez *in ſelectis diſp.* 59. *num.* 4. Dices. id concedi ſpecialiter à Pontifice in Bulla ſuper hoc expedita. Sed *loco relato* huic objectioni reſpondebo, & aſſertum firmabo; & ex dictis ei ſatisfit.

Inibi etiam agam de abſolutione à reſeruatis, ſi Prælati Monaſteriorum reſeruarent aliquos caſus ex his, quos iuxta Breue Clementis VIII. Prælati locales reſeruare poſſunt. Quin ibi concedit Pontifex, poſſe alios caſus a Capitulis Generalibus, & Prouincialibus reſeruari. Quod breue fusè expoſui *tom. in Bullam Cruciata*, *diſput.* 24. *ex cap.* 1. Et ex eo colligitur, poſſe Capitula Generalia Ordinum Militarium reſeruare 91

de

de facto tum caſus in illo Breui contentos, tum ſimiles alios, etiam reſpectu Equitum (ſequendo ſententiam, quòd ſint ſtrictè Religioſi) & committere abſolutionem Prioribus, aut aliis Confeſſariis determinatis. Præterea dicat aliquis, Senatum Ordinum poſſe caſus in eo Breui contentos reſeruare reſpectu Equitum, & Fratrum Clericorum, aut reſpectu horum dumtaxat, vel dum intra Communitatem degunt, vel etiam extra, committendo abſolutionem Confeſſariis ſpecialiter deputatis. Quippè reſeruatio caſuum, qui in Bulla Clementis VIII. includuntur, fieri valet à Prælatis immediatis, & mediatis; Senatus autem Ordinum, iuxtà ſæpè dicta, eſt Prælatus, & veluti Generalis Ordinum, iuriſdictione Eccleſiaſtica erga illos gaudens, & ei immediatè ſubjiciuntur Equites, & Fratres Clerici extra Communitatem degentes; & qui intra Communitatem verſantur, ac immediatè ſubſtant Superioribus Monaſteriorum, aut Collegiorum, mediatè Senatui ſubjiciuntur; id eſt, inter ipſos, & Senatum, qui eorum eſt Prælatus, alius Prælatus interjicitur. Verùm cum reſeruatio ſit actus merè ſpiritualis, iudicauerim, non poſſe à Senatu Ordinum immediatè præſtari, cum iuxta doctrinam ſæpè traditam, iuriſdictio Eccleſiaſtica ei competat ad omnia immediatè, dum non ſint merè ſpiritualia.

92 Attamen non videtur fore expediens, aliquos caſus in Ordinibus Militaribus reſeruari; tum ob difficultatem accedendi pro abſolutione, aut licentia ad Priores, vel ſpeciales Confeſſarios, cui eſſet abſolutio commiſſa; cum nec per epiſtolas, aut nuntium ea eſſet licentia poſcenda, nec poſſent perſonaliter adire pro abſolutione ad illos hi, qui in caſus reſeruatos inciderent, cum adeò diſperſi, ac diſtantes ſint; dareturque occaſio omittendi, aut diu differendi Confeſſiones; nec par eſſet, vt Ius poſitiuum ad ingentem adeò laborem itinerandi per ampla terræ ſpatia obligaret; cum id ſit vulgatiſſimum, præcepta Eccleſiæ non obligare cum incommodo graui. Præterea cum Regulares Militiarum, maximè Equites, inter ſæculi illecebras, non ſecùs ac alij ſæculares; viuant, indéque maiora, & frequentiora ſint pericula cadendi in plures caſus deſignatos in Breui Clementis VIII. & in alios ſimiles; ſanè per reſeruationem frænum conuerteretur in laqueum, & irretirentur peccatis reſeruatis frequenter, pro fragilitate hominum inter mundi voluptates commorantium, & difficultas obtinendæ abſolutionis (cum non poſſent tunc à quolibet Confeſſario abſolui; nam ſi poſſent, non daretur reſeruatio) retraheret eos à Pœnitentiæ Sacramento, quod in graue vergeret animarum detrimentum.

Adde, inutilem reddendam fore reſeruationem reſpectu Equitum. Quippè hi poſſent eo eo caſu conformari opinioni tuenti, Equites non eſſe ſtrictè Religioſus, qua poſita, virtute Bullæ Cruciatæ poſſent abſolui à quolibet Confeſſario à ſe electo; cum Vrbanus Octavus in Bulla, quæ incipit *In ſpecula*, quam tranſcripſi *tom. in Bullam Cruciatæ, diſputation.* 4. *cap.* 12. Religioſis prohibeat vſum Bullæ Cruciatæ quo ad abſolutionem à caſibus reſeruatis; quæ prohibitio odioſa eſt, & reſtringenda ad Religioſos ſtrictè tales. Nec contrarium defendi *ibidem cap.* 16. *num.* 173. aſſerens, Regulares Militarium Ordinum non poſſe virtute Bullæ Cruciatæ abſolui à caſibus reſeruatis, ſi qui eſſent in Ordinibus; nam locutus ſum de Clericis Fratribus Militaribus, quos ſtrictè eſſe Religioſos, nullus negauit; Et de eis loquendo, nunc idem aſſeuero propter fundamenta *ibi* allata; eſtò Tru ſench à me *ibidem* impugnatus contrarium ſentiat. 93

94 Præterea quamvis non eſſet inutilis caſuum reſeruatio reſpectu Clericorum Fratrum, qui in omnium ſententia ſtrictè Religioſi ſunt, tamen eam non fore expedientem, probant rationes *ſuperiùs* appoſitæ, cum etiam ex illis plurimi extra Clauſtra degant, valdè diſperſi, ac ſæpè diſtantes, paucioreſque intra Communitatem habitent; & vitari debent ſpecies occaſionum, quibus Pœnitentiæ Sacramentum reddatur maximè arduum. Et quidem, ſi res introſpiciatur attentè, reſeruatio eſt medium opportunum reſpectu Regularium, qui intra Clauſtra ſemper verſantur, & ſtrictiorem, ac aſperiorem vitæ diſciplinam ſequuntur, quàm Clerici Fratres Militares, reſpectu quorum non videtur proportionatum medium caſuum reſeruatio, vt à culpis abſtineant, ſi omnes circunſtantiæ perpendantur. Sed non inficior, in Monaſteriis, & Collegiis, vbi ſeuerior diſciplina obſeruatur, & ædificationi externorum incumbitur, poſſe contingere, quòd aliquando expediat, Priores, & Rectores reſeruare aliquos caſus ex contentis in Breui Clementis Octaui, quod eorum zelo, & prudentiæ eſt relinquendum; nam ipſi expendere debent, quàm ægrè ſubdiri ferant, tot nouas

nouas indu ei, nouaque onera imponi; & aliundè an vtilitas, ſeu neceſſitas præ illa moleſtia ſubditorum prævaleant, & momentis vtrinque libratis, id erit exequendum, ex quo maiora bona, minoraque incommoda oriantur.

95 Nouitij Militarium Ordinum tàm Equites, quàm Clerici Fratres poſſunt in primis confiteri his omnibus Sacerdotibus, quibus poſſunt Profeſſi, nam in fauorabilibus veniunt nomine Religioſorum, & gaudent omnibus priuilegiis, quibus Profeſſi, vt oſtendimus *diſq.* 3. Prætereà, non obſtantibus quibuſcumque prohibitionibus, & Statutis Ordinum præcipientibus confiteri determinatis Sacerdotibus, virtute Bullæ poſſunt illi abſque licentia Superiorum eligere Confeſſarium, qui eos abſoluat à peccatis omnibus, à quibus per eam poteſt abſolui. Hoc aſſertum tenui, & probaui *tom. in Bullam Cruciat. diſput.* 24. *c.* 19. *num.* 171. cum P. Suarez, Ledeſma, Acoſta, Fernandez, Villalobos, Trullench, Ludouico à Cruce, Diana, & aliis.

QVÆSTIO VIII.

An is, qui intendens adſcribi Militiæ Iacobææ paratus eſt ad duellum acceptandum, ſit abſoluendus in Confeſſione.

96 Hanc quæſtionem diſcutit P. Quintanaduenas *tom.* 2. *ſingular. tr.* 3. *ſingul.* 11. & nos fundamenta ad eius deciſionem iecimus *ſuprà diſq.* 3. Vbi oſtendimus ſenſum, & expoſitionem interrogationis, quæ in Informationibus admittendorum ad Ordinem Iacobæum interſeritur, nempè an illi prouocati ad duellum, ſuo honori ſatisfecerint: Et ex dictis *ibi* breuiſſimè hanc quæſtiunculam diluemus. Dicendum ergo eſt; Non peccare eum, qui paratus eſt acceptare duellum, ob tuendam vitam, vel grauiſſimam honoris iniuriam reſarciendam, quando non eſt aliud medium pro vitæ, aut honoris defenſione. Id ſentiunt Authores *loco relato* allati; nam, vt aſſeritur *in leg. eadem*, *ff. in quibus cauſis*; *Non poteſt fieri, quod ſine dedecore non fit*; indéque non teneretur quis in prædictis circuuſtantiis fugere duellum; (& quod de acceptatione duelli aſſerimus, pariter extendunt. Authores ad prouocationem) Tunc ſic. Hæc opinio ſaltem eſt probabilis, eſtò oppoſita ſit tutior; ergo poteſt pœnitens eam ſequi, atque adeò non erit in ſtatu peccati lethalis, nec poterit ei abſolutio deuegari.

Etenim hæc opinio habet pro ſe trigiuta tres Authores relatos à P. Thom. Sanchez *tom.* 1. *ſumm. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 14. & à Diana *part.* 2. *tract.* 13. *reſolution.* 11. non ergo ei poteſt probabilitas negari; Nec hæc duella iuſta damnantur per Concilium Tridentinum, & Pontifices, cum cenſuræ ibi infligantur, quæ, vbi non datur culpa lethalis, locum non habent, iuxta certiſſimam ſententiam. Et quamvis tutior opinio eiuſmodi duella prohibeat, nullus tenetur ſequi opiuionem tutiorem, & probabiliorem; ſi quidem prudenter operatur, ſi ſequatur probabilem. Aliundè Confeſſarius, eſtò ſentiat oppoſitum, tenetur ſequi opinionem pœnitentis, ſi ſit probabilis, vt docent Montesinos, Baſilius Legionenſis, Ioannes Sanchez, Villalobos, Pater Azor, Sylueſter, Salas, Valentia, Pater Thomas Sanchez, Coninch, Gaſpar Hurtado, & alij apud Dianam *vbi nuper reſolution.* 11. Ergo debet abſoluere paratum ad exeundum in duellum in prædictis circumſtantiis, ſi ille ſe non peccare arbitretur. Conſultius tamen erit, ſi Confeſſarius eum ab illo animo remoueat, aliaque media inueſtiget, quibus honor reſarciri valeat; nam rarò contiuget, duellum eſſe vnicum medium. 97

Conſequenter ſi quis eo animo ſit; *Acceptaturus ſum duella, quæ ſeſe efferant, ea acceptatione, quæ neceſſaria eſt, iuxta piorum, & prudentum captum, ne ab Ordine Diui Iacobi repellar, ſi in illum admitti curauero, ſeu ne infamiam contraham, quæ me indignum reddat aliis Ordinibus Militaribus*, abſoluendus eſt in Confeſſione. Etenim Statuta Ordinum non exigunt acceptationem duelli, quæ ſit illicita, cum ſint confirmata à pluribus Pontificibus, & à piiſſimis Regibus, qui leges contra illicita duella condiderunt; ergo ea acceptatio duelli exacta ab Statutis, & ita requiſita, vt ea deficiente, quis non ſit admittendus in Ordines, licita eſt; ſed habere animum acceptandi duellum, cum licitum fuerit, ex ſe eſt licitum; igitur quis non eſt in actuali peccato, quamvis eum animum retineat, atque adeò debet abſolui. 98

Sed quia animus, cum de his cogitat, facilè in iram excitatur, ne adeò ſe temperat ab intentione vindictæ, vt intra terminos inculpatæ tutelæ cohibeantur; Et quia laici homines in ſententiis Authorum parùm experti, quin ad probabilitatem attendant, ſui honoris immoderatè anxij, aliquando 99

aliquando non nimiùm ſollicitantur de violatione diuinæ legis vitanda, ideò cautiſſimè cum illis eſt procedendum, nec habenæ laxandæ, vt ad duella pronocent, vel prouocati acceptent; Quin potiùs abſterrendi ſunt ab his cogitationibus, & illis omnino ſuadenda Chriſtiana manſuetndo, vt longiùs abſint à duellis illicitis tnm publicis, tnm priuatis, qnæ Tridentinum, Pontifices, & nouis Sanctionibus Hiſpani Catholici Reges ab orbe Chriſtiano penitùs fugare contendunt. Vide plura circa hæc duella apud Me *in ſtatera opinionum benignarum diſſertat. 1. ex num. 237.* & præcipuè *num. 246. & infrà diſq. 18. ex n. 1.*

QVÆSTIO IX.

De Voto defendendi Immaculatam Conceptionem Deiparæ Virginis, quod emittitur in tribus Ordinibus Militaribus. Vbi aliqua de hoc Myſterio obſeruantur.

100 HIſpania noſtra, quam Deipara Virgo, adhuc inter mortales degens, ſua præſentia dignata eſt illuſtrare, ac ſub patrocinio ſuo iam indè ſuſcipere, dum apud Cæſaraugustam Diuo Iacobo Hiſpaniarum vnico Patrono apparuit, in animi grati teſſeram, pietatem ſemper erga ipſam, ac deuotionem totis conatibus promouit; atqne vt gratiſſimum ei obſeqnium, Myſterium Immaculatæ Conceptionis ipſius coluit, firmiter tenuit, ac ſtrenuè proſecuta eſt. Huius myſterij certiſſimam veritatem Ego, vt amantiſſimæ Matri, per qualecumque obſequium, totum meum animum litarem, Hiſpano primùm ſermone concinnaui, ac in lucem edidi; deinde latino Idiomate ad calcem *tomi de Iure Academico*, in Appendice præſtrinxi, vt exponerem veritatem, iuſtitiam, & neceſſitatem iuramenti, quod Academiæ emittunt defendendi Immaculatam Virginis Conceptionem. Ibi plurima dedi; & elucidaui, ad quid obliget id iuramentum, ſeu votum; Quæ erunt protsùs in præſenti aptanda. Ibi etiam *num.* 121. attigi. Ordines Militares hoc ſe Voto obſtrinxiſſe.

101 Itaque, cum Ordines Diui Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ militauerint ſemper Deiparæ obſequiis; & erga ipſam nihil vnquam pietatis prætermiſerint; in ſuis Capitulis Generalibus celebratis anno 1652. ſtatuerunt, nouo ſe vinculo iucundiſſimè in ipſius venerationem conſtringere; ac emittere Votum defendendi Immaculatam eius Conceptionem. Nullus fuit in Capitulis, qui certatim ſuum non ferret ſuffragium, vt in perpetuum Statuto, aut Definitione firmiſſima id Votum ab omnibus emittendum ſtabiliretur, dum Profeſſio fieret, ac priùs ipſi Ordines ſolemni ritu publicè emitterent, vt ſuam mentem, & animum Eccleſiæ, Hiſpaniæ, & orbi teſtarentur. Conſuluerunt Regem noſtrum Philippum IV. in ipſorum Ordinum Adminiſtratorem perpetuum; Ipſe verò, (qui erga hoc Myſterium mira, ardenti, & inuiſcerata afficitur deuotione, ſæpéque teſtatus eſt, ſi per Regnorum ſuorum immenſa negotia illi liceret, nihil gratius, ac promptius peracturum, quàm Romam adire, vt Definitionem huius certiſſimæ veritatis à Sede Apoſtolica impetraret) Ordinum ſuorum Militarium deſideriis annuit; Non mihi licuit Decreta videre, quæ ad Capitula Generalia Ordinis Diui Iacobi, & Calatrauæ tranſmiſit; verùm ſimili verborum tenore reſpondit, quod in Decreto ad Alcantarenſe Capitulum miſſo ſuum animum per hæc verba explicauit; *Doy muchas gracias al Capitulo por tan loable reſolucion, y de tanto agrado, y conſuelo mio, manifeſtando tan ſeñalada piedad, y deuocion en eſte ſanto Myſterio; y aſi aprueuo, que el Capitulo General haga eſte Voto, que ſe propone, haziendo Eſtatuto, ò Definicion, ſobre defender eſte Myſterio.*

Igitur Capitula Generalia trium Ordinnm Militarium, inſtitutis ſolemniſſimis Nouenariis, Eccleſiis ad miraculum vſque exornatis, eaſque Regibus noſtris ſua præſentia illuſtrantibus, Concionatoribus ad ſingulos dies mirè prò ſua inſigni doctrina, ac eruditione declarantibus, Miſſis celebratis in Pontificalibus ferè quotidie à Prioribus Ordinum ipſorum, Abbatibuſque Benedictinis, & Ciſtercienſibus, Votum, ac iuramentum præfatum deuotiſſimè emiſerunt; Et quidem diuerſis temporibus, ne ſolemnitas ſolemnitati detraheret; Ordo Diui Iacobi ſuum Munus peregit in Eccleſia Collegij D. Auguſtini, quod vulgò dicitur, *de Doña Maria de Aragon.* Ordo Calatrauæ in Eccleſia S. Martini, Ordinis Benedictini; Ordo Alcantaræ in Eccleſia S. Bernardi, Ordinis Ciſtercienſis. Adſtitit ſolemni Actui in vnoquoque templo totus Ordo Militaris in Capituli ſpecie, ac forma congregatus; Poſt Miſſæ Euangelium nomine totius Ordinis vnus ex illo, Iuramenti, ac Voti formulam, elata voce expreſſit, & emiſit; 102

ſinguli poſtmodùm coram Celebrante (ipſeque priùs idipſum peregit) ſuper Crucem, & Euangelia vouerunt, atque iurarunt. Elegantem ſcripſit relationem panegyricam Don Gabriel de Bocangel Vnzueta de Nouenario Ordinis de Alcantara. Huius Ordinis Monaſterium in oppido Alcantaræ ſitum Immaculatæ Virginis Conceptioni eſt dicatum.

103 Statutum itaque fuit in ſingulis Capitulis Generalibus, vt omnes in Profeſſione id votum emitterent. Quare in formula Profeſſionis Ordinis D. Iacobi poſt tria vota emiſſa, ſic immediatè Profitens aſſerit; *Y aſimeſmo hago voto de tener, defender, y guardar en publico, y en ſecreto, que la Virgen Maria Madre de Dios, y Señora nueſtra fue concebida ſin mancha de pecado original.* Ita in Statutis *tit. 5. cap. 3.* Et in Inſtructione Equitum *fol. 78. tit. 5. ſub titulo, Confeſſion, y Communion*; ſtabilitur, Feſtum Conceptionis Immaculatæ, iuxta veterem ordinis conſuetudinem, ſolemni adeò ritu publico celebrari, ac Feſta Patronorum magis inſignium in Eccleſia celebrantur; illudque fore dotandum, vt nulla ei prorsùs ſolemnitas deſit. Tres itaque Ordines Militares primi adhuc extitêre, qui in Profeſſione quartum hoc Votum de defendenda Immaculata Conceptione emittant; Vtinam cæteris ſacris Religionibus ſemitent, vt quod corde, voce, & ſcriptis tenent, in ipſa Profeſſione pronuntient. Obligat id Votum primò ad ipſum id, quod ex Pontificio Decreto eſt obligatorium, nempè ad non defendendam opinionem minùs piam; res enim præcepta meritoriè vouetur, & duplici vinculo quis ad eam tenetur. Secundò, adhuc ſi reuocaretur illud Decretum, & liberum eſſet cæteris opinari, (quòd non eueniet) Votum conſtringeret ad non defendendum opinionem minùs piam. Tertiò, ſi quis interrogetur, quid ſentiat, & ſua taciturnitate anſam præberet iudicandi, ſe adhærere opinioni minùs piæ, teneretur ex vi Voti, piam opinionem manifeſtare; nam obligatio defendendi illam, adſtringit ad non defendendam contrariam nutu, ſignis, aut ſilentio.

104 Prodeunt in dies docti, ac eruditi Authores pro Immaculata Virginis Conceptione decertantes; Innumeros ferè expreſſi, ac laudaui in *meo appendice de Conceptione in relato tom. de Iure Académico.* Poſtmodùm vidi, ac perlegi Fr. Gabrielem de Morales. Fr. Cyprianum de S. Maria, Don Ferdinandum de Vergara; Et nunquam pro debito laudandum D. Don Michaëlem de Luna, & Arellano, Senatus Regij Ordinum meritiſſimum Conſiliarium, qui Theoremata ſacra, Theologica, & Iuridica, Topica, & Anaglyphica pro Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione in lucem edidit. Prætereà F. Syluestrum de Saauedra; Fr. Ludouicum de la Concepcion; Don Franciſcum de Amolaëz; Illuſtr. Dom. Don Ludouicum Creſpi, Epiſcopum Orialenſem; Didacum Alfonſum Maluenda; P. Ioannem Euſebium Nieremberg, tribus integris libellis eruditiſſimis; P. Chriſtophorum de Vega; P. Martinum Philippum de Convelt, qui *tom. Excellentiarum Deipara, ſæculo 16. pag.* 1211. oſtendit, ſupra quadringentos Authores Societatis IESV hanc veritatem defendiſſe; Et *ex pag.* 1203. recenſet Doctores Eccleſiæ, & Authores per ſexdecim ſæcula eidem veritati ſuffragium ferentes; Et *pag.* 656. tranſcribit formulam, qua Votum defendendi huius myſterij emiſit Imperator; Ac *ex pag.* 1212. affert plures cauſas, cur orbis tanto ardore, & zelo Immaculatæ Conceptioni defendendæ militet. Certat in omnibus cum deuotione eruditio, cum pietate doctrina.

A primo indè Apoſtolorum tempore 105 Feſtum Immaculatæ Conceptionis ſolemniſſimè in Hiſpania fuit celebratum. At Vrbanus VIII. anno 1642. Idibus Septembris Bullam expediuit, in qua recenſuit dies Feſtos ab omnibus Fidelibus obſeruandos, aliaque Feſta obſeruari ſolita abrogauit. Inter eos dies, Conceptionis Feſtum non fuit annumeratum. Piiſſima Hiſpaniarum acclamatio diem Conceptionis ſibi Feſtum adſcribi expoſtulabat, Rex noſter Philippus IV. id ipſum anxiè efflagitauit ab Innocentio X. qui die 10. Nouembris, anno 1644. denuò pro Regnis Hiſpaniarum eum diem Feſtum reſtaurauit. Quem obſeruandum eſſe non ſolùm in Hiſpaniarum locis, ſed in omnibus Oppidis, etiam extra Hiſpanias, Regi noſtro ſubiectis, valdè probabiliter tuetur P. Quintanadueñas *tom. 2. ſingul. tract. 1. ſingul. 7.* Hic annotaueris, Feſtum Conceptionis Deiparæ in Imperio orientali fuiſſe feriatum. Conſtat ex Nouella Imperatoris Emanuëlis Comneni, *de executoribus teſtamentorum*, ſub titulo *de Feriis*, vbi recenſens dies feriatos, ait; *Item nonus Decembris, quippè quia tunc Genitricis Dei noſtri Conceptio celebretur.* Diem nonum præfigit; extatque *in lib. Iuris Orientalis*, illuſtrato ab Enimundo Bonifidio *in Imperatoris Conſtitutionibus, pag.* 59. Græcè fuit edita ab Imperatore ea Nouella, eamque latino ſermone Interpretes donarunt, ſenſu retento,

non

non tamen per eadem verba. Ioannes Leunclauius Amelburnus *in Iure Græco-Romano*, *tom.* 1. *lib.* 2. *nouella* 5. *de Feriis*, *pag.* 160. ſic vertit; *Decembris dies nonus, in quo ſcilicèt Conceptio Sanctiſſimæ Matris Dei noſtri celebratur.* Cæterùm iu Codice Iuſtiniano poſt Conſtitutiones Imperatoris Leonis afferuntur variæ Conſtitutiones Imperatoriæ, & inter eas Nouellæ Manuëlis Comneni, ſiuè Emanuëlis; Et poſt primam *de executoribus teſtamentorum*, extat ſecunda *de Feriis*, & ibi reperiuntur ea verba, quæ ex Enimundo Bonifidio adduximus.

105 Non patitur animus hinc digredi, quin aliqua, quæ poſt prædictum *de Conceptione* Appendicem à me editum obſeruaui, breuiſſimè de huius veritatis Myſterio præſtringam. Incidi in tractatum Typis excuſſum centum quadraginta ab hinc annis, & ampliùs, cui Titulus eſt, *Verificatio Immaculatæ Conceptionis*, inſertum quidem in Opus, quod inſcribitur *Diſputatio ſolemnis de Conceptione B. Virginis.* In eo ergo *ex pag.* 2. continetur Decretum Concilij Baſileënſis (cuius authoritas quam vim habeat, oſtendi *in prædicto Appendice*) declarantis, Deiparam fuiſſe à labe originaria immunem; Decreta aliqua Synodorum Prouincialium ſtatuentium, obſeruari ea, quæ circa id Myſterium Concilium Baſileënſe ſtabilierat; Necnon confirmatio præſtita ab Archiepiſcopo Sipontiuo, Auditore generali Curiæ; Bulla item Nicolai V. expedita anno 1449. quæ valdè firmat ea, quæ à Concilio Baſileënſi fuerunt peracta. Deindè tranſcribitur *ibi* Bulla Sixti IV. data anno 1480. in qua approbat Pontifex Officium de Conceptione ordinatum à Fr. Bernardino de Buſti, in quo ſæpè reperitur *Immaculata Conceptio*, & concedit, vt illud poſſint omnes liberè, & licitè recitare. Inſuper *pag.* 8. continetur ſententia prolata ab integra Academia Pariſienſi anno 1497. contra Concionatorem, qui impugnabat Myſterium Immaculatæ Conceptionis; & ſimul retractatio ipſius Concionatoris ſolemniter facta. Et *ex pag.* 10. tranſcribitur proceſſus, & ſententia executorialis lata à Prælato quodam ſacri Ordinis B. Mariæ de Mercede, Iudice per Pontificem deputato, contra quoſdam, qui Myſterium illud etiam impugnabant, & contra defendentes ipſum iactabant offenſiua verba; quæ ſententia pronunciata fuit anno 1508. in vrbe de *Huète*, authoritate Iulij II. Liber hic antiquiſſimus extat in inſigni Salmantino Collegio Veræ crucis, prædicti Ordinis B. Mariæ de Mercede.

Et in eo ſacro Ordine deuotio, ac defenſio Myſterij Immaculatæ Conceptionis à prima Fundatione maximè viguit. Quare *in Speculo Fratrum* eius Ordinis, excuſſo anno 1532. præfigitur *fol.* 96. celebrandum quotannis Feſtum Conceptionis, cum ea Oratione ſignatè oppoſita; *Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem.* Quin Reu. Fr. Marcus Salmeron, Concionator Regius, & eiuſdem ſacri Ordinis Generalis in libro *Recuerdos hiſtoricos, y politicos, &c. ſiglo* 3. *recuerdo* 13. §. 3. *pag.* 243. oſtendit, præfatum Ordinem fuiſſe erectum in honorem Immaculatæ Conceptionis Deiparæ, & vt à Religioſis eiuſdem Myſterium id defenderetur, quod ab ipſius Ordinis incunabulis fuit præſtitum, ac Feſtum Conceptionis celebratum. Et *hi* §. 4. refert edicta Regum Aragoniæ, & Hiſpaniæ deindè, qui contra impugnatores eius Myſterij pœnas promulgarunt. Affert prætereà clauſulam Bullæ Gregorij XV. reſcribentis ad noſtrum Regem Philippum IV. qui pro Definitione huius Myſterij ad eum Pontificem inſtanter ſcripſit; clauſula autem ea eſt; *Vix dici poteſt, quanto nos gaudio cumularint nupera literæ Maieſtatis tuæ de Immaculata Deiparæ Conceptione differentes: O curam Catholico Rege dignam, & Chriſti Vicario gratiſſimam!* Expeditum fuit hoc Breue die 4. Iunij, anno 1622. ✝ Ides, Pontifici, Sedique Apoſtolicæ eſſe gratiſſimum, ſollicitare Definitionem Myſterij Immaculatæ Conceptionis, & hanc curam eſſe dignam animis Regiis, & Catholicis; Demùm ille Author *pag.* 244. ratum; & authenticum enarrat miraculum pro Feſto Conceptionis peractum in Cœnobio ipſius Ordinis Barchinonenſi.

Ex ipſo Ordine pro Conceptione Immaculata ſcripſerunt Fr. Petrus de Oña, Epiſcopus Gaëtanus; & Fr. Gabriel de Saauedra. Cuius aſſerta aliqua edita nuper in tomo, cui titulus eſt *Sacra Deipara*, quaſi Indice facto, breuiter præſtringere decreui, vt Marianæ Conceptioni ſplendor accreſcat. Igitur *diſp.* 17. *num.* 352. ait; *Aſſeruimus, de potentia abſoluta Sacram Deiparam maculari non poſſe Originali peccato.* Quod aſſertum latè antecedenter probauerat; iuxta quod Deipara nec contraxit peccatum Originale, nec de potentia abſoluta Dei potuit illo fœdari. Deindè *ſect.* 2. hanc conſtituit concluſionem; *Immaculata Sacra Deiparæ Conceptio euidenter eſt credibilis (tametſi remotè) fide diuina.* Id vſque ad finem diſputationis probat luculenter. 107

108 Poſtmodùm *diſp.* 18. *num.* 392. inquit; *Dico primò; Piiſſima ſententia ab originali macula Virginem puriſſimam præſeruans his noſtris temporibus ita eſt vera, vt nullo modo à parte rei poſſit eſſe falſa.* Quare implicat omnino, falſum eſſe, quod Virgo fuerit immunis à labe originaria, ita vt à parte rei ea propoſitio falſificetur. Addit *num.* 396. *Dico ſecundò; Probabile eſt, Eccleſiam iam determinaſſe, piam ſententiam ita eſſe veram, vt à parte rei falſa eſſe non poſſit, idque implicitè, & virtualiter ſaltem.*

109 Rursùs *diſp.* 19. *num.* 404. ſtatuit; *Dicendùm igitur eſt, piiſſimam ſententiam per Sedem Apoſtolicam poſſe definiri, declarari, & proponi Eccleſia fide diuina credendam.* Et *diſp.* 20. *num.* 409. doctum, & pacati animi Theulogum ad ſuam doctrinam deſiderans, docet, dupliciter poſſe aliquam propoſitionem dici, & eſſe de Fide; primò ſi ſit obiectum fidei diuinæ, ita vt fide diuina credatur ab eo, cui ſufficienter proponitur, quod à diuina immediatè reuelatione prouenit, eo quòd à Deo ſit reuelata propoſitio, quamvis non ſit ab Eccleſia propoſita, nec à nobis cognoſcatur; ſicut poteſt aliquod eſſe præceptum à Deo dimanans, quin à nobis, eſſe præceptum dignoſcatur. Indè ea veritas, quia includit, aut ſupponit diuinam veracitatem, participat certitudinem Fidei. Secundò propoſitio eſt de Fide, cum reuelata eſt à Deo, & reuelatio proponitur ab Eccleſia, daturque obligatio aſſentiendi illi, & eſt peccatum, non aſſentiri. Qua doctrina ſuppoſita, *num.* 418. ait; *Aſſerendum omnino eſt, ex eo quòd veritas aliqua ſit proximè definibilis ab Eccleſia, neceſſariò inferri, tum illam iam eſſe reuelatam à Deo, tum eſſe de fide, priori modo ex illis, quos explicuimus.*

110 Itidem *diſp.* 21. *ſect.* 1. hoc aſſertum ſtatuit; *Piiſſima ſententia probabiliter iam Eccleſiæ eſt reuelata.* Et *ſect.* 2. ſubdit pro concluſione; *Probabile eſt, in ſenſu literali Immaculatam Conceptionem contineri in Sacra Scriptura.* Præterea *ſect.* 3. *num.* 432. inquit; *Non deſunt in nouo Teſtamento teſtimonia, quæ videntur probabiliter in ſenſu literali Immaculatam Conceptionem Sacræ Deiparæ continere;* eaque teſtimonia proponit, & exornat. Ex his *diſp.* 22. *num.* 439. conditionatam propoſitionem ſtabiliuit; *Verùm dicendum eſt, ſi pia ſententia eſt iam reuelata, non eſſe improbabile aſſerere, quòd etiamſi Immaculata Virginis Conceptio neque ſit ab Eccleſia diffinita, neque ſufficienter fidelibus ad credendum, cum obligatione inducente aſſenſum ſupernaturalem Fidei, propoſita, & explicata, iam Immaculata Conceptio, formaliter loquendo, eſt fidei diuina obiectum.* Præmiſerat autem, probabiliter eam veritatem fuiſſe reuelatam.

Ad hæc *num.* 451. fatur; *Dicendum exiſtimo, quòd ſi Angelicus Doctor, fulgentiſſimus Sol, viueret nunc lampade Phœbea cunctas illuſtraret Eccleſias, proculdubiò amplecteretur vltroneus ſententiam piiſſimum; & defenderet viribus totis Virginis Conceptionem Immaculatiſſimam. In hoc, & ſic Salmanticenſibus, Complutenſibus Magiſtris libenter adhæreo, & hæreo iudicio Sancti Ludouici Beltran, ſyderis Dominicani illuſtriſſimi.* 111

Demùm *diſp. vlt. n.* 467. aſſerit; Dico primò; *Qui ſanguinem & vitam profunderet, vt aſſeueret, Eccleſiam Catholicam piè, & Religioſè ſeruare, & celebrare Feſtum Conceptionis Immaculatæ, & nullo falſo cultu illam fidelibus celebrandam proponere, piumque eſſe, & Catholicum, & ſacris literis, & Sanctorum teſtimoniis nullatenùs diſſonum, ſed potiùs conſentaneum valdè, & conforme, illam prædicare, & defendere, verè eſſet Martyr.* Concludit *num.* 470. aiens; *Dico ſecundò; Qui mortem occumberet pro aſſerenda Immaculata Conceptione, ſumpta ſolùm, vt eſt veritas ſpeculatiua, & vt præſcindit à praxi, quam prima concluſione explicuimus; verè eſſet Martyr.* Suppoſiit autem in probatione, eum certiſſimum fore, ſeu certiſſimè iudicaturum eſſe, hanc veritatem eſſe iam reuelatam à Deo, & formaliter de Fide modo *ſuperiùs* ab ipſo Authore expoſito. Prædictas omnes propoſitiones latè, & eruditè ratione, & authoritate confirmat; Quas in compendium redactas tranſcripſi, quia nihil vltrà de veritate Myſterij Conceptionis poteſt aſſeri; erga quod Fidelium deuotio his doctrinæ inſtitutis pro captu, & longè à tumultibus, & ſcandalis mouendis (quod enixè eſt conandum) poſſit in dies augeri. An omnes prædicti Authoris propoſitiones ſint veræ, non eſt noſtri Inſtituti diſputare. Fideliter eas tranſcripſi. Plurima addenda in præſenti ſe ſe offerebant, ſed ea in lucem edo *in tomo nouiſſimo, ſtatera opinionum benignarum diſſertat.* 12. *quæſt.* 1. §. 2. Et in ſecunda editione *Tomi de Iure Academico in Additione ad Memoriale pro Immaculata Conceptione.* Et videndi omnino ſunt Fr. Petrus de Alua *in ſole veritatis*, & P. Ioannes Euſebius Nieremberg *in Opere Parthenico*, qui pro hoc Myſterio innumera, & ſanè ſcitu digniſſima afferunt. 112

QVÆSTIO X.

An in Eccleſiis Ordinum Militarium ſitis intra limites Diœceſum Epiſcopalium liceat peragere Officium diuinum de Sanctis ſpecialibus earum Diœceſum, & è conuerſo?

113 LOca, & Eccleſiæ plures ſubjectæ Ordinibus Militaribus intra limites Diœceſum Epiſcopalium ſunt, quamvis Prælati Militares gaudeant juriſdictione quaſi Epiſcopali, & eorum ſubditi dicantur *nullius Diœceſis*. Quin & intra ipſas Vrbes, & Oppida, quæ Epiſcopis ſunt ſubjecta, & extant Eccleſiæ Militarium Ordinum ab Epiſcoporum juriſdictione exemptæ, vt Salmanticæ Eccleſia B. Magdalenæ, Ordinis de Alcantara; S. Ioannis de Barbalos, & S. Chriſtophori, Ordinis Sancti Ioannis Hieroſolymitani; & Eccleſia S. Spiritus, ſimul cum Monaſterio Monialium, Ordinis D. Iacobi; Ac Matriti, Toleti, Hiſpali, Burgis; Zamoræ, Barchinonæ, & pluribus aliis in locis ſimiles ſitæ ſunt Eccleſiæ. Inquirimus ergo, vtrùm in ipſis, & earum diſtrictu liceat recitare Officia Sanctorum quæ ſpecialiter in ea Diœceſi celebrantur?

114 Affirmatiua ſententia eſt tenenda. Primò, quia Gregorius XIII. anno 1573. conceſſit, quòd Eccleſiæ Hiſpaniæ poſſent celebrare de Sanctis, qui illius Diœceſis eſſent Naturales, aut Patroni, vel quorum Corpora, ſeu notabiles Reliquiæ in ea Diœceſi requieſcerent. Sub nomine autem Diœceſis comprehendi loca exempta intra illius limites ſita, docet Lapa *conſil.* 2. ex Deciſionibus Rotæ, & *ex Clementina Archiepiſcopus, de priuileg.* Felinus *in cap. graue, verſ. Conſidera; de offic. Ordinar.* Tuſchus *tom.* 2. *lit. D. concl.* 490. *ex cap. cum Epiſcopus de offic. Ordinar. lib.* 6. Federicus *conſil.* 2. Baldus *de præſcript. part.* 5. *q.* 11. *num.* 9. Gratianus *tom.* 1. *diſceptat. cap.* 198. *& tom.* 2. *cap.* 209. *nu.* 19. Idque colligendum etiam eſt apertè ex modo loquendi in Tridentino *ſeſſ.* 23. *de reform cap.* 10. Et quidem in Bulla Gregorij *Diœceſis* ſumitur pro eodem ac *Prouincia*, vnde ipſe ſtatim commutans eam vocem, ait, *Officia propria illius Prouinciæ, &c.* Hæc tamen aſſertio non eſt intelligenda de Sanctis, quorum reliquæ inſignes extant in aliqua Eccleſia, de quibus redibit *infrà* ſermo; cum ſcilicèt Sancti non ſunt Naturales, nec in territorio obierunt aliquod Munus, ſeu in eo vita ſunt functi. De his enim non eſt ſermo in relato priuilegio Gregorij XIII.

115 Hinc ſecundò probatur aſſertum; Nam in celebratione huiuſmodi Sanctorum attenditur potiſſimè ad loca, ſeu Prouincias, in quibus nati ſunt, vel vita functi, vel Dignitatem conſecuti; vnde S. Leo Papa *in ſerm. de Natal. Apoſtol.* aſſeruit; *Vbi glorificatus eſt exitus, ibi in die Martyrij eorum ſit lætitia principatus.* Cum ergo Eccleſiæ illæ Militares ſint intra limites Prouinciæ, par eſt, vt in illis hi Sancti colantur. Nec vox *Diœceſis* appoſita in Bulla Gregorij ſtrictè eſt deſumenda, ſed vt fauor, amplianda ad Eccleſias, quæ ſunt intra Diœceſim, ſeu territorium, etiam exemptas; quare aiunt Tuſchus *tom.* 3. *lit. E. concl.* 576. Caſtrenſis *lib.* 2. *conſ.* 187. *num.* 5. in his quæ tendunt ad fauorem, loca exempta eſſe de Territorio, ſicut Clerici exempti ſunt de populo. Prætereà verba legis, ſeu priuilegij, quantumvis præciſa, intelligenda ſunt iuxta ſubjectam materiam, vt probat Barboſa *de princip. lit. V. num.* 9. Conſtat autem ex materia eius Bullæ, non tam attendiſſe Pontificem ad Diœceſim, vt importat terminum iuriſdictionis Epiſcopalis, ſed vt denotat limites Prouinciæ.

116 Accedit conſuetudo, qua fit argumentum à ſolitis, validum quidem, & efficax. Quippè in locis, & Eccleſiis exempris recitatur de Sanctis Diœceſis. Sic in oppido *de Conſuegra*, quod eſt aliorum tredecim locorum, quæ Ordini S. Ioannis ſubjiciuntur, qui exiſtunt intra limites Diœceſis Toletanæ, recitatur de Sanctis propriis eius Diœceſis Hiſpalenſis recitatur in locis, & Eccleſiis exemptis, quæ in Diœceſi ſunt, vt in Territorio S. Ioannis Dacle, in Oppidis *de Lora, Tocina, Alcolea, Caſtilleja de la Cueſta*. Et idem de pluribus aliis locis poſſem in medium producere.

117 Quòd ſi in aliquibus ex illis non recitetur, poteſt denuò recitari, quia priuilegium non amittitur per non vſum, ſi hi, qui erant eo potituri, illud ignorabant, vel non habebant voluntatem poſitiuam non fruendi illo; nam, vt vſus priuilegij amittatur, requiritur, quòd non ignoretur, & ſimul quòd detur voluntas poſitiua non potiendi illo, vt docet Miranda *in manual. tract.* 2. *quæſt.* 46. *art.* 8. & prætereà vt vſus priuilegij conceſſi Monaſterio, aut Eccleſiæ amittatur, opus eſt, vt centum anni intercedant, iuxta priuilegium ab Eugenio IV. conceſſum Monaſterio S. Pauli extra muros Romæ, quòd Religiones Militares communicat; & aliæ gaudentes communi-

catione priuilegiorum. Ita tenent Portel *in dub. Regul. verbo, praſcribere, num.* 2. Hieronymus Rodriguez, *in quibus reſol.* 115. *num.* 5. Non autem interceſſerunt adhuc centum anni a priuilegij conceſſione facta à Gregorio XIII. anno 1573.

118 Cæterum ſi Territorium Ordinis Militaris ita ſit circumſcriptum, vt non jaceat intra limites alicuius Diœceſis, imò per varia confinia diuerſas æquè Diœceſes pertingat, (vt cernere eſt in Prioratu Magacelæ Ordinis de Alcantara,) non poterit recitari de Sanctis Diœceſis, cum intra limites nullius exiſtat; & aliundè eſſet abſonum, & abſque fundamento, quòd recitaretur de Sanctis omnium Diœceſum, quas hinc indè per extremos terminos contingit; nec priuilegium Gregorianum ei poteſt aptari.

119 Iam verò è conuerſo videndum eſt, an poſſint Officia diuina celebrari in Diœceſibus de Sanctis propriis locorum, & Eccleſiarum, quæ ſunt exemptæ, & in ſpeciali propriis Eccleſiarum, quæ Ordinibus ſubſtant? In primis non eſt ſermo de Sanctis, de quibus Clerici Fratres Calatrauæ, & Alcantaræ viuentes B. euiario Benedictino recitant, ratione Ordinum, & quà Regulares illorum ſunt; De his enim certum eſt, non fore recitandum in Diœceſi, imò nec à Clericis ſæcularibus exiſtentibus intra ipſum Territorium Ordinum. Omnes enim ſacræ Religiones habent Feſta propria, de quibus in ipſa recitatur, & non extenditur facultas recitandi ad exteinos, aliàs nec dies anni ſufficerent, vt quis de omnibus eis Sanctis recitaret; Nam v.g. Salmanticæ, vbi innumera ſunt diuerſarum Religionum Monaſteria exempta, & in ſingulis de Sanctis propriis recitatur, ſi ſimul quis de omnibus illis foret recitaturus, non inueniret dies vacantes, qui ſufficerent. Ordines ergo Militares ſua etiam Calendaria habent, quæ in ipſis libris Definitionum extant, & prætereà in prædicto Breuiario plures adhuc Sancti ſuperadduntur, de quibus hoc dubium ventilari nequit; ſed de Sanctis, qui nati, aut vita functi, vel Dignitatem obtinuerunt in Territoriis Ordinum; & ob aliquam ex his rationibus, de eis recitatur in prædictis Territoriis.

120 Affirmatiuam ergo ſententiam defendit P. Quintanadueñas *tom.* 2. *ſingular. tract.* 2. *ſing.* 5. Probat primò vtendo eiſdem ferè rationibus, quas pro primo attulimus aſſerto, quæ æquè hîc militant; ac ſimul argumento deſumpto à contrario; quippè loca exempta intra limites Diœceſis ſita poſſunt vti priuilegio recitandi de Sanctis Diœceſis, ergo in cæteris locis Diœceſis poterit recitari de Sanctis Territorij exempti. Hæc ratio eatenùs probat aſſumptu, quatenus aptanturſ undamẽtá iacta vtrique caſuinon verò probat ex vi formæ; Nam hæc propoſitio eſt vera; In Monaſteriis exemptis poteſt recitari de Patrono Diœceſis cum Octaua, & de Sanctis Diœceſis; ergo in Diœceſi poteſt recitari de Patronis Monaſteriorum cum Octaua, & de Sanctis illorum; falſa eſt illatio; ergo ratione formæ non eſt rectum argumentum ſemper à contrario ſenſu; tunc ſcilicèt, quando non ſunt extrema paria, vt non ſunt in ratiocinatione. Etenim rationi conſonum eſt, vt minor pars conformetur maiori parti, & ſingula membra corpori; quod è conuerſo non eſt æquum. Demùm probat à ſolitis, afferendo plures Sanctos, qui ſunt proprij locorum exemptorum, & de illis recitatur in Diœceſi.

Hæc ſententia mihi ſanè probatur ex dictis *ſuperius*; Etenim loca exempta intra limites Diœceſis ſita vnam conſtituunt cum ea Prouinciam; in celebratione autem eiuſmodi Sanctorum attenditur ad eam Prouinciam, quam ipſi ſua natiuitate, vita, morte, aut munere illuſtrarunt. Sed non mihi probatur P. Quintanadueñas aſſerens *eodem ſingular. num.* 4. caſu quo loca exempta attingant limites duarum, vel trium Diœceſum, eam Diœceſem recitaturam eſſe de Sanctis Territorij exempti; quæ ſit velut Metropolitana ſedes; & è contra in Territorio exempto recitandum fore de Sanctis eius Diœceſis, vocat autem Metropolim, eam, cuius Epiſcopus iuxta Tridentinum *ſeſſ.* 7. *de reform. cap.* 8. *&* 14. *& ſeſſ.* 21. *cap.* 8. tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatus poteſt viſitare ea loca exempta, ad eumque pertinent aliquæ cauſæ illorum. Verùm in ſuperioribus, præcipuè *diſquiſ.* 2. *&* 7. oſtendimus, eſſe Territoria Ordinum Militarium, ad quæ viſitanda Epiſcopi iuriſdictio nullatenùs ſe extendit, nec ad eum vllæ cauſæ illorum pertinent, expoſuimuſque Tridentinum, atque authoritate hoc prolatum firmauimus. Vnde in hoc euentu territoria attingentia limites plurium Diœceſum non reſpiciunt vllam, vt ſedem Metropolitanam; atque adeò nec vlla poterit recitare de Sanctis propriis eiuſmodi Territorij exempti, nec omnes poterunt ſimul; non primum, quia non eſt major ratio de vna, quàm de alia; Non ſecundum, quia ad id fatetur P. Quintanadueñas; & ex terminis conſtat priuilegium recitandi conceſſum pro Diœceſi non fore 121

fore extendendum ad plures Diœceſes. Indè etiam *ſuprà* aſſeruimus, ipſum Territorium exemptum, quod eſt extra limites Diœceſum, veluti ſeparatum, & plures attiugit, non poſſe gaudere priuilegio recitandi de Sanctis alicuius ex illis; Etenim nec de omnibus poteſt; nec major eſt ratio de vna, quàm de alia. Quòd ſi Territoria exempta ſint eiuſmodi, vt in aliquibus ſubjaceant Epiſcopo, v. g. Vicaria *de Martos* Ordinis Calatrauenſis Epiſcopo Gienneuſi, & alia ſi quæ ſunt eiuſmodi, tunc doctrina Patris Quintanadueñas eſt teuenda, quamvis illa Territoria attingant plures Diœceſes, nam attendendum dũtaxàt eſt ad illam, cui in aliquibus Territoria ſubduntur, vt ad inuicem poſſit de propriis Sanctis recitari. Obſerua in præſenti, non dici vnam Prouinciam in ordine ad recitandum de Sauctis Naturalibus, illam, quæ etſi vicina alteri ſit, diuerſum tamen Territorium, aut Diœceſim conſtituit; Sicut Valliſoletana, & Palentina Diœceſis inter ſe; Salmantina, Ciuitatenſis, Zamorenſis, Valliſoletana, ac Abulenſis valdè conjunctæ ſunt; nequit tamen ex ſe de Saucto Naturali vnius in alia recitari. Sic nec de Sancto Naturali Territorio de Alcantara, v. g. de S. Petro de Alcantara, poteſt recitari in Territorio de Magacela; Quia licet ea Territoria ſint ſub eodem Ordine Militari, tamen inter ſe ſunt diuiſa, & ſuis limitibus, ac Prælatis circumſcripta. Idem dicito de Territoriis de Veles, & S. Marci Legionenſis, ac ſimilibus, & ſicut potuerunt Ordines Militares duos Prioratus ſub vno ſolùm conſtituere, ita duæ Diœceſes valuerunt ſub vna conſtitui, & nihilominùs de Sãcto vnius Diœceſis nequit in alia recitari.

122 An verò quælibet Eccleſia Hiſpaniæ poſſit cum Miſſa, & Officio celebrare de Sanctis Naturalibus ſuarum Diœceſum, abſque noua facultate, & conſultatione Sedis Apoſtolicæ, aut Sacræ Rituum Congregationis? Et an de his Sanctis poſſint Officia diuina peragere, ſi dumtaxàt ſint Beatificati? Vel ſi neque in Kalendario, neque in Martyrologio Romano ſint adſcripti? Aut, ſi nullum extet Canonizationis eorum indultum? Et quinam Sancti dicendi ſint Naturales Diœceſum; & quonam Ritu ſint celebrandi? Plnraque huiuſmodi alia, quamvis affinia dubiis præcedentibus, tamen communia ſunt omnibus; nec vacat ea exponere; latè de his egit idem P. Antonius de Quintanadueñas *tom. 1. ſingular. tract. 7. ex ſingulari 9. vſque ad ſingulare 26.*

Cæterùm de Sanctis, quorum Reliquiæ 123
inſignes ſunt in aliqua Eccleſia Diœceſis, non poteſt recitari, nec celebrari in locis exemptis, nec è conuerſo; etiam ſi ea loca ſint intra limites Diœceſis. De his enim (ſi aliundè in Kaleudario non extent, nec generaliter de illis recitetur, nec Hiſpani ſint,) non valet recitari, niſi in Eccleſia, ſeu Monaſterio in quibus requieſcunt. Sic decreuit, annuente Vrbano VIII. Sacra Rituum Congregatio die 8. Aprilis, anno 1628. Quod Decretum in Breuiariis nouis præfigitur, & illud afferunt Barboſa *de offic. Paroch. cap.* 10. *num.* 17. Gauantus *in Rubr. Breuiar. ſec.* 3. *cap.* 3. *num.* 5. Id ipſum priùs decreuit Congregatio die 25. Nouembris, anno 1602. & die 24. Septembris, anno 1605. & die 23. Iunij anno 1617. Quę Decreta affert Nuuarius *in Lucerna, verbo, officium, n.* 7. Id autem eſt verum, quamvis Reliquia inſiguis ſit in Eccleſia Cathedrali, Collegiata, aut Matrice; Quod etiam declarauit Sacra Rituum Congregatio die 1. Septembris, anno 1615. & die 3. Iunij 1617. & die 2. Martij, anno 1618. Quòd ſi in aliquibus Oppidis, aut Diœceſibus celebretur de Sanctis non Hiſpanis, quorum Reliquiæ inſignes extant in Eccleſia Cathedrali, vt contingit in hac Diœceſi Salmantina, id non præſtatur ex eo priuilegio Gregorij XIII. ſed ex conſuetudine, aut ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ indulto. At, ſi Sancti ſint Hiſpani, & Reliquiæ inſignes extent in aliqua Eccleſia Diœceſis, poſſe in tota Diœceſi de illis Sanctis recitari, ſatis liquet ex Bulla Gregorij, ſi attentè expenditur; Ea autem affertur in Breuiario ante Feſta Sanctorum Hiſpanorum. Obſeruo tamen, valdè communem eſſe opinionem cenſentem, poſſe in loco, vbi extat Eccleſia Cathedralis, ſeu Matrix, recitari de omnibus Sanctis, de quibus in ea recitatur; quòd extra ipſum locum non extenditur.

Obſeruandum abſolutè eſt primò, poſſe 124
recitare, & celebrare de Sanctis, quorum Reliquiæ inſignes ſunt in aliqua Eccleſia, v. g in Cathedrali, omnes, qui ad eam Eccleſiam attinent, ſcilicèt Dignitates, Canonicos; Portionarios, & quicumque in ea Capellaniam obtinent. Et hi quidem (idem dicito de Religioſis Monaſteriorum) ſi extra oppidum, in quo domicilium habent, verſentur, poterunt recitare de Sanctis ſuæ Diœceſis, & de Sanctis, quorum Reliquiæ inſignes in ſua Eccleſia, aut Monaſterio aſſeruantur. E conuerſo Clerici, aut Regulares aduenæ, ſeu peregrini poterunt

terunt celebrare in Eccleſia ſæculari, aut Regulari de Sanctis, de quibus in ea celebratur. Obſeruandum eſt ſecundò, vt in Eccleſia celebretur de aliquo Sancto ob inſignem Reliquiam, non eſſe neceſſariam, eam intra ipſam Eccleſiam aſſeruari, ſed ſatis eſſe, ſi intra Monaſterium, aut in aliqua Capella Eccleſiæ annexa cuſtodiatur.

125 Obſeruandum eſt tertiò non poſſe Prælatos Ordinum Militarium (ſicut nec vllos alios) ſpecialia Officia condere de Sanctis propriis, ſed vtendum fore communi Officio in Breuiario præfixo, niſi authoritate Sedis Apoſtolicæ Officium ſpeciale confirmetur; quidquid in contrarium dicat Emanuel Rodriguez *tom. 1. qq. Regular. quæſt. 42. art. 21.* docens, poſſe Religiones vti Officiis non approbatis à Sede Apoſtolica, dummodò digna ſint, vt approbentur, vel Religiones eis vtantur, animo obtinendi eam approbationem. Etenim oppoſitum ſtatuit Pius V. in Bulla edita anno 1568. quæ in Breuiariis præfigitur. Idem decreuit, approbante Vrbano VIII. Sacra Rituum Congregatio; quod decretum in aliquibus Breuiariis extat, & eius meminère Barboſa *de offic. Parochi, cap. 10. num. 12.* Gauantus *in Breuiar. ſect. 1. c. 5. tit. 2. num. 9.* Quòd ſi Apoſtolica Sedes Officium aliquod approbauerit pro vna Diœceſi, & in alia de Sancto, cuius eſt illud Officium, recitetur, poterit id ipſum Officium in ea perſolui, cum abſolutè per eam approbationem illud Officium iudicatum fuerit omni ſuſpicione falſi carens, aliàs nec pro vna Diœceſi fuiſſet approbatum; finis autem approbationis impetrandæ is eſt, vt nihil in Eccleſia permittatur, quod aliquam falſi ſuſpicionem ſubire queat. Id docet P. Layman *lib. 4. ſummæ cap. 5. num. 6.* Videantur alia apud Bonacinam *de Horis Canonicis*; Guillelmum Durantum *de Ritibus.* Barboſam, Quintanadueñas, Gauantum, relatos, & plures alios paſſim.

QVÆSTIO XI.

An liceat Regularibus Militiarum vti Altari portatili? Vbi de receptione Euchariſtiæ, & de aliis.

126 AB hoc vltimo incipiendo, vt gradum indè ad primum faciamus, iam *in ſuperioribus* oſtendimus; deſignatum eſſe in Statutis & Definitionibus Ordinum Militarium, quibus diebus per annum Regulares Sacram Communionem ſumere teneantur. Et quamvis ad Equites ſpecialiter eæ Ordinationes tendant, non propterea Clerici Fratres eam euadunt obligationem; cum ſupponatur, illos, qui Sacerdotes ſunt, vel quotidie, vel frequenter, aut ſaltem diebus Feſtis, ſi impedimentum non adſit, fore celebraturos Sacrum; Eos verò, qui Sacerdotes non ſunt, vtpotè intra Communitatem degentes, cuius auſterior eſt diſciplinæ ratio, ſæpè fore communicaturos, cum Communio ſacra adeò ſit opportuna, ac neceſſaria ad ſpiritum promouendum, & acquirendas virtutes; Et ſanè in omnibus aliis Religionibus hi; qui Sacerdotes non ſunt, octauo quoque die communiter ad Euchariſtiam ſuſcipiendam accedunt, præter alia Feſta ſolemniora, in quibus idem præſtant; & idipſum competit prædictis Clericis Fratribus Militiarum, qui Sacerdotes non ſunt.

Et ſanè Militares omnes, qui Regulam Sancti Benedicti profitentur, frequentiam, & vſum Communicationis Euchariſtiæ apud eam reperient. In Concilio Viennenſi Clemens V. ſtatuit, vt Benedictini ſaltem ſingulis menſibus, prima illorum Dominica, ſacro Euchariſtiæ pabulo reficerentur. Quin ſingulis Dominicis Monachos quondam communicare fuiſſe ſolitos, ſcribunt Palladius *in Lauſiac. capit. 55.* Caſſianus *collation. 23. cap. 21.* Sanctus Damaſcenus *in hiſtor. Barlaam, cap. 12.* Aliqui etiam exilis ex regula omnibus Sabbatis, & Dominicis ad Chriſti Communionem accedebant, vt refert Euagrius *in vitis Patr. lib. 1.* Adhuc nonnulli ritum primitiuum Eccleſiæ ſectantes quotidie cibum percipiebant diuinum, teſtante Ruffino de Apollonio *in vitis Patr. lib. 2. cap. 7.* 127

Hinc etiam Benedictinos Monachos ad ſacram menſam ſingulis diebus acceſſiſſe ex variis locis ipſius Regulæ ſancti Benedicti colligunt Fr. Antonius Perez *in Regul. cap. 48. num. 12.* Benedictus Haëftenus *in in diſquiſitionibus Monaſticis, lib. 3. tract. 7. diſquiſition. 3.* qui affert authoritatem Sancti Gregorij, Sancti Dunſtani, & Ioannis Belethi id confirmantium; quorum vltimus *in explication. Diuin. Officij cap. 119.* inquit; *Debent autem ſingulis diebus Religioſi communicare.* Hinc Benedictus Haëftenus laudat Patrem Didacum Laynez, ſecundum Societatis IESV Præpoſitum Generalem, in Concilio Tridentino Theologum celeberrimum, quòd introduxerit conſuetudinem communicandi quotidie in 128

Monaſterio

Monaſterio Monialium Florentino, *Angelorum* nuncupato. Prætereà Hugo Menardus in Sacramentario D. Gregorij ex Rubricis Miſſalis Manuſcripti S. Eligij hæc affert; *In ferta ſexta ſumit de ſancta Pontifex, & ponit in calice nihil dicens, & communicant omnes cum ſilentio.* In Germania introductum eſſe communicare more laïcali feria ſexta Paraſceues, tradunt chariſſimus meus conſobrinus P. Rodericus de Arriaga *in 3. p. diſp.* 54. *ſect.* 2. *n.* 13. P. Dicaſtillo *tract.* 5. *diſp.* 4. *dub.* 2. P. Tannerus *tom.* 4. *diſp.* 5. *quæſt.* 10. *dub.* 4. *num.* 57.

129 Quin Monachos Benedictinos Sacram cõmunionem recipere ipſa Feria ſexta Paraſceues, extat in ceremoniis cõgregationis Benedictinæ antiquæ Valliſoletanæ, *c.* 30. Statuit deindè id Sanctus Dunſtanus *in Statut. c.* 3. Confirmant Lanſfrancus *in Decret. c.* 1. §. 4. Boërius *ad c.* 63. *Regul.* Burſfeldenſis *diction. c.* 35. Quem morem olim in Eccleſia fuiſſe obſeruatum, tradunt Amalarius *lib.* 1. *de Eccleſ. offic. c.* 11. Belethus *in explication. diuin. offic. c.* 99. Guillelmus Durandus *lib.* 6. *c.* 75. *n.* 9. Pamelius *in Liturgia Latina*; Alcuinus *de Offic. Diuin. in Paraſceue cap.* 18. Theodolphus, Epiſcopus Aurelianenſis *in epiſtol. ad Compresbyteros*; P. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. diſputation.* 90. *ſection.* 2. Ex his orta eſt quæſtio, an liceat fidelibus eo die Paraſceues ſacram ſumere Synaxim? Negat Frãcolinus *de temp. horar. canonic. c.* 30. eo quòd in Miſſali Romano præſcribitur, ſeruandam eſſe vnam, vel plures hoſtias conſecratas in loco decenti pro infirmis, ad eum diem; Vbi innuitur, aliis non licere communicare; Et *in cap. Sabbato, de conſecration. diſt.* 3. injungitur, illo die Sacramenta penitùs non celebrari. Sed P. Suarez *vbi ſuprà*, & alij poſt ipſum tenent, id non eſſe prohibitum, cum nullum ius prohibens extet; ſiquidem in Miſſali non aſſeritur, Cõmunionem aliis, niſi infirmis, non fore miniſtrandam, ſed dumtaxàt apponitur cauſa maximè neceſſaria, vt Euchariſtia ſeruetur, ne infirmi abſque illius ſuſceptione decedant; Et prætereà *in eo capit. Sabbatho*, prohibetur celebrari Sacramenta; non autem eſt, ea celebrari, miniſtrari Euchariſtiam. Vnde independenter à noua lege prohibente, ea miniſtratio licet.

130 Nihilominùs Sacra Rituum Congregatio die 19. Februarij, anno 1622. apud Gauantum *Comment. Rubric. Miſſ. part.* 4. *titul.* 9. *num.* 25. decreuit præſentem vniuerſalis Eccleſiæ conſuetudinem eſſe, non miniſtrare die Paraſceues Euchariſtiam, niſi infirmis, eamque fore ſeruandam. Quod decretum an Monachos Benedictinos comprehendat, noluit decidere Haëftenus *vbi ſuprà*, ſed aliorum iudicio reliquit, optans, quòd Sacra Congregatio conſulatur. Videatur P. Enao *tom.* 1. *de ſacrificio Miſſæ*, Latè hanc quæſtionem diſcutiens *diſputation.* 20. *ſection.* 4. *ex numero* 39. Vbi me refert, *numero quadrageſimo primo.*

Dicta adhuc ob oculos ſatis proponunt 131 Regularibus Militiarum, quæ ſub Regula Sancti Benedicti degunt, quàm frequenter debeant ad ſacram Euchariſtiam accedere, vt veſtigiis Benedictinorum inſiſtant. Et quamvis Equitibus qui valdè immiſcentur negotiis temporalibus, non ſit expediens aſſidua adeò Communio, illique arbitrium docti, & prudentis Confeſſarij debeant ſequi, vt majori cum reuerentia ad ſacram menſam accedant; alij quidem frequentiùs aliis, pro vitæ, ſtatus, & muneris circunſtantiis; tamen nullus ex eis debet nimiùm Communionem differre, nec ſolùm communicare diebus ſtatutis in Definitionibus. Meminerint ſui ſtatus, & ſe per ingreſſum in Ordines, ac per Profeſſionem, Deo ſpecialiter fuiſſe mancipatos; atque ab aliis, vita, moribus, & frequentia Sacramentorum fore diſcriminandos; Aliàs quid ſe Religioſos jactant, & priuilegia Regularium affectant? Hæc ſtrictiùs vrgent Clericos Fratres, maximè intra Communitatem degentes, qui, iuxta inſtitutum, arctiorem vitæ diſciplinam ſectantur. Et crediderim, indè Apoſtolicam Sedem indulſiſſe illis vſum Oratorij, & Altaris portatilis (de quibus illicò agam) vt expeditiùs, ac frequentiùs ſacro Euchariſtiæ pabulo reficerentur, quin ob ægritudines, aut alia impedimenta, excuſationem abſtinendi à Communione prætenderent.

Igitur Leo X. in Bulla, quæ aſſeruatur in Monaſterio Sancti Iacobi de Vcles, 132 & incipit *Religionis zelus*, expedita ſextò Calendas Iunij, anno milleſimo ſexcenteſimo decimo quarto, conceſſit Regularibus Iacobæis nobilibus, ſeu Presbyteris, gradu inſignitis intra Monaſteria de Vcles, & Sancti Marci Legionenſis degentibus, vt poſſent vti Altari portatili, pro qualitate negotiorum, ac ſine præjudicio iuris alieni, & ante diluculum circa diurnam lucem, (id tamen parcè) celebrare; omnia etiã Monaſteria Militaria poſſunt interius Oratorium extruere, vt qui Eccleſiam nequeũt adire, celebrent, vel majoris deuotionis cauſa, aut ob quamlibet aliam; Quod Priuilegium eis competit ex cõmunicatione, qua gaudent

gaudent, priuilegiorum cum aliis Religionibus, queis id ipſum licet; & Societati IESV id cõceſſit Gregorius XIII. anno 1576. vt extat in Bullario Societatis, *pagin.* 143. nec opus eſt, ab Ordinariis approbari hæc Oratoria, ſed à Prouincialibus, vt Gregorius indulget, non obſtante Decreto Concilij Tridentini *de obſeruandis, & euitandis in celebratione Miſſæ, ſeſſion.* 22. Quin ex participatione priuilegiorum Ordinis Ciſtercienſis, & aliarum Religionum, poſſunt Monaſteria Militarium in ſuis villis, ſeu grangiis erigere Oratoria; quod ab omnibus Religionibus poſſe præſtari, docent Diana, & Lezana, quos ſequitur Domin. Vrritigoyti *in Paſtorali Regular. part.* 2. *quæſtion.* 15. *ex num. quarto*, Paſqualigus, Villalobos, vterque Rodriguez, & Pater Fagundez, quos refert, & ſequitur Pater Quintanaduc̃nas afferẽs plures Bullas Pontificũ *to. 1. ſingul. tract. 8. ſingul. 34. & in appẽd. tractat. 1. dub.* 7. Et ſanè prædia Monaſterij ſub nomine Monaſterij comprehenduntur, Equitibus autem Iacobæis, vbi quatuor, aut plures eſſent, conceſſit Alexander III. in Bulla Confirmationis Ordinis, quod poſſent Oratorium habere, & tempore interdicti facere celebrari.

133 Altaris portatilis vſus, nempè aræ conſecratæ, cum qua intra Monaſteria prædicta Altare extruatur, ſupra quod Miſſa celebretur, conceditur à prædicto Leone Decimo. Vndè ſi cubiculum Fratris ægrotantis ſit decens, poterit in eo Altare componi, & Miſſa celebrari ab ipſo, ſi inde exire nequeat ad celebrandum, vel ab alio, vt æger eam audiat, & ſacram Euchariſtiam pro deuotione, aut neceſſitate ſumat. Vſum Altaris portatilis conceſſit Sixtus Quartus Fratribus minoribus, vt extat *in Monument. Ordin. conceſſione* 344. indulgens, vt non ſolùm in Oratoriis, ſed in quovis loco congruenti, & honeſto, poſſint ſuper Altare portatile Miſſas celebrare. Idipſum eiſdem conceſſit Alexander VI. vt continetur *ibidem conceſſion.* 371. Societati IESV conceſſit etiam Gregorius XIII. vt habetur *in Compendio priuilegiorum Societatis, verbo, Altare*; quod non obſtante Deciſione Concilij Tridentini *eo Decreto allato ſuprà*, & in Miſſionibus & in Caſtris Militum, in loco tuto, & honeſto, quamvis ſit profanus, poſſint Religioſi ipſius Societatis Miſſas ſuper Altare portatile celebrare, ibique miniſtrare Euchariſtiã fidelibus. Emanuël Rodriguez *tom. 1. qq. Regular. quæſtion* 43. *artic.* 5. oſtendit, priuilegia relata Minoritis conceſſa, non fuiſſe per Tridentinum reuocata.

Prætereà Altaris portatilis vſum conceſſit Vrbanus V. Carthuſianis anno 1363. Alexander VI. Prædicatoribus; vt refert Barboſa *in ſumma Apoſtolic. Deciſ. collectan.* 2·. *num.* 3. Hinc cum Regulares Militiarum communicent priuilegia omnium Religionum, iuxta dicta *diſquiſ.* 2. etiam poterunt vti altari portatili, vbi caſus neceſſitatis, aut ingentis vtilitatis occurrat; nec enim ea priuilegia indulgentur, niſi ad hos caſus; id rerum natura, & ratione ipſa dictantibus, cum alienum ſit à Pontificum mente, anſam præbere indecentiis, & contemptui, quæ poſſent conſurgere ex celebratione ſuper altari portatili abſque neceſſitate, ſeu graui vtilitate; aliàs poſſet ex vi priuilegij paſſim in agro, in compitis, & plateis, atque in qualibet domo celebrari; quod abſonum eſt, & omninò improbabile. Aliundè etiam poſſunt Clerici Fratres Militares Calatrauæ, Alcantaræ, Monteſæ, & Chriſti, intra communitatem decentes vti altari portatili; nam gaudent priuilegiis Ciſtercienſium, iuxta ſæpè dicta; Ciſtercienſes autem intra ſua Monaſteria Altari portatili vtuntur; nempè cum ægrotant, maximè Abbates, & Viri inſignioris notæ, (ne reſpectu omnium id paſſim fiat) Altare in eorum cameris extruitur, in quo Miſſa celebratur. Quod in Monaſteriis Militaribus etiam poteſt fieri, ſeruata proportione; Nec enim par eſt, vt in cuiuſlibet ægrotantis cubiculo ſtatim Altare extruatur, niſi ſit vir ex primoribus; Non tamen indecens erit, quòd inſtante morte, ſi inde ſpeciale ſolatium proueniat moribundo, vna vel alia Miſſa ante ipſum celebretur, & ibi Viaticum ipſe recipiat. 134

Non tamen licebit Clericis Fratribus extra Communitatem degentibus, nec Equitibus Militiarum Sacerdotibus, habere Oratorium, aut vti altari portatili. Etenim reſpectu Iacobæorum priuilegium Leonis X. ſolùm loquitur de his, qui in Monaſteriis de Vcles, ac S. Marci verſantur; cum enim in adminiſtratione Munerum, aut Beneficiorum degunt, nec reputantur, nec ſunt è Monaſteriis, ſiquidem Prioribus, vt Prælatis Regularibus Monaſteriorum, non ſubjiciuntur. Aliundè nec ex communicatione priuilegiorum ipſis id licet. Primò ob abſurdum; nam quis auderet dicere, omnes Equites Militiarum, quotquot ſunt, & omnes Clericos Fratres poſſe habere Oratorium, omneſque ex Militiis Sacerdotes valere vti Altari portatili? Nihil magis contrarium menti Pontificum. Secundò, quia id priuilegium conceditur 135

conceditur Religionibus prædictis, ita vt approbatio, & licentia Superiorum præcedat,& ſubditi vtantur altari portatili,cum Superioribus expedire videbitur, ac dum ſunt ſub eorum immediata obedientia, regulariter intra Clauſtra degentes; Oratorium verò ſolùm intra Monaſteria conceditur. Clerici autem Fratres (& à fortiori Equites) non degunt intra Clauſtra in caſu poſito, nec Obedientiam Prioribus profitentur, ſed ſolùm Regi, & Senatui Ordinum, qui ſolùm de regimine generali curant, nec ad quamvis in ſpeciali, vt Priores ad ſubditos, attendere valent; quare non eſt æquiparatio (quæ reperiri debebat) vt hi poſſint Altari portatili vti.

136 Imò nec Senatus Ordinum poteſt eis concedere facultatem, vt Oratoria in priuatis domibus habeant; id enim priuilegium reſpectu Monaſteriorum dumtaxàt eſt conceſſum. Poterit tamen approbare in aliquibus caſibus, vt Altari portatili vtantur Fratres Clerici; nempè ſi in bello aſſiſtant ad Sacramenta miniſtranda;tunc enim priuilegium Societatis Ieſu eis communicabitur conceſſum ad ſimilem euentum; aut in alio caſu, in quo Superiores Religionum concederent ſubditis vſum Altaris portatilis. Quin P. Suarez *in 3. part. diſputation.* 81. *ſection.* 2. Emanuël Rodriguez *vbi ſuprà articul.* 6. cenſent, per Tridentinum non eſſe ablatam Epiſcopis poteſtatem concedendi licentiam, vt in aliquo caſu neceſſitatis ſuper altare portatile celebretur Miſſa in loco honeſto. Vnde cum id ipſum competat Prioribus Militaribus iuriſdictione quaſi Epiſcopali in territorio gaudentibus, iuxta dicta *diſquiſition. ſeptima*, poterunt illi hanc licentiam præbere cuilibet Sacerdoti ſubdito, etiam ſæculari, vt adhuc extra Monaſterium in caſu neceſſitatis celebret ſuper Altare portatile. Deinde aduertit idem Suarez *vbi nuper, diſputat.* 80. *ſection.* 3. *in fin.* priuilegium Oratorij conceſſum Societati non reſtringi ad Sacerdotes Societatis, qui in eo Miſſam celebrent, ſed poſſe quoſcumque Sacerdotes in eo celebrare; quia non dirigitur ad ſolas perſonas ſacrificantes, ſed ad locum, & ad Prouincialem, qui illud approbet. Quod aptandum eſt Religionibus communicantibus id priuilegium. In Monaſterijs autem Militaribus Priores vices Prouincialium gerunt quoad hoc; maximè cum in Ordine Ciſterciensi Abbatibus incumbat approbare Oratoria intra Monaſteria; Priores autem ſunt quidam Abbates Militares in Ordinibus Calatrauæ, Alcantaræ, & alijs ſub Inſtituto Ciſtercienſi erectis.

Circa priuilegium celebrandi Miſſam 137 ante auroram Iacobæis conceſſum, obſerua, ſimile priuilegium in caſibus neceſſitatis, Superiorum arbitrio, conceſſum eſſe abſque temporis, & horarum limitatione, Fratribus Minoribus, iuxta Emanuëlem Rodriguez *vbi ſuprà articul.* 3. Cæterùm Lezana *in ſumm. qq. Regular. tom.* 1. *cap.* 21. Congregationis Concilij declarationem affert reuocantem priuilegia conceſſa ante Tridentinum celebrandi ante diem, quæ etiam Iacobæos comprehendit; Attamen Rodriguez, qui forſan eam Declarationem non vidit, non eſſe reuocata ea priuilegia, docet *art.* 5. Gregorius XIII. conceſſit Presbyteris Societatis, vt extat *in Compendio priuileg. verbo, Miſſa,* §. 3. vt ratione itineris, aut alterius legitimi impedimenti poſſint de licentia Superioris Miſſam celebrare vna hora poſt meridiem, & alia hora ante auroram. Dixi autem *tom. in Bullam Cruciatæ, diſputation.* 37. *num.* 98. abſque priuilegio licere, Miſſam celebrari, incipiente Aurora, ſeu primo crepuſculo diei, quod plùs, minuſvè eſt hora, & dimidia ante ortum Solis; Vnde ex vi huius priuilegij poterit Miſſa celebrari duabus horis, & dimidia ante Solis ortum. Et de communicatione huius priuilegij reſpectu Militarium eodem modo eſt philoſophandum, ac de priuilegijs antecedentibus. Epiſcopi ex cauſa poſſunt diſpenſare, vt ante auroram, & poſt meridiem Miſſa celebretur, vt cum communi docet Pater Suarez *ſuprà diſputat.* 80. *ſection.* 4. Quod pariter præſtare poterunt præfati Priores Militares, iuxta dicta.

Demùm à Leone X. conceditur prædi- 138 ctis Iacobæis, vt tempore interdicti celebrent, non pulſatis campanis, dum interdicto cauſam non dederint. Verùm id non eſt priuilegium poſt *ca. Alma mater, de ſentent. excommun. lib.* 6. interdicti enim tempore licet omnibus Clericis, qui cauſam non dederunt interdicto, celebrare Miſſam, & diuina Officia ſubmiſſa voce, ianuis clauſis, campanis non pulſatis, & eiectis excommunicatis; eſtò id olim rigidiùs ſe habuerit. Ibi autem eis conceditur, vt diuina Officia celebrare poſſint, & facere celebrari per alios tempore interdicti, adhuc in præſentia Familiarium; Et id etiam poſſunt hi Clerici Fratres, licèt non ſint Sacerdotes, dum tamen ſint Nobiles, & Gradu inſigniti; vt in Bulla præfata exprimitur. Plurima de interdicto, & de priuilegijs tum virtute Bullæ; tum priuilegiorum Regularium, Militaribus aptanda. Vide apud Me *tom. in Bullam Cruciatæ, diſput.* 15.

QVÆSTIO XII.

Exponuntur aliqua circa Victum, & ornatum Equitum, & Clericorũ Fratrum Ordinum Militarium. Vbi de eſu ouorum, & lacticiniorum tempore Quadrageſimæ?

139 PRo complemento huius diſquiſitionis aliqua nunc erunt præſtringenda. Sciendum eſt primò, in Statutis, & Definitionibus Ordinum Militarium cautum eſſe, ne Equites neceſſarijs deſtituantur, ſed quòd eis à Magiſtro alimenta ſuppeditentur. Et quidem abundantiùs illa præſtabantur in primo Ordinum exordio; tunc enim Equites militiæ intenti de rebus familiaribus non poterant ſollicitari, & niſi alerentur à Magiſtro, inopia premerẽtur hi, qui Cõmendas non habebant; Commendatarijs quippè nihil concedebatur, cum gauderent Commendarum redditibus. Succedente autem tempore, cum redditus menſæ Magiſtralis decreuiſſent, & Equites communiter ferè omnibus neceſſarijs ad victum abundarent, pariter alimenta ſunt imminuta, quæ his temporibus à noſtro Rege vt Adminiſtratore perpetuo Ordinum præſtantur, & nuncupantur *el pan, y agua*. Hæc taxata ſunt ſub determinata pecuniæ ſumma, quæ quotannis perſoluitur. In Definitionibus Calatrauæ *titul. 1. cap. 5.* deſignantur pro vnoquoque Equite duodecim mille teruntij ſingulis annis. In Definitionibus Alcantaræ *titul. 18. cap. 11. & 12.* cum olim deſignati fuiſſent viginti mille teruntij, ad triginta mille ſunt aucti. Sed poſtmodùm ſunt imminuti.

140 Hæc alimenta non tribuuntur Commendatarijs, nec Nouitijs. Et in Statutis Ordinis D. Iacobi *tit. 11. cap. 11.* decernitur, ea non conferri his, qui non oſtendant teſtimonium Viſitatorum Ordinis, qui iam ipſos viſitauerint. Ibidem *tit. 5. cap. 11.* ſtatuitur, Equitibus tempore probationis commorantibus in Monaſterio de Veles neceſſaria alimenta à Priore ſuppeditari in Refectorio, non tamen ſeorſim in cubilibus: Eis etiam, qui ad ipſum Monaſterium pœnitentiæ cauſa fuerint miſſi, dummodò non ſint Commendatarij, nec antecedenter tempore probationis, ſeu Nouitiatus illic verſati fuerint. Quare hi, dum pœnitentiæ cauſa in Monaſterio degerint, ſoluere tenentur pro rata in ſingulos annos quindecim mille teruntios pro alimentis; Idemque ſtabiliter de Clericis Fratribus habentibus Beneficia, qui in Monaſterio pœnitentiæ cauſa verſantur. Alimenta autem prædicta non ſunt ſoluenda à Magiſtro, ſeu Adminiſtratore Ordinum Clericis Fratribus Militiarum; nam hi vel in Monaſterijs degunt, aut in Collegijs, in quibus ſuſtentationi neceſſaria percipiunt; vel ſi extra Communitatem degant, Beneficia, aut Munera obtinent, ex quorum redditibus victitent. Quòd ſi aliqui ſint in Collegijs, qui proprijs expenſis aluntur, eo quòd ſupra numerum deſignatum Collegarum ſunt, & à Senatu Regio Ordinum licentiam impetrant ingrediendi in Collegia; hi ſanè ſponte ſua expenſas faciunt, nec Ordo, aut Magiſter ad eas tenetur, ſi quidem, ſi velint in Monaſterijs perſeuerare, nec adire Collegia, ibi neceſſaria percipiunt; quare ſumptus illi ſunt voluntarij, nec ab Ordine ſupplendi.

In Regula Ordinis D. Iacobi præſcripti ſunt cibi Religioſis omnibus ſuppeditandi, & ieiunia, quæ obſeruare debebant; ſed *ibi cap. 8.* adnotatur in margine, Innocentium VIII. diſpenſaſſe in hac regula, indeque non teneri Equites, nec Clericos Fratres, niſi ad ieiunia, ad quæ alij Fideles tenentur. In ipſis etiam Statutis *tit. 12. cap. 11.* præfigitur, quid poſſint edere Equites, ac Fratres Clerici, & quid hoſpitibus in ſua menſa præbere. Obſeruatione quidem digna, & decens moderatio, ſed per deſuetudinem abolita. In Definitionibus Calatrauæ in Inſtructione *pagin. 73. in fin. & titul. 2. cap. 1.* plurima ieiunia iniunguntur, de quibus adimplendis, video, non multùm curari. Crediderim, in deſuetudinem abijſſe; Et ſaltem non obligare ad culpam eas Definitiones conſtat ex *diſquiſit. 6. quæſt. 2.* Intra Monaſteria ægrotantibus omnia neceſſaria ſuppeditari, quin ad eorum leuamen aliquid deſideretur, valdè commendatur in Statutis, & Definitionibus ipſorum Ordinum; vbi etiam præfigitur eleemoſyna pauperibus eroganda; vrbanitas, & pietas erga hoſpites exercenda, & huiuſmodi alia, quæ non indigent diſcuſſione, ſed eorum lectitatione ſyncera. 141

Sciendum eſt ſecundò, Equites, & Fratres Clericos ſuum proprium Inſigne geſtaturos, etiam ſi extra Hiſpaniarum Regna verſentur, cum nunquam valeant ſuum Habitum dimittere, iuxta dicta *in ſuperioribus.* Cæterùm obſeruare oportet *in Codice additionum ad nouam Recopilationem, lib. 1. tit. 6. leg. 10.* præcipi, nullum in Regnis Hiſpaniarum natum, in eiſque commorantem, poſſe abſque Regis licentia afferre Habitum Militarem ex his, quos contulerunt exteri 142

teri Principes, excepto Habitu Ordinis Sancti Ioannis; Et ſecùs agentibus infligitur pœna pecuniaria, exilium, & inhabilitas ad Habitus Ordinum Militarium, qui Hiſpanorum ſunt proprij.

143 Sciendum eſt tertiò, Equites, & Clericos Fratres Militiarum, ſi Dignitates, aut Canonici ſint Eccleſiarum Cathedralium, ſeu Collegiatarum, non poſſe geſtare Inſigne ſui Ordinis ſupra togam Chori, Hiſpanè *Manto de Choro.* Sic enim deciſum eſt, teſte Barboſa *in ſumm. Apoſtolicar. deciſ. verbo Canonicus;* à Sacra Congregatione Rituum; in vna Toletana, die 2. Octobris, anno 1610. Et eam deciſionem affert Sellius *in ſelect. Canonic. c. 27. n. 52.*

144 Sciendum eſt quartò, in Statutis, ac Definitionibus Ordinum valdè commendari Equitibus decentiam in corporis ornatu, vt velut Equites honeſti, veſtitum geſtent. Verùm à cæteris ſæcularibus nullatenùs eos in ornatu diſcriminari, vſus, & conſuetudo obtinuerunt, nec exindè vllum conſurgit ſcandalum, quamvis, valdè deceret eos moderatio. Præterea Clericis Fratribus præſcribuntur afferendæ veſtes, & inter alias eis prohibentur ſericæ, in Statutis Iacobæis *titul. 6. cap. 7.* In Definitionibus Ordinis Calatrauæ *titul. 8. cap. 2.* & veſtium honeſtas deſignatur. In Definitionibus Alcantaræ *titul. 5. cap. 15. & titul. 12. cap. 3. num. 16.* Sanè, dum intra Communitatem degunt, id ſtrictè obſeruatur; Dum verò extra illam, ſericis veſtibus eos ornatos video; moueanturque ex eo quòd nunc temporis etiam Clerici honeſti decenter ſimilibus veſtimentis vtuntur; Nec Senatus Ordinum ægrè ferre videtur, Clericos Fratres ſericis veſtibus ornari. Quare eos licitè operari cenſuerim. Certum tamen eſt, ſi eſſent nimis elaboratæ, & auro, argentovè contextæ veſtes, quæ interiùs geſtantur, aut coloris indecentis reſpectu ſtatus ipſorum, peccatum fore lethale; cum ſtrictior diſciplinæ norma, quam ſequuntur, & Clericalis ſtatus maximè ab his veſtibus abhorreat, Indéque Religionis ſequeretur iactura; nec diſſimulari intùs ita valent, vt non cernantur, ingenerentque in aſpicientibus ſcandalum.

145 Sciendum eſt quintò, Clericos Fratres eam fore in capite comæ tonſuram geſtaturos; quam cæteri Clerici geſtant; eſtò Calatrauenſibus iniungatur in Definitionibus *titul. 8. cap. 2.* vt circulus aliquantò ſit maior, non tamen adeò ac ſolet eſſe, qui à Religioſis plurium Sacrorum Ordinum affertur Iacobæi quidem ex inſtitutione ſunt Canonici Regulares; Calatrauenſes autem, & Alcantarenſes ſunt Clerici Regulares Militares; in nullo autem Sacro Ordine Clericorum Regularium circulus in coma capitis affertur. Quin reſpectu Calatrauenſium, & Alcantarenſium, cum neſcio qui nimio zelo ducti, nec nimis Inſtituti Religioſi Clericalis, & Definitionum Ordinum gnari, mouiſſent Senatum Regium Ordinum, vt expediret Decretum, in quo præcepit prædictis Clericis Fratribus, vt comam circularem afferrent, die 11. Aprilis, anno 1641. Illic re attentius expenſa, ipſe Senatus Decretum illud reuocauit die 6. Iulij, anno 1641. & in poſteriori Decreto inſeruit ipſorum Ordinum Definitiones agêtes de cultu, & ornatu corporis, vt conſtaret, nihil in eis de coma circulari fuiſſe ſtabilitum. Plura in præſenti poſſem de habitu, & coma Clericorum, ac Monachorum afferre, ex Iure, & ex eruditiori diſciplina deprompta; ſed in his exornandis immorari, eſſet, à noſtro ſcopo deflectere, & approbare eorum morem; qui plus, quàm par eſſet, deferunt ornatui Iurium, ac Authorum pro ſingulis propoſitionibus, adhuc manifeſtis, agglomerationi, quod nec difficile eſt, nec nimis vtile. De veſtium, & comæ nimijs delicijs in Republica vitandis, non pauca ego dedi in meo libro Hiſpano, *Principe perfecto, y Miniſtros ajuſtados, documento 26. & 27.*

Sciendum eſt ſextò, quid aſſerendum ſit de eſu ouorum, & lacticiniorum tempore Quadrageſimali. Poſſe omnes Equites, ac Clericos Fratres, & Moniales Militiarum gaudere priuilegio Bullæ Cruciatæ quo ad veſcendum ouis, & lacticinijs, eo tempore, mihi eſt certum, & latè probaui *tom. in Bullam Cruciatæ, diſputat. 18. cap. 3.* necnon priuilegio veſcendi carnibus, diebus prohibitis, cum neceſſitas eſt dubia (nam ſi ſit certa, aut probabilis, poſſunt abſque priuilegio edi carnes illis diebus) de conſilio tamen vtriuſque medici, ſpiritualis, & corporalis. Quod priuilegium circa carnes, & medicorum conſilium expoſui *ibi diſp. 17.* 146

Prætereà *ea diſput. 18. ex numero 20.* docui, & ſtabiliui, Equites, aut Clericos Fratres Militiarum, ſi ſint Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, aut Prælati, non poſſe gaudere priuilegio Bullæ Cruciatæ communis viuorum, ad veſcendum ouis, & lacticinijs, tempore Quadrageſimali, nec ad edendum carnes, diebus prohibitis, in caſu prædicto. Vndè fit, nullum Priorem Militarem gauden 147

gaudentem iuriſdictione quaſi Epiſcopali in ſuo territorio, nec vllum alium ex Militiis, qui Prælatus ſit quoad forum externum ſæcularium ſubditorum, poſſe vti priuilegio Bullæ Cruciatæ ad veſcendum præfatis cibis. Qui autem ſint Prælati in Ordinibus Militaribus, diximus *diſquiſ.* 1[illegible]. Vbi obſerua, licèt Senatus Ordinum ſubeat vices Prælati, & ſit Superior ipſis Prælatis Militiarum, tamen ſinguli ex ſenatu Prælati non ſunt, ſed prout vnum conſtituunt Tribunal; quare ſingulis ſuffragatur Bullæ priuilegium ad veſcendum præfatis cibis prohibitis. Idem dicito de Aſſemblea Ordinis S. Ioannis, quod eſt etiam Tribunal aliquibus conſtans Equitibus eius Ordinis.

147 Leo X. in Bulla, quæ incipit, *Religionis zelus* expedita ſexto Kalendas Iunij, anno 1514. in fauorem Monaſteriorum S. Iacobi de Vcles, & S. Marci Legionenſis, Ordinis S. Iacobi, conceſſit Religioſis eiuſmodi Conuentuum, necnon familiaribus, & famulantibus, quòd poſſent de vtriuſque medici conſilio oua & butyrum, & alia lacticinia edere in Quadrageſima, & aliis diebus anni prohibitis ex jure, aut conſuetudine, vel ipſius Ordinis inſtituta. Familiarium nomine quoties hi in aliquo priuilegio præfiguntur, quinam intelligantur, expoſui *tom. in Bull. Cruciat. diſp.* 15. *num.* 10. nempè Commenſales, Adminiſtratores bonorum, & alij expenſis eius, cuius ſunt familiares, viuentes, dummodò miniſteriis proximis mancipentur; Et quidem in præſenti, cum priuilegium ad ipſa Monaſteria priuatiuè tendat, hi reputandi erunt familiares, qui in obſequio eorum occupantur, vt œconomi, & ſimiles.

148 Obſeruandumque eſt, id priuilegium non ſuſpendi, nec reuocari per clauſulam Bullæ Cruciatæ, in qua ſuſpenduntur omnia priuilegia ſimilia his; quæ in ipſa Bulla continentur, & prætereà reualidantur reſpectu eorum, qui Bullam accipiunt. Etenim, vt *loco relato, diſp.* 19. *num.* 37. probaui, per eam Bullæ clauſulam non ſuſpenduntur, nec reuocantur priuilegia conceſſa in fauorem Religionum, ſeu Monaſteriorum, quoad ipſos Religioſos. Quare non eſt opus Bullæ Cruciatæ Religioſis deſignatis in eo priuilegio, vt edant oua, & lacticinia. Quin Priores de Vcles, & ſancti Marci virtute illius priuilegij poterunt ea edere, licèt non poſſint virtute Bullæ Cruciatæ, iuxta dicta *num.* 146. Indigent autem ea Bulla ſeruitores, & domeſtici ſæculares in ea reuocantur eiuſmodi priuilegia. De hoc priuilegio Iacobæorum, videndus ſum *in ſtatera opinionum benignarum diſſ.* 14. *ex num.* 48.

Bullæ Leonis X. mentionem faciens 149
Cruz *in directorio Conſcientiæ, lib.* 6. *concl.* 2. *fol.* 37. aſſeruit priuilegium edendi oua, & lacticinia temporibus prohibitis in ea contentum communicari ab aliis Religionibus. Retulit opinionem, & verba huius Authoris Fr. Ioannes Enriquez *in quæſtionibus practicis, ſect.* 16. *quæſt.* 9. & videtur ei ſubſcribere. Penitùs ſanè improbandum eſt hoc profatum; Et mirum eſt, nullum Authorem fuiſſe, centum & quadraginta tribus annis elapſis (nam Leo X. expediuit illam Bullam anno 1514.) qui id dixerit, aut ſpeciem probabilitatis præſeferre exiſtimauerit; & hos Authores, tanquam rem certam, vno verbo, abſque fundamentorum ſolida diſcuſſione, id pronuntiaſſe, cum non de nouo ea Bulla comperta fuerit.

Rejicitur ergo ea opinatio, primò, quia, 150
vt commune eſt apud Authores, priuilegia laxantia diſciplinæ regularis inſtitutum non communicandum à Religionibus, quæ gaudent communicatione priuilegiorum; Sic non communicant Religiones priuilegium teſtandi conceſſum Clericis Fratribus Iacobæis, nec plura alia huiuſmodi, vt *alibi* aſſerui; Cum autem priuilegium edendi oua, & lacticinia laxet diſciplinam regularem, non participatur à Religionibus; Etenim quod omnibus fidelibus Chriſtianis eſt interdictum tempore Quadrageſimæ, vt tunc jeiuniis aſperioribus affligantur, multò magis Religioſis incumbit, qui plùs ſe jejuniis macerare debent; Et hinc, cum Pontifices in Bulla Cruciatæ diſpenſent in ea aſperitate, tamen cum Religioſis non diſpenſant, vtpotè quos decet, regidiorem ſequi normam, & auſteritatem. Et quis abſurdum ex terminis ipſis non judicet, ſæculares non poſſe veſci ouis, & lacticiniis in jejuniis Quadrageſimæ, propter majorem obſeruantiam, Religioſos verò poſſe; & horum jejunia eſſe laxiora, quàm illorum.

Rejicitur ſecundò, quia ipſe Pontifex 151
Leo X. id cauit in ea Bulla, aſſerens, ſolis illis duobus Monaſteriis, & non aliis, concedi à ſe priuilegia in ea contenta; Quæ exceptio excludit communicationem, præſertim cum priuilegium maximè à Iure cōmuni exorbitet. Sic plura priuilegia conceſſa aliquibus ſacris Religionibus non participantur ab aliis, vt priuilegia non incedendi in proceſſionibus publicis; priuilegium non tranſeundi ad Religionem

ſtrictiorem

ſtrictiorem, etiam Carthuſienſium, abſque licentia petita, & obtenta, aliaque ſimilia. Huiuſmodi autem eſt priuilegium præfatum. Tertiò, quia ſicut in generali conceſſione non veniunt ea, quæ veroſimiliter in ſpeciali non forent concedenda; ita nec in communicatione generali priuilegiorum, ea veniunt, quæ in ſpeciali non communicarentur, Expendat autem quiſque, an ſibi credibile appareat, Pontifices voluiſſe concedere communicationem præfati priuilegij, & ieiunia quadrageſimalia laxare omnibus Religioſis, cum diſpendio regularis diſciplinæ, & minuendo populi ædificationem, cum ſæculares meritò conquererentur, ſe ſtrictioribus legibus obligari, quàm Religioſos, in ciborum qualitate. Quartò, quia nec ipſi Equites Iacobæi, cum ſint eiuſdem Ordinis, hoc vnquam priuilegio vſi ſunt, nec aliquis fuit; qui eis affirmaret, poſſe vti eo priuilegio; ergo multò minùs alij Ordines valebunt ipſo vti; atque adeò nec etiam alia Monaſteria Ordinum Militarium illud communicant, vt eorum perſuaſio, & praxis oſtendit. Ad hanc diſquiſitionem ſpectabat, agere de pœnis, quæ in Ordinibus Militaribus ſunt ſtabilitæ; Aliquas decurſu Operis attigimus; & cunctæ in Statutis, & Definitionibus ſunt præfixæ, quin aliquid ſit controuerſiæ obnoxium. Videatur P. Peñafiel *de Ordinibus Militaribus, tract.* 4.

DISQVISITIO XIII.

De Orationibus recitandis in Ordinibus Militaribus.

QVÆSTIO I.

Proponuntur Orationes recitandæ à Regularibus Militarum.

1 MILITARE Equitum inſtitutum non Chorum, ſed campum, non Monaſterium, ſed aciem exoptat; vnde longè alia exercitia eos decent, quàm Clericos Fratres, & Religioſos cæteros, qui intra Cœnobiorum clauſtra propriæ animarum ſaluti, ſeu etiam proximorum incumbunt. Vt tamen præ oculis habeant, ſe Dei cultui in Ordinibus eſſe mancipatos, aliquæ Orationes ab ipſis fundendæ præſcribuntur, quæ, vtpotè breuiores, eo non impediant, quominùs ſua munera exequantur, & aliundè veluti ſymbolum ſint ſuæ profeſſionis, dum loco Officij Canonici recitantur. Vndè cernitur, quàm exactè debeant huic obligationi ſatisfacere, vt etiam in hoc à cæteris ſacris diſcriminentur. Obligationis autem huius vis *quæſt. ſeq.* diſcutietur.

In Statutis Ordinis D. Iacobi *ex fol.* 76. *tit.* 5. *cap.* 15. deſignantur Orationes ab Equitibus Iacobæis perſoluendæ. Manè, cum ſurgunt, Orationem ſibi præfixam debent recitare, & aliam, cum cubitum eunt, ac poſt illam ter Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam; & quotidiè Pſalmum ibi appoſitum. Deindè loco *Matutini* poſt exordium *Domine labia mea &c.* viginti ſex vicibus Orationem Dominicam ſunt recitaturi. Loco primæ viginti nouem vicibus eandem ſunt dicturi Orationem, cum *Gloria Patri* (quæ ſemper repetitur poſt eam Orationem in omnibus Horis) exceptis ſeptem vicibus, quibus poſt Orationem illam non dicitur. *Gloria Patri.* Loco aliarum Horarum, pro qualibet eſt repetenda ſexies Oratio Dominica; loco tamen Veſperarum decies. Vt ſuppleantur defectus in recitatione immixti, dicitur ea ratio *Sanctiſſimæ Trinitati, & indiuiduæ vnitati*; quæ ex Bulla Pontificia vim habet, vt defectus ſuppleantur. Voluntarium tamen eſt, vt dicatur. Quotidiè Miſſam audire debent. Pro defunctis alias Orationes, aut Miſſas perſoluere tenentur tàm ipſi, quàm alij ex cæteris Ordinibus Militaribus, de quibus agemus *diſq.* 16. *quæſt.* 2. Quotidiè prætereà tàm Equites, quàm Fratres Clerici, tenentur viginti tres Orationes Dominicas recitare pro viuis, & defunctis; ea intentione, quæ præfigitur in Statutis *in Regula Ordinis cap.* 4. Vbi deſignantur perſonæ, & cauſæ, pro quibus ſunt recitandæ.

3 In Ordine Calatrauæ iniungitur in definitionibus *ex pag.* 63. quòd Equites loco Matutini poſt commune exordium recitent viginti Orationes Dominicas cum *Gloria Patri*; diebus verò ſeu Feſtis duplicibus, quadraginta. Aſſignantur autem vt Feſta duplicia, omnes dies Dominicæ, Paſcha Reſurrectionis, & Pentecoſtes, Aſcenſio Domini, & eius dies Octaua, Feſtum Corporis Chriſti, atque eius etiam dies octaua, necnòn alia Feſta, quæ per menſes diſtributa præfiguntur *ibi ex pag.* 57. in Kalendario Ordinis Benedictini; nam iuxta dicenda *inferius* non eſt ſequendum Calendarium Ciſtercienſe appoſitum in definitionibus

Definitionibus antiquis. Pro *Laudibus* decem Orationes Dominicæ, totidem pro *Veſperis*; quinque pro ſingulis cæteris horis ſunt recitandæ. Dum actu ſunt Equites in bello contra Infideles, aut in exercitu ad bellum accincti, deobligantur ab eiuſmodi recitatione ex conceſſione Eugenij IV. qui tamen eis commendat, vt bene hoc vtantur indulto; optans ſanè, vt, ſi per munia bellica liceat, eas Horas perſoluant. Feria ſecunda per totum annum, niſi dies Feſtus ſit, pro defunctis Ordinis ſeptem Pſalmi Pœnitentiales, aut ſepties Oratio Dominica, & ad finem *Requiem æternam*, recitanda ſunt. Omnibus Feriis ſextis per annum etiam Pſalmi pœnitentiales ſunt dicendi, aut eorum loco ſepties Oratio Dominica, pro perſonis, & ſtatu Ordinis. In Hebdomada maiori Equites tenebantur recitare Pſalterium; aut eius loco centies, & quinquagies Orationem Dominicam, & ad finem vltimę verſiculum *Gloria Patri*; quod erat præſtandum Feria V. in Cœna Domini, aut Feria VI. Paraſceues. Sed, poſtquam Officium Benedictinum recitatur, non dicitur in Monaſteriis Pſalterium, atque adeò extra illa, hæc obligatio videtur ab omnibus ablata.

4 In Ordine Alcantaræ modus recitandi Horas Canonicas pro Equitibus præſcriptus fuerat ab Innocentio VIII. & Alexandro VI. poſtmodùm correctus, ac mutatus à Clemente VII. in Bulla ad id expedita; ſicut etiam in Ordinibus D. Iacobi, & Calatrauæ in Bullis Pontificiis fuit præfixus recitandi tenor. Igitur Alcantarenſes pro matutino poſt exordium *Domine labia*, *&c.* qui verſiculus ter repetitur, vicies recitanda eſt Oratio Dominica, cum verſiculo *Gloria Patri*, & diebus Dominicis, ac Feſtis duplicibus, ſeu duodecim lectionum, in Calendario Ordinis Benedictini annotatis, geminatur numerus præfatus Orationis Dominicæ. Pro *Laudibus* decies eadem Oratio eſt repetenda; totidem pro *Veſperis*; quinquies pro ſingulis ex aliis Horis, nempè *Prima*, *Tertia*, *Sexta*, *Nona*, *& Completorio*. Præterea ipſi Equites omnibus Feriis ſecundis, niſi ſint duplices, ſeu duodecim lectionum, loco Pſalmorum Pœnitentialium, debent recitare ſepties eam Orationem, & ad vltimæ finem verſiculum *Requiem æternam*. Totidem omnibus Feriis ſextis ſunt recitaturi, & ad finem cuiuſque verſiculum *Gloria Patri*; Clerici autem Fratres ſeptem Pſalmos pœnitentiales tenentur recitare, ſicut in Monaſterio Alcãtaræ præſtatur. Ita extat in definitionibus *tit.* 13. *c.* 18.

Hæc obligatio per deſuetudinem abrogata eſt, nam Clerici Fratres extra Monaſterium eos Pſalmos non recitant; intra illud autem tum illi, tum Pſalmi Graduales, officium defunctorum, & officium paruum B. Mariæ in Choro dicuntur his diebus, pro quibus ab Eccleſia deſignantur. Eo etiam *cap.* 18. appunitur eadem obligatio, quam Calatrauenſes habere diximus, in die Feriæ V. in Cœna Domini, vel Feriæ VI. Paraſceues, à tempore, quo Corpus Chriſti D. aſſeruatur, vſque dum reſeretur. Calendarium autem ordinis affertur *ibidem tit.* 14. *cap.* 1. ſed non id, ſed Benedictinum eſt ſequendum, vt *infrà* dicemus.

Clemens VII. qui ordinibus Calatrauæ 5 & Alcantaræ præfatos recitandi modos pro Equitibus deſignauit, in Bulla declarat, fieri ſatis obligationi, ſi recitentur orationes prædictæ in Eccleſia, aut extra illam, & quocumque corporis ſitu, & qualibet hora diei, vel noctis; eſtò commendet, vt horis competentibus recitentur. Deindè non recitantes, aut ſe non adaptantes prædictæ formulæ recitationis præcipit Pontifex, vt puniantur arbitrio Magiſtri, ſeu Adminiſtratoris, & Seniorum, iuxta qualitatem culpæ, & contumaciæ, ac exceſſus, ita vt, ſi opus fuerit, poſſint ab ordine ejici, reputenturque indigni quolibet ordinis munere, & officio.

Clerici Fratres, dum ſunt in Monaſteriis, Officium Canonicum in Choro ſimul, canendo aliquas Horas, perſoluunt; & dum ſunt in Collegiis Salmantinis Calatrauenſes, & Alcantarenſes in ſuis Capellis Matutinum, & Laudes toto anno hi, illi verò à die D. Lucæ vſque ad Paſcha Reſurrectionis recitant, Communitate ad id conuocata. Dum intra Monaſteria degunt Calatrauenſes, & Alcantarenſes, tenentur perſoluere officium canonicum, ac Miſſam celebrare iuxta ritum, Miſſale, & Breuiarium S. Benedicti; extra Monaſteria autem degentes poſſunt, ſed non tenentur, vti Miſſali, & Breuiario Romano. Videatur in definitionibus Calatrauæ *caput* 1. *tit.* 2. & in definitionibus Alcantaræ *cap.* 1. *tit.* 5. Vbi, & ſimul in Statutis D. Iacobi *tit.* 12. *cap.* 12. præſcribitur cantus, ſolemnitas, deuotio, tempus, & aliæ circunſtantiæ ad officij Diuini, & Miſſarum ſolemnia peragenda, in quibus pietas, ac Religio reſplendent. Sed obſerua, in eis definitionibus, vt dixi, aſſignari pro Calatrauenſibus, & Alcantarenſibus Breuiarium Ciſtercienſe. Id autem 6

poſteà

poſteà immutatum eſt, nam Paulus V. præcepit eis, vti Breuiario Benedictino. Indè etiam immutata ſunt Calendaria, quæ *ſuprà* aſſerumus, in eis Definitionibus eſſe præfixa; atque adeò Equites Calatrauæ, & Alcantaræ, vt dignoſcant, quando ſunt geminaturi Orationes Dominicas in Feſtis duplicibus, attendere debent ad Calendarium Benedictinum, non ad Ciſtercienſe in Definitionibus antiquis præſcriptum. Dixi, Paulum V. præcepiſſe; nam generaliter iuſſit, omnes ſub Regula S. Benedicti militantes (inter quos ſunt Calatrauenſes, Alcantarenſes, & alij quos *diſq.* 1. retulimus) iuxta Breuiarium Benedictinum recitare; Quod præceptum extendi ad omnes Regulares vtriuſque ſexus ſub præfata Regula militantes, declarauit Congregatio Rituum die 24. Ianuarij, anno 1616. non obſtante, quòd antecedenter vſi fuiſſent alio quovis Breuiario. De Officio Benedictino plurima eruditè tractat Benedictus Haëftenus *in diſq. Monaſt. lib. 7. tract.* 5. *ex diſq.* 4.

7 Sed dubitabis primò, an Clerici Fratres non initiati ſacris Ordinibus teneantur ſub peccato lethali perſoluere Officium Canonicum etiam extra Chorum? Hoc dubium commune eſt cæteris Religioſis non Militaribus, qui non ſunt Sacris initiati; (exceptis Religioſis Societatis IESV, qui ex Inſtituto proprio, Confirmationibus Apoſtolicis munito, non ſunt Choro addicti, vt ſaluti proximorum ſpirituali expeditiùs incumbant, vnde vberes adeò fructus Reſpublica Chriſtiana reportat; Pontificibus ſic inclamantibus, ac Societati ipſi gratulantibus.) Sentio ergo, teneri ſub lethali ad Horas Canonicas recitandas. Ita Portel. *in dubiis regular. verbo, Hora Canonica, num.* 2. Emanuël Rodriguez *in addit. ad ſumm. tom.* 3. *verbo, Hora Canonica, concluſ.* 11. vbi alios Authores refert; P. Suarez, & viginti vnum Authores, quos recenſet, & ſequitur Diana afferendus *infrà*. Idem tenendum eſt de Monialibus.

8 Fundamentum huius ſententiæ eſt, nam prædicti ſunt poſiti in ſtatu irreuocabili addicto ad Chorum, & aliundè vis conſuetudinis obligationem ſub lethali induxit. Nihilominùs opinioni oppoſitæ, limitationibus ſtatim apponendis, non eſt neganda ſua probabilitas; nam Caietanus, & alij ſex Authores dubitant de prædicta conſuetudine, cui ſolidiùs innititur ſententia communis. Deindè eam abſolutè negant P. Leſſius, & aliqui alij. Excipiunt tamen illos, qui ex vi Regulæ, vel voti ſpeciale præceptum recitandi Horas Canonicas habent, vt Fratres Ordinis Minorum, & Moniales Annuntiatæ; Rurſùs aliqui Authores ita apponunt obligationem ſub lethali in prædictis non initiatis Sacris Ordinibus, vt aſſerant, non peccare lethaliter, ſi bis, vel ter omittant Horas Canonicas; (quod videtur intelligendum, in vnoquoque anno) eo quòd exindè obligatio ex conſuetudine prouenicus grauiter non violetur, quia minùs ſtricta eſt cenſenda, quàm ea, quæ ex præcepto prouenit. Refero, non diſcutio hos ſentiendi modos. De prædictis omnibus videndus eſt Diana *part.* 2. *tract.* 12. *reſol.* 17. *& part.* 3. *tract.* 2. *reſol.* 99. *& part.* 6. *tract.* 8. *reſolut.* 12. *& part.* 7. *tract.* 11. *reſol.* 4. *& part.* 9. *tract.* 6. *reſol.* 7.

Obligationem autem Monialium, quæ Choro ſunt addictæ, recitandi Horas Canonicas, ſub lethali, tuentur Nauarrus *de Oration. & Hor. Canonic. cap.* 7. *num.* 21. Durantus *de ritibus Eccleſiæ lib.* 3. *cap.* 22. Rodriguez *vbi ſuprà*; Portel. *ſuprà num.* 3. & alij plures à Diana relati *locis proximè citatis*. Quòd ſi Monialis legere neſciat, ab obligatione manet immunis; Prælati verò aliàs Orationes ab ea recitandas iniungere debet; ſicut Moniales Sanctæ Claræ legere neſcientes tenentur ad recitandum Officium laïcarum, vt extat in Compendio Minorum *verbo, Moniales*, §. 5. Dubium tamen præſens circa Religioſos, & Moniales Profeſſas verſatur; nam eos, qui profeſſionem non emiſerunt, minimè teneri, ſub lethali ſaltem, ad recitandas Horas Canonicas, apud omnes eſt commune. 9

Dubitabis ſecundò, an Clerici Fratres Calatrauæ, & Alcantaræ in Monaſteriis verſantes poſſint extra Chorum priuatè recitare Horas Canonicas iuxta Breuiarium Romanum? Emanuël Rodriguez *vbi ſuprà, cap.* 195. *concluſ.* 2. Portel. *ſuprà num.* 6. & alij loquentes generaliter de Religioſis non vtentibus Breuiario Romano tuentur, poſſe recitare extra Chorum iuxta Breuiarium Romanum, etiam abſque licentia Prælati, eo quòd Pius V. qui formam recitandi præſcripſit, ſolùm locutus fuerit de Horis recitandis in Choro iuxta Breuiarium proprium cuiuſque Ordinis. Quod etiam ſuaderi poſſet in ſententia Dianæ, ac aliorum aſſerentium, non peccari lethaliter, dum mutatur modus, & non ſubſtantia Officij Canonici; Vnde aiunt, non eſſe lethale recitare vnum Officium pro alio, dum non ſit Officium Reſurrectionis [quod adhuc Caramuël non excipit.] Videndus ſum ego *tom. de Iure Academico, lib.* 2. *ex num.* 397. Verùm hæc mutatio, ſi fiat 10

abſque cauſa, erit peccatum veniale ; Authores verò prædicti, quorum tuta eſt ſententia, defendunt, poſſe priuatim iuxta Breuiarium Romanum recitari, quin cauſam ad id exigant. Circa recitationem plurimæ excitantur quæſtiones, ſed quæ non ſunt ſpeciales huius tractatus. Videri poſſunt Nauarrus, Bonacina, P. Azor, Suarez, & innumeri alij, qui de Horis Canonicis tractant ; & ego non pauca attuli *loco relato, & tom. in Bullam Cruciat. diſput.* 19. *n.* 11. *& diſp.* 20. *n.* 29. *& diſp.* 34. *num.* 28. Animaduertendum hîc eſt, obligationem recitandi intra Communitatem iuxta Breuiarium Benedictinum reſtrictam fuiſſe ad Monaſteria Calatrauæ, & Alcantaræ ; nam in Collegiis Salmantinis, cum non detur Chorus, cenſentur Collegæ quoad recitationem quaſi priuatim degentes. Indè in Collegio Calatrauenſi Salmantino iuxta Breuiarium Romanum perſoluitur Officium. Idem poſſet præſtari in Collegio Alcantarenſi, cum etiam acceſſerit iam diu Schedula Regia Senatus Ordinum ſuper hoc ipſo, vt tutiùs, & abſque reatu pœnæ operarentur ; At ſponte ſua Breuiarij Benedictini vſum retinet hoc Collegium.

11 Obſerua etiam, Superiores Monaſteriorum, & Rectores Collegiorum, eiſque abſentibus, illos, qui ipſorum vices gerunt, poſſe diſpenſare cum Clericis Fratribus ſubditis, ne Horas Canonicas recitent, ſi impedimento doloris, grauis tædij, aut difficultatis præpediantur ; Id enim abſolutè competit Prælatis Regularibus, & plurima priuilegia ad id circumferuntur, quæ omnia participantur ab Ordinibus Militaribus, vt probauimus *diſq.* 2. Videantur Rodriguez, & Portel *vbi ſuprà*, cum aliis. Vbi id notandum eſt, non eſſe ſermonem de impedimento certo excuſante à Recitatione ; nec de probabili, cui poteſt quilibet ſe conformare, ſicut poteſt ſententiæ probabili, ſed de impedimento dubio, ſeu de illo, de quo dubitatur, an ſit ſufficiens ad omittendum Horas Canonicas, vt in ſimili caſu docui *tom. in Bullam Cruciat. diſp.* 17. *cap.* 2. circa priuilegium edendi carnes diebus prohibitis, per diſpenſationem Bullæ de conſilio vtriuſque medici, quod non operatur in neceſſitate certa, aut probabili, in qua non requiritur priuilegium ad veſcendum carnibus, ſed in neceſſitate dubia ; nam neceſſariò euentus ſunt conſiderandi ita, vt priuilegium aliquid operetur, & non ſit inane. Id ipſum in præſenti eſt aptandum. Sed quia ad valorem diſpenſationis requiritur cauſa, ideò Prælati, cum diſpenſant ſuper Recitatione Horarum, iniungunt aliquas Orationes dicendas, vt hæ ſimul cum ea cauſa, ob quam diſpenſant, conſlent cauſam vndequaque ſufficientem, & diſpenſatio ob defectum cauſæ illicita, & inualida non enadat. Hinc cernes, cum medicus dicit ægroto, ne recitet Horas, non eſſe opus diſpenſatione Prælati, quia medicus eo ipſo declarat, dari cauſam ſufficientem, ac minimè dubiam ad non recitandum ; vt expreſsè docent Emanuël Rodriguez *in addit. ad ſumm. tom.* 3. *cap.* 197. *concluſ.* 1. & Nauarrus, ac alij. Portel. *in ſumm. verbo, Hora Canonica*, *num.* 11. ait, melius, ac certius eſſe, conſulere Prælatum. Non inficior, id eſſe tutius ; neutiquam requiri, aſſero, & id tutum eſſe.

Obſerua prætereà, Clericum Fratrem ex prædictis Ordinibus Calatrauæ, & Alcantaræ promotum ad Epiſcopatum poſſe priuatim perſoluere Horas Canonicas iuxta Breuiarium Benedictinum ; quippè ſtatum proprium Religioſum non admittit, cui illud Breuiarium eſt conceſſum. Ita docent Emanuël Rodriguez *in addit. ad ſumm. tom.* 4. *cap.* 68. *num.* 10. Portel. *vbi ſuprà*, *n.* 14. Eademque eſt ratio, ſi promoueatur ad Cardinalatum ; ſicut Monachi Benedictini ad Epiſcopatum, vel Cardinalitiam Dignitatem aſſumpti poſſunt priuatè, iuxta ſui Ordinis Breuiarium Horas Canonicas perſoluere, vt omnibus eſt in confeſſo ; Et eadem etiam eſt ratio de Clericis Fratribus Parochis, dum priuatim recitant. 12

In Ordine D. Ioannis, vt conſtat ex Statutis *tit.* 3. §. 2. omnes Clerici Fratres, etiam non initiati Sacris, tenentur perſoluere Horas Canonicas. Equites verò quotidiè debent recitare Officium paruum B. Mariæ, & Officium defunctorum ; ſeu vtriuſque loco, centies quinquagies Orationem Dominicam, vulgò *Pater noſter* ; qui numerus reſultat ex computatione, ac diſtributione pro Horis ſingulis vtriuſque præfati Officij. 13

QVÆSTIO II.

An Equites Militares, & Clerici Fratres teneantur ſub peccato recitare Orationes in ſuis Statutis præſcriptas? Vbi alia ſimilia deciduntur.

Concluſio ſit ; Equites non peccare mortaliter. Et ſermo eſt tàm de Orationibus quotidiè recitandis, quàm de Miſſis offerendis pro defunctis. Ita P. Thomas Sanchez 14

Sanchez *lib. 7. conſilior. cap. 2. dub. 5.* P. Peñafiel, Araujo, *tract. de obligat. Ordin. Militar. tract. 2. cap. 1.* referens Molinam, Azor, & alios. Didacus Mota *in Regul. Ordin. D. Iacobi, lib. 2. cap. 2.* Probatur ratione à priori; Non eſt imponenda obligatio ſub peccato mortali, vtporè grauiſſimum onus niſi conſtet de lege obligante ſub mortali, ſed nulla eſt in præſenti; ergo non datur; eiuſmodi obligatio. Minor ſuadetur. Si aliqua lex daretur, maximè Pontificia, aut ſtabilita in definitionibus Ordinum Militarium; ſed non colligitur obligatio ſub mortali ex legibus, quæ circa hoc dantur; ergo nulla in præſenti exiſtit. Etenim ſi leges poſſumus rectè interpretari, quin ad mortale obligent, non debemus adeò ſtrictâ interpretatione illas donare, vt graue adeò onus imponatur, cum odia ſint reſtringenda.

15 Et quidem Bullæ Pontificiæ non exprimunt obligationem ſub mortali, cum orationes, & Miſſas deſignant; & quamvis Pontifices vtantur his verbis, *mandamus, præcipimus, obligamus. Debeant, obligentur, teneantur*; adhuc non inducitur determinatè, & expreſſè obligatio ſub mortali. Nam, cum ſint verba generalia, & indifferentia, ac apta ad obligandum ſub mortali, vel ſub veniali, vt docent Nauarrus, poſt Caietanum *in Enchirid. cap. 23. num. 50. & 51.* Villalobos *tom. 1. ſumm. tract. 2. diffic. 19. n. 2.* in eoque differunt à verbis conſiliatiuis, quòd hæc, adhuc ſub culpa veniali, non obligant; indè eſt, quòd præfata verba Pontificum non ſint accipienda de obligatione ſub mortali, ſed ſub veniali.

16 Ad quam benigniorem interpretationem ea ſunt fundamenta. Primum, quòd obligatio expreſſa ſub mortali in eis non continetur, nec debet adeò graue onus imponi, vbi poteſt leuius induci, ſicut poteſt ſub eiuſmodi verborum ſerie, quæ abſque violentia ſic exponuntur; & ſimilia verba, iuxta prædictos Authores in aliis euentibus reperiuntur, quin ad mortale obligent, vnde recta paritas ad caſum præſentem deducitur. Secundum, quia, cum Equites Militares, poſui Inſtituti eſſentia, non debeant rebus ſpiritualibus vacare, ſed Militiæ temporali ad Deum ordinatæ, non videtur, intendiſſe Pontifices eis ſub peccato mortali iniungere eas orationes; maximè eum ſupponerent, Milites hos in belli laboribus occupari, inter quos labores non nimium temporis, ac quietis ſupereſt, vt poſſint orationibus inſiſtere poſt bellicam fatigationem; & anſa indè ſcrupulorum daretur, dum inter ſe perpenderent, an haberent ſufficientem cauſam ad non recitandum, & ad liberandum ſe ab obligatione graui. Quòd ſi obligatio ſit leuis, & minor cauſa cenſebitur ad excuſationem ſufficiens, & ſcrupulorum occaſio ceſſabit; quò enim leuior eſt obligatio, leuiùs, ac faciliùs quis ab illa excuſatur, quando non eſt intrinſecè malum id, quod ſub obligatione leui prohibetur; nam ſi intrinſecè ſit malum leuiter, vt mendacium iocoſum, nulla poteſt dari cauſa honeſtandi illud.

Interpretatio appoſita applicanda eſt 17 etiam verbis præceptiuis, quæ circa hoc extant in Conſtitutionibus, & Definitionibus ipſorum Ordinum Militarium; cum hæc non plus roboris contineant, quàm ſimilia verba Pontificia, dum non exprimitur obligatio ſub peccato mortali.

Interpretatio autem huiuſmodi, & 18 concluſio noſtra etiam probatur ex communi acceptione, & perſuaſione ipſorum ordinum, in quibus non iudicatur, eſſe obligationem ſub mortali, ad recitandum prædictas orationes; Quæ acceptio, & perſuaſio habet vim quaſi conſuetudinis, ac legis interpretantis. Rursùs pro hoc aſſerto ſtat extrinſeca authoritas; quippè hoc dubium fuit Salmanticæ conſultum cum Viris Sapientioribus Academiæ, qui ſteterunt à noſtra ſententia, vt mihi ſedulò rem inueſtiganti fuit compertum.

Adhuc aſſertum firmatur. Non eſt major obligatio in vno ordine Militari, quàm 19 in alio, ad recitandum orationes ab vnoquoque reſpectiuè præſcriptas, cum in Bullis Pontificiis, & Statutis propriis ea obligatio ſimilibus verbis imponatur, eademque fundamenta in omnibus militent. At in Ordine Alcantarenſi non datur obligatio ſub mortali ad orationes recitandas; ergo nec in cæteris. Loquor autem tum de orationibus quotidianis, tum de Treceenario (vt vocant) Sancti Lamberti de quo eſt ſermo in Definitionibus *tit. 13. c. 19.*

Id vt conſtet, prænoſcendum eſt, olim dubium extitiſſe de orationibus recitandis ab Equitibus, & Clericis Fratribus eius ordinis, & ſuper eo Imperatorem noſtrum Carolum V. ad inſtantiam ipſius ordinis conſuluiſſe Abbatem Ciſtercienſem, & Abbatem de Morimundo; hos verò miſiſſe deſignatas orationes, & modum, quo recitantur à Fratribus Conuerſis ipſius ordinis Ciſtercienſis, iudicantes, eas eſſe opportunas, vt à Religioſis Militaribus perſoluerentur. Lectæ ſunt in Capitulo ordinis de Alcantara celebrato Burgis anno 1525. & approbatæ; Imperatorque à Pontifice

Digitized by Google

à Pontifice Clemente VII. exorauit, vt eas confirmaret. Præſtitit id ille in Bulla; quæ incipit, *Ad ea, quæ perſonarum*, in qua præcepit, vt recitarentur Orationes prædictæ. Extat ea Bulla *in Bullario Ordinis*, *fol.* 131. Et hic recitandi modus deſignatur in Definitionibus *tit.*1.,*c.*18.

21 Quo ſuppoſito, ſic argumentor. Conuerſi Ordinis Ciſtercienſis non tenentur ſub peccato mortali recitare eas Orationes, vt latè docet Caramuël *in Comment. Regulæ S. Benedicti*, t. *p. diſp.* 103. *art.* 1. ergo nec tenentur ad eas ſub mortali Equites Alcantarenſes. Etenim non videtur æquum, nec credibile, Pontificem voluiſſe ampliùs, & ſub mortali obligare ad Officium, & Orationes, Equites Militares laxiorem vitæ normam ſub diſciplina Ciſtercienſi profitentes, quàm Conuerſos ſub eodem Ciſtercienſi Inſtituto victitantes, & auſteriorem victus cultum ſequentes. Perpende rem. Equites hi, & Conuerſi ſub eadem ſunt Ciſtercienſi diſciplina, Orationes ab vtriſq; recitandæ eędē præcipiuntur; Equites non adeò auſteram vitam, ac Conuerſi ampleɑuntur; Quis ergo prudenter cenſeat, Pontificem intendiſſe ſtrictiùs, & rigidiùs obligare Equites, quàm Conuerſos, ad eas Orationes perſoluendas? Accedit, quod legiſlator præcipiens aliqua tunc iudicandus eſt intendere obligationem ſub mortali inducere, cum ea ſpectant ad eſſentiam rei, vel ſtatus, non verò cum pertinent ad ornatum, & maiorem perfectionem, niſi eius voluntas etiam in his exprimatur. Recitatio autem, quamvis reſpectu ferè omnium Ordinum non Militarium ſit coniuncta, ſeu valdè pertinens ad eſſentiam Inſtituti, (loquendo de Recitatione Officij, quæ tum in Choro tum priuatim ſanctiſſimè exercetur) Attamen reſpectu Inſtituti Equitum Militarium, ex ſe conſtat, Recitationem Orationum non pertinere ad eſſentiam, ſed ad maiorem ornatum, atque perfectionum, cum eorum Inſtitutum ſit, arma exercere, bellis intereſſe, & cum hoſtibus Fidei, & Eccleſiæ pugnare.

22 Sed dices, in ea Bulla Sixti V. imponi graues pœnas, nempè quòd ab Ordine expellatur, aut alia pœna arbitraria puniatur, quicumque in recitandi modo, & forma non ſe adaptauerit præceptis inibi ſtatutis; Graues autem pœnæ, non niſi peccato mortali præcedente, infliguntur. Reſpondeo in primis, hanc vltimam propoſitionem ſecundùm ſe, & independenter ab hac materia, non eſſe veram; ſiquidem leges purè pœnales ſæpè graues pœnas deſignant, quin ſub mortali obligent, ſaltem cum pœnæ non ſunt grauiſſimæ, vt tradunt communiter Authores *in tractatu de legibus*.

Reſpondeo deindè, in præfata Bulla non infligi eiuſmodi pœnas non Recitantibus, ſed ei, *Quin cum alijs Præceptoribus, Fratribus, & Militibus Confratribus ſuis in huiuſmodi recitandi modo, & forma non ſe conformauerit*. Itaque aliud eſt, non recitare; aliud, intendere nouum modum, & formam recitandi, eaque vti. Pœnæ igitur apponuntur contra eos, qui hoc vltimum conantur, vt contra turbantes pacem, & vnionem Ordinis, ac ſeparantes ſe ab aliorum ſtylo, & norma, ac contumaces contra Pontificis præceptum, dum iubet, non aliam formam, nec modum recitandi retineri; Quod ſatis indicatur per verba Bullæ ſequentia, in qua pœna arbitraria infligenda indicitur, *prout qualitas contumaciæ, & exceſſus exegerit*. 23

Hic aduerte, in Ordine Ciſtercienſi in Gallia inſtitutum fuiſſe trecenarium, quod fuit, quod fuit nuncupatum Sancti Lamberti, eo quod die 7. Septembris, in quo eius Feſtum celebratur, & quo Capitulum generale eius Ordinis incipiebat, omnes Sacerdotes tenebantur peragere viginti Miſſas, & cæteri decem Pſalteria recitare pro defunctis, & benefactoribus; & hæc Pſalteria ab Equitibus recitabantur. Attamen nulla eſt obligatio grauis recitandi illa; Imò Moniales Cœnobij Sancti Clementis in vrbe Hiſpalenſi, quæ ſub Habitu, & Inſtituto Sancti Bernardi degunt, declarationem Romæ impetrarunt circa deobligationem recitandi ea decem Pſalteria, eo quòd non ſint ſubditæ Ordini Ciſtercienſium. Par autem ratio militaret in Ordinibus Militaribus, niſi ipſi retinuiſſent laudabilem morem recitandi ea Pſalteria, aut Miſſas celebrandi, ſeu celebrari faciendi, iuxta dicenda *diſquiſ.*16. *quæſt.*2. Quin etiam ſi ſubiecti eſſent Ciſtercienſibus, non tenerentur ſub peccato recitare illa Pſalteria iuxta doctrinam Caramuëlis, qui *in Comment. Regulæ S. Benedicti diſp.*104. *n.* 1360. *fol.* 844. tradit, nec ſub peccato veniali teneri ipſos Ciſtercienſes ad recitandum prædicta Pſalteria. 24

Aduerte rurſùs, in Ordinibus Militaribus præſcriptas eſſe Miſſas, & Orationes dicendas tum à Sacerdotibus, tum ab alijs, pro vnoquoque defuncto ipſorum Ordinum. Verùm cenſeo, & ſi omnino conſulendum ſit, vt ita præſtetur, & Animabus defunctorum piè, ſanctè & ſalubriter ea ſuffragia, ac ſolatia diligenti cura impēdantur, tamē Equites Militares, adhuc Cōmendatarios, 25

rios, ad ea non teneri ſtrictè. Ratio eſt, quia conſuetudine, ac impoſſibilitate morali, & ex defectu quaſi contractus, ea obligatio fuit ablata. Primò conſuetudine contraria, ſeu deſuetudine; cum id non præſtetur multis abhinc annis in his Ordinibus. Secundò impoſſibilitate morali; nam eſtò in exordio Ordinum Militarium pauci extiterint Milites, & facilè mors cuiuſque poterit dignoſci, nunc verò tot ſunt Equites, & adeò per diſtantiſſima Regna diſperſi, vt moraliter ſit impoſſibile de eorum morte notitia haberi; nec illi degunt in Cœnobiis, ex quibus poſſit moneri de obitu illorum Magiſter, Adminiſtrator, aut quivis alius; nec ſi moneretur, poſſet ad Equites ſuperſtites vndequaque diſperſos dimanare notitia. Quod ſecùs ſe habet in Religionibus non Militaribus; Et in noſtra Societate Iesv monetur Præpoſitus Generalis de obitu cuiuſvis, etiam in extremis Indiarum Religionibus obeuntis; ipſe verò defunctorum Catalogum ad omnes Prouinciales per totum Orbem aſſiduè mittit; hi verò ad ſingula Collegia; vnde ad omnes peruenit notitia defunctorum, vt ſuffragia perſoluant; indeque ſinguli defuncti è Societate ingentiſſimo numero Miſſarum, & Orationum potiuntur. Demùm datur defectus quaſi contractus; Etenim quaſi inter ſe contrahunt Religioſi, vt viui ſuperſtites pro his, qui primi deceſſerint, ſuffragia perſoluant; Cum autem hi, qui decedunt, non perſoluerint ea pro aliis antecedenter obeuntibus; iuxta dicta, reſtat, vt nec cæteri pro ipſis perſoluere illa teneantur; ſi quidem cum aliquis ex ineuntibus contractum non adimplet illum, exoneratur alius ab adimpletione.

26 Aliter eſt philoſophandum de Clericis Fratribus Militiarum reſpectu aliorum Clericorum Fratrum, qui ſanè tenentur ad Miſſas, & Orationes, in ſuis Statutis deſignatas, perſoluendas pro aliis defunctis Clericis Fratribus in vnoquoque Ordine. Etenim hi pauci ſunt numero, & plures ex illis in Communitatibus Cœnobiorum, & Collegiorum degunt, alij verò vel in Curia, vel in ſuis Prioratibus, ſeu Beneficiis, & vix vnus è vita decedit, cum cæteri eius obitum noſcunt; vnde ceſſat ex eo capite ratio appoſita *nuper*; & aliundè non datur conſuetudo contraria, ſeu deſuetudo, nec defectus quaſi contractus, cum potiùs inter ipſos obſeruetur id Statutum, quod pro viribus eſt curandum, vt ſemper promoueatur. Videatur Didacus Mota *in reg. Ordin. D. Iacobi, lib. 2. c. 30.*

Cæterùm non peccabunt, niſi venialiter, Clerici Fratres non perſoluentes eiuſmodi Miſſas, & Orationes pro defunctis; nam hæc obligatio in Militares Ciſtercienſes deriuata eſt ab Ordine Ciſtercienſi, & non reddita eſt grauior poſt ſeparationem ab eo Ordine; In quo, in Capitulo Generali celebrato in Gallia anno 1618. declaratum eſt, hanc obligationem dumtaxat vrgere ſub peccato veniali, vt teſtatur Caramuël *vbi ſupra, diſp. 103. art. 2. reſol. 8. num. 1355.* Alij autem Clerici Fratres, qui ſub Ordine Ciſtercienſi non extiterunt, eadem menſura ſunt metiendi; tum à paritate; tum quia in hac materia non eſt imponenda eis maior obligatio, quàm imponitur Religioſis non Militaribus ſub ſtrictiori diſciplina degentibus; tum demum quia expreſſa obligatio ſub lethali in ordine ad hoc nullibi continetur, & aptanda ſunt hic, quæ *ſuperius* pro deciſione primi dubij expendimus. Ad calcem quæſtionis obſerua, Equites Commendatarios non teneri ſub grauiori obligatione, quàm cæteros, ad recitandum Orationes, de quibus adhuc egimus, cum ex Commendis ea non reſultet obligatio. 27

Aduerte, etiam ſi quis ratione penſionis recitet Officium paruum B. Mariæ, & aſſumat Habitum Ordinis Militaris, poſſe ſatisfacere præcepto recitandi illud, dum recitet Orationes præſcriptas ſui Ordinis; nam Pius V. qui præceptum impoſuit, ſolùm obligauit ad recitandum Officium paruum eos, qui ad alias Orationes ratione ſtatus, ſiuè Ordinis Sacri, ſiuè Religioſi, non eſſent adſtricti, iuxta doctrinam Dianæ *p. 10. tract. 16. reſ. 95.* ex Bonacina, Caſtro Palao, & aliis. Idem dic, ſi poſtquam Habitum quis ſuſcepit, ei penſio conſtatur; eadem enim eſt ratio. 28

DISQVISITIO XIV.

De Monialibus Ordinum Militarium.

QVÆSTIO I.

Referuntur Monaſteria Monialium Ordinum Militarium, & aliqua communia ſupponuntur?

Non ſolùm virorũ, ſed etiã fœminarum erecta ſunt in Ordinibus Militaribus Monaſteria, in quibus illæ ſe Deo ſacrarent, eumque 1

cumque per omnia virtutum exercitamenta propitium redderent, vt Miles pro ſua Fide, & Eccleſia bellantes iuuaret; & ipſæ, calcatis ſæculi pompis, cœleſtem ſibi ſedem pararent. Subjecta ſunt hæc Monaſteria Ordinibus Militaribus; & vndique ſanè perilluſtria. Septem ſunt in Ordine Diui Iacobi, ſcilicèt Monaſterium Sancti Spiritus in vrbe Salmantina; Sanctæ Fidei in Toletana; Virginis Dominæ noſtræ de Iunqueras in Barchinonenſi; Sanctæ Crucis in Valliſoletana; Sanctæ Eulaliæ in Emeritenſi; Matris Dei in Granatenſi; & in Matritenſi Curia nuper fundatum eſt huius Ordinis Cœnobium. In Luſitania etiam ſunt Monaſteria Monialium earum Militiarum, quæ ibidem vigent, de quibus egimus *diſquiſition. prima*. Inter eos autem Ordines etiam floret Iacobæus.

2 Tria in Ordine Calatrauæ Monialium ſunt Cœnobia, nempè Monaſterium Sancti Felicis in ciuitate Burgenſi; Aſſumptionis Deiparæ in Oppido de Almagro; & Conceptionis Regiæ in Curia Matritenſi, vulgò *las Calatrauas*, quod dicebatur Sancti Saluatoris in Oppido *de Pinilla*; translatum poſteà ad Oppidum de Almonacir de Zorita; & hinc ad Curiam Matritenſem. In Ordine Alcantaræ duo erecta ſunt Monaſteria, alterum Sancti Spiritus in ipſo Oppido Alcantaræ; alterum Sancti Petri in Oppido de *Brozas*. In Ordine Diui Ioannis etiam ſunt ſacræ Monialium Domus in diuerſis Hiſpaniæ locis, vt Valliſoleti, Zamoræ, & in Oppido de Tordeſillas. Alia etiam ſunt Monaſteria Monialium, quæ licèt non ſint Militares, tamen quia in territoriis Ordinum ſunt, ſubduntur vel immediatè Magiſtro, & Regi noſtro Adminiſtratori perpetuo; ſiuè Prioribus habentibus iuriſdictionem in territoriis, & exindè etiam Senatui Ordinum.

3 Circa Moniales Militares plura ſunt in præſenti ſuppònenda, & aliqua ventilanda. Ea quidem diſcutiemus, quæ ſpecialiter ad eas, quatenùs ſunt ſub Ordinibus Militaribus, ſpectant. Cætera verò quæ ipſis ſunt communia cum aliis Monialibus, breuiter attingemus; cum non ſint noſtri ſpecialis inſtituti, & tomos integros hæc impleat materia. Videantur præter alios P. Franciſcus Pellizarius *in Manuali Regularium tota tractatione* 10. Ioſephus Gibalinus *in diſquiſitionibus Canonicis, de clauſura Regularium tota diſq*. 1. Nos ferè omnia libabimus *in ſequentibus*, quæ vel certa ſunt, vel noſtro iudicio probabiliora; Et quia dicenda vt plurimum competunt ſtatui religioſo, etiam viris regularibus aptari poterunt; qui quaſi per compendium, cuncta penè, quæ ad ipſos attinent ex obligatione votorum, ac proprij ſtatus poterunt hic præſtricta lectitare.

4 Simul ac Inſtitutores Religionum olim Regulam viris Religioſis tradiderunt, ſtatus etiam Monialium exordium habuit, vt aduertit P. Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 9. lib. cap. 10. num.* 11. Vbi agit, quomodo illæ votis ſe obſtrinxerint; quo habitu: quibus domibus, & ſimilia. Hinc cum aliquibus Ordinibus Militaribus Virorum cœperunt etiam Monaſteria Sanctimonialium, quæ ſub eorum ſubjectione, eodemquè Habitu dicatæ Deo vitam Religioſam agerent, ſequentes Regulam illorum; Et enim ſicut eſt de eſſentia Status Religioſi Monialium, emittere tria ſubſtãtialia vota, ſic eſt de ſubſtantia illius amplecti aliquã Regulã ex approbatis à Sede Apoſtolica, iuxta *c. vlt. de Relig. domil. & c. vlt. eod. tit. lib.* 6, & iuxta Regulam & inſtitutũ, quod ſectantur Moniales, aliæ dicuntur Monachales, aliæ Mendicantes, alia Canonicìſſæ; nec ad id opus eſt, vt aſſimilentur omninò viris Religioſis, ſed vt Regulam eorum obſeruent; vt aduertit Pellizarius *ſuprà cap. 1. num. 6.* Vnde etiam Moniales Militiarum dicendæ ſunt Militares. Inter ipſas Moniales datur ſua diuerſitas; cum aliæ ſint Choro addictæ, aliæ miniſteriis corporalibus inſeruiant, quæ dici ſolent *Conuerſæ, Laicæ, Sergentas*, vel aliis nominibus appellantur, & communiter aliqua in ornatu ſolet eſſe diuerſitas inter has, & Choriſtas. In Monaſteriis Militaribus hæc etiam differentia reperitur. Monialis addicta Choro poteſt transferri ad Statum Monialium Conuerſarum, nam non mutatur ſubſtantia ſtatus, ſiquidem omnes ſub eadem Regula emittunt tria vota ſubſtantialia; ſolùmquè indirectè tunc Prælatus tolleret obligationem recitandi Officium Canonicum, quatenùs conuerſæ ad illud non tenentur, vt animaduertit P. Thom. Sanchez *lib. 6. moral. c. 7. n.* 80. Imò conuerſa poſſet transferri ad ſtatum Choriſtæ; niſi obſter Decretum Sacræ Congregationis iuſſu Clementis VIII. editum die 19. Maij, anno 1603. quo injungitur, vt recepti ad ſtatum conuerſorum, adhuc tempore nouitiatus nequeant ad ſtatum Clericorum trãſferri. At ſi quis contendat, hanc deciſionem eſſe odioſam, & non extendendam ad Moniales, poterit ea tranſlatio fieri; ſed in Monaſteriis Militaribus eo caſu peragendæ eſſent informationes, quæ ad ſtatum addictarum Choro requiruntur, niſi iam fuiſſent peractæ.

Moniales

5 Moniales vitam contemplatiuam profitentur; non enim ſtat cum earum clauſura, & ſexu vita actiua ſpiritualis erga proximos. Non tamen eſt de intrinſeca ratione ſtatus Religioſi ipſarum clauſura, eſtò ſit valdè conueniens; Etenim tria vota ſubſtantialia poſſunt ſeruari abſque illo, vt olim ſeruabantur in proprijs domibus; vt conſtat ex *Canone* 33. *Concilij tertij Carthaginenſis.* Monialium receptio de Iure communi pertinet ad proprios ipſarum Prælatos, cum cõſenſu tamẽ ipſius Monaſterij, vt tenet Miranda *quæſt.* 8. *de Monialib. art.* 1. ita vt maior pars Capituli ſufficiat ad receptionem, vt declarauit Sacra Congregatio allata à Gauanto *in manud. Epiſc. verbo, Moniales*, *n.* 30. Nec ſtatutum in Iure, an ſuffragia debeant eſſe ſecreta; id expediens videtur, ſed ſtandum conſuetudini. Exploratio autem voluntatis puellæ extat in Tridentino *ſeſſ.* 25. *de Regular. cap.* 17. Quæ an facienda ſit ante receptionem, an ante Profeſſionem, an vtrobique, diſputant Tamburinus *de iure Abbatiſſarum diſp.* 4. *q.* 2. & alij; Communiter ſolùm fit ante Profeſſionem. Ita Lezana *tom.* 1. *cap.* 25. *n.* 12. Emanuel Rodriguez, Miranda, Diana, & plures, qui tuentur, ſic ſatisfieri præcepto Tridentini. Nequit dari expectatiua loci primò vacaturi per mortem Monialis alteri petenti ingreſſum in Religionem, neque in Capitulo de ea agere licet; Sic enim decreuit Sacra Congregatio Concilij allata à Quaranta *in Bullario*, *pag.* 462. Quod præ oculis habeatur in Monaſterijs Militaribus, in quibus numerus recipiendarum eſt præfixus. Si redditus creſcant, an poſſint aliquæ ſupra numerum recipi, diſceptatur. Probabile, & tutum eſt, poſſe, quia Decreta contraria ſolùm in id tendunt, ne Communitas grauetur. Ita Portel. *in dub. Regular. verbo, Monialis, in addit. n.* 1.

6 Conuerſarum numerus non debet excedere tertiam partem cæterarum; vt notat Moſconius *de maieſt. milit. Eccleſ. lib.* 1. *part.* 4. *cap.* 4. Vt autem fœmina in Monialem recipiatur, non eſt impedimentum, quòd virgo non ſit iuxta *cap. vidua*, 20. *quæſt.* 1. Quas autem qualitates debeat circa mores, & famam habere recipienda, tractat Tamburinus *vbi ſuprà q.* 3. Fœmina coniugata de conſenſu viri poteſt admitti in Monialem; imò abſque conſenſu intra bimeſtre poſt nuptias, ſi matrimonium non conſummauit, iuxta *cap. ex publico*, *de conuerſ. coniug.* poteſt etiam fœmina ante duodecimum annum recipi, nam Tridentinum *ſuprà* exigens, vt maior ſit duodecim annis, exponitur, non de ætate admittendæ, ſed de exploratione voluntatis poſt eam ætatem faciendæ, vt explicant P. Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 5. *cap.* 1. *n.* 9. & alij. At in aliquibus diœceſibus non licet ea receptio, nam in vſu eſt, & admiſſa declaratio ſacræ Congregationis Conſilij adducta à Vechio *in praxi. diſput.* 52. *n.* 9. recipi prohibens Moniales ante duodecimum annum. Si licentia Prælati adſit, & maior pars Conuentus conſentiat, etiam inuita ea, quæ illum gubernat, poteſt admitti fœmina in Monialem; Prælatus autem, non conſentiente maiori parte, nequit cogere, vt aliqua recipiatur, niſi conſtet eſſe rationabiliter inuitas Moniales, & idem dicito de Profeſſione; ſic P. Pellizarius *vbi ſuprà cap.* 2. *n.* 34. *& cap.* 3. *quæſt.* 25. poſt conſultum de hoc noſtrum Cardinalem Lugo. Claudam, gibboſam, cæcam, mutam, & ſimiles nullo Iure prohiberi, quominùs in Moniales admittantur, docet idem Pellizarius *eo tom.* 2. *tract.* 10. *cap.* 2. *ſect.* 1. *n.* 12. Mutas etiam admitti nonſemel, eſt certum; & mutam ego Monialem agnoui; aliæque nunc temporis ſunt huiuſmodi.

Nouitiæ Muniales in loco ſeparato à cæteris debent habitare; extat enim de hoc Decretum ſacræ Congregationis, quod affert Gauantus *in manual. Epiſcop. verbo, Monialium receptio*, *n.* 39. Ante Profeſſionem annus integer in Nouitiatu eſt peragendus, iuxta Tridentinum *ſeſſ.* 25. *de Regularibus, cap.* 15. Etquidem completus eſſe debet de momento ad momentum, vt cum communi docet P. Leſſius *de iuſt. lib.* 2. *cap.* 41. *n.* 59. Quod ſi Nouitia per aliquod anni tempus egrediatur ex Monaſterio, curandæ valetudinis cauſa, non ideò interrumpitur annus probationis, vt ſacra Congregatio Cardinalium declarauit, teſte P. Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 15. *cap.* 14. *n.* 13. Prætereà ſi initio anni probationis in ſtatu Conuerſæ cœpit Nouitiatum agere, & ad ſtatum Choriſtæ admittatur, vel è contra, annus continuatur, cum fuerit ſemper ſub obedientia Superioris, nec opus ſit, toto anno experiri aſperitates, & miniſteria ſtatus, in quo emiſſura eſt Profeſſionem; ſat eſt, experiri in genere, quamvis non in ſpecie. Ita cum Bordono, Lezana, Sanctarello, & alijs docet Diana *part.* 9. *tract.* 6. *reſolut.* 12. Nec interrumpitur annus probationis, ſi Nouitia ex vno Monaſterio tranſeat in aliud de licentia Prælati; ſicut ſi Nouitius, iubente Superiore, ab vna Domo ad aliam pergeret. Si verò Nouitia recedat à Monaſterio, animo deſerendi Religionem, licèt pœnitentia ducta redeat poſtmodùm, annus Nouitiatus interruptus cenſetur, 7

& nequit iterùm admitti abſque licentia prælati. Ita communis.

8 Iuxta Tridentinum *ſeſſ. 25. de Regular. cap.* 16. renuntiatio bonorum nequit fieri niſi intra duos menſes proximos ante profeſſionem (Vbi nihil innouari circa conſuetudinem Societatis IESV, circa tempus renuntiationis faciendæ, ipſum Tridentinum declarat) Quo decreto includitur renuntiatio irreuocabilis, quæ difficilem reddat egreſſum è Religione, non verò aliæ donationes, aut obligationes, veluti teſtamentum, donatio cauſa mortis, donatio ſub conditione, *ſi perſeuerauero*, nec alij contractus. Videatur P. Caſtro Palao *tract.* 16. *diſp.* 1. *p.* 17. Debet autem licentia Prælati præcedere renuntiationem: ſufficitque fieri vltimo die bimeſtris, vt docet Barboſa *de officio Epiſcop. alleg.* 99. *n.* 11. Bona autem tradi debent renuntiatario ſtatim, ac fit renuntiatio, eſtò dominium non transferatur, niſi ſecuta profeſſione. Ita P. Thom. Sanchez *lib.* 7. *mor. cap.* 5. *n.* 62. Nec requiritur ceſſio, aut conſenſus Monaſterij ad renuntiandum in fauorem alterius, eſtò ſit conueniens ad euitandas lites, cum aliqui cenſuerint, requiri. Nec poteſt renuntiatio ſemel facta intra bimeſtre reuocari ante Profeſſionem, vt docet idem P. Thom. Sanch. *num.* 58. Fructus autem bonorum à tempore renuntiationis, vſque ad profeſſionem, pertinent ad renuntiantem, non ad renuntiatarium. Quòd ſi Nouitia moriatur ante profeſſionem, poterit per teſtamentum reuocare renuntiationem, cuius valor tunc ceſſat, cum non fuerit profeſſio ſecuta; attamen valebit renuntiatio, ſi non reuocetur in eo caſu, quamvis oppoſitum ſit probabile. Ita P. Caſtro Palao *ſuprà p.* 16. *n.* 2. At ſi Nouitia egrediatur è Religione, corruit renuntiatio, quamvis poſteà ad illam redeat; Idem dicito, ſi tranſeat ad alium Ordinem. Vide P. Pellizarium *ſuprà cap.* 2. *n.* 73. Si profeſſio ſit inualida, non firmatur per illam renuntiatio, nam Tridentinum intelligendum eſt de vera profeſſione firmante renuntiationem, non de præſumptione profeſſionis, vt aduertunt P. Thomas Sanchez, & Caſtro Palao *locis relatis*.

9 Profeſſio non redditur inualida ex eo, quòd non præceſſerit exploratio voluntatis Nouitiæ. Ita declarauit Congregatio Cardinalium apud Barboſam *de officio Epiſcop. alleg.* 100. *num.* 9. Fieri autem debet profeſſio de conſenſu maioris partis Capituli, nam quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet, *reg.* 29. *de regul. iuris lib.* 6. & præterea de licentia prælati. Acceptatio autem profeſſionis fieri valet tum à prælato, tum à Superioriſſa Monaſterij, cum non ſit actus iuriſdictionis propriè, quamvis aliqui contrarium ſentiant, & requirant ad valorem profeſſionis acceptationem prælati. At *in cap. conſuluit, Qui Clerici, vel vouentes*, inualida decernitur profeſſio cuiuſdam fœminæ, eo quòd illam non emiſerit in manu Epiſcopi, aut Abbatis, vel Abbatiſſæ; ergo ſupponitur, in manu Abbatiſſæ acceptantis validè poſſe emitti. Ad profeſſionem requiritur annus decimus ſextus completus, in Tridentino *ſuprà cap.* 15. Cæterùm ex indulto Pij V. facto Monialibus S. Dominici, ſi Nouitia incidat in periculum mortis, poteſt profiteri ſolemniter ante annum expletum probationis; Quod indultum non fuiſſe reuocatum per Gregorium XIII. docet Emanuel Rodriguez *tom.* 3. *qq. reg. quæſt.* 15. *art.* 16. atque adeò illud communicant Religiones gaudentes participatione priuilegiorum, qua gaudent Militares. Cæterùm profeſſio Militarium acceptatur, & fit ex Decreto Senatus Ordinum, à Rege, vt Adminiſtratore, & prælato Supremo Ordinum, ſubſcripto.

Ex cauſa iuſta poteſt protrahi profeſſio 10
Monialis poſt expletum probationis annum; ad profeſſionem autem Nouitiæ addictæ Choro nequeunt admitti, niſi ſciant legere, vt declarauit Congregatio Cardinalium die 12. Ianuarij, anno 1604. allata à Tamburino *de iure Abbat. q.* 7. *n.* 3. Quod ad Conuerſas non extenditur. In hoc autem diſpenſari video à prælatis, cum vtilitas Monaſterio accreſcit. Quin cum mutæ poſſint recipi in Moniales, cernitur, requiſitum præfatum non eſſe eſſentiale. Qui iniuſtè cogunt Nouitiam emittere profeſſionem, incurrunt excommunicationem latam in Tridentino *ſeſſ.* 25. *de Regularibus, cap.* 18. Eandem contrahunt, qui eam impediunt, ne liberè profeſſionem emittat. Iam profeſſa poteſt tranſire ad Religionem arctiorem iuxta dicta *diſq.* 3. Licentia autem requiſita ad tranſitum debet eſſe prælati, vt tradit Bonacina *quæſt.* 2. *de clauſura*, §. 1. *difficult.* 1. *n.* 11. Attento rigore iuris, Monialis profeſſa incorrigibilis poteſt è Religione ejici, non verò attento Decreto ſacræ Congregationis allato à Lezana *tom.* 1. *cap.* 25. *num.* 17. in quo requiritur, Sedem Apoſtolicam conſuli. Vt autem corrigatur, poteſt ad aliud Monaſterium transferri; Quam tranſlationem ex quavis cauſa Congregatio ſacra prohibuit, iuxta Barboſam *in collect. Bullar. verbo, Monialium tranſlatio*; Sed eam declarationem eſſe authenticam, plures negant, vt colligitur

ex

ex Diana *p. 5. tr. 2. reſ. 96.* & praxis ei opponitur.

11 Inualida eſt profeſſio facta ex metu cadente in conſtantem virum, non quidem ex iure naturæ, ſed ex iure Canonico, vt probat P. Suarez *tom. 3. de relig. lib. 6. cap. 4. n. 8.* Item facta ex metu reuerentiali, ſi alia ſimul concurrant, vt imperij repetitio, precum importunitas, grauis offenſio, diu durata indignatio, & ſimilia. De quibus P. Layman *lib. 4. ſumm. tract. 5. cap. 5. num. 6.* Nec valet profeſſio, ſi fiat cum dolo, errore, aut ignorantia circa ſubſtantialia Religionis, v. g. ſi Nouitia in profeſſione cenſeat, ſe non obligari in perpetuum, aut non priuari dominio rerum; Secùs ſi error ſit circa accidentalia; etenim ignorantia, & error circa ſubſtantiam cauſant inuoluntarium; dum tamen ignorantia non ſit affectata. Nec valet, ſi fiat ex ira, aut alia animi paſſione, quæ iudicium obtenebret, & deliberationem impediat, cum debeat eſſe promiſſio deliberata. Nec eſt valida, ſi fiat abſque animo ſe obligandi; eſtò in foro externo poſſit profeſſa compelli ad ſeruandam ſuam profeſſionem; in interno verò non tenetur, ſecluſo ſcandalo, vt docet P. Caſtro Palao *tractat. 16. diſput. 2. part. 4. n. 3.*

12 Tenet Profeſſio facta à Nouitia occultante aliquod impedimentum, quod ex ſe non irritat profeſſionem, eſtò non admitteretur ad illam, ſi manifeſtaſſet; nam ignorantia circa accidentia non facit, vt liberè Moniales eam non admittant, cum ſit circa accidentia eiuſmodi ignorantia. Ita Emanuël Rodriguez *tom. 3. quæſt. 1. art. 9.* Tenet etiam, quamvis Nouitia toto anno probationis ægrotauerit, nec experta fuerit aſperitates Religionis, nam ſufficit eas experiri in genere, viuendo ſub obedientia. Sic P. Thom. Sanchez *lib. 5. mor. cap. 4. n. 52.* Adhuc valida eſt profeſſio, quamvis admittens eam recipiat ex metu cadente in conſtantem virum, nam hic ad annullandum profeſſionem inductus eſt ex iure poſitivo, quod ſolùm verſatur circa ipſum emittentem profeſſionem, nec eſt extendendum. Ita P. Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 6. cap. 4. n. 19.* Probabilis eſt opinio oppoſita.

13 Si Ordinarius explorator voluntatis Nouitiæ dicat, eam eſſe indignam profeſſione, validè, ſed illicitè ad profeſſionem recipietur, niſi caſu quo Ordinarius ſit Prælatus Monaſterij, & prohibeat, admitti ad Profeſſionem, nam cum prælatus id prohibet, ſuſpendit poteſtatem Superioriſſæ ad acceptandam profeſſionem. E contrà verò nequit prælatus cogere Moniales, vt Nouitiam admittant ad profeſſionem, ſi rationabiliter ſint inuitæ; ſi verò irrationabiliter, valet ipſe acceptare profeſſionem. Videatur P. Pellizarius *vbi ſuprà cap. 3. ſec. 1. ex num. 33.* Monialis profeſſa poteſt reclamare contra nullitatem profeſſionis, ſeruatis conditionibus ſtabilitis in Tridentino *ſeſſ. 25. de Regularib. cap. 19.* De admiſſione, & profeſſione hermaphroditi, vide plura apud Dianam *part. 5. tract. 14. reſol. 49.* P. Thomam Sanchez *vbi ſuprà n. 41.* Portel. *in dub. regular. verbo, Profeſſio hermaphroditi.*

Dicta adhuc & dicenda omnino aptanda ſunt Monialibus Ordinum Militarium; Quin plura ex illis circa Nouitiatum, & profeſſionem pariter congruunt Viris Militiarum, dum Nouitiatum, & profeſſionem peragunt, & ſuo reſpectu, ac proportione ſeruatis, eis ſunt applicanda. 14

QVÆSTIO II.

Libantur alia in communi de Monialibus, quæ Militaribus ſunt adaptanda.

Pro admiſſione Monialis dos recipitur abſque labe ſimoniæ; nam ſicut in matrimonio carnali poteſt attendi ratio Sacramenti, & onus ſuſtentandi coniugem, ac familiam, cuius intuitu dos recipitur; ita in matrimonio ſpirituali, ſeu profeſſione, conſiderari valet ſtatus ſpiritualis, & onus ſuſtentandi Monialem; & hoc eſt temporale, ac pretio æſtimabile; quare valet exigi ad id dos, & fieri pactio ſuper illa, quamvis Monaſterium ſit opulentum, vt non decreſcat opulentia, ſicuti ex variis aliundè euentibus ſolet. Videatur P. Layman *lib. 4. tr. 10. cap. vlt.* Taxanda autem eſt quantitas dotis à prælatis Monaſteriorum iuxta loci conſuetudinem, & circumſtantias. Ita Tamburinus *de iure Abbatiſſarum, diſp. 5. quæſt. 4.* Qui *quæſt. 7.* docet, Moniales non poſſe admittere Religioſam Choriſtam abſque ſolutione dotis, ſic verò Conuerſam, quia in Conuerſarum admiſſione attenditur neceſſitas Monaſterij ad operas domeſticas. Hinc ſi etiam eſſet neceſſaria Choriſta ad cantum, ſeu muſicam, poſſet ſine dote recipi, quod frequenter contingit. Dos autem non eſt ſoluenda ante tempus profeſſionis; ſed deponenda, aut cautio de illa præſtanda. Poterit tamen, ſi neceſſitas Monaſterij, aut maius commodum Nouitiæ vrgeat, de licentia prælati dos tradi ante profeſſionem, 15

Digitized by Google

præſtita cautione, quòd ſit reſtituenda, ſi Nouitia nolit Profeſſionem emittere, Ita P.Suarez *tom.4. de Relig. tract.9. lib.1. cap.* 11. Sic enim videtur ſatisfieri menti Concilij Tridentini prohibentis traditionem dotis ante tempus Profeſſionis *ſeſſ.25. de Regular. cap.*16. Hinc P. Thóm. Sanchez non audet improbare ſententiam aſſerentium, poſſe Monaſterium ante Profeſſionem recipere è bonis Nouitiæ aliquid mutui, aut commodati titulo. Sic *lib. 7. moral. cap. 5. num* 24. Tutior eſt oppoſita ſententia. Videatur P. Suarez *tom.3. de relig. lib.5. c.9. n.16.*

16 Valor monetæ in dote ſoluenda attendendus eſt iuxta tempus contractus. Sic Lezana *verbo, dos, num.* 3. Si differatur ſolutio dotis, poteſt Monaſterium exigere, ac recipere aliquid ratione damni emergentis re vera, non verò lucri ceſſantis. Primum enim admittitur vt licitum reſpectu omnium coutractuum, & perſonarum; ſecundum verò ſolis negotiatoribus; viris autem Eccleſiaſticis iure Eccleſiaſtico interdictum eſt, negotiari. Ita Emanuël Rodriguez *tom.1. qq. Regular. art.*7. Miranda, Tamburinus, & alij. Dotem in pecunia ſolui debere, non in bonis ſtabilibus, declarauit Sacra Congregatio adducta ab eodem Tamburino *vbi ſuprà quaſt.7. num.2.* ſed cenſet, poſſe in his bonis ſolui, ſi ceſſet fraus, quam Congregatio vitare intendit, ne bona illa taxentur nimio pretio à ſoluente dotem. Si transferatur Monialis ab vno ad aliud Monaſterium ſponte ſua, non debet tradi dos à primo, nam non ſoluitur ſub conditione, *ſi permanſerit*; ſed *ſi profeſſa fuerit.* Ita Bonacina *quaſt.2. de clauſur. quaſt.6. §4. diffic.2. n.6.* Si propter delictum extrahatur Monialis à Monaſterio, & dos fiſco applicetur, non tenetur Monaſterium eam alere. Sic P. Fagundez *lib.4. Decalog. cap.*13. *n.*24. Dotes alienari poſſe, ſi ſint Monialium intra numerum præfixum; ſi verò extra illum, debere impendi in bonis ſtabilibus (etiam ſi ſint dotes Conuerſarum) declarauit ſacra Congregatio Cardinalium, die 6. Iunij, anno 1615. allata ex Cauanto à Tamburino *vbi ſuprà n.6.* Sed de his conſulantur Peyrinus *in formul. lit. B. c.1.* Lezana *tom.2. c.19. n.57.*

17 In Profeſſione communiter velum Moniali imponitur; vel vt ſignificetur, aſſumi eam in Chriſti ſponſam, cum olim ſponſæ, velato capite, viris traderentur; vel vt denotetur, eam renuntiare ſæcularibus pompis, & ornatibus, cum fœminæ ornatui capitis valdè incumbere ſoleant, quæ cura, velando illud, negligitur; vel ob alias rationes, quæ paſſim reperientur. De velo, benedictione, & conſecratione Monialium plura iuuenies apud P.Suarez *tom.4. de relig. lib.1. tract.9. cap.11.* P.Pellizarium *tom.2. manual. Regular. tract.10. cap.3. ſect.3.* Barboſam, Tamburinum, Mirandam, Leſſium, Filiucium, Azor, & alios.

Votum Paupertatis obligat Monialem, vt à ſe abdicet bonorum omnium proprietatem, ſeu liberam, & independentem facultatem diſponendi de bonis, & ad id ſe reddat incapacem in perpetuum, ita vt omnis diſpoſitio abſque licentia Prælati ſit illicita, & inualida, vt colligitur *ex cap. ne dicatis, 12. quaſt.1. cap. Monachi, cap. ſuper quandam. c. cum ad Monaſterium, de ſtatu Monach.* Poteſt tamen Monialis retinere aliquos redditus annuos inſumendos cum licentia; nam id conſuetudo induxit, annuentibus Prælatis, eo quòd Monaſteria non omnia neceſſaria miniſtrent. Ita Azor *tom.1. institut. moral. lib.12. cap.9. quaſtion.* 2. Debent autem eſſe moderati, ſcilicèt iuxta ſtatum, gradum, ac conditionem Monialium. Tridentinum autem *ſeſſ.25. de regular. cap.2.* prohibens vſumfructum bonorum immobilium, intelligitur de vſufructu habito vt proprio, & irreuocabili per Prælatos. Ita P.Thom. Sanchez *lib.7. moral. cap.22. num.11.* Et *cap.17. n.8.* ait, neque de licentia papæ poſſe retinere Monialem aliquid ad vſum irreuocabilem, niſi papa intendat abſoluere eam à voto paupertatis; nam is actus eſſet proprietarius, & oppoſitus voto, quo quis ſe reddit incapacem adquirendi dominium. Id tamen intelligo de voto paupertatis, quale communiter emittitur à Religioſis non Militaribus, ac etiam à Clericis Fratribus, & Monialibus Militaribus; verùm, vt *diſq.4.* oſtendi, poteſt pontifex moderari Votum paupertatis, ita vt emittatur ab Equitibus Militiarum, cum exigua dependentia à prælatis in bonorum diſpoſitione, & eorum proprietate: ſed an, permanente eſſentia ſtrictæ Religionis, diſcuſſi, *diſquiſ.2. quaſt.2.* 18

Poteſt monialis acceptare legatum ei relictum ſub conditione quod Superior permittat, illo frui, & aliàs transferatur in alterum; nam hæc conditio non eſt turpis. Ita P. Molina *de inſtit. & iur. diſp.140. tom.* 1. Monialis valet ſuccedere ab inteſtato in hæreditatem, & recipere legatum ex teſtamento, ſi Ordo ſit capax hæreditatis, aut legati (quales ſunt Militares) ſed ea acquiruntur Monaſterio. Sic P. Thomas Sanchez *ſuprà cap.25. & 26.* Nequit autem habere ſuperflua, habito reſpectu ad Religionem, Monaſterium, gradum, nobilitatem, 19

nobilitatem, & ſimilia; Si autem bona fide ea retineat, non eſt ei nimius ſcrupulus injiciendus, maximè ſi non ſperetur, admonitionem fore profuturam, vt idem Sanchez aduertit *ſuprà c.22.n.17.*

20 Si Monialis licentiam obtineat ad expendendum peculium, in quoſvis vſus maluerit, etiam ſi in illicitos expendat, probabile valdè eſt, non peccare contra Votum Paupertatis (eſtò peccet contra aliam virtutem) nec accipientem teneri reſtituere; nam Superior non cenſetur limitaſſe licentiam ad vſus honeſtos, ſed quantum eſt ex parte ſua, abſtuliſſe impedimentum, vt vſus non ſit contra votum paupertatis. Ita Cardinalis Lugo *de iuſt. & iur. diſp. 3. num. 142.* Bañez, Rebellus, Salas, Sayrus, Lopez, & Diana ab illo allati. Poteſt Monialis eleemoſynas moderatas facere ex licentia tacita Superioris, quæ colligitur ex conſuetudine Monaſterij, ſcientibus, & conſentientibus Prælatis. Quin abſque licentia poſſe elargiri ſuam portionem, docet Diana *part.1.tract.6. reſolut. 28.* nam in rebus, quæ vnicò actu conſumuntur, nequit ſeceri vſus à dominio, & cui vſus conceditur, videtur omnimoda diſpoſitio conceſſa. Nequit Monialis in morte diſponere de ſuis bonis, quia eorum vſum dumtaxat habet, & vſus finitur in vſuario; poteſt tamen rogare Superiorem, vt ratam habeat aliquam diſpoſitionem. Hinc Sacra Congregatio declarauit, non eſſe concedendam facultatem Monialibus ad diſponendum de propriis cellis poſt mortem; Refert eam Barboſa *de iure Eccleſiaſtic. lib.1.cap.44. num.59.* Nec valet teſtari de bonis, quorum vſumfructum retinuit, nec poteſt ad id licentiam concedere Superior; quia teſtari, ſapit naturam dominij, ideòque iure Eccleſiaſtico eſt interdictum Religioſis. Sic P. Sanchez *lib. 7. moral. cap. 8. num. 19.* Qui *cap.11. num. 5.* etiam tradit, non poſſe Monialem reuocare teſtamentum à ſe conditum ante Profeſſionem, nam qui nequit tunc condere, nequit reuocare; nec valebit poteſtas, ſi eam ſibi reliquit, reuocandi teſtamentum poſt profeſſionem.

21 Monialis occultans res cum licentia habitas, ne reperiantur à Superiore viſitante, violat paupertatem, ſi eo animo occultet, ne auferantur, minimè parata ad eas tradendas; is enim animus eſt proprietarius; Secùs ſi occultet ob vitandam confuſionem, vel verecundiam, parata tamen eas tradere, ſi poſcantur. Idem dicito de Clerico Fratre occultante aliquid, ne Prælatus in illud offendat, dum ſcrutinium peragit. Imò ſi habet licentiam à Prælato, poteſt Monialis occultare Abbatiſſæ, ne hæc curet, ab ipſo Prælato eas res tolli; ſufficit enim dependentia à Prælato, ne proprietaria ſit. Sic Cardinalis Lugo *vbi ſuprà num. 156.* Habens licentiam ad expendendam ſummam in aliqua re determinata, nequit in alia expendere, abſque licentia ſaltem præſumpta; nam dum prima licentia non extenditur, ſaltem præſumptivè, ad alium vſum, perindè eſt, ac ſi abſque licentia ſumma expendatur. Sic cum aliis Tamburinus *de iure Abbatiſſar. diſput.9. quaſtion.3. num.19.* Nec poteſt dare vni, quod ad concedendum alteri, Superior permiſit, ob eandem rationem. Sic Barcus *in ſpeculo cap. 6.* Si Monialis accipiat aliquid non ſibi, ſed Communitati, cui illud tradat, non peccat, quia præſumitur licentia. Nec peccat, ſi accipiat ſibi ea, quæ ex bonis Monaſterij ſibi eſſent præſtanda, dum non accipiat, nec retineat cum maiori proprietate, aut ſeruatione, quàm ſi à Monaſterio acciperet; nam in acceptione abſque ea proprietate, perindè eſt, ea tenere, ac vſui communi deputare; in quo tamen attentè debet procedi, ne animus proprietarius irrepat. Videatur P. Pellizarius *vbi ſuprà cap.4. ſect. 1. ex n.37.*

Valet Monialis ſibi accipere neceſſaria ex bonis communibus Monaſterij, ſi iniuſtè ſibi à Superioriſſa denegentur, nam hæc tunc abutitur ſua poteſtate, & bona communia deuoluuntur ad ſubditos. Ita P. Thom. Sanchez *vbi ſuprà lib.4. cap.9. num. 54.* Sumere eſculenta, & poculenta ex bonis communibus, dum non ſint pretioſa, non eſt peccatum lethale, cum Religioſi habeantur vt filij reſpectu patris; non tamen poſſunt accipi, vt extraneo concedantur. Sic P. Suarez *tom.3. de Relig. lib.8. cap. 11. n.41.* Monialis, quæ cogitur exercere officium Conuentus, requirens plures expenſas, quàm ſibi conceduntur, & non potens ex ſuo peculio eas ſuſtinere, valet ex bonis communibus accipere, cum locum habeat tunc rationabilis compenſatio, nec ea teneatur ad impoſſibile. A conſanguineis autem, vel amicis poteſt eas expenſas accipere ex præſumpta licentia Superioris illud officium commendantis. Ex bonis communibus, vt ex bibliotheca, accipere aliquid ad vſum temporalem ſine licentia, non eſſe peccatum contra paupertatem, tuetur P. Azor *tom. 1. inſtit. mor, cap. 12. quæſt.3.* Nequit Monialis accipere aliquid ſine licentia ad proprium vſum, relicto dominio penes donantem, nam vſus ipſe eſt pretio æſtimabilis. Poteſt 22

autem petere ab eo, vt deponat pecuniam, apud aliquem, vt ſic eam promptiorem habeat ad vſum, poſceudo licentiam; & quamvis deponens habeat animum transferendi dominium, nihil refert, cum non acceptetur tranſlatio, & ſine acceptatione non transferatur. Sic P. Sanchez *ſuprà n.*49. *&* 59.

23 Poteſt Monialis accipere aliquid, animo petendi licentiam à Superiore mediato, relicto interim dominio penes donantem; & item accipere, ſub conditione, ſi Superior conceſſerit licentiam, ſub qua etiam poteſt alienare. Sic Cardinalis Lugo *de iuſt. & iur. diſput.*3. *num.*161. Si accipiat abſque licentia quantitates paruas, quæ demùm conficiant quantitatem notabilem, lethaliter peccat; ſi tamen ſint eſculenta, multò maior quantitas requiritur ad lethale; quippè circa primum inuitus cenſetur Superior, non circa ſecundum, niſi ſit magna quantitas. Ita P.Pellizarius *ſuprà num.* 47. Obtenta licentia ab Abbatiſſa alienandi aliquid, & ſuccedente noua Abbatiſſa, quamvis cenſeatur, hanc non fore conceſſuram eiuſmodi licentiam, poteſt ſubdita illud alienare, quia eſt gratia facta, quæ non expirat, dum non reuocatur; quare etiam ſi ſciat, voluiſſe primam Abbatiſſam reuocare illam,imò & ſignificaſſe id alteri, dum non intimatur reuocatio, licentia durat. Imò ſi ſubdita ſtatuiſſet apud ſe non alienare eam rem, poteſt mutare animum, & alienare,cum iam ſit ſemel ablatum impedimentum. Sic idem Pellizarius *ex num.* 49. Mutuare, aut commodare res propriis vſibus conceſſas non eſt lethale; quia vſus non perpetuus libri, v. g. aut tunicæ, & ſi ſit in ſe æſtimabilis, cum ſit vſus temporalis, non adeò æſtimatur, vt peccatum lethale ſit, maximè inter ipſos domeſticos, reſpectu quorum facilè licentia præſumitur..Sic P. Layman *lib.*4. *tract.*5. *cap.*7. *n.*4. In mutuo tamen, cum transferatur dominium, poteſt reſpectu extraneorum, tàm in datione, quàm in acceptione, peccatum lethale reperiri; ſed maior quantitas ad id requiritur, quàm ſi dono acciperetur, cum ſit minor moralis illius æſtimatio, Sic P. Suarez *vbi ſuprà, cap.*11. *num.*44. Commutare vnam rem pro alia ſimili, aut æquali, non eſſe lethale, tuentur aliqui & præſumitur ſanè licentia ſaltem quoad ſubſtantiam. Videatur Diana *part.*1. *tract.*6.*reſ.*38.

24 Non peccat contra paupertatem Monialis recuſans, etiam ſine cauſa, res ſibi donatas, nam ex vi voti non tenetur acquirere; at peccat contra charitatem impediens bonum Monaſterij, ſicut peccaret, qui à volente relinquere alicui legatum,rogaret, ne relinqueret. Ita P. Fagundez *lib.*7. *in decal.cap.*7.*n.*5. Accipiens aliquid diſtribuendum pauperibus nomine dantis non peccat contra paupertatem, cum ſibi nec dominium,nec vſum acceptet. Sic contra plures Diana *ſuprà, reſolut.*29. Recipiens in depoſitum quantitatem grauem, non peccat contra paupertatem, ob rationem *nuper* attactam; peccat tamen aliundè ob contractum grauem, & obligationem ſuſceptam abſque licentia. Quòd ſi detur licentia, imò ſi Superior, vt perſona priuata, depoſitum accipiat, non tenetur Monaſterium compenſare, ſi amittatur, aut deterioretur, cum non fuerit obligatum, nec conſenſerit; nec licentia Prælati tendat ad id, vt Monaſterium obligetur. Sic P.Caſtro Palao *tr.*16.*diſp.*4.*p.*13. §.4. *n.*3.

Cum Monialis habet licentiam dandi aliquid, non indiget alia Monialis eiuſdem Monaſterij licentia ad accipiendum; ea enim videtur eſſe mens Superioris. Sic contra aliquos Cardinalis Lugo *de iuſt. diſp.* 3. *num.* 164. Et addit *num.* 150. eam, quæ habet facultatem dandi, & accipiendi, poſſe vendere, & emere; nam ſub ea facultate comprehenditur licentia acquirendi, & transferendi dominium; vnde cum licentia ſola dandi non poſſet vendere, cum venditio ſit pretij acquiſitio; nec ea licentia extenditur ad negotiationem Religioſis prohibitam. Dans cum licentia alicui, qui peccet accipiendo abſque licentia, & ſi delinquat contra charitatem, quia eſt occaſio ruinæ proximi, non verò contra paupertatem; ſicut non peccat contra caſtitatem, qui præbet alteri occaſionem violandi illam,& non cum ipſo. Ita contra P.Thomam Sanchez Cardinalis Lugo *ſupr. numer.* 162. 25

Licentia excuſans à violatione paupertatis eſt expreſſa, vel tacita, vel præſumpta. De quibus conſulatur P. Pellizarius *ſuprà cap.*4. *ex num.* 62. Communiter autem peccatur venialiter vtendo licentia præſumpta,quia Superior inuitus eſt quoad modum. Sic Nauarrus *tom.* 2. *de regul. num.* 20. Conſuetudo recepta in Monaſterio excuſat à vitio proprietatis; intelliguntur enim Superiores conſentire. Ita P. Thom. Sanchez *lib.*7. *mor. cap.* 19. *num.* 7. Monaſteriorum Superioriſſæ poſſunt licentiam concedere ad quamvis quantitatem dandam, vel accipiendam, dum ſit iuſta, & aliundè poteſtas non ſit eis reſtricta; ipſæ enim habent adminiſtrationem Conuentuum, & ſub earum obedientia ſubditæ verſantur. Quæ accepit aliquid iniuſtè ex bonis Monaſterij, 26

Monaſterij, tenetur ex proprio peculio compenſare; quæ compenſatio non eſt reſtitutio, cum non niſi ex bonis propriis Monaſterij; tamen eum ſola impotentia eam excuſet à reſtitutione, & non ſit impotens abdicare à ſe vſum proprij peculij, ad id tenetur. Quòd ſi extraneo aliquid de ſuo abſque licentia eoucedat, non teneri ad reſtituendum Monaſterio tenet Syluester *verbo*, *relig.* 8. *quæſt.* 3. Et eum, qui accipit, non debere illud reſtituere, per accidens, (eſto per ſe loquendu debeat) eo quòd præſumatur, Religionem conſentire, ne ipſius honor, aut dantis, periclitetur, docet P. Caſtro Palao *tract.* 16. *diſp.* 3. *part.* 23. *num.* 5. Monialis accipiens aliquid abſque licentia debet reddere Monaſterio (cui hoc ipſo acquiritur) & non danti, niſi conſtet de expreſſa, aut tacita voluntate dantis, non aliter à ſe abdicaſſe dominium eius, niſi cedat in proprium vſum Monialis, independenter à Superiore. Ita P. Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 8. *c.* 11. *n.* 35.

QVÆSTIO III.

Attinguntur alia communia Monialibus, & aptanda Militaribus.

27 VOtum Caſtitatis emiſſum à Monialibus eſt impedimentum dirimens matrimonium, vt conſtat ex Tridentino *ſeſſ.* 24. *de matrim. Can.* 9. Ex vi illius voti tenentur abſtinere ab omni actu venereo externo, & interno deliberato, & à delectatione moroſa, quamvis conjungatur cum propoſito uon committendi actum exteriorem. Ita P. Suarez *tom.* 3. *de relig. lib.* 9. *cap.* 2. *num.* 2. Pœna autem Monialis permittentis, ſe violari, eſt carcer perpetuus, iuxta *cap. impudicas*; 27. *quæſtion.* 1. Peccatum contra Caſtitatem inuoluit maliciam ſacrilegij, poſt emiſſum votum; Gloſſa autem *in cap. virginibus*, 27. *quæſt.* 1. aſſerens tria crimina committi in violatione eius voti, exponitur communiter ſano modo, ita vt ſignificet, reperiri ibi quaſi tres circumſtantias aggrauantes intra eandem ſpeciem; ſufficit autem exponere circunſtantiam ſacrilegij in Confeſſione, & ſtatum complicis. Omnes cæterùm actus, qui ſecundùm ſe ſunt contra virtutem Caſtitatis, in Moniali profeſſa ſunt ſacrilegia. De Voto Caſtitatis Monialium Ordinis D. Iacobi redibit ſermo *infrius.*

28 Tenentur Moniales ex vi Voti obedire omnibus Superioribus, quibus ſe ſubjiciunt, cum emittunt Profeſſionem. Hinc Moniales Militares tenentur obedire Regi noſtro, Capitulo Generali, Senatui Ordinum, & Viſitatoribus, eo modo quo *diſq.* 6. locuti ſumus de cæteris Regularibus Militarium, & ibi dicta Monialibus reſpectiuè ſunt adaptanda. Et expreſſè Iulius II. in Bulla, quæ incipit, *Ex debito*, expedita 12. Calendas Iunij, anno 1506. conceſſit Regibus Hiſpaniæ erga Moniales Ordinum Militarium; *Omnimodam*, *& ſupremam in temporalibus per ſe ipſum*; *& in ſpiritualibus per aliquam pro tempore ad id eligendam*, *& ad eius nutum amouendam*, *eiuſdemque Militia perſonam idoneam* (loquitur de Iacobæa; idemque de cæteris in aliis Bullis generaliter conceditur) *Superioritatem*, *correctionem*, *dominium*, *iuriſdictionem*, *& authoritatem.* Debent Moniales obedire Superiorissæ iuxta poteſtatem, cuius ipſa eſt capax; communior autem ſententia docet, non poſſe illam præcepta ſanctæ obedientiæ imponere, ſicut non poſſunt Principes, & Iudices ſæculares, niſi ex ſpeciali conceſſione Pontificia; quia ſolum habet poteſtatem domeſticam, & ciuilem, ſicut habet mater in filios, & Magiſtratus ciuilis in ciues; imponere autem præcepta ſanctæ obedientiæ eſt actus iuriſdictionis ſpiritualis; Ita P. Valentia *tomo* 4. *diſp.* 7. *quæſt.* 16. *p.* 3. Syluester, P. Thomas Sanchez, Baldellus, Portel, Pellizarius, & alij. Contrarium eſt valdè probabile, & defenditur à Lezana, Emanuele Rodriguez, Cornejo, Naldo, Salas, Azor, Marctoro, Miranda, & aliis apud P. Pellizarium *in manual. Regular. tom.* 2. *tract.* 10. *cap.* 4. *ſect.* 3. *n.* 109. Aduertendum tamen eſt, poſſe rem præceptam eſſe adeò grauem, vt, dùm Abbatiſſa eam præcipit in virtute obedientiæ ſibi debitæ, ſeu omni vi, & poteſtate; qua viget, obliget ad mortale, ſicut Principes ſæculares obligare poſſunt ſuis legibus ob materiæ grauitatem ad mortale: Sic P. Thom. Sanchez *lib.* 6. *moral. cap.* 4. *num.* 45. Ex verbis autem, materia, & circunſtantiis dignoſcetur, quando detur obligatio obediendi ſub peccatu lethali.

Eodem etiam modo tenentur obedire Vicariæ, vel Subprioriſſæ, cum hæc etiam habeat poteſtatem ciuilem, ac politicam, etſi Abbatiſſæ ſubordinatam. Ita P. Pellizarius *ſuprà num.* 101. Non tamen tenentur obedire Vicariis, qui ad Sacramentorum adminiſtrationem dumtaxàt deſignantur, cum Superiores non ſint. Sic Miranda *in man. tom.* 2. *quæſt.* 21. *art.* 2. Si Prælatus præcipiat Monialibus, vt obe- 29

diunt Abbatiſſæ, quoties ipſius nomine præcepta imponat, ex vi Voti tenebuntur obedire, quia ea Præcepta à Prælato dimanant. Cum autem nomine proprio agit Abbatiſſa, nequit iuxta præfatam primam ſententiam obligare ad mortale, dum iubet aliqua in ordine ad finem ſpiritualem, nam poteſtas politica ſolùm valet obligare ad mortale, dum præcipit ea, quæ grauiter pertinent ad rectam gubernationem domus; vt contingit in Principibus, & Magiſtratibus ſæcularibus. Ita Sotus *in* 4. *diſtinct.* 20. *quæſt.* 1. *art.* 4. Hinc Abbatiſſa, vt executrix regularum, poteſt præcipere earum obſeruantiam, vt rectè Monaſterium gubernetur; nequit tamen præcipere, obligando ad mortale (ſicut poteſt Prælatus) ea, quæ præter regulam ſunt, & ad majorem ſpiritualem progreſſum ſpectant. Nec poteſt, etiam ſimul cum Capitulo, condere legem, aut præceptum, quod deinceps obliget Moniales, nam hic eſt actus propriæ iuriſdictionis. Et quamvis Moniales voueant obedire Abbatiſſæ, non ideò conferunt ei iuriſdictionem; ſicut ſi quis voueat obedire conſiliis alterius priuati, non propterea ei iuriſdictionem præſtat. Ita P. Badellus *lib.* 5. *diſput.* 6. *ex num.* 10.

30 Monialis non tenetur obedire in his, quæ apertè contra Regulam ipſi præcipiantur, niſi præcipiens habeat poteſtatem diſpenſandi in regula. Sic Caietanus 2. 2. *quæſt.* 104. *art.* 5. Nam illud præceptum eſt impeditiuum majoris boni, quare eius materia nequit cadere ſub obedientia; cum autem diſpenſatur, non impedit, quia non contrariatur formaliter. Nequit Prælatus infligere nouas auſteritates graues Monialibus, quæ ſint omninò extra regulam, & & ad eius obſeruantiam non ſint neceſſariæ, nec per ſe conducentes; poteſt verò in pœnam delicti, & ad præcauendum recidiuum. Ita P. Leſſius *de iuſt. lib.* 2. *cap.* 41. *n.* 75. In aliquo caſu poteſt obligare Prælatus ad rei executionem Monialem cum periculo vitæ ipſius; ſic tempore peſtis tenetur Monialis, cui præcipitur, inſeruire aliis eiuſdem Monaſterij peſte infectis, cum ad gubernationem rectam Monaſterij pertineat, quòd mutuò ſibi ſuccurrant in neceſſariis; quando autem commune bonum ſtatus Religioſi exigit, debet Religioſus parere cum periculo vitæ. Sic Emanuël Rodriguez *tom.* 1. *qq. Reg. q.* 31. *art.* 2.

31 Sub culpa leui poteſt Monialibus prohiberi aliquid graue à Prælato non intendente obligare ad mortale; & è contra ſub culpa graui poteſt prohiberi aliquid leue, ſi id relatum ad pacem Communitatis, bonam famam, diſciplinam Religioſam, & ad ſcandalum præcauendum, ſit graue; Ita P. Pellizarius *ſuprà num.* 120. Verùm communiter res in ſpecie leues (niſi grauitas finis exigat) non ſunt præcipiendæ ſub mortali. Similiter poſſunt præcipi actus ex ſe indifferentes, ſi honeſti ſint ex conducentia graui ad finem honeſtum. ic P. Suarez *tom.* 3. *de relig. l.* 6. 10. *cap.* 8. *num.* 2. Ex vi voti non tenentur Moniales determinatè ſub morali, aut veniali ad ſeruandum regulas, ſed eo modo, qui regulis continetur; ita vt quæ expreſſè ad mortale, vel veniale obligant, ſint ita ſeruandæ, cæteras verò violare, ſit imperfectio, non peccatum. Moniales Militares ſub qua obligatione teneantur obedire Regulis & Statutis, diximus *diſq.* 3. loquentes de Equitibus, ac Clericis Fratribus, ac ea illis pariter conueniunt.

Monialis abſque licentia non poteſt validè contrahere circa materiam concernentem votum paupertatis, cum nequeat ſe obligare ad dandum, vel recipiendum abſque ea licentia; qua tamen habita, poteſt obligari; ſed ſi Abbatiſſa licentiam iniuſtè concedat, poterit prælatus reſcindere contractum, corrigendo Abbatiſſæ delictum; De propriis autem actionibus perſonalibus poteſt Monialis contrahere, ſi Superior non contradicat, quia nulla lex reſiſtit, & dum Superior non caſſat permiſſionem factam homini, ea obligat promittentem. Videantur P. Thomas Sanchez *lib.* 6. *moral. cap.* 4. *ex num.* 40. Nauarrus *comm.* 2. *de regular. num.* 42. In dubio tenetur obedire Monialis, quando dubium eſt, an res præcepta ſit licita; nam tunc poſſeſſio ſtat pro Superiore. Cum autem dubium eſt de poteſtate Superioris, poſſeſſio ſtat pro ſubdito, atque hic, & nunc obedire non tenetur, iuxta P. Sanchez *vbi nuper*, Fragoſum *part.* 2. *lib.* 11. *diſp.* 24. § 9. *n.* 15. Ego tamen cum P. Breſſero *de conſcientia lib.* 4. *cap.* 15. *num.* 159. dicerem, in dubio parendum eſſe Superioribus, cum Religioſi magis teneantur extenſiuè, & intenſiuè parere ſuis Prælatis, quàm ſæculares ſuis. Cæterùm cum dubitatur de iuſtitia rei præceptæ, poſſe ſubditum de illa conſulere virum doctum, docet Sylueſter *verbo, obedientia, q.* 2. Id verò non eſſe opus, Imò nec poſſe ſuperſedere ſubditum ab obediendo, dum non conſtet ei, rem præceptam eſſe illicitam, eſt probabilius. De hoc latiùs tractaui *in ſtatera opinionum benignarum differt.* 13. *ex num.* 234. 32

Lege

33 Lege data pro omnibus Monialibus alicuius Diœceſis vel territorij, ſi in aliquo Monaſterio fuerit abrogata, aut ab initio non acceptata, non tenentur Moniales etiam ſi in aliis Monaſteriis obſeruetur; quia lex debet acceptari non ſolùm à maiori parte Communitatis totalis, ſed Communitatis particularis, vt ſatis apertè indicat Bonacina *diſput.* 1. *de legib. quæſt.* 1. *punct. vlt.* §. 3. *n.* 15. Sententia communior, probabilior, & tutior docet, teneri ſub mortali Moniales addictas Choro recitare Horas Canonicas, ex vſu antiquiſſimo inducto tanquam ex obligatione vbique recepta, ſicut etiam tenentur alij Religioſi Choro addicti, non adhuc Sacris initiati; Ita Emanuel Rodriguez, Sotus, Miranda, Diana, plurimique alij apud P. Pellizarium *vbi ſuprà cap.* 6. *num.* 13. Id docui *in ſtatera opinionum benignarum diſſert.* 7. *n.* 11. Oppoſitum eſt probabile, ſaltem ob authoritatem extrinſecam, videndam apud ipſum Authorem. Innocentius IV. allatus *ibi nu.* 16. conceſſit Monialibus ſub cura Fratrum Minorum degentibus, vt ſi ex rationabili cauſa nequeant recitare Horas Canonicas, ſatisfaciant recitando Officium ſororum laïcarum. Quod priuilegium competit etiam Militaribus, vtpotè communicantibus priuilegia aliarum Religionum. Cæterùm non tenentur extra Chorum recitare Officium Defunctorum, quod pro Benefactoribus in Choro perſoluitur etiam ex obligatione iuſtitiæ; nam hæc obligatio non afficit ſingulas Moniales, ſed vt conſtituunt vnum corpus morale. Idem dicito de aliis Orationibus ſimilibus. Sic idem Pellizarius *n.* 19.

34 Tenentur Moniales geſtare Habitum ſui Ordinis. De quo nos *diſq.* 12. agentes de Equitibus, & Fratribus Clericis, & *ibi* dicta Monialibus Militaribus reſpectiuè conueniunt. Tenentur etiam, ſicut cæteri Religioſi, obſeruare Feſta loci, & cenſuras, ac interdicta inflicta ab Ordinario, vt decernitur in Tridentino *ſeſſ.* 25. *de Regul. cap.* 12. Diebus Rogationum non tenentur facere Proceſſiones intra Monaſterium, niſi conſuetudo inducta fuerit, quæ ex circunſtantiis dignoſcatur obligare ad mortale. Ita Bonacina *diſp.* 1. *de legib. quæſt.* 1. *punct. vlt.* §. 3. *n.* 21.

35 Debita realia contracta ante profeſſionem debet Monialis ante illam ſoluere; ſi verò non ſolnit ob culpam propriam, peccabit, ſed facta Profeſſione, ex ſe non tenetur ſoluere, quia reddita eſt incapax habendi bona propria, vnde ſoluat; cum tamen debeat compenſare damnum modo poſſibili, ſi habeat peculium ſuis vſibus conceſſum, ex eo debet ſoluere. Ita Pater Thom. Sanchez *lib.* 4. *mor. cap.* 19. *num.* 38. Monaſterium verò ſi Moniali non poſſit, dum in eius bona ſucceſſerit, & hæc ſuppetant, tenetur ſoluere, nam per Profeſſionem non derogatur iuri creditorum contra bona, ex quibus ante Profeſſionem debebat eis ſolui. Sic idem Sanchez *lib.* 7. *mor. c.* 31. *num.* 4. Debita autem contracta poſt Profeſſionem abſque licentia non tenetur ſoluere Monaſterium, iuxta doctrinam generalem, quòd perſonæ delictum non eſt conuertendum in Eccleſiæ damnum, *cap. ſi Epiſcopi* 16. *quæſt.* 6. Tenebitur autem, ſi licentia præceſſit, dummodò hæc potuerit concedi à Superiore ad ſummæ quantitatem abſque conſenſu Capituli; ſecùs ſi non potuerit; atque etiam tenebitur, eſtò licentia non præceſſerit, ſi inde Monaſterium factum fuerit locupletius, quoad eam partem augmenti. Videatur P. Sanchez *ſuprà num.* 10.

QVÆSTIO IV.

Traduntur alia ad praxim opportuna de Monialibus, quæ reſpectiuè Militaribus congruunt.

PRohibitiones iure communi latæ contra Religioſos, ſeu Eccleſiaſticos indefinitè, etiam afficiunt Moniales in materiis, quæ æquè vtriſque congruunt, cum in his ſub maſculino genere comprehendatur fœmineum; niſi ſpecialiter omnes, vel aliquæ priuilegio gaudeant, quo in iure communi cum ipſis diſpenſetur. Ita omnes. 36

In Tridentino *ſeſſ.* 25. *de reg. c.* 10. prohibetur, Euchariſtiæ Sacramentum intra Chorum, & ſepta Monaſterij conſeruari, ac in Eccleſia publica præcipitur retineri. Quo decreto, docet P. Quintanadueñas, *tom.* 1. *ſing. tr.* 4. *ſing.* 3. reuocatū fuiſſe Indultum Clementis VII. erga Moniales Minoritas, concedens poſſe conſeruari intra Eccleſiam interiorem. Addit, non contrauenire Tridentino, ſi vno vel altero die intra chorum apponantur, dum ibi non conſeruetur; verùm ſubdit, nec hoc fore conſulendum. Rejicitque Emanuelem Rodriguez aſſerentem, non reſiſti Concilio, ſi ſimul in Eccleſia, & in Choro Euchariſtia ſeruetur; cuius oppoſitum Congregatio declarauit; eademque ſacra Congregatio cenſuit 37

cenſuit, clauem cuſtodiæ S. Euchariſtiæ non tradendam eſſe Monialibus, ſed Sacerdoti miniſtranti eis Sacramenta. Sic Barboſa *in collectan. verbo, Moniales.* Scio, Euchariſtiam in aliquibus Monaſteriis Monialium non ſolùm in Eccleſia, ſed interiùs in Choro conſeruari; vt in Cœnobio Iacobæo Sanctæ Crucis Valliſoletano, in Monaſterio Ciſtercienſi *de las Huelgas*; iuxta Burgos, & in aliis; ſed id præſtabitur ex priuilegio ſpeciali, aut conſuetudine præſcripta.

38 Vt Sacerdotes celebrent in Eccleſiis Monialium, opus habent licentiæ Prælati ipſarum, ſiuè generali, ſiuè ſpeciali. Ita decreuit Clemens VIII. relatus à Moſcouio *de maieſt. milit. Eccl. p. 1. l.* 4. Nequeunt ſepeliri intra ſepta monaſterij, ſed in Eccleſia, ſæculares, qui ibi ſepulturam elegerint. Ita declarauit Gregorius XIII. adductus à Portel. *in dub. regul. verbo, ſepultura, n.* 14. Ipſæ verò Moniales, ſi extet conſuetudo, poſſunt ſepeliri in Eccleſia exteriori (vt Salmanticæ ſepeliuntur Moniales Militiæ S. Iacobi; in Cœnobio Sancti Spiritus) Sic Tamburinus *de iure Abbatiſſarum diſp.* 34. *quæſt.* 1. *n.* 5. Abſtinere debent Moniales à tangendis corporalibus, purificatoriis, Agnis Dei; eſtò, ſi fiat abſque contemptu, maximè à Sacriſtis, & ab iis, qui Agnos Dei artificiosè componunt, nulla detur culpa. Ita P. Thom. Sanchez *lib.* 2. *mor. cap.* 43. *n.* 27. Perſicus *lib.* 1. *de præcip. Sacerd. offic. c.* 9. *n.* 56. Nequeunt moniales habere oſtium, per quod ad Eccleſiam egrediantur. Decreuit id Gregorius XIII. allatus à P. Pellizario *in manual. Regul. tom.* 2. *tract.* 10. *cap.* 7. *num.* 20. Quamvis *in cap. perniciosam* 18. *quæſt.* 2. prohibeatur Monialibus ſub pœna excommunicationis habere priuata receptacula, & iubeatur, omnia eſſe communia, dormitorium, & refectorium; at ex conſuetudine in pluribus monaſteriis in ſuis cellis priuatis moniales dormiunt. Pius 5. in Conſtitutione, quæ incipit, *Circa paſtoralis*, prohibuit, admitti Conuerſas; ſed conſuetudine oppoſitum eſt receptum. Videatur P. Sanchez *lib.* 6. *moral. cap.* 15. *num.* 39. Ibidem prohibuit, ne admittantur fœminæ ſæculares, vt probētur ad ſuſcipiendū habitum Religioſum.

39 Bona Monaſterij alienare; cenſus ſupra ipſa bona ſuſcipere: necnon mutua accipere cum onere ſoluendi lucrum ceſſans, aut damnum emergens: & mobilia pretioſa oppignorare, prohibitum eſt Religioſis, de quibus plura videnda ſunt apud Pellizarium, & alios ab eodem relatos *vbi ſuprà n.* 29. Vbi ex *n.* 30. adducit prohibitiones, cum ſuis limitationibus, Clementis VIII. & Vrbani VIII. circa largitiones munerum; & item prohibitionem negotiationis, contentam *in c. ſecundum, ne Clerici, vel Monachi.* Non licet appellare à correctione Superiorum, niſi notabilis injuria inferatur, iuxta *c. ad noſtram, c. reprehenſibilis, de appell.* Nec ſtat appellatio propriè dicta à mandatis Superioriſſæ, cum hæc propriè, in ſententia valdè communi, juriſdictione non gaudeat; Poteſt verò ad defenſionem naturalem ſupplicari, aut deferri cauſa per viam querelæ ad Superiorem mediatum, vt tradit P. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tr.* 8. *lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 4. Moniales valent eſſe teſtes in cauſis etiam criminalibus aliarum Monialium, & duas ſufficere ad condemnationem, eſtò duæ fœminæ laïcæ non ſufficerent; docet Emanuël Rodriguez *tom.* 1. *qq. Reg. quæſt.* 11. *art.* 3. An verò poſſint fœminæ eſſe abſolutè teſtes in cauſis criminalibus, controuerti ſolet, & pars affirmatiua eſt in praxi; Moniales autem nequeunt in cauſis ſæcularium cogi ad teſtificandum de delictis, ſi agatur de condemnatione; nec in cauſis ciuilibus, niſi quando aliter nequit conſtare veritas. Ita Lezana *tom.* 1. *cap.* 11. *num.* 24.

In prohibitione contenta *in cap. peruenit* 18. *quæſt.* 2. quòd Religioſi nequeunt ſuſcipere infantes, aut adultos, non incluſi Moniales, ſed has poſſe, tuetur cum non paucis P. Quintanaduenas *vbi ſuprà ſing.* 8. *tr.* 1. Poſſunt etiam executrices eſſe teſtamenti, quia id in communi non eſt prohibitum Religioſis, ſi adſit licentia Superioris. Ita P. Thom. Sanch. *lib.* 6. *mor. c.* 11. *n.* 15. Non peccant, grauiter ſaltem, Moniales aſſumendo pro breui tempore ad actionem aliquam ludieram alium habitum, vt tenet. P. Suarez *de cenſur. diſp.* 23. *ſect.* 4. *n.* 29. Quod intellige, etiam ſi habitus ſit viri, dum abſit ſcandalum, & non ſit in vſu Declaratio ſacræ Congregationis id prohibens, allata à Barboſa *lib.* 1. *de iure Eccleſ. c.* 44. *n.* 57. In Eccleſiis Monialium non poſſe erigi Confraternitates, decidit Rota allata à P. Pellizario *vbi ſuprà n.* 50. & declarauit ſacra Congregatio Epiſcoporum adducta à Ricciullo *lib.* 4. *lucubrat. Eccleſiaſt. c.* 3. *n.* 4. 40

Sicut Moniales ſubjacent prohibitionibus iure communi latis, ita & pœnis. Quæ verò ſunt exemptæ (quales ſunt Militares) nequeunt ab Ordinario, qui non ſit ipſarum Prælatus, excommunicari; niſi ſic habeat tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus; imò nec id ſatis eſſe, niſi expreſſè ei concedatur, vt poſſit ferre cenſuras, notat P. Thom. 41

P. Thom. Sanch. *lib. 7. de matrim. diſp.* 33. *n.* 13. cæterùm Moniales Militares omninò exemptas eſſe ab Ordinariis locorum expreſſe pronuntiat Iulius II. in Bulla, quæ incipit, *Ex debito*, expedita anno 1309. & conſtat ex aliis Bullis, in quibus exemptio Ordinis Militarium ſæpè reperitur. Hinc, & quia immediatè ſunt ſub protectione Regia, videtur, aptanda eis, earumque Eccleſiis fore, quæ *in ſuperioribus* aſſeruimus de Epiſcopis circa Eccleſias Ordinum, Monaſteria, & Clericos Fratres. Monialis, quæ fuerit apoſtata, incurrit excommunicationem reſeruatam Papæ, aut ſuo Prælatò. Prætereà quæ appellauerit à propriis Prælatis ad Tribunal ſæculare, vel indebitè ab vno Prælato ad alium adhuc proprium, contrahit excommunicationem Pontifici reſeruatam, & pœnam priuationis officiorum, & inhabilitatis ad illa. Videatur de his P. Pellizarius *vbi ſuprà ex num.* 10. *cap.* 8. Si Monialis (quod Deus auertat) prægnans procuraret ſuum abortum, non incidere in excommunicationem latam à Sixto V. tuentur Trullench *lib. 5. in Decalog. cap. 1. d. 3. n.* 3. P. Auila, Naldus, Cardinalis Lugo, & alij; cenſentes, ſolùm ibi excommunicari eos, qui procurant abortum alterius. Si Moniales impediant Prælatos, aut Viſitatores ſuos, quominùs ſuum munus exerceant, incidunt in excommunicationem latam *in Clementin. Attendentes, de ſtatu Monach.* Plurimæ aliæ cenſuræ latæ ſunt in Iure, & in Tridentino in Religioſos, hæc vel illa delicta committentes, quæ æquè in Monialibus competunt, de quibus videndus eſt P. Pellizarius *vbi ſuprà ex num.* 19. cum pluribus ab ipſo allatis.

42 Probabile eſt, illegitimam poſſe eſſe Superioriſſam abſque diſpenſatione. Ita Lezana *tom. 1. cap. 26. num. 6.* Emanuel Rodriguez, & Portel. probabilius eſt oppoſitum. Et ſequendum omninò in Religionibus, in quibus de eo ſit ſpeciale ſtatutum. Eligi tamen poteſt in Abbatiſſam Monialis, quæ non ſit virgo, quamvis non ſit communiter expediens, vt virginibus præſit. Videatur Tamburinus *diſp. 28. quæſt. 12. n.* 4. Infamis autem infamia ſiuè iuris, ſiuè facti eligi nequit; poſſet autem poſt emendationem, ſi infamia eſſet facti. Conſule Bonacinam *de cenſur. in gener. diſput. 7. quæſt. 3. p. 1. n.* 5. Abbatiſſa nequit eligi vltra triennium, iuxta Conſtitutionem Gregorij XIII. editam die 1. Ianuarij, anno 1583. Non autem illi contraueniri, ſi Abbatiſſa, expleto triennio, dum alia eligitur, gerat munus Præſidentis, dum id exigat ingens Monaſterij vtilitas, tradit cum aliis Diana *p. 4. tr. 12. reſ.* 19. Et praxis ſuadet.

Gaudent Moniales omnibus priuilegiis ſui Ordinis, quorum ſunt capaces, ſiuè ſubjectæ ſint prælato ipſius Ordinis, ſiue Ordinario loci, ſiuè cuiviſalij. Etenim in conceſſione priuilegiorum non attenditur ſexus, ſed qualitas ſtatus Religioſi, & in fauorabilibus ſub maſculino includitur fœmineum. Ita P. Suarez *de legib. lib. 4. cap. 10. n.* 3. & alij plures. Quin Moniales communicant priuilegia aliarum Monialium vt in plurimum, mediatè, vel immediatè; nempè per participationem immediatam priuilegiorum, quibus Moniales aliorum Ordinum gaudent, quam participationem eis competere, docent Paſgualigus *deciſ. 179. num.* 3. & alij; vel communicando priuilegia Religioſorum Ordinum aliorum, qui vtique Religioſi participant priuilegia ſuarum Monialium, vt docent Peyrinus *tom. 2. priuil. conſt. 8. Py V. §. 2. n.* 3. Peregrinus, & alij. Moniales autem Militares Ciſtercienſes gaudere priuilegiis, & Indulgentiis Ordinis Ciſtercienſis, conſtat ex Bulla Vrbani IV. quæ incipit, *Meritis*, & affertur in Bullario Ordinis Alcantaræ *fol.* 189. & Moniales Alcantarenſes, earumque Monaſteria frui omnibus priuilegiis conceſſis, & concedendis Ordini Ciſtercienſi, conſtat ex Bulla Leonis X. quæ incipit, *In Apoſtolica*, allata in eodem Bullario *pag.* 108. 43

Exemptæ ſunt Moniales à poteſtate fori ſæcularis, iuxta omnes; non verò puellæ ſæculares, quæ intra Monaſteria educantur; Si tamen ibi delictum committant, probabile eſt, gaudere immunitate Eccleſiaſtica; & non minùs probabile oppoſitum; De quo Bonacina *de cenſur. in partic. diſp. 2. quæſt. 3. p. 16. §. 5. n.* 5. Laïcos, qui ornati habitu Religioſo adhibentur ad obſequia Monialium, ſeu ad petendum pro illis eleemoſynam, exemptos eſſe à foro ſæculari, vtpotè pertinentes ad perſonas Religioſas, & ſpecialiter Deo deuotos, tuetur Diana *part. 4. tr. 1. reſ.* 31. Gaudent etiam Moniales, adhuc Conuerſæ, & Nouitiæ priuilegio Canonis, nam comprehenduntur ſub nomine Monachorum, iuxta ſæpè libata, & Nouitiæ nomine Religioſarum in fauorabilibus. Sic P. Pellizarius *vbi ſuprà cap. 9. n.* 12. Idem de laïcis addictis earum obſequio *nuper* dictis tenet Bonacina *de cenſur. in commun. q. 4. p. 1. n.* 9. 44

Exemptæ ſunt Moniales à iuribus Parochiæ, intra quam degunt, ſicut omnes Religioſi; nec parochus debet eis Sacramenta miniſtrare, adhuc in articulo mortis, ſed Sacerdos eis deputatus. Ita Tamburinus 45

de

de iure Abbatiſſar. diſp. 33. *quæſt.* 4. Indè non tcoetur ſoluere parochiæ quartam funeralem, vt tradit pottel. *in dub. Regul. verbo Canonica portio, num.* 8. nec item decimas, vt cum communi docet ipſe *verbo, decima, n.* 3. Præterea aptanda ſunt Monialibus omnia priuilegia eis congruentia, quibus Religioſi Ordinis ipſarum gaudent in quavis materia, & etiam circa Indulgentias; quin & ad eligendos Iudices Coſeruatores, cum ſubduntur Prælatis Regularibus; quod tamen non eſſe communiter in praxi, & quare, oſtendit Pellizarius *vbi ſuprà num.* 37.

46 Prælati Regulares valent benedicere Eccleſias Monialium ſibi ſubjectarum, ornamenta, & calices earum, ipſaſque Eccleſias reconciliare, ſi polluantur; in eis etiam vti Pontificalibus, ſi aliundè eis vti queant, vt ex Naldo, Baldello, Bordono, Barboſa, & aliis probat idem Pellizarius *ex n.* 18. Moniales ſubditæ Ordinario etiam ſubjiciuntur Vicario Generali, qui vnum conſtituit cum eo Tribunal; vnde quæ ſubduntur Prioribus Militaribus, pariter eorum Vicariis ſubjectæ ſunt; & Prioribus deficientibus, eis qui ipſorum vices gerunt ſicut ſubjectæ Ordinario, Sede vacante, Capitulo ſubjacent. Ita communis. Probabile eſt, Moniales de conſenſu Superiorum Regularium poſſe ſe ſubjicere Ordinario loci, dum id cedat in bonum ipſarum. Sic P. Thom. Sanchez *lib.* 4. *mor. cap.* 39. *n.* 32. Attamen id non poſſe, neque Regulares valere dimittere Moniales, docet, vt probabilius, Tamburinus *vbi ſuprà quæſt.* 4. *n.* 2. Si Monialis cum ſcandalo delinquat, & Prælatus regularis, Epiſcopo inſtante, non puniat, poterit ab Epiſcopo puniri iuxta Tridentinũ *ſeſ.* 25. *de Reg. c.* 14.

47 Prælati Monialium poſſunt intereſſe, & præſidere electioni Abbatiſſæ, iuxta Bullam Gregorij XV. editam die 5. Februarij, anno 1622. quæ incipit *Inſcrutabili*; atque id valent præſtare per ſe, aut per alios; Monendique ſunt prædicti prælati à Monialibus ante tempus electionis. Et quidem prælati habent poteſtatem ordinariam erga Moniales, quare poſſent eam delegare, vt docet Emanuël Rodriguez *tom.* 1. *qq. Regul. quæſt.* 17. *art.* 10. Immediati autem Prælati Regulares poteſtate gaudent erga Moniales communiter delegata à prælato ſuperiori. Cæterùm hi prælati habent eandem poteſtatem coactiuam, iudicialem, ac directiuam erga Moniales, qua gaudent prælati regulares erga ſuos ſubditus. De quibus plura reperies apud P. Pellizarium *vbi ſuprà cap.* 10.

Poteſt Prælatus Monialium ingredi intra earum clauſuram tum ad viſitandum, tum in caſibus magnæ vtilitatis, aut neceſſitatis, tum ad miniſtrandum eis Sacramenta, luco Sacerdotis ab ipſo deputati. Videatur Barboſa *de officio Epiſcop. allegat.* 102. *num.* 41. Et tum ipſe, tum Confeſſarius, maximè regularis, poteſt ſecum ducere ſocium. Etiam ſpectat ad Prælati poteſtatem, ſuſpendere, aut deponere Abbatiſſam, ſi cauſa id exigat, & rationes ſumere de bonis temporalibus; non tamen valet diſponere de bonis Monaſterij abſque conſenſu Capituli per contractus grauioris momenti, cum nec Superiorisſæ, quæ immediatam adminiſtrationem bonorum gerunt, valeant abſque eo conſenſu id exequi. Prælatus regularis poteſt concedere licentiam Sacerdoti, vt in Monaſterio ſibi ſubjecto celebret; atque vt priuatè Monialibus concionetur; imò etiam publicè, docet Bordonus *reſol.* 6. *n.* 33. At cum ſæculares promiſcuè interſunt concionibus, licentiam Ordinarij requiri, ſtatuitur in Tridentino *ſeſſ.* 5. *cap.* 2. *de refor.* 48

Tenentur Prælati Monialium ad earum canonicam viſitationem, iuxta Tridentinum *ſeſſ.* 25. *de Regular. cap.* 1. per ſe, vel per alios, inquirendo ſtatum, & mores, corrigendo exceſſus, & opportuna media prouidendo ad bonum ſpirituale, & temporale. Id communiter ſingulis annis eſt præſtandum, iuxta *Clementin. attendentes*, 2. *de ſtatu Monachor.* niſi ob aliquem euentum occurrentem expediat, adhuc anticipatè ſpecialem viſitationem peragere. Hæc viſitatio in Ordinibus Militaribus fit tum per Viſitatores Ordinum, tum per Priores, ſtatis temporibus. 49

Viſitatores tempore Viſitationis poſſunt ingredi Monaſteria, & tres ſecum ſocios ducere, qui tamen ſine virtute prædicti. Sic Miranda *quæſt.* 2. *de Monialib. art.* 5. & id fert communis ſtylus, & praxis. Viſitatio peracta generaliter non debet fieri in forma iudiciali; ſecùs ſi detur aliquis grauis exceſſus, quem puniri extraordinariè oportet. Viſitatores autem nequeunt impediri, quominùs ſuam exequantur viſitationem, ſub pœna excommunicationis latæ *in prædicta Clement. Attendentes, de ſtatu Monachi.* 50

Superiorisſæ electio vt plurimùm pertinet ad ipſas Moniales, canonicaque debet eſſe electio, conſtans ex majori parte ſuffragiorum, communiùſque fit per ſcrutinium, eſtò etiam fieri valeat per compromiſſum, aut per communem inſpirationem. In aliquibus Ordinibus ſpecialia vigent ſtatuta, 51

quæ

quæ ſeruanda ſunt, circa electionem; nempè vt Capitulum Generale Religioſorum deſignet duas, aut plures, quarum vna ſit eligenda; vel vt electa confirmentur à Prælato; vel ab alia Superiorιſſa; ſic Abbatiſſa *de las Huelgas*, propè Burgos, confirmat Abbatiſſas Monaſteriorum, quæ ipſi ſubduntur. Quin Epiſcopus Salmantinus per ſe deſignat Prioriſſam Conuentus Pœnitentiæ, quam malit, electioque non ſtat penes Moniales. Alia huiuſmodi ſtabilita ſunt, quibus eſt ſtandum.

52 Monialis eligenda in Superioriſſam debet eſſe profeſſa, octo annis ante electionem, & non minor quadraginta annis iuxta Tridentinum *ſeſſ. 25. de Regular. cap. 7.* Quòd ſi nulla eſſet huius ætatis, nec expediret, ex alio Monaſterio eiuſdem Ordinis adduci, poterit, conſentiente Prælato, eligi aliqua, quæ excedat triginta ætatis annos, & quinque antè annis Profeſſionem emiſerit. Sufficere autem quadrageſimum annum inchoatum & non expletum, aliqui tenent; probabilius eſt oppoſitum, de quo *Diana part. 7. tract. 11. reſ. 9.* Hæ autem conditiones an ſint de eſſentia ad valorem electionis, controuertitur, non eſſe, docet contra aliquos P. Suarez *tom. 4. de relig. tract.* 8. *lib.* 2. *c.* 5. *num.* 8. Si duæ ſolùm ſint idoneæ ad Abbatiſſæ munus, & alia habeat quadraginta annos ætatis, non verò octo poſt profeſſionem: alia verò habeat hos octo, non illos quadraginta, excedat verò triginta, quænam ſit anteponenda, res eſt ſub lite, & videtur arbitraria, cum habeant ſe tanquam excedens, & exceſſum, & indèquæ ſecundùm alias circunſtantias fuerit dignior, erit præferenda. Iuxta Tridentinum *vbi ſuprà*, is, qui electioni præſidet, non eſt ingreſſurus Monaſterium, ſed ante Cancellorum feneſtellam ſuffragia debet percipere. Monialis ægrotantis ſuffragium poſci debet. Conuerſæ ex cõſuetudine ſuffragium non præſtant. Pro ſe ipſa nulla poteſt ferre ſuffragium, caſum excipit Tamburinus *de iure Abbatiſſar. diſp. 28. quæſt. 9.* ſi conſuetudo permittat, quòd ſuffragantes antè electionis Decretum poſſint variare, & adhærere illi, in quam plures, conſenſerint, tunc enim ſi medietas ſuffragiorum pro aliqua ſtet, ait ille, poſſe conſentire ipſam ſuo ſuffragio in ſinmet electionem. Cæremoniæ, ſolemnitas, forma, & alia, quæ ad electionem, & publicationem exiguntur, ſunt eadem reſpectiuè, quæ in electionibus Superiorum Regularium factis à Capitulo Monaſterij obſeruantur. Videatur P. Pellizarius *vbi ſuprà ex n.* 105. poteſt electa renuntiare electioni; ſed, ſi expediat valdè ad commune bonum, quod gerat munus, non debet admitti renuntiatio.

Abbatiſſa, ſtatim ac confirmata eſt, 53
ſuum munus exercet, non verò ante confirmationem. Superioſſæ Militares à Senatu Ordinum confirmantur, & titulus à Rege ſubſcriptus eis conceditur, vt à ſubditis præſtetur illis obedientia. Abbatiſſa poteſt irritare Vota Monialium, nam irritatio pertinet ad poteſtatem dominatiuam, quæ ipſi competit. Ita Tom. Sanch. *lib. 4. mor. c.* 39. *num.* 7. excepto Voto tranſeundi ad Ordinem arctiorem, quod non cadit ſub eius poteſtatem, cum in Votum poſſit adimpleri, ea adhuc inuita; Sic cum P. Leſſio P. Pellizarius *vbi ſuprà n.* 135. Nequit cum ſubditis diſpenſare in obſeruatione Regularum, niſi per viam declarationis, quòd hic, & nunc non teneatur ſubdita ad hanc, vel illam Regulam. Poteſt exhortationes in Capitulo ad Moniales habere, non autem prædicare, id enim munus in fœminam non cadit. Valet conferre extraneis literas communicationis, ſeu participationis bonorum operum, quæ in Monaſterio fiunt, nam habet authoritatem diſpenſatiuam bonorum communium Conuentus. Ita Lezana *tom.* 1. *c.* 18. *num.* 67. cum pluribus. Indè etiam poteſt ſubditis concedere licentiam donandi, accipiendi, aut diſponendi de rebus ipſarum vſui conceſſis. Sic communis. Ipſa etiam de bonis Monaſterij valet eleemoſynas præſtare, & donationes remuneratorias, habito reſpectu ad facultates, & redditus Domus. Quod colligitur ex P. Suarez *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 26. num.* 11. Et id poteſt, adhuc inconſulto Capitulo, quia communiter hæ donationes non adeò ingentes ſunt, vt non cadant ſub generali facultate adminiſtrandi bona Monaſterij. Hinc ex bonis Monialis defunctæ, quæ etiam Monaſterio cedunt, poterit ex rationabili præſumpta voluntate Conuentus inſumere centum ducata v. g. in Miſſis pro ea celebrandis. Hic obſerua, me non agere de benedictione, & conſecratione Monialium, quia id in Hiſpania in praxi non eſt, nec conducit ad præſens Inſtitutum Monialium Militarium. Videantur Authores relati *in ſuperioribus*, qui rem antiquitatum exornatione venuſtant.

QVÆSTIO V.

Exponuntur aliqua de Confeſſariis Monialium; necnon Religioſorum Militarium vtriuſque ſexus, maxime Iacobæorum.

54 SI Prælati in Monaſterio Monialium peccati ſibi reſeruent, nequeunt illæ abſolui niſi de licentia ipſorum adhuc virtute Bullæ Cruciatæ; quod latè tradidi *tom. in Bull. Cruciat. diſp.* 24. Vbi *ex num.* 155. docui poſſe quoſvis Regulares vtriuſque ſexus abſolui virtute Iubilæi extraordinarij ab omnibus reſeruatis intra Religionem, & etiam Pontifici, per quemvis Confeſſarium ſæcularem, aut Regularem, dum ſit approbatus ab Ordinario. Addo, ſi Regularis Regulari confiteatur virtute Bullæ Cruciatæ, aut Iubilæi, doceri à Ioanne Sanchez *in ſelect. diſp.* 44. *num.* 6. ſufficere, Confeſſarium illum eſſe approbatum à ſuo Superiore Regulari; pro qua ſententia affert Bonacinam, Rodriguez, Ledeſmam, Peyrinis, Nauarrum, Moure, Graffis, Angles, & Valerum. Aduerto tamen, nec virtute Iubilæi extraordinarij poſſe abſolui à crimine hæreſis, niſi in ipſo poteſtas exprimatur, & hanc eſſe mentem Pontificum declarauit Sanctiſſimus PP. Alexander VII. anno 1656. & Declaratio intimata eſt omnibus ex præſcripto Tribunalium Sanctæ Fidei. Cæterùm in Ordinibus Militaribus nulli ſunt caſus reſeruati. A mortalibus non reſeruatis poſſunt omnes Regulares vtriuſque ſexus abſolui virtute Bullæ per quemcumque Confeſſarium approbatum. Ita oſtendi *loco relato*, *num.* 198. Hæc etiam latè exornaui *in ſtatera opinionum benignarum*, *diſſ.* 14. *ex num.* 49. Reſpectu Nouitiorum non dantur peccata intra Religionem reſeruata, cum in odioſis nomine Religioſorum non veniant.

55 Certum eſt ad audiendas Confeſſiones Regularium non eſſe opus approbatione Ordinarij, ſed Superioris; nam Tridentinum *ſeſſ.* 23. *cap.* 15. *de reformat.* ſolùm requiſiuit eam approbationem ad audiendas Confeſſiones ſæcularium. Ea autem Superioris approbatio, aut quid æquiualens etiam requiritur ad audiendas Confeſſiones Clericorum Fratrum Ordinis Iacobæi. Id eis apertè, & inconcuſsè oſtendamus. Sanè Leo X. reſpectu Monaſteriorum S. Iacobi de Vcles, & Sancti Marci Legionenſis in Bulla, quæ incipit *Religionis zelus*, conceſſit; *Necnon vobis, & familiaribus veſtris, & cuilibet veſtrum, vt aliquem Sacerdotem idoneum ſæcularem, vel cuiuſvis Ordinis Regularem in veſtrum poſſitis eligere Confeſſarium.* Hinc poſſunt arguere; Sacerdos, vt ſit idoneus, non indiget vlla approbatione, ſed quilibet Sacerdos non excommunicatus, aut aliter non priuatus, eſt idoneus, vt videntur docere Fr. Ludouicus à Conceptione *in exam. veritat. mor. tract. vltim. quæſt. vnic. num.* 12. & aliqui apud Ledeſmam 1. *part. tract. de Sacram. Pænit. cap.* 12. *verſ. De la reſolucion*; ergo quilibet Sacerdos ſimplex, nulla approbatione, aut licentia Superioris prærequiſita, poterit ab eis eligi, dum non ſit cenſura innodatus.

Verùm mihi certo certius eſt, dum à 56
Pontifice exprimitur, eligendum fore Sacerdotem idoneum, injungere pro forma, requiſitum idoneitatis, quæ conſtet vel ex approbatione, licentia, aut deſignatione Superioris; vel ex manifeſta notorietate illius. Probatur primò; Nam in ſimili omninò caſu, ſic ſenſiſſe plures Theologos, & Canonicos docet Ledeſma *ſuprà verſu*, *La ſegunda*; Et addit verba valdè notanda; *Por que no parece, que el Papa, miniſtro de Dios en tal conceſſion quiſieſe vſar de ſu poder para deſtruycion de la Igleſia, y no para ſu edificacion. Lo qual ſe ſeguiria, ſi el Papa concediera licencia de elegir Confeſor idoneo, y en nombre de Confeſor idoneo ſe entendieſe qualquier Sacerdote, que no eſtuuieſe ſuſpenſo, ni deſco mulgado*

Probatur ſecundo. Vt quis ad Sacerdo- 57
tium perueniat, non indiget ſcientia doctrinæ moralis, & caſuum conſcientiæ, quorum notitia requiritur neceſſario ad audiēdas Confeſſiones; aliàs quomodo Confeſſarius ſe iudicem, & medicum gerat, ſi ignoret vulnerum qualitatem, & medicamenta parare neſciat, nec nouerit merita cauſæ, diſtinctiones, ſpecies, & grauitatem peccatorum, votorum naturam, cenſurarum vim, & reſeruationes, contractuum honeſtatem, & malitiam, ac cætera alia quæ penitùs, & neceſſariò ſcienda ſunt, vt ſententia abſolutionis, vel ligaminis proferatur, & animarum vlcera curentur? Id lippis eſt, & tonſoribus notum. Tunc ſic. Simplex Sacerdos non tenetur ea omnia ſcire, & manifeſtè, ac euidenter conſtat omnibus, plurimos Sacerdotes ſimplices eſſe earum rerum ignaros: ergo illi nequeunt eligi, vt excipiant Confeſſiones; aliàs nec forſan ſcient formam abſolutionis, nec peccatorum ſpecies, & grauitatem callebunt; nec noſcent, quid poſſint præſtare, aut quomodo ſe gerant. Hæc adeò aperta ſunt, vt nullus, niſi cæcus, non

videat

Digitized by Google

videat. Adde, Confeſſionem factam Sacerdoti omninò illiterato inualidam fore, doceri à Syluestro, Corduba, Adriano, Ricardo, Gabriele, Mediua, Nauarro, & P. Vaſquez, quos ſequitur Ioannes Sanchez *vbi ſuprà num.* 8. quia ille Confeſſarius eſt incapax naturaliter; adeò vt etiam Confeſſionem cum eo peractam in articulo mortis fore nullam, doceant *ibidem* Ochagauia, P. Vazquez, & Ioannes Sanchez. At ſi quivis Sacerdos ſimplex eligi poſſit, contingere valeret, eligi omninò illiteratum, maximè ſi eligeretur is, qui benignior ſperaretur; aut ſi (ante Tridentinum, à quo reſpectu ſæcularium reuocatum eſt id priuilegium, dum requiratur in illo approbatio Ordinarij ad audiendas Confeſſiones ſæcularium) electio fieret à familiaribus eorum Conuentuum, cum nomine familiarium veniant omnes famulantes. Ecce tunc virtute huius priuilegij, non ſecùs ac Clerici Fratres, poſſunt pueri miniſtrantes Sacriſtiæ, coquus, ruſtici hortorum culturæ incumbentes eligere Confeſſarium; An quemcumque Sacerdotem ſimplicem? Rectè profectò. Scirent ne illi, an eſſet illiteratus, au doctus? O quam præclari eligerentur aliquando Confeſſores! Ex ipſa rerum prolatione hinc indè pullulant abſurda. Sed rurſus; Vidit Clericus Frater Sacerdotem celebrantem, quem nullatenùs noſcit; ex celebratione infert, non eſſe illum excommunicatum; Ergone aſſeiat? Hunc ergo in Confeſſarium; hic eſt idoneus. Et vnde tibi conſtat, enm nou eſſe illiteratum, ignarum, & nec prima forſam rudimenta caſuum conſcientiæ callentem? Hoc conceſſit Leo Pontifex? Abſonum eſt: falſiſſimum: penitùs incredibile; Nec quiſquam rem expendens in id intellectum flectat.

57 Idoneus ergo requiritur in priuilegio Confeſſarius; ſed de idoneitate non iudicet quiſque, adhuc puer, ruſticus, vel ignarus. Sit ea idoneitas omnibus notoria, aut tutiùs per deſignationem, licentiam, & approbationem Superioris proponatur. Quare id operabitur id priuilegium, nempe quòd propoſitis à Prælato idoneis Confeſſariis, abſque alio requiſito ſint eligibiles; & quòd idoneus notorietate idoneitatis eligi queat; & quòd non ſit opus, juriſdictionem præberi à Superiore, quæ ſeparabilis eſt ab approbatione, ſed ſolam approbationem; & juriſdictio à Pontifice Leone conceditur; ſicut in Bulla Cruciatæ, & Iubilæis extraordinariis, ſuppoſita approbatione, conceditur juriſdictio à Pontifice; & indè non fruſtranea, ſed ingentia cenſentur hæc priuilegia; vnde etiam eſt ingens Leonis X. Priuilegium. Etenim concedit, vt Confeſſarius electus poſſit etiam ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis abſoluere à caſibus adhuc Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, præter aliquos in ea contentos, & niſi ex confidentia eius Bullæ delinquatur; & quòd valeat commutare vota præter quinque reſeruata Apoſtolicæ Sedi. Quæ priuilegia reuocari reſpectu ſæcularium per Bullam Cruciatæ, & non reualidari, niſi ea accipiatur, docui *tom. in Bull. Cruciat. diſp.* 29. In præſenti aduerte, Capellanos honorarios Regis ex Militiis, approbatos eſſe ab Ordinibus, vt poſſint excipere Confeſſiones Regularium Militarium. De approbatione Confeſſarij vide plura apud me *in ſtatera opinionum benignarum diſſ.* 1. *num.* 76. *& diſſ.* 13. *ex num.* 195.

Redeo ad Moniales, reſpectu quarum 58
(non obſtante Decreto Tridentini non requirentis approbationem Ordinarij ad earum Confeſſiones excipiendas) Gregorius XV. iu Bulla expedita die 5. Februarij, anno 1622. quæ incipit, *Inſcrutabili*, præcepit, quòd earum Confeſſarij, etiam ſi exemptæ ſint, debeant ab Epiſcopo diœceſano approbari. Verùm in Hiſpania non eſt recepta hæc Bulla, nec intimata, vt docet Ioannes Sanchez *in ſelect. diſp.* 49. *num.* 27. Prælati poteſtate gaudent deſignandi Confeſſarios Monialibus; & quamvis alicubi permittant, eas liberè cuilibet approbato conſiteri, poſſunt tamen rem immutare, & reſtringere, nec enim ea permiſſio ius aliquod contrarium tribuit Monialibus; quare pro rerum exigentia ab ipſis Epiſcopis, quod mihi conſtat, aliquando reſtringitur Confeſſorum deputatio. Quin valdè expedit, deſignari Confeſſarium doctum, ac pium, qui communiter Confeſſiones earum audiat, & conſcientiarum ſtatum dignoſcens, poſſit eas ad perfectionem ſectandam ducere; & ſimul Parochi vices gerat ad Sacramenta miniſtranda, quæ maximè in articulo mortis à proprio Parocho ſunt recipienda.

Fateor, Moniales quaſcumque, modo 59
ſuprà dicto, poſſe virtute Bullæ Cruciatæ eligere quemvis Confeſſarium approbatum; verùm ſi eis deputaretur Confeſſarius doctus, prudens, ac ſpiritualis, valdè allicerentur ad eius doctrinam ſuſcipiendam. Aduertendum hîc eſt, Priores Monaſteriorum Militarium eſſe Confeſſarios ab Ordinibus deputatos omnibus Regularibus vtriuſque ſexus cuiuſvis Ordinis Militaris reſpectiuè

reſpectiuè, & habere approbationem à Iure, cum ſint Parochi Ordinum, & prætereà ſint Prælati iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentes; qua licèt careat Adminiſtrator Monaſterij Calatrauenſis, tamen Ordinis eſt Parochus; Priores verò de Vcles, Sancti Marci, & Alcantaræ, vtroque munere potiuntur.

60 Confeſſoribus deputatis ad Moniales debent ab eis tribui ſufficientia ad victum, vt declarauit Sacra Congregatio apud Barboſam *in collect. verbo, Confeſſ. Monial.* §. 11. Sed id iuxta conſuetudines regionum attenditur; in aliquibus enim valde modicum ſtipendium tribuitur, quia facilè reperiuntur, qui id munus exerceant, habentes aliundè neceſſaria, ſaltem ex parte, ad victum. De licentia Prælati Monialium poteſt Confeſſor ingredi clauſuram non ſolùm ad Sacramenta adminiſtranda in periculo mortis, ſed quoties infirma eſt Monialis, & vrget præceptum Eccleſiæ, ſeu regulæ, aut etiam propria deuotio, imò quoties illa aſſerit, ſe indigere Sacramento pœnitentiæ; Etenim præſtita licentia ad ingrediendum, dum rationabilis, & manifeſta cauſa detur, iudicandum eſt, eam cauſam in præfatis euentibus dari. Ita Villalobos *tom.* 2. *ſum. tractat.* 35. *diffic.* 47. *num.* 4. Portel, Rodriguez, Diana, Tamburinus, & alij. Pariter poteſt ingredi in eiſdem caſibus ad adminiſtrandam Euchariſtiam ſacram Moniali infirmæ, aut impeditæ; imò quoties Monialis, dum non ægrotaret, ſolebat Sacramenta recipere, cum non ſit rationi conſonum, eo ſolatio illam deſtitui. Sic P. Thom. Sanchez *lib.* 6. *mor. cap.* 16. *num.* 45. Quin, ſi quotidie ſolebat Monialis ſacra Communione refici, poſſe quotidie ingredi quem ad miniſtrandum ei Communionem, docet P. Antonius de Quintanadueñas *tom.* 1. *ſingular. tract.* 3. *ſing.* 3. *num.* 10. Quod aduertendum eſt, vt à Monialibus erronea quædam exiſtimatio tollatur, nempè non licere niſi in periculo mortis, vel raro poſt longam ægritudinem, intra Monaſterium ingredi ad Sacramenta miniſtranda; quam deceptionem ſæpè ſum expertus.

61 Poteſt etiam ingredi Confeſſarius ad aſſiſtendum infirmæ laboranti in extremis, quouſque è vita decedat, cum hæc aſſiſtentia ſit valdè neceſſaria, & inter cauſas rationabiles, ac manifeſtas ad ingreſſum annumeranda. Ita Peyrinis *tom.* 2. *priuil. conſtitut.* 6. *Py V. num.* 30. In ingreſſu verò tum Confeſſarij, tum aliorum ad ſepeliendum Moniales defunctas, & Officium funerale peragendum, ſtandum eſt conſuetudini receptæ de licentia Prælatorum. Videatur P. Pellizarius *in manual. Regular. tomo* 2. *tract.* 10. *ex num.* 231. Sanè valdè curandum eſt à Prælatis, & Superioriſſis, ne vllus ingrediatur, niſi ſit neceſſarius; & quòd dumtaxàt hi ingrediantur, qui præciſè requiruntur, perſonarum etiam habito prudenti delectu. Id enim & expedientiſſimum eſt, multaque vitantur incommoda; & conſonum menti Pontificum, plurimam ſollicitudinem in tollendis ingreſſibus ad Monialium clauſtra impendentium.

Iuxta Tridentinum *ſeſſ.* 25. *de Regular. cap.* 10. tenentur Prælati, præter Ordinarium Confeſſorem, alium extraordinarium, bis, aut ter in anno, Monialibus offerre, vt ſic liberiùs confiteri valeant. De quo plura reperies apud Pellizarium *vbi ſuprà ex num.* 247. Id verò præcipuè incumbit Prælatis Regularibus, qui vnum aut duos Confeſſores deſignaros Monialibus habent, prohibentque, cum aliis confiteri; (ſed nequeunt proinde ſuſpendere virtutem Bullæ Cruciatæ, & Iubilæi extraordinarij quoad Confeſſarios, modo dicto *ſuprà*) At, quando vel non eſt deputatus Monialibus Confeſſor, vel ſimul eſt deputatus, & eis licet confiteri cuilibet alij approbato ab Ordinario, non eſt neceſſum, deſignare Confeſſorem extraordinarium, vt ex terminis, & ex fine Decreti Tridentini patet. Vnde non eſt opus, illum deſignare Monialibus, quæ ſubijciuntur Ordinibus Militaribus. 62

QVÆSTIO VI.

De Informationibus Monialium Ordinum Militarium.

VT admittatur fœmina in Monialem Militarem præcedit conſenſus Capituli Monaſterij, & poſtmodum à Superioriſſa monetur Senatus Regius Ordinum, tum vt licentia eius, tanquam Prælati, obtineatur; tum vt iubeat, informationes de qualitatibus admittendæ peragi, eiſque peractis, & ab ipſo Senatu inſpectis, ac approbatis; Superioriſſæ intimetur, vt admittat Nouitiam. Præſes autem Senatus deſignat Clericum Fratrem Profeſſum, (ſemper enim prærequiritur tum in Equitibus, tum in Fratribus Clericis ad informationes peragendas deſignatis Profeſſio) qui ſit ex eodem Ordine, vt informationem ſuſcipiat. 63

In

64 In Ordine D. Iacobi eaſdem prorsùs informationes de qualitate, ac nobilitate ſanguinis debere peragi de Moniali Habitum ſuſceptura, ac de Equitibus, conſtat ex Statutis *tit.* 3. *c.* 1. Et *tit.* 14. *cap.* 6. præcipitur, vt moneatur Senatus Ordinum à Monaſterio, ſtatim ac admittendam acceptauerit, vt iubeat, informationes de ea fieri. Sed quamvis in Statutis injungatur, certum eſt, non peragi informationes de nobilitate ſanguinis, ſed de eius puritate, ad Moniales Iacobæas admittendas; ad quam praxim diſpenſatio Pontificia præceſſit. De conuerſis autem informationes peraguntur etiam circà ſanguinis omnimodam puritatem. Nec geſtant Conuerſæ Inſigne Iacobæum eodem modo elaboratum, ac geſtant Moniales, & Equites, ſed cum aliqua diuerſitate tum in materia, tum in forma Crucis, ſeu gladij.

65 In Ordine Calatranæ, Moniales olim admittebantur ad Monaſteria S. Felicis in vrbe Burgenſi, & S. Saluatoris in oppido de *Pinilla*, & in loco *de Almonacir de Zorita*, abſque informationibus, ſed in Capitulo generali celebrato anno 1600. vt conſtat ex definitionibus *tit.* 6. *cap.* 11. ſtabilitum fuit, vt deinceps de Monialibus & Conuerſis admittendis ad eadem Monaſteria peragerentur informationes de omnimoda puritate ſanguinis, & ſic obſeruatur. Informationes autem, quæ ſumuntur de Monialibus admittendis ad Conuentum Aſſumptionis oppidi *de Almagro*, fiunt de nobilitate ſanguinis paterni, & materni; non tamen obſtat, quòd vtraque auia non ſit nobilis, dum tamen puritatem ſanguinis habeat, quæ puritas requiritur omnimoda in progenitoribus. Aduerte, Monaſterium, quod nunc eſt in oppido Matriti, & priùs fuerat in oppido *de Almonacir*, extitiſſe olim in loco *de Pinilla*, & indè ſub hoc nomine fit mentio de eo in definitionibus *tit.* 6. *c.* 11. tempore verò Philippi II. Regis tranſlatum fuit ad oppidum *de Almonacir*; Sicut eodem tempore ad Ciuitatem Burgenſem fuit tranſlatum Monaſterium S. Felicis, quod trecentis, & quinquaginta annis extiterat propè locum *de Amaya* in Burgenſi diœceſi, erectumque fuerat, dum eſſet Magiſter Ordinis D. Gundizaldus Ioannes de Noboa ex gente, & ſtirpe Gallæca, qui electus fuit anno 1218. cum regnaret Ferdinandus cognomento *Sanctus*.

66 In Ordine Alcantaræ, vt admittatur aliqua ad Monaſterium Sancti Spiritus in oppido ipſo *de Alcantara*, informationes de ea fiunt circa nobilitatem ſanguinis paterni, ac materni, & in quatuor auis paternis, & maternis, circa omnimodam puritatem ipſius ſanguinis, & ſimul quòd nullus ex progenitoribus vſque ad quartam generationem fuerit in Tribunalibus Sanctæ Inquiſitionis punitus. Cæterùm quæ ibi admittuntur in Conuerſas, non geſtant Inſigne, ſeu Crucem viridem, ſed de puritate ſanguinis fiunt informationes, antequam recipiantur. Lege in definitionibus *titulum* 8. *cap.* 2. Vbi licèt videatur in quarta interrogatione requiri nobilitatem in quarta interrogatione requiri nobilitatem in quatuor auis Monialium, tamen ex decurſu interrogatorij, & ex initio capitis conſtat, ſolùm deſiderari nobilitatem in patre, & matre, & praxis id confirmat. In Monaſterium autem S. Petri *de Brozas* nulla poteſt admitti in Monialem, quæ non habeat eadem requiſita circa ſanguinem, quæ in Fratribus Clericis huius Ordinis deſiderantur: nempe puritas ſanguinis quoad omnes progenitores; nobilitas item ſanguinis patris, & aui paterni, & quod nullus ex progenitoribus vſque ad quartam generationem fuerit punitus à Quæſitoribus Fidei. Huius Monaſterij fuit Fundator Clericus Frater F. Don Petrus Gutierrez Florez, Sacriſta major ipſius Ordinis, & indè videtur, eadem appoſuiſſe requiſita in Monialibus, quæ in ipſis Clericis Fratribus reperiuntur. Hoc Monaſterium ſubſtat Patrono laïco, ex genere, & ſanguine Fundatoris, qui aliquas Moniales abſque dote recipiendas præſentat. Confraternitas prætereà Sancti Spiritus de Alcantara, ex nobilioribus Oppidi conſtans, etiam præſentat aliquas Moniales in Monaſterium Sancti Spiritus admittendas, eo quòd ex bonis ipſius Confraternitatis fuerit fundatum Monaſterium. Dè præſentatis autem ad duo præfata Monaſteria informationes fiunt reſpectiuè, ſicut de cæteris Monialibus.

QVÆSTIO VII.

De clauſura Monialium Ordinum Militarium.

§. I.

Libantur aliqua Monialibus communia circa clauſuram.

VT gradum recta via ad Moniales Militares ducamus; priùs attingere oportet, quid circa Monialium clauſuram in communi ſit ſtabilitum, & quid 67

obſeruari debeat ratione Voti, præcepti, aut conſuetudinis, & quæ ſint cauſæ ab illa excuſantes. Clauſura, vt omittam varias vocis nomenclaturas, quæ afferuntur à P. Ioſepho Gibalino *in diſquiſ. Canonic. de clauſura Regulari*, *ex pag.* 1. ſumitur in præſenti pro ſeptis Monaſterij, ſeu pro ipſo Monaſterio ſuis cincto muris, ſeptis ſeu clauſtris, reſpectiuè ad legem, qua prohibetur Monialibus egreſſus ex illis, & externis ingreſſus in illa. Hæc clauſura non eſt de iure diuino, nec naturali, vt probant P. Azor *tom* 1 *inſtit. mor. lib.* 18. *cap.* 8. & innumeri paſſim. Eccleſia autem iam ex antiquis temporibus prohibuit Monialibus egreſſum à Monaſteriis, in quibus illæ ſub Præpoſitæ obedientia degebant; (nec enim eſt ſermo de Virginibus, quæ olim per ſolemne Votum Deo dicabantur, & in parentum exiſtebant domibus) Id ex Conciliis pluribus eruditè exornat Gibalinus *vbi ſuprà diſq.* 1. *cap.* 1. oſtendens, decurſu temporum, ob varia accidentia hanc diſciplinæ ſeueritatem aliquando fuiſſe laxatam, donec *in cap. periculoſo*, *de ſtatu Monachor. lib.* 6. Bonifacius VIII. eam ſtrictè innouauit, & demùm Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 15. *de Regular. cap.* 5. ibi; *Nemini autem Sanctimonialium liceat poſt profeſſionem exire à Monaſterio, etiam ad breue tempus, quocumque prætextu, niſi ex aliqua legitima cauſa ab Epiſcopo approbanda; indultis quibuſcumque, & priuilegiis non obſtantibus.* Pariter *ibidem* prohibetur ingreſſus in ſepta Monaſterij omnibus cuiuſcumque generis, conditionis, ſexus, vel ætatis fuerint, ſine licentia Epiſcopi, aut Superioris in ſcriptis obtenta, ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrendæ, quæ licentia in caſibus dumtaxàt neceſſariis debeat concedi; & nullus alius poteſt præter Epiſcopum, vel Superiorem, eam concedere. Prohibitionem eiuſmodi ingreſſus per leges Eccleſiaſticas inductam, & confirmatam, oſtendit idem Gibalinus ex pluribus Conciliis, & Patribus *vbi ſuprà* §. 1. *ex num.* 8. Et in ſequentibus doctè manifeſtat, Eccleſiam potuiſſe ſuis Regibus hanc clauſuram ſancire; ſapienter eam ſtabiliſſe: atque, vt adeò opportunam obſeruantiæ Regulari, pertinere ad Prælatos Monialium poteſtatem indicendi illam, adhuc independenter à Decretis Pontificiis.

68 An autem Epiſcopi poſſint procurare clauſuram Monialium non ſolùm ſibi ſubditarum, ſed etiam exemptarum, quamvis immediatè Sedi Apoſtolicæ ſubjiciantur, non quidem per poteſtatem ordinariam, ſed per ſpecialem conceſſam à Bonifacio VIII. innouatam à Tridentino & à Pio V. in Bulla, quæ incipit; *Paſtoralis*, dubium eſt inter Authores; Affirmant Barboſa *in collect. ad id cap. Trid. & de poteſt. Epiſc. alleg.* 102. *ex num.* 7. & ita ſæpè deciſum à Sacra Congregatione Tridentini refert; item P. Ferdinandus de Caſtro Palao, Margarita caſuum, & alij. Negant P. Thomas Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 15. *num.* 11. Bonacina, Tamburinus, Nauarrus, Llamas & alij. Quorum ſententia præcipuè vim habet reſpectu Monialium Militarium, iuxta ea, quæ *quæſt.* 4. attigimus de Epiſcopis circa Militares. Media via incedit P. Gibalinus *vbi ſuprà cap.* 1. §. 6. *num.* 15. aſſerens, Epiſcopos non ex vi Tridentini, neque ex Conſtitutione Bonifacij, ſed ex ſanctione Pij V. aliquam poteſtatem habere circa procurandam clauſuram in Monaſteriis exemptis, nempè vnà cum eorundem Monaſteriorum Superioribus; quin horum poteſtati quidquam detrahatur. Hæ variæ opiniones efficiunt, vt quiſque pro ſua iuriſdictione contendat; Epiſcopi de ſua non dubitent; Superiores exempti eam illis denegent. Chriſtiani Principes tenentur ſuum auxilium præbere Prælatis clauſuram procurantibus; necnon Magiſtratus inferiores, & hi quidem ſub excommunicationis pœna à Tridentino lata.

Per conſuetudinem poteſt derogari clauſuræ quoad ingreſſum, vel quoad egreſſum, ſiuè conſuetudo ante Tridentinum inducta fuerit, & poſteà continuata, non recipiendo quoad hoc Decretum Tridentini; ſiuè poſt illud etiam receptum, fuerit inducta, & continuata. Ita P. Suarez *lib.* 1. *de Religion. tract.* 8. *cap.* 8. *num.* 12. P. Thom. Sanchez, Azor, Layman, Caſtro Palao, Gibalinus, & alij. Quippè clauſura ſola lege humana Eccleſiaſtica fuit inducta, cui poteſt per conſuetudinem derogari, nec implicitè continetur in votis, vt voluit Llamas *in method. curat. in append.* §. 2. cum nec ex natura rei in voto Caſtitatis includatur, nec iure diuino; & ſi includeretur lege Eccleſiaſtica, poſſet huic derogari. Hinc Salmanticæ in non paucis Monaſteriis Monialium, quæ Epiſcopo ſubjiciuntur, ſtatim ac Sedes vacat per obitum, aut promotionem Epiſcopi, conſuetudo obtinuit, vt breui tempore Moniales poſſint egredi à clauſura, & nonnunquam id exequuntur quaſi per ceremoniam, ne conſuetudo interrumpatur; Quare à Monaſterio S. Eliſabethæ conſulti de hoc Illuſtriſſimus Frater Angelus 69

Manrique,

Manrique, Epiſcopus Pacenſis, & Illuſt. D. Don Martinus Lopez de Hontiueros, nunc Epiſcopus Calagurritanus, poſſe Moniales egredi, cenſuerunt, & ſubſcripſerunt. Indè in prædicta Monaſteria fœminæ ingrediuntur, & aliquando Viri, ſub moderatione ex conſuetudine præſcripta; nec tamen ideò vnquam Religionis ſplendor fuit temeratus.

70 Difficilius eſt, an, vbi ex conſuetudine clauſura non ſeruatur, poſſit de nouo induci? Ex vi Tridentini, & Conſtitutionum prædictarum induci nequit, nam vbi lex derogata eſt, nemo cogi poteſt ad eam ſeruandam, niſi ab ipſo Legiſlatore eam iterùm promulgante, ſubditiſque acceptantibus. Prælatum verò poſſe ſuo præcepto inducere illam, docet Giballinus *vbi ſuprà num.* 19. ſi iudicet neceſſariam, ad obſeruantiam Regulæ, & diſciplinæ Religioſæ, cum poſſit præcipere ea, quæ ſunt neceſſaria ad illum finem; & poſito præcepto, non minùs tenerentur Moniales ad clauſuram ex vi illius, quàm ex vi voti, ſi clauſuræ votum emiſiſſent; eſtò violatio clauſuræ in vouentibus illam habeat circunſtantiam ſacrilegij Sanè in hac ſententia ea conditio purificari debet, quòd ſit neceſſaria clauſura ad obſeruantiam diſciplinæ Regularis in Monaſteriis, in quibus adhuc non ſeruata, vel inducta fuit; contendent enim Moniales, non eſſe neceſſariam, nec laxatam fuiſſe diſciplinam Regularem ob defectum clauſuræ, adhuc poſt plures annos; quòd ſi aliquod fuit incommodum expertum, id non tribuendum eſſe defectui clauſuræ, cùm etiam aliquando ſimilia incommoda ſentiantur in Monaſteriis clauſuram obſeruantibus. Addent, ſe non profeſſas fuiſſe Religionem ſub onere clauſuræ; & quamvis Prælatus poſſit aliqua onera addere opportuna ad obſeruantiam, non tamen notabilia, & quæ notabiliter immutant ſtatum, quem profitentur, & quem forſan ſub eo onere non ſuſcepiſſent. Et huc facit illud D. Bernardi *de diſc. & præcept.* aientis; *Prælatus nihil mihi præcipiat, quod ſit ſupra regulam.* Quin ex clauſura de nouo inducta grauem infamiam ſequi Monialibus, ipſæ contendent, quam ſubire nequeunt cogi; Si enim per innumeros, aut plurimos annos abſque clauſuræ præcepto cæteræ ibi vitam duxerunt religioſam, bonæ famæ, & virtutis odore refertam, quid cogitent homines, ſi denuò clauſura præcipiatur, niſi quòd iam Moniales diſciplinam regularem laxarunt, & occaſionem deprauationis morum nouo præcepto ſuggeſſerunt? Hæc, & alia pro illis ſtant; Vnde præſcindendo à poteſtate Prælatorum, vt prudenter operentur, dicat aliquis minimè fore præcepturos clauſuram, niſi vel Moniales ipſæ expoſcant, aut conſentiant, vnde poſteris ingreſſuris eam Religionem conſtet de clauſura iam inducta; vel (quod non continget) abutantur licentia ingreſſus, vel egreſſus, cum ſcandalo Reipublicæ, & graui detrimento diſciplinæ Regularis; quia in pluribus caſibus non attendendum eſt, quid liceat, ſed quid deceat, & oporteat.

Res ſanè ardua eſt; & indè Epiſcopi Salmantini nihil vnquam circa clauſuram in prædictis ſibi ſubiectis Monaſteriis innouarunt. Poteſtatem inducendi de nouo clauſuram, ſi iudicetur neceſſaria ad obſeruantiam diſciplinæ regularis, cenſeo, dari in Prælatis (& conſequenter in Superioribus Monialium Militarium) quia non eſt præceptum ſupra regulam, nec onus ſupra vota, quod iudicatur neceſſarium ad obſeruantiam Regulæ, & votorum; cum in mediis neceſſariis ad eum finem exequendis teneantur ſubditæ obedire, nec valeant excuſationem prætendere, quòd non ſunt amplexæ Religionem cum eo onere; nam implicitè amplexæ ſunt omnia onera, quæ ad ipſam Religionis normam ſeruandam fuerint neceſſaria. Hæc de poteſtate. Deindè iudico, maturo iudicio fore procedendum, ne lites, turbationes, querelæ, & alia damna pullulent, quæ ſint graue detrimentum Religionis ipſius. Demùm arbitror, poſſe ſuauiùs clauſuram induci reſpectu ſequentium deindè Monialium, quin vlla deinceps admittatur, niſi ſub ea conditione ſeruandæ clauſuræ. Demùm ſi Prælati abſolutè clauſuram de nouo inducere velint, iudicabo profectò, attentè rem expendiſſe, & prudenter operari; cum pro eis ſtet præſumptio.

Cæterùm limites clauſuræ ſunt ianua, & ſeptum Monaſterij, quo Moniales clauduntur; vt tradit Emanuël Rodriguez *tom. 1. qq. Regular. quæſtion.* 47. *articul.* 1. Bonacina, Comitolus, & communis, & ita declarauit Gregorius XIII. in Conſtitutione *De ſacris Virginibus*, edita tertio Calendas Ianuarij, anno 1572. Quod ſic clarè expono. Omnia loca, ad quæ liber ſæcularibus patet acceſſus, ſunt extra clauſuram, etiam ſi contigua ſint, vel intra primam ianuam, aut ſeptum exteriùs Monaſterij; Illa verò, à quibus ſæculares communiter prohibentur, intra clauſuram ſunt. Quare non eſt locus medius, communis Monialibus, & ſæcularibus, vt aliqui finxerunt apud P. Suarez *vbi ſuprà cap.* 10. *num.* 7. Nec licèt 71

Monialibus exteriorem Eccleſiam adire, aut domos Monaſterio contiguas, definiuit Gregorius Pontifex in Conſtitutione *nuper* relata.

72 Ex his, ſi Monialis intra rotam volueretur ad locum externis patentem, violaret clauſuram. Sic Comitolus *in reſponſ. moral. lib.6. quæſtion.*3. Portel. & alij; eſtò probabiliter aſſerat Tamburinus *de iure Abbatiſſar. diſp.*18. *quæſt.*4. peccare eam grauiter, ſed non violare clauſuram. Si verò aſcendat tegulas monaſterij, aut murum, illam non violat, vt tradit cum pluribus Texeda *in controuerſ. moral. tom.*1. *lib.* 2. *controu.* 14. *dub.*8. *num.*9. quia tectum pertinet ad monaſterium; muri verò ſuperior pars nondum extra clauſuram eſt. Ait autem Giballinus *vbi ſuprà, num.*37. ſæcularem aſcendentem ad eam partem muri non violare clauſuram. Sed contrà; nam ſaltem ille locus (eſtò extraordinarius) communis erit Monialibus, & externis; locum autem communem non admittit hic Author. Contrà etiam, nam ideò probat, Monialem ſupra murum non violare clauſuram, quia adhuc ea pars muri non eſt extra clauſuram; ergo eadem ratione violabit illam externus, quia accedit ad locum, qui non eſt extra clauſuram.

§. II.

Attinguntur alia pro praxi circa clauſuram Monialium.

73 CVm ſemel Monia is iuſta de cauſa, habitaque licentia è Monaſterio egreditur (imò & ſi iniuſtè violando clauſuram fuiſſet egreſſa) non violat poſteà illam, quamvis egrediatur è domo, in qua commoratur. Ita omnes cum Nauarro *comment.* 4. *de Regularib. notab.*4. *num.* 44. In Monaſteria, quæ actu ædificantur, licèt ibi aliquæ Moniales aſſiſtant, dummodò adhuc in parte ſeparata valuis, & ſepto non circundentur, poſſunt ingredi cuncti; ſicut fœminæ poſſunt ingredi ad Monaſterium virorum, quod actu extruitur, & in quo Communitas Religioſorum non verſatur, eſtò ibi aliqui ex ipſis Religioſis aſſiſtant. Sic Tamburinus *de iure Abbatiſſarum, diſputation.* 18. *quæſt.*1. Cum verò in aliqua parte ſeparata degunt Moniales, & aliquod opus domus internæ conficitur, poſſunt externi ad illud operis locum accedere, non verò Moniales illuc exire, vt tradit Giballinus *de clauſura Sanctimonialium diſquiſ.*1. *c.*2. §. 17. *n.*40.

74 Lex Eccleſiaſtica omnes, & ſingulas Moniales ad clauſuram obligat ex ſe, & ſtat pro lege poſſeſſio, dummodò non probetur deobligatio. Ita omnes; Videatur Villalobos 2. *part. ſumm. tractat.* 35. *difficult.*44. Conuerſæ ſolemniter profeſſæ (vt excludamus aliquas, quæ emittentes Vota ſimplicia deſtinantur ad colligendas foris eleemoſynas) tenentur etiam ad clauſuram, vt liquet ex Conſtitutione *ſuprà* dicta Pij V. *Circa Paſtoralis.* Quin dubium exortum fuit ſuper verbis eius Conſtitutionis, an Pius prohibuiſſet omnino, recipi Conuerſas; & aſſeruit P. Thomas Sanchez *lib.*6. *in Decalog. cap.*15. *num.*59. ſtando rigori literæ, prohibitionem ibi contineri, ſed conſuetudine fuiſſe ei derogatum. Tertiariæ Ordinis Sancti Franciſci, quæ in Congregatione viuunt, (non enim eſt ſermo de his, quæ domi ſuæ ſub certo habitu, & regulis degunt) tenentur etiam ad clauſuram, vt docuit Villalobos *vbi ſuprà*; ideóque reuocatum eſt oppoſitum indultum eis conceſſum à Leone X. de quo Corduba *in annotat. ad Collector. priuileg. verbo, Clauſura, notab.*1. Eadem diſtinctio, quæ reperitur in Tertiariis in Communitate cum ſolemni profeſſione viuentibus, & aliis extra Communitatem abſque ea profeſſione, datur in aliis quibuſvis nuncupatis variis nominibus, de quibus circa clauſuram eodem modo eſt philoſophandum. Videatur Giballinus *vbi ſuprà cap.*3. *ex n.*8. Et ea ſit regula generalis; teneri ad clauſuram eas, quæ in Religione approbata in Communitate degunt; non verò, quæ extra Communita em, vel non profitendo Religionem approbatam, adhuc pium viuendi modum ſimul in aliqua domo ſectantur.

P. Giballinus *vbi nuper num.* 17. ſupponens cum Caietano, Baſilio Legionenſi, Thoma Sanchez, Vazquez, Suarez, & aliis, poſſe inſtitui Religionem, in qua ſolùm Vota ſimplicia emittantur, & non fiat Profeſſio, ſicut in Societate IESV ſunt verè, ſtrictè, & propriè Religioſi, antequam Profeſſionem ſuccedente tempore emittant, hi, qui poſt biennium Vota ſimplicia emiſerunt, de quo dubitare, eſſet nefas, poſt Bullam Gregorij XIII. quæ incipit, *Aſcendente Domino*, allatam in Bullario Societatis; ſupponens prætereà nullam Religionem Monialium de facto dari ſolis Votis ſimplicibus conſtantem; Docet, caſu quo daretur, teneri Moniales ad clauſuram, quia illa Vota æquiualerent Profeſſioni quoad hunc effectum, qui ſpecialiter non inuoluitur in Profeſſione, ſed in Votis conſtituentibus eſſentialiter Religionem, 75 qualiter

qualiter tunc ea Vota conſtituerent. Villalobos *ſuprà num.* 2. ait, Moniales omnes etiam Tertiarias, & Militares teneri ad clauſuram, *aunque ſean legas, como tengan hecho Voto ſolemne*; vbi videtur innuere, non teneri, ſi Votum ſolemne non emiſerint. Sed poteſt exponi primò, ea verba, *como tengan hecho voto, &c.* cadere ſupra Laicas, ſeu Conuerſas; denotando, vt *ſuprà* nos aduertimus, eſſe aliquas Conuerſas deputatas colligendis eleemoſynis, quæ Vota ſimplicia dumtaxàt ſponte emittunt, quin ſint propriè Religioſæ. Secundò, quamvis ea verba cadant ſuprà priora de Monialibus, cum etiam ibi locutus fuerit is Author de Tertiariis, quæ, vt aſſeruimus, ſunt in duplici differentia, voluit diſcriminare eas, quæ ſolemniter in Communitate profitentur, ab aliis, quæ aliqua Vota extra Communitatem degentes emittunt. Demùm ſi de facto cum Giballino ſupponat Villalobos, nullam dari Monialium Religionem cum ſolis votis ſimplicibus, certum eſt, eius verba non ſe extendiſſe ad caſum, de quo in præſenti, nempè ſi de nouo inſtitueretur, & approbaretur à Pontifice Religio ſolis Votis ſimplicibus conſtans.

76 Nouitiæ, cum non ſint adhuc propriè Religioſæ, nec Profeſſæ, ad clauſuram non obligantur. Sic Zerola *in praxi Epiſcop. verbo, Moniales, ad* 14. *quæſitum, dub.* 3. & communis. Nec interrumpitur nouitiatus, ſi de licentia Superiorum exeant e Monaſterio, curandæ valetudinis cauſa, aut ſimili. Ita Nauarrus *conſil.* 32. *de Regular.* docens, poſſe nouitiatum magna ex parte peragi extra Monaſterium. Si verò abſque licentia Nouitia exeat à clauſura, maximè per tempus non exiguum, cenſeo eam interrumpere nouitiatum; tum quia Authores aſſerentes, illum non interrumpi, ſignatè addunt, ſi de licentia Superiorum ab ea exeat; ergo à contrario, ſi abſque licentia id peragat, ſentiunt hi Authores, interrumpi; aliàs non addidiſſent limitationem appoſitam, ſed aſſererent abſolutè, non interrumpi nouitiatum per exitum à clauſura; Tum quia ille exitus externè manifeſtat animum deſerendi Religionem, cui clauſura eſt annexa, & ſimul deſertionem illius; quamvis poſſit contingere, Nouitiam non fuiſſe affectam eo animo interiori; v. g. ſi retento habitu, Nouitia perterrita ſeueritate, aut iracundia Superioriſſæ, abſconditè exeat è Monaſterio, cauſa ſe occultandi, ſed animo redeundi; Quo caſu ex Galuano aſſerit Diana, in Viris nouitiis non interrumpi Nouitiatum.

In ſuperioribus iam oſtendimus, quinam externi poſſint ingredi clauſuram Monialium, ſi ſint Prælati, Viſitatores, Confeſſarij, & ſimiles. Nunc circa ingreſſum alia libabimus. Abſolutè ab omnibus externis vitandum eſſe ingreſſum ad earum Monaſteria, ſtatuitur à Bonifacio VIII. Gregorio XIII. Pio V. & à Concilio Tridentino; At eorum verbis generalibus non comprehendi Reges, ac Reginas, & poſſe ingredi ad ea Monaſteria, tradunt Emanuël Rodriguez *tom.*1. *quæſtionum Regularium, quæſtion.*48. *articul.*1. P. Thomas Sanchez, Caſtro Palao, Giballinus, & alij. Fundatrices poſſe ingredi ad Monaſteria Virorum, & conſequenter, à fortiori, Monaſteria Monialium, probabile eſt; Sic P. Ferdinandus de Caſtro Palao *tract.* 16. *diſputation.* 4. *punct.* 8. *num.* 4. P. Giballinus *vbi ſuprà cap.*4. *num.*3. Monialis vnius Monaſterij, quæ ex aliqua cauſa extra illud verſatur, poteſt ingredi Monaſterium aliud eiuſdem Ordinis, non verò alterius. Ita Peyrinis *de priuileg. Regular. in Conſtitut.* 6. *Pij V. quæſtion.*6. *num.*26. Bonacina, Thom. Sanchez, & plures. Negat P. Caſtro Palao *ſuprà puncto* 10. §. 1. Sed tutum eſt, poſſe ingredi. Imò etiam in Monaſterium alterius Ordinis poſſe, docet Llamas *in method. curat. in appendic.* §. 11. Pueri ante vſum rationis poſſunt ingredi Monaſteria. Ita P. Henriquez *lib.*4. *de pænitent. cap.*5. *num.*2. *in commen. liter. M.* & communis; non enim ſunt capaces præcepti, & legis. At quamvis amentes adulti non ſint capaces præcepti, nequeunt admitti intra clauſuram; quia licèt ipſi ſint culpæ incapaces, viget tamen lex circa illos quoad alios effectus, cum poſſint eſſe materia peccandi, turpiter iocando, tumultum excitando, & alia incommoda ſuggerendo. Vide Giballinum *vbi ſuprà n.*6. 77

Licentiam, quam ex iuſta cauſa poſſunt Prælati concedere Monialibus exemptis ad egrediendum è Monaſterio, fore approbandam ab Epiſcopo, iuxta Bullam Pij V. *Decori, & honeſtati*, declaratoriam Tridentini, tuentur Barboſa *de poteſtat. Epiſcop. allegation.*102. *num.* 20. Emanuël Rodriguez, Peyrinis, Llamas, Nauarrus, Thomas Sanchez, Azor, Suarez, Giballinus, & alij. Circa Militares id non eſt in praxi. Circa alias ſtandum eſt conſuetudini, per quam poteſt ea lex eſſe derogata. Portel. *tom.*3. *dub. regular. cap.* 15. *num.* 6. ait, non eſſe in Hiſpania receptam quoad hoc Bullam Pij V. Ad Monaſteria Sanctæ Claræ (quorum Moniales expreſsè vouent clauſuram) non poſſunt Prælati ipſarum 78

conced ere

concedere licentiam, vt quis ingrediatur, niſi in caſibus in Regula expreſſis, vt decreuit Iulius II. *in cap.9. Regulæ.*

79 Cauſa legitima requiritur ad licentiam præſtandam ingrediendi ad Monaſteria, & in ſcriptis concedi, ſtabiliuit Pius V. in Conſtitutione relata *Decori*. Video tamen, non multum curari de hac licentia in ſcriptis habenda, cum ſeſe offert occaſio Confeſſariis ingrediendi ad excipiendas Confeſſiones ægrotantium; Cenſeo quippè, eam formam fuiſſe præfixam, vt certiùs de licentia conſtaret, vt fraudibus occurreretur; vnde conſultius eſt, eam ſeruari; at dum certò de illa conſtat, & fraus nequit timeri, non videtur reſiſti menti Pontificiæ; In caſibus autem repentinis, in quibus neceſſitas non patitur moram, certum eſt, non eſſe opus licentia in ſcriptis, vt cum pluribus docet Tamburinus *de iure Abbatiſſar. diſp.23. quæſt.6.* Id etiam certum eſt, quod ſi Prælatus committat alicui facultatem, vt concedat licentiam egrediendi, aut ingrediendi Monaſteria, non eſt neceſſe, tradere in ſcriptis eam commiſſionem, ſeu facultatem; nam de ea non loquuntur Pontifices, nec Tridentinum, cum iniungunt, fore tradendam in ſcriptis licentiam. Cæterùm adhuc circa licentiam ingreſſus, & egreſſus, eſſe ſolùm formam quoad forum externum, & non pertinere ad ſubſtantiam, quod habeatur in ſcriptis, tenent Homobonus *de caſib. reſer. p.2. caſ.5.q.2.* Valetus, Souſa, & alij, contrà opinionem Giballini, & plurium ſentientium oppoſitum, Superiorisſa nequit dare Monialibus facultatem egrediendi è Monaſterio. Ita P. Suarez *tract.8. de Relig. lib.1. cap.10. n.14.* & communis, ex verbis Tridentini id colligens. Poterit verò licentiam concedere, ſi prælatus id illi commiſerit, quia tunc nomine illius operatur. Ita Graſſis *1. part. deciſ. lib.4. cap.23. n.6.* cum aliis. Quòd ſi caſus vrgeat, & Prælatus adiri nequeat, ex præſumpta illius voluntate valebit licentiam tribuere. Sic P. Thom. Sanchez *vbi ſuprà cap.16. n.37.* Idem dicito in his caſibus de licentia ingrediendi concedenda externis. Quoties autem prælatus licentiam concedit, ſupponitur, dari conſenſum Superiorisſæ, & Conuentus, contra cuius voluntatem, non eſt credendum, prælatum velle operari, (niſi neceſſitas exigat cogere Conuentum, vt admittat ingredientem) ne perturbationes ſequantur. Ita Caſtro Palao *vbi ſuprà, diſput.4. punct. 10. §.2. n.8.*

80 Vicarium generalem Epiſcopi poſſe idem, ac ipſum Epiſcopum, circa conceſſionem, & approbationem cauſarum, tenent Merolla *tom.1. diſput. Theol. Mor. diſp.1. cap.2. n.488.* Bonacina, & alij plures; Eum autem indigere ad id ſpeciali mandato Epiſcopi, deciſum fuiſſe à ſacra Congregatione, plures docent apud Barboſam *alleg.102. n.28. & 38.* Capitulum, Sede Vacante, poteſt eam licentiam egrediendi, & ingrediendi ad Monaſteria Monialium concedere, cum ad illud ſpectent, quæ ad Epiſcopi iuriſdictionem attinent. Sic Ioannes de la Cruz *lib.1. de ſtatu Religioſo, cap. 5. concluſion.3. notab.1.* & communis. Negata iniuſtè licentia in caſu neceſſitatis, poteſt Monialis egredi, vel externus ingredi clauſuram, quia hæc eſt lex Eccleſiaſtica, quæ cum graui detrimento non obligat. Ita P. Thomas Sanchez *ſuprà cap.15. n.51.* & plurimi alij. Ceſſante cauſa, aut finito tempore, pro quo licentia datur, hæc ceſſat; quòd ſi cauſa falſa fingatur, ea eſt inualida. Cum verò quis ex iuxta cauſa ingreditur Monaſterium, quamvis ex curioſitate luſtret cubicula, & totam domum, non peccat, ſaltem grauiter. Ita Miranda *de Monialibus quæſt.2. art.20.* Rodriguez, Bonacina, Molfeſius, Thom. Sanchez, & alij. Cum verò Monialis egreditur, finito negotio, ſi diu immoretur in redeundo, grauiter peccabit, ſecùs ſi mora non ſit notabilis, prudentis viri iudicio.

P. Giballinus *de clauſura Sanctimonial. diſquiſition.1. cap.6. per totum*; & P. Pellizarius *tom.2. manual. Regular. tractat.10. cap. 5. ſection.2.* ac plures ab ipſis relati latè exponunt, & exagitant cauſas, propter quas licitus eſt egreſſus Monialium è Monaſterio; morbum ſcilicèt, cui intra illud nequit occurri: epidemiam: lepram: peſtem: inundationem, aut ruinam Monaſterij; aliaſque ſimiles apud eos expendendas. Deindè idem Giballinus *cap.7.* & Pellizarius *ſection.3.* diſcutiunt cauſas, ob quas licet externis ingreſſus in Monaſteria Monialium; nempè ob neceſſitatem vel ipſius Conuentus, vel alicuius Monialis, quæ neceſſitas exigat vel Medicum, vel Chirurgum, Confeſſarium, fabros, operarios, Architectos, & alios huiuſmodi. Circa ingreſſum famularum, vt inſeruiant Communitati, aut priuatis Monialibus, & an ſemel ingreſſæ poſſint egredi, & regredi, & circa educationem puellarum intra Monaſteria, ſunt variæ Declarationes Cardinalium, & quidem ſtrictæ, allatæ ab Emanuele Rodriguez, Peyrinis, Tamburino, Miranda, Giballino, Pellizario, & aliis. Sed non vna regula in omnibus Monaſteriis circa id ſeruatur, nec præfigi poteſt, cum per contrariam 81

con

conſuetudinem diuerſa in diuerſis Conuentibus ſiut inducta; quare conſuetudini legitimæ erit ſtandum; conandumque ſemper, vt non reddatur clauſura laxior, ſed quod fieri poſſit, ad legum Eccleſiaſticarum terminos reuocetur, vtpotè diſciplinæ regulari expedientiſſima.

82 Qui iudicem, aut ſatellites fugit, ingrediens Monaſterium, non peccat, vt ſe liberet, idem dicito de fugiente manus inimicorum. Cæterùm Moniales quamprimùm debent eum expellere; & ſit, ac immunitate Eccleſiaſtica non gaudeat, poterunt Iudices ingredi, vt eum apprehendant, ſi exire nolit. Videatur Bonacina *de Clauſura, punct.* 4.

83 Monialis egrediens è Monaſterio violans clauſuram incurrit in excommunicationem Pontifici reſeruatam, vt conſtat ex Pio V. in Conſtitutione, *Decori, & honeſtati*, Vbi eandem cenſuram infligit omnibus comitantibus, ſeu recipientibus, qui nempè egreſſui cooperentur; & item omnibus, qui iniuſte concedunt licentiam egrediendi, quos prætereà priuat omnibus officiis, & muneribus, & inhabiles reddit ad alia. Varia circa id dubia conſule apud Patrem Thomam Sanchez *ſuprà cap.* 15. P. Caſtro Palao, Giballinum, Pellizarium, Lamas, & alios iam relatos.

84 Ingredientem abſque licentia. incurrere excommunicationem à Concilio Tridentino latam, ſed non reſeruatam, diximus *ſuperiùs*. Qui verò præſumit ingredi prætextu facultatum à Pontifice,aut ab aliis conceſſarum, quæ deinceps per Pontifices Paulum V. & Gregorium XIII. fuerunt reuocatæ, incidit in excommunicationem Sedi Apoſtolicæ reſeruatam, quam idem Paulus in fœminas inflixit in Bulla, quæ incipit, *Monialium ſtatui*, & generaliùs Gregorius in Bulla, *Vbi gratia*. Sed iam quæ facultas conceſſa ante eos Pontifices poſſit ſubſiſtere? Hinc opus non eſt exponere pœnas inflictas Superioriſſis, & ianitricibus permittentibus ingreſſum ſub prætextu eiuſmodi facultatum Vrbanus VIII. die 17. Octobris, anno 1624. expediuit Motum proprium, infligens excommunicationis pœnam in eos, qui ex priuilegio Pontificis ingrediuntur Monaſteria Monialium, ſi priùs non præcedat conſenſus Capituli ipſarum per ſecreta ſuffragia præſtitus. Sed hunc Motum proprium nec innotuiſſe noſtræ Hiſpaniæ, crediderim. Alia de clauſura Monialium vide *apud Me in ſtatera opinionum benignarum diſſert.* 13. *ex n.* 170.

Seuera antiquis temporibus extitit diſciplina circa acceſſum ad colloquendum cum Monialibus. Innumera ſunt circa id Conciliorum Decreta, quibus poſſent paginæ impleri; ſed hæc ad notitiam, & exornationem, non ad ſcopum noſtrum collimant. Videantur plures ex Authoribus decurſu relatis. Sed quia iam ex illis plurima per conſuetudinem ſunt antiquata, breuiter dicendum eſt, acceſſum ad colloquendum cum Monialibus, ſecluſa prohibitione Prælatorum, abſque prauo fine, & ſcandalo ceſſante, ex ſe non eſſe culpabilem. Deindè Prælati poſſunt collocutionem, niſi certis perſonis, aut indeterminatis temporibus, & circumſtantiis, iuxta exigentiam rerum prohibere. Quòd ſi Epiſcopus excommunicet accedentes ad alloquendum cum Monialibus, poteſt ſimul comprehendere, ſi exprimat, ſubditos ſuos accedentes ad Monaſteria exempta ſita in ipſius territorio; nam crimen acceſſus per locum fit ipſi ſubiectum. In prohibitione autem acceſſus non continetur allocutio facta ex domo propria per feneſtras; nec in prohibitione collocutionis comprehenditur ſcriptio literarum. Videantur Tamburinus *ſuprà diſputation.* 25. *ex quæſtion.* 5. P. Suarez *de Relig. lib.* 1. *tract.* 8. *cap.* 10. P. Caſtro Palao *tractat.* 16. *diſputation.* 4. *punct.* 11. P Thomas Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 16. & alii *in ſuperioribus* adducti. 85

§. III.

De Clauſura Monialium Militarium. Vbi alia circa ipſas exponuntur.

Facile iam ex prædictis, quæ ad clauſuram Monialium Militarium ſpectant, deciduntur. Quippè eis ſunt aptanda reſpectiuè omnia, quæ vt certa, vel tuta, *ſuperiùs* præfiximus, quoad egreſſum ipſarum è clauſura: quoad ingreſſum aliorum in illam; & quoad licentiam, cauſas, pœnas violationis, & ſimilia. Cæterum conceſſio licentiæ pertinet ad Senatum Regium Ordinum, qui, iuxta ſæpè dicta, eſt Prælatus trium Ordinum, pertinet etiam ad Priores Militares, ſi illis immediatè ſubdantur Monaſteria Monialium Militarium, aut alia non Militarium, in territoriis ipſorum Ordinum, vt ſi eis, aut Viſitatoribus commiſerit Senatus, vt poſſint ex cauſa iuſta côcedere licentiam. Et quamvis non ſint frequentes caſus neceſſitatis, vt Moniales egrediantur, indeque poſſit expectari licentia à Sena 86

à Senatu; tamen neceſſitas, vt in Monaſteria ingrediantur Confeſſarij, Fabri, Operarij, & ſimiles, frequens eſt, nec valet a Senatu Ordinum diſtante expoſci, ac expectari licentia; vnde opus eſt, quòd Senatus id committat, vt de facto præſtat, Prioribus, aut alijs ex Ordine, circa Monaſteria degentibus, vel Superioriſſis, vt licentiam eiuſmodi concedant.

87 Præterea in caſibus, in quibus diximus, poſſe Prælatos ingredi Monaſteria, vel ad ea viſitanda, vel ad neceſſaria munia, poſſunt Viſitatores ingredi, & item Priores, quibus ordinaria, aut extraordinaria viſitatio eſt commiſſa, ſicut Priori Monaſterij de Alcantara commiſſa eſt viſitatio Conuentus Sancti Spiritus in eodem Alcantaræ oppido, & S. Petri de Brozas ſemel quolibet triennio. Dum autem ingrediuntur clauſuram, debent ob decentiam, & honeſtatem, ſecum duos, vel tres ſocios probatæ virtutis adhibere, vt *ſuprà* libauimus.

88 In Monaſteria Militarium Calatrauæ, & Alcantaræ, quoties aliqua Monialis è viuis decedit, Equites, & Fratres Clerici eiuſdem Ordinis inibi degentes, aut aſſiſtentes ingrediuntur, vt Funeri adſtent, & Officia defunctorum perſoluant. In omnibus ergo Conuentibus ſua etiam praxis, & conſuetudo circa clauſuram eſt præfixa. Id ſanè ſemper monuerim, eos, qui intra clauſuram ingrediuntur, maximè ad lugubria, & funeralia, non fore cum Monialibus, niſi quæ vrbanitas ſuo iure poſcit, collocuturos, nec æquum eſſe per Monaſterium diuagari, cellas percurrere, nec ibi, niſi tempore neceſſario, immorari; aliàs in riſum luctus vertitur: pietas in curioſitatem, & feſtiuam recreationem mutatur, ſuggeriturque materia incommodis, quæ exindè pullulare valent. Diſſonum autem eſt, abuti fine propter quem ingrediendi conſuetudo eſt inducta. Præcaueo damnum: non ſuppono, nec ſuſpicor. In Luſitania, teſte Portel. *tom. 3. de dub. Regular. lib. 6. cap. 15. n. 1. & 3.* non ſeruatur clauſura in Monaſterijs Monialium Militarium S. Iacobi, & S. Benedicti de Auis.

89 In Monaſterio Iacobæo Toletano Sanctæ Fidei fœminæ ſolæ ad aulam intra oſtium ingredi conſueuerunt. In Cœnobio verò Regio Sancti Spiritus Salmantino eiuſdem Ordinis D. Iacobi, quod illuſtre ſanè eſt, & Ordinum Militarium primum, Viri, & fœminæ (cum delectu, & ex licentia Commendatariæ) per ſexcentos annos, conſtanti conſuetudine, adhuc poſt Tridentinum continuata, ſunt ingreſſæ, Cui cõſuetudini innumeri Magiſtri, & Doctores Salmantini, inter quos Magiſt. Baſilius Legionenſis, adſtipulati ſunt. Ipſæ verò Moniales, vt profiteantur, ad clauſuram non teneri, aliquibus diebus ad Eccleſiam exteriorem, atque ad atrium egrediuntur. Non verò poſſunt vlteriùs egredi abſque Senatus Regij Ordinum licentia; intenduntque, ſola prohibitione pœnali prohiberi, non verò ex vi Regulæ, & Profeſſionis. Id verò iuxta dicta *ſuperiùs*, & dicenda *inferiùs*, mihi non probatur; nam dum conſuetudo aliquid e clauſuræ obligatione non minuat, annexa eſt clauſura ſtatui Monialium, & quamvis in Regula non præcaueatur, attamen id prouenit, quia Regula pro Viris Militaribus eſt confecta, & aptanda fœminis, ſeruata proportione, cum nec omnia, quæ in Regula continentur, eis competant; nec ea, quæ ſtatui Monialium ex Eccleſiæ præſcripto congruunt, repeti oportuit, ſed ſupponi. Id euidenter oſtendo; Nam non eſt Regula ſpecialis pro Monialibus Calatrauenſibus, & Alcantarenſibus; nec in Regula quidquam de clauſura enuntiatur; & tamen nec in mentem eis venit, clauſuræ præcepto non teneri. Id etenim iam diu annexum eſt ſtatui Monialium ex legibus Eccleſiaſticis. Quare id, quod conſuetudo circa Iacobæas non obtinuit, ex præcepto Eccleſiaſtico debetur. An autem poſſit Rex noſter, ſeu Senatus Ordinum eis clauſuram de nouo præcipere, attigi *ſuprà num.* 70.

90 Sed quid dicendum in caſu clauſuræ Monaſterij Iacobæi Matritenſis? Contenditur in illo, fuiſſe fundatum inſtar Monaſterij Salmantini Sancti Spiritus, atque adeò non aliam clauſuram ei præfigendam fore, quam illud habet, ſi quidem ſub ea conditione nuper fuit erectum, & primæ Moniales ſub ea ipſa conditione ibi degere cæperunt. Reſiſtit Ordo, nec conditioni aſſentitur, & ſuam reſiſtentiam, in receptione, ac Profeſſione Nouitiarum, conatus eſt Senatus Ordinum manifeſtare, eis præcipiens indici ſetuandam clauſuram. Sunt pro vtraque parte Patroni. Aſſerunt Moniales, Fundationem ab Ordine fuiſſe acceptatam ſub ea conditione; adeóque ſeruandam, vtpotè contractum oneroſum. Addunt, ſe non aliter ad illud Monaſterium peruenturas, nec noua auſteritate, notabiliter rerum ſtatum mutante, fore grauandas, & in receptione, ſeu Profeſſione Nouitiarum, reclamaſſe Decreto Senatus intimanti clauſutam, vel de illo eis non ſufficienter conſtitiſſe. Hæc earum præcipua erunt fundamenta.

91 E contrà aſſeret Ordo, in inſtrumento

Fun

Fundationis non exprimi quidquam de clauſura, ſed generaliter aſſeri, illud Monaſterium erigendum fore inſtar Salmantini, quod, vt primum Ordinis, tanquam Ideam, Fundator propoſuit, cupiens, omnia ſubſtantialia circa Informationes, Vota, electionem Commendatariæ, aliaque eiuſmodi eſſe omnino ſimilia, & de clauſura forſitan non cogitans, quam, veroſimile eſt, fore reſtricturum, ſi cogitaſſet. Inde Ordo acceptans monaſterium ſub ea conditione generali, non acceptauit ſub hac ſpeciali laxitatis clauſuræ, nec præfixa expreſsè in Fundatione, nec acceptanda, ſi fuiſſet expreſſa; & quæ veroſimiliter quis in ſpeciali non foret acceptaturus, non intelliguntur in generali acceptatione comprehenſa.

92 Inſuper addet; laxitatem clauſuræ in Salmantino Monaſterio, vtpotè adeò diurnam, per conſuetudinem derogantem legibus Eccleſiaſticis honeſtari; At in Monaſterio Matritenſi quomodo laxitas honeſtetur? Quo pacto, titulo, priuilegio, aut diſpenſatione, Concilio Tridentino, Bonifacio VIII. Gregorio XIII. Pio V. & aliis Pontificibus, innumeriſque Declarationibus Sacræ Congregationis Cardinalium reſiſtatur? Poſſuntne pro placito Moniales contra leges Eccleſiaſticas operari, aut nunc de nouo non acceptare Tridentinum in Hiſpania receptum? Nec ſe ipſum poſſe, addet Ordo, id permittere, nec facultatem habere contraueniendi Sacris Canonibus; Indeque totis conatibus teſtitiſſe laxitati clauſuræ, & repetitò obſeruantiam illius intimaſſe Monaſterio.

93 Quin etiam dicet; caſu negato quòd Fundator expreſſiſſet laxitatem clauſuræ pro conditione, hanc eſſe turpem, inualidam, minimè adimplendam, nec potuiſſe acceptari. Nam quis facultatem induſit Fundatori, vt Tridentino, & legibus Eccleſiaſticis derogaret, denuò erigens Monaſterium contra eas leges, & ſanctiones? aut quomodo Ordo, & Senatus Eccleſiæ obſequentiſſimus acceptaret conditionem ei penitùs oppoſitam? Equidem nunc Monaſterij noui fundatio non eſt menſuranda cum antiquis, quoad ea, quæ vſus, & conſuetudo induxit; nam conſuetudo derogatoria legis alligata eſt Monaſterio, in quo eſt inducta, non tranſit ad aliud; præcipuè cum per eam derogatur diſciplinæ Eccleſiaſticæ. Quippè lex Eccleſiaſtica poſſidet, & incumbit onus oprobandi contra illam ei, qui vult ſe ab obligatione eximere. Monaſterium Salmantinum eximit ſe non aliter, niſi probans conſuetudinem propriam, ſibi inuiſceratam, & intranſibilem ad aliud. Videamus ergo, quomodo probat Monaſterium Matritenſe, vt ſe eximat à legis obligatione. An per conſuetudinem? His nuper annis eſt erectum. An per diſpenſationem legis à Pontifice obtentam? Non obtinuit. Sane per conditionem appoſitam à Fundatore, & per acceptationem Ordinis. Fundator non expreſſit conditionem laxitatis clauſuræ; non potuit apponere: & ſi appoſuiſſet, turpis, & inualida foret. Senatus Ordinum, & Ordo ipſe non acceptauit hanc conditionem in ſpeciali, nec potuit, nec poteſt acceptare. Pontificis ſolius eſt, diſpenſare, aut derogare legibus Eccleſiaſticis, niſi lex per conſuetudinem contrariam derogetur. Fundator, Ordo, Senatus, & Moniales nequeunt præſtare, quæ ſoli Pontifici priuatiuè incumbunt. Equidem ſi Pontifex fundaſſet Monaſterium ad inſtar alterius; etiam conſuetudines extenderentur ad illud, cum poſſit ipſe diſpenſare in legibus Eccleſiaſticis, aduersùs quas inductæ eſſent conſuetudines, & hoc ipſo quòd ad inſtar id priuilegium conceſſiſſet, diſpenſare cenſeretur. Idem dico de Imperatore, aut Rege, qui priuilegium ad inſtar concederet, vi cuius etiam conſuetudines inductæ contra leges ciuiles extenderentur, cum ille valeat in legibus his diſpenſare, & tunc ita præſtare cenſeatur. At Fundator, qui non eſt ſuperior legibus quomodo valeat extendere conſuetudinem contrariam illis? Qua poteſtate, aut titulo id præſtet?

Hinc reſpondebit Ordo, ſe nouum onus non imponere; ſed præcipere, ſuſtineri onus ex legibus Eccleſiaſticis obligantibus annexum Monaſteriis Monialium, quæ de nouo eriguntur; ideóque illud à Senatu intimari ingredientibus Nouitiis, ſeu Profeſſis, vt ſciant onus, quod ſunt ſubituræ; caſque abſque fundamento ſolido in eam deueniſſe cogitationem, quòd non forent ſeruaturæ clauſuram quoad ingreſſum externorum in Monaſterium. Atque id onus in ipſis Statutis Ordinum continetur, *tit.* 14. *cap.* 12. ibi; *Atento que todos los dichos Monaſterios de la Orden eſtan oy muy encerrados, y los comprehende el rigor de la clauſura del Concilio Tridentino, y la malicia de los tiempos no ſufre la llaneza de los paſados: Eſtablecemos, y mandamos, que la clauſura de los dichos Monaſterios de nueſtra Orden ſe guarde con todo rigor, &c.* Id ipſum per plura capita *toto eo titulo* reperitur. Nec dicat aliqua, ſe non aliter emiſſuram fuiſſe Profeſſionem; nam 94

nam non appoſuit vlla (ſi rationi innitamur) hanc conditionem, *Nolo me obligare ad has vota, quæ emitto, ſeruanda, niſi externi poſſint ingredi hoc Monaſterium abſque licentia Prælati, & ego poſſim egredi pro libito.* Nam quis non rideat ſpiritum, & feruorem ſic ſe Deo per vota ſacrantis? Quòd ſi eam conditionem non appoſuit, tenetur Profeſſione, quamvis ſibi ſuaſerit, non fore ſeruandam clauſuram. Quòd ſi aliqua cum ea conditione Profeſſionem emiſit, ſanè, vt docet cùm aliis P. Giballinus, Profeſſio nulla eſſet ex defectu voluntatis ſe obligandi; quæ, ſi exteriùs probari poſſet, pro nulla in foro externo eſſet iudicanda.

95 Hæc ego excogitaui (antequàm Iuris Allegationes pro vtraque parte vidiſſem) poſſent ſanè illa latè exornari Iuribus, & Authoribus, ſed breuitati conſului. Litem propoſui; nihil de mea ſententia curabitur; adhuc tamen illam pro Ordine profero; & *quæſt. ſequenti* latiùs euoluam, quæ in Allegationibus circumferuntur.

96 Olim in Statutis Iacobæis decernebatur, vxores, & filias Commendatariorum, & Equitum, dum hi ad bella procedebant, pro determinato tempore intra Monaſteria Monialium ipſius Ordinis commorari; & ſi illi è viuis decedebant, deſignabatur prædictis fœminis tempus, quo de conſilio, & authoritate Magiſtri, vel Habitum Monialium ſuſciperent, vel exirent è Monaſteriis. Id tamen omnino fuit ablatum, tum ob incommoda experta, tum quia creſcente in dies Ordine, auctus eſt numerus vxorum, viduarum, ac filiarum Equitum, quibus recipiendis plurima Monaſteria nun ſufficerent. Vide in Statutis *titulum* 14. *cap.* 12. Et obiter aduerte errorem vulgi exiſtimantis, aliqua ex prædictis Monaſteriis in ſuis exordiis ſolùm fuiſſe deputata ad præfatas vxores, & filias Equitum, & non ad Moniales. Etenim à prima inſtitutione Monialibus fuerunt deſtinata, & acceſſoriè illuc admittebantur vxores, & filiæ Equitum. In præſenti etiam aduerte, Moniales Monaſterij *de las Iunqueras* in ciuitate Barchinonenſi, ſub obedientia Ordinis Iacobæi degentes, non emittere votum Caſtitatis abſolutæ; Quippè indè quæ volunt, exeunt inituræ matrimonium; ſemper autem, etiam vxoratæ, & poſtmodùm viduæ, inſigne Iacobæum in pectore geſtant.

97 Rigidè prohibitum eſt in Statutis, & Definitionibus Ordinum, ne fœminæ intùs admittantur à Monialibus Militaribus, vel educationis cauſa, vel vt eis famulentur, ſi excedant numerum famulantium præfixum; De quo vide in Statutis Ordinis D. Iacobi *titulum* 14. *cap.* 7. & in Definitionibus Alcantaræ *tit.* 8. *cap.* 3. & 7. ſublata ibi Viſitatoribus poteſtate concedendi licentias, vt fœminæ ſæculares admittantur. Attamen non ad vnguem hæc obſeruari videntur. Confugitur ad conſuetudinem diuturnam contrariam; quæ, ſi legibus Pontificiis valet derogare, Statutis, & Definitionibus etiam derogare valebit.

Viſitatores, dum Monaſteria Monialium inuiſunt, rationem tenentur ſumere de adminiſtratione facultatum, & redditunm, & de his, quæ ad obſeruantiam Regulæ, Statutorum, ſeu Definitionum ſpectant. Circa id, ac tempus in Viſitatione inſumendum, & huiuſmodi alia, legantur in Statutis Iacobæis *tit.* 11. In Definitionibus Calatrauæ *tit.* 19. In Definitionibus Alcantaræ *tit.* 23. & *tit.* 8. *ex cap.* 3. Cæterùm in Definitionibus Calatrauenſibus *eo titulo* 19. *cap.* 17. ſtabilitur, ſtipendia Viſitantium Monaſteria Monialium, & Collegium Ordinis Salmantinum, expenſis Magiſtri Ordinis ipſius, fore numeranda, eo quòd propriæ ipſius ſint viſitationes, & ea Monaſteria, ac Collegium inopia laborent. 98

In Statutis Ordinis D. Iacobi *tit.* 22. *cap.* 10. prohibentur Equitibus, & Clericis Fratribus ludi vetiti alearum, necnon & chartarum pictarum, niſi cum ea moderatione, quam ſibi poſtulat honeſta recreatio; & iniungitur, eos, qui aliter *ludant*, à Senatu Regio Ordinum, & à Viſitatoribus fore mulctandos pœna pecuniaria iuxta qualitatem, & circunſtantias exceſſus; ea autem pœna præcipitur applicari pro medietate Monaſteriis pauperibus Monialium Ordinis, & Xenodochiis ipſius Ordinis. Crediderim, ſubſidio huius pœnæ non multùm fore ſubleuanda Monialium Monaſteria; nam cum Equites dominium bonorum retineant, ea pro libito inſumunt, & diſperdunt, quin de eo curetur. Circa ludum autem Clericorum Fratrum ſtandum eſt his, quæ ſuo loco *in ſuperioribus* tradidimus. In eiſdem Statutis *cap.* 10. *tit.* 14. præcipitur, Moniales admitti, & emittere Profeſſionem iuxta Decretum Tridentini *ſeſſ.* 25. *cap.* 17. Quod etiam in Ordinibus Calatrauæ, & Alcantaræ obſeruatur. 99

Numerus Monialium, quæ in Monaſteria Ordinis D. Iacobi admitti poſſunt, decernitur in Statutis *tit.* 14. *cap.* 2. In Monaſterium autem S. Spiritus Alcantaræ admittendæ præfiguntur in Definitionibus *tit.* 8. 100

cap.

*cap.*3. Vbi ſtabilitur, Priorem Monaſterij Alcantarenſem, ipſoque abſente, aut impedito, Subpriorem, vel Præſidem, & non alium, conceſſurum fore Habitum, ac Profeſſionem Monialibus Conuentus S. Spiritus; & cauetur, hac occaſione non fore ingreſſurum ad eius Conuentus clauſuram. Cæterùm Profeſſionem coram vno ex prædictis emittitur à Monialibus in manibus Abbatiſſæ; quòd conſonat doctrinæ *ſuperius* traditæ de Profeſſionis acceptatione. Oratio mentalis, & vocalis à Monialibus Militiarum habeuda continetur in prædictis Statutis, ac Definitionibus. Moniales Iacobææ vtuntur Breuiario, & Miſſali Romano; At Calatrauenſes, & Alcantarenſes Breuiario, ac Miſſali Benedictino, iuxta dicta *in ſuperioribus* de Clericis Fratribus.

QVÆSTIO VIII.

De Clauſura Monialium Ordinis D. Iacobi. Vbi de Voto Caſtitatis ipſarum.

101 TRadidi *quæſt. præcedenti*, quæ circa clauſuram Monialium Militarium, etiam Ordinis D. Iacobi, excogitaueram, antequam inciderem in Allegationes Iuris, quæ circa Monaſterium Matritenſe eiuſdem Ordinis D. Iacobi in lucem prodierunt. Et quidem Memoriale Magiſtri Gregorij Roman. perdoctum ſanè, ea ſolidiora fundamenta continet, quæ *ſuperius* libauimus, vt clauſuram ſeruandam perſuadeat. Quare Allegatio erudita aduersùs ipſum edita huius eſt quæſtionis ſcopus, in qua eius rationes diſcutere erit operæpretium; quin tamen neutri parti præiudicium ferre, ſit in animo, ſed dumtaxat controuerſiæ momenta reuocare in examen; nec enim meum eſt, litem dirimere, nec querelæ, aut offenſionis vmbram præferre. A Senatu tamen Regio Ordinum, & à Rege noſtro ſtare, & tutius, & rationi conformius, ſemper ſum arbitratus.

102 Proponitur conſtitutio eius inſignis Monaſterij Matritenſis à Patronis tradita, & à Rege noſtro confirmata, in qua aſſeritur, non fore innouandum in Profeſſionibus, ſed has debere peragi iuxta ritum aliorum Monaſteriorum Ordinis; cum ergo clauſura in Profeſſione non promittatur, nec in eo Monaſterio debet promitti. Nec confundendam eſſe hanc Conſtitutionem, additur, cum alia eiuſdem Monaſterij, in qua clauſuram fore ſeruandam iniungitur; Cum vnaquæque ex his ſuum valeat effectum ſortiri; nempè ſi abſolute omnimoda clauſura non ſeruetur, ſicut non ſeruatur in aliis Monaſteriis Ordinis; & ſi ſimul ſeruetur aliqua clauſura, nempe quoad ingreſſum Virorum; imò & fœminarum niſi vſque ad determinatum locum intra Cœnobium. Cæterùm in aliis Monaſteriis, inductum eſſe conſuetudine, non ſeruari clauſuram, enuntiatur, tum à prima fundatione, tum poſt Tridentinum; & cum clauſura ſit de lege humana, poteſt per conſuetudinem contrariam abrogari, vt tuentur Nauarrus *de regular. comment.* 4. *num.*39. *&* 41. Emanuël Rodriguez *tom.*1. *qq. regular. quæſt.* 44. *art.* 2. Vega *tom.* 2. *ſumm.cap.*86.*caſ.*19. Baſilius Legionenſis *de impedimont. matrim. cap.* 8. P. Azor *tom.*1. *inſtit. moral. lib.*13. *c.*8. *quæſt.*1. P. Thomas Sanchez *lib.* 6. *de matrim. cap.*15. *num.*4. & alij à nobis *ſuperius* allati.

Plura hic inuoluuntur expedienda. In 103 primis Monaſterium Matritenſe adhuc contendit, non aliam clauſuram in eo fore ſeruandam, quàm in Monaſterio Salmantino S. Spiritus ſeruatur, iuxtà cuius normam fuiſſe fundatum, aſſeritur. Multò autem laxior clauſura fuit in Monaſterio S. Spiritus, quàm in aliis Ordinis eiuſdem, vt eſt conſtans; Nam intùs, & in totum ferè Cœnobium, de licentia Commendatariæ, Viri, & fœminæ (cum delectu) vſque ad hunc annum 1656. ingreſſi ſunt; quod in aliis Monaſteriis Ordinis non contingit, & Author Allegationis fatetur, in Monaſterio Sanctæ Fidei Toletano ſolùm ad aulam intra oſtium fœminas ingredi, & ait, ſi hoc concedatur Matritenſibus, ſatisfieri earum animo. Iam en concedit, Matritenſes non intendere ſuam clauſuræ laxitatem æquari Salmantinis; cuius oppoſitum valde percrebuerat.

Deindè, ſi in vno Monaſterio maior 104 clauſuræ laxitas datur, quàm in alio, ſignum manifeſtum eſt, laxitatem non prouenire ex forma Profeſſionum Monialium Ordinis, nec ex Ordinis Inſtituto, cum in his omnes ſint pares; ſed ex conſuetudine dimanare; quam, fateor, & iam *ſuperius* docui, poſſe abrogare clauſuram. Hinc tamen validum deſumitur argumentum. Conſuetudo contra leges Pontificias, & contra Tridentinum non operatur, niſi vbi eſt inducta, nec extenditur vltrà; at hæc conſuetudo non eſt inducta in toto Ordine, vt Ordo eſt, (quod magis conſtabit *infrà num.*114.) ſed in ſpecialibus Monaſteriis, & etiam ſi in omnibus illis ſit inducta, attamen laxiùs in vno, quàm in alio, & non

vniformiter in cunctis; ergo nequit extendi ad Monaſterium Matritenſe. Minor propoſitio eſt res facti, & omnibus manifeſta. Maior, & conſequentia probantur. Primò; ſi ea conſuetudo extenderetur ad Matritenſe Monaſterium, inquiro, quænam conſuetudo, & cuius Monaſterij? cur potius Monaſterij Toletani, quàm Salmantini? & tamen pro ſola conſuetudine Toletani ſtat Author prædictus. Nequit ſanè de hac potiùs, quàm de illa conſuetudine res dirimi; ideo profectò, quia conſuetudo non extenditur. Secundò, ſi conſuetudo vnius Monaſterij ad aliud deriuatur, quomodo Moniales Toletanæ non contendерunt, nullam aliam clauſuram ſeruare, quàm Salmantinam Monaſterij S. Spiritus? An quis dicat, potuiſſe conſuetudinem Salmantini Monaſterij Toletano fauere, vt eadem ibi eſſet norma clauſuræ? Si ergo conſuetudo Salmantina non fauet Toletanis, cur conſuetudo Toletana fauear Matritenſibus?

105 Tertiò, quia, vt *quæſt. 7.* aſſerebam, conſuetudo vim habet, vbi legitimè inducitur, nec vltrà protrahitur, maximè cum aduerſatur legibus Eccleſiaſticis. Quod ex terminis ipſis videtur innoteſcere; nam conſuetudo perficitur ex actibus continuatis alicuius Oppidi, Monaſterij, aut Communitatis; vbi autem illi actus non dantur, nec conſuetudo dabitur, imò nec extenſio illius, cum eſſentialiter conſuetudo in ſe imbibat eam actuum frequentiam; & vbi deficit ea frequentia actuum, quæ eſt conſtitutiuum, neceſſe eſt, deficere conſtitutum. Nec ſufficit, Monaſterium fundatum eſſe iuxta normam Monaſterij S. Spiritus; quippè, vt *in ſuperioribus* oſtendi, id intelligitur de his omnibus, in quibus poteſt ei aſſimilari, non verò de his, quæ Monaſterium S. Spiritus habet ratione conſuetudinis incommunicabilis. Quare, ſi in Inſtitutione Monaſterij Matritenſis fuiſſet appoſitum, quòd in eo non ſeruarentur clauſura, ſanè hæc conditio eſſet nulla, vtpotè contraria ſacris Canonibus, qui vigent, dum conſuetudo legitima eos non abrogat; in Monaſterio autem, quod de nouo inſtituebatur, non poterat ea eſſe adhuc conſuetudo; nec item in Ordine, vt dicebamus *num. præcedent.* Hinc nec ea conditio implicita eſt in alijs conditionibus expreſſis, per quas Monaſterium Matritenſe aſſimilari intenditur Salmantino; nam conditio, quæ non potuit expreſsè apponi, vel fuiſſet nulla, ſi apponeretur, nec implicitè appoſita intelligitur; irritaque foret, ſi intelligeretur appoſita.

Rem exemplo elucidemus. Si in Monaſterio Salmantino inducta fuiſſet conſuetudo non ieiunandi v. g. in Vigilia Pentecoſtes; & inſtitueretur aliud Monaſterium, apponendo conditionem, quòd eſſet iuxta normam Monaſterij Salmantini; nullus diceret, poſſe non ieiunari in illo, ea Vigilia Pentecoſtes, aut eam conſuetudinem abrogantem præceptum Eccleſiæ poſſe extendi ad aliud Monaſterium; nec potuiſſe ab Inſtitutore, vel Patrono clauſulam apponi, per quam expreſsè, aut implicitè iniungeretur, non fore ieiunandum in ea Vigilia; Quòd ſi ea conditio, aut clauſula fuiſſet appoſita, iudicaretur turpis, & inualida. Similiter ergo in noſtro caſu contingit, nec diſcrimen facilè reperies. 106

Nec in ordine ad clauſuram opportunè adducitur Profeſſio, hoc, vel illo modo peracta. Etenim (ſi excipias Moniales ſanctæ Claræ) nihil de clauſura ab alijs Monialibus in Profeſſione profertur; quia lex Eccleſiaſtica clauſuræ obligat Moniales ſtatim, ac Profeſſionem emittunt, & hoc ipſo quòd emittant, ſubijciunt ſe legibus Eccleſiaſticis obligantibus in eo ſtatu. Sicut ſtatim ac quis ſacris Ordinibus initiatur, obligatur lege Eccleſiaſtica recitandi Horas Canonicas, quamvis in receptione Ordinum nihil promittat circa recitationem; eo quòd hæc incipit eum tunc obligare; nec poteſt ipſe ſuſcipere Ordines, & velle non obligari ad recitandum, nam lex eum vrget. Idem contingit *in noſtro caſu.* 107

Hinc, quòd Rex noſter, ac Senatus Ordinum præceperint, vt Profeſſionem emittant Moniales Ordinis D. Iacobi, iuxta normam Tridentini, non ſuadet, intendiſſe, vt ſolemniter promitterent clauſuram; ſed cum animaduerteret Senatus, eas lege clauſoræ non obligatas eſſe cenſere, voluit ob oculos obligationem apponere, ne poſteà rei prætenderent ignorantiam, & deobligationem affectarent Quin iam à Rege noſtro iniunctum eſt, ne in Profeſſione quidquam addant, ſed tamen clauſuræ præcepto conſtringendas eſſe, intelligant. 108

Inſiſtit adhuc doctus is Author; contendendo Ordinem Monialium D. Iacobi inſtitutum fuiſſe, maiori cum ſuauitate in Votorum obſeruantia, ac alios Ordines ſacros, atque adeò maiorem debere eſſe in clauſura ſuauitatem, & laxitatem, vt inter ſe vtraque proportionentur; & indè ait, à Senatu Ordinum præberi facultatem, vt Moniales extra Monaſterium verſentur, dum laborantes prolixa aliqua ægritudine ſanantur. 109

ſanantur Deindè aſſerit, hanc præeminentiam non ſeruandi clauſuram, iuſtè à Monialibus Iacobæis contendi, ſartam tectam ſeruari, cum nullæ aliæ Moniales ea gaudeant; & illæ abſque clauſura eam retinuerint ſemper vitæ perfectionem, quam cum clauſura aliquæ vix retinere potuerunt. Aſſertque plures Doctores, & Magiſtros Salmantinos, qui cenſuerunt, & ſubſcripſerunt, Moniales Iacobæas non comprehendi ſub Decreto Tridentini, nec ſub Conſtitutione Pij V. præcipientium clauſuram.

110 Hic Author ſupponere videtur, de quo *inferiùs*, Moniales Iacobæas laxam adeò viuendi normam ſectari, ac ipſos Iacobæos Equites; quod nullatenùs eſt verum. Deindè eodem prorsùs modo Moniales Iacobææ, ac aliæ cæteræ obſtringuntur ad ſeruandum Paupertatem, Caſtitatem, & Obedientiam; niſi quòd Prælati, quibus ex vi Voti obedire tenentur, mitiùs cum illis ſolent ſe habere, dum licentiam ex cauſa prolixæ ægritudinis ad exeundum è Monaſterio indulgent; quod tamen in ipſis Monialibus non ſuadet minorem obediendi obligationem. Quin oppoſitum, ac is Author, ipſæ Moniales S. Spiritus, & S.Fidei aſſerunt, in libello ſupplici ad Regem noſtrum, circa clauſuram, conqueſtæ de eo, quòd Senatus Ordinum, noluerit licentiam præbere duabus Monialibus S. Spiritus, vt ad balnea pergerent, indeque impeditas corpore remanſiſſe. Ecce negatum ipſis, quod in ipſa vrbe Salmantina ſolent Epiſcopi Monialibus ſubditis concedere. Prætereà ea præeminentia non ſeruandi ſtrictam clauſuram non eſt ſolùm propria, & ſpecialis Monialium Ordinis D. Iacobi; Nam vt omittam Legionenſes, & alias, in hac vrbe Salmantina in non paucis Monaſterijs Monialium clauſura non ſeruatur ſtricta, & fœminæ ingrediuntur in illa; imò, & Sedes Epiſcopalis vacat, vt oſtendant, ſe non adſtringi lege clauſuræ, etiam quod exitum à Monaſterio, ſolùmque præcepto Prælati fuiſſe detentas, ſolent exire è Monaſterijs, dum à Capitulo, Sede vacante, Vicarij diœceſis eliguntur; Quod his noſtris temporibus vſitatur; Et ſubſcribentibus Viris doctiſſimis, vt dixi *ſuprà*, è Monaſterio S. Eliſabetæ Communitas Monialium tota ab oſtio ad Eccleſiam exiuit, annis elapſis, indeque ad inuiſendas Moniales Monaſterij Corporis Chriſti perrexit, vt ſi ſuam conſuetudinem tuerentur. Quippè ratione conſuetudinis abrogantis legem clauſuræ id eis licet, & non aliudè; quod idem de Monialibus Iacobæis S. Spiritus, & Sanctæ Fidei eſt dicendum. Quod verò additur de Magiſtris Salmantinis ſubſcribentibus deobligationi clauſuræ, aliter à me adhuc fuerat apprehenſum. Quippè vidi ego cenſuras Magiſtrorum cenſentium, Moniales S. Spiritus non teneri ſtricta lege clauſuræ, ex eo quod conſuetudo præſcripta abrogauerit omnes leges poſitiuas, ipſum Tridentini Decretum, & conſtans ſit apud Authores, poſſe eas leges, & Decretum per conſuetudinem abrogari; quod militat pariter reſpectu Monialium S. Spiritus, ac quarumcumque aliarum, quæ clauſuram ſtrictam non ſeruant, quales ſunt non paucæ Salmanticenſes. Ea autem cenſura, quam ego legi, nec loquitur de monialibus S. Fidei, nec intendit, Decretum Tridentini non comprehendiſſe, cum editum fuit, Moniales Iacobæas, ſed vel non acceptaſſe illud, vel per conſuetudinem poſt ipſum contrariam abrogaſſe ipſum; Id autem longè diuerſum eſt, ac quod Author relatus tradit. Sed quia res facti, & quidem non publica, nequit facilè impugnari, & ea cenſura, quam ille refert, poteſt eſſe apud ipſum, non immoror in impugnatione quod cenſura ſit, vt ab ipſo refertur.

Inſuper conatur ſuadere, Moniales S. Spiritus, & cæteras Iacobæas non profiteri ex vi Regulæ Caſtitatem abſolutam, ſed coniugalem, ſolùmque ex vi Statutorum vouere Caſtitatem abſolutam; indeque votum Caſtitatis abſolutæ eſſe ſimplex, & non ſolemne, vtpotè abſque approbatione Pontificia emiſſum; ex quo fundamento infert, eas ad clauſuram ex vi Regulæ, & Inſtituti non teneri, ſiquidem ex vi illius poterant nuptias contrahere, ſicut poſſunt Equites, atque adeò è Monaſterio exire, ſicut exeunt Moniales Iacobææ Barchinonenſes de las Iunqueras. 111

Aſſumptum probat Author. Nam non datur alia Regula reſpectu Monialium Ordinis D. Iacobi, niſi ea, quam confirmarunt Alexander III. & alij Pontifices poſt ipſum, eſtque eadem ac Regula Equitum, qui ſolùm Caſtitatem coniugalem promittunt, indeque poterant nuptias contrahere Moniales ante annum 1480. in quo ſtatutum fuit ab Ordine, ne poſſent nubere, tempore Magiſtri Don Alfonſi de Cardenas; & in proœmio Statutorum, quæ reſpectu Monialium ſunt confecta, manifeſtè exprimitur, Regulam Equitum; & Monialium eſſe eandem. Et quidem, ſi ante id Statutum emiſiſſent votum ſolemne Caſtitatis, non valuiſſent nubere, nec Ordo diſpenſare, quia id votum erat impedimentum 112

dirimens matrimonjum adhuc ante Alexandrum III. qui primus Regulam confirmauit, in quo impedimento ſolus Pontifex diſpenſare valet, iuxta omnium ſententiam, vt docent P. Thom. Sanchez *de matrim. lib.*8. *diſp.*8. Nauarrus, P. Leſſius, & alij communiter.

113 Id etiam ſuadet, quia in Monaſterio Iacobæo Barchinonenſi *de las Iunqueras*, & in Luſitano Iacobæo Monaſterio *de Sanctos*, Moniales ſolùm vouent Caſtitatem coniugalem, & nubere queunt; ergo, cum ſit eadem Regula earum, ac aliarum Monialium Ordinis D. Iacobi, ex vi Regulæ non emittitur votum ſolemne Caſtitatis abſolutæ. Ex his ait, clauſuræ legem eas non obligare, tum iuxta dicta *ſuprà*; tum quia Bonifacius VIII. clauſuram non iniunxit, niſi Monialibus Profeſſis; Tridentinum autem, & Pius V. renouarunt Conſtitutionem Bonifacij, atque adeò de Profeſſis debent exponi; Moniales autem Iacobææ, cum non emittant votum ſolemne Caſtitatis abſolutæ, non eſt Profeſſio ea, quam emittunt, atque adeò non comprehenduntur ſub ea clauſuræ lege. Verba eius ſunt; *Por que, aunque demos, que hablan de las Milicias, es conforme dicha Conſtitucion de Bonifacio, en la qual ſolo obliga, à las que expreſa, ò tacitamente profeſan, ibi; Nulli earum tacitè, vel expreſſè Profeſſa, &c. y lo miſmo dice la de Pio V. y coſa aſentada es, que no ſiendo el Voto de Caſtidad ſolemne, no es Profeſion &c.*

114 O quot, & quanta profert hic Author contra ipſas Moniales, & Ordinem ipſum, dum eis intendit fauere! Nam incipiamus ab hoc vltimo prælato. Ergo Moniales Iacobææ, & Equites Iacobæi, ac Calatrauenſes, & Alcantarenſes, atque ſimiles non emittunt verè, & realiter profeſſionem, iuxta hanc doctrinam, nec vnquam ſunt profeſſi; quo quid falſius? Patet conſequentia; Exinde probat, non comprehendi Moniales eas ſub relatis Conſtitutionibus Pontificum, quia hæ obligant ſolùm Moniales Profeſſas, quin tamen Conſtitutiones ipſæ diſtinguant profeſſionem horum, vel illorum Votorum; ergo nunquam ſunt profeſſæ. Deindè ait, non eſſe profeſſionem, quia non emittitur in ea Votum ſolemne Caſtitatis abſolutæ; ſed illi Equites non emittunt id Votum, ergo nunquam profeſſionem peragunt. Dicet forſan, eſſe quidem profeſſionem, ſed non eſſe profeſſionem quoad Votum Caſtitatis abſolutæ. Benè; ergo iam ſunt Moniales profeſſæ; igitur comprehenduntur ſub Conſtitutionibus Pontificum non diſtinguentibus hanc, vel illam profeſſionem. Rursùs impropria eſt hæc locutio euaſionis, ſi ſic excogitetur. Nam verbi gratia, in Societate Iesv, vt ipſe Author obſeruat, cum profeſſio fit, alia ſimul Vota ſimplicia emittuntur; Quis ergo dicet, eam non eſſe profeſſionem, quia ea Vota ſolemniter non emittuntur? Ergo ſi Monialis profeſſionem peragit, in qua iuxta ipſum Authorem ſolemniter vouet paupertatem, Caſtitatem coniugalem, & Obedientiam, nequibit aſſeri, eam non eſſe abſolutam profeſſionem, licèt ſimul emittatur Votum ſimplex Caſtitatis abſolutæ.

Sed adhuc altiùs rem euoluamus. Vo- 115
tum illud ſimplex Caſtitatis non eſt approbatum, iuxta hunc Authorem, à Pontificibus, ſed ab Ordine in Statutis iniunctum; vt ſic autem nequit per ſe conſtituere ſtatum religioſum; nam in Societate Iesv ideò Vota ſimplicia poſt biennium emiſſa conſtituunt religioſum ſtatum, & vouentes veros Religioſos, quia approbata, & confirmata ſunt à Sede Apoſtolica. Tunc ſic; ergo Moniales Iacobææ in ſententia aſſerentium, Equites non eſſe ſtrictè, & propriè Religioſos, ſed ſecundùm quid, non ſunt Religioſæ verè, ſed ſecundùm quid. Conſequentia eſt plana, quia præcipuum eorum fundamentum eſt, quod requiritur ad verum ſtatum religioſum Caſtitas abſoluta, quam Equites non vouent; Moniales autem, etſi eam voueant, at iuxta hunc Authorem, id prouenit ex præcepto Statuti, non ex approbatione Pontificia, atque adeò nihil id Votum operatur ad conſtituendum ſtrictum ſtatum Religioſum earum, & remanent in eodem ſtatu, in quo ſunt Equites. En quantum hic Author faueat Monialibus Iacobæis, cum relinquat ſub opinione, an ſint ſtrictè Religioſæ, aut ſolùm ſecundùm quid? & conſequenter an ſint exemptæ à iuriſdictione temporali Regia, necne? & ſententia negatiua non parùm odioſa eſt Ordinibus Militaribus. Recolantur ea, quæ latè diſcuſſimus *diſq.*2. *q.*2.

Prætereà inquiro ab hoc perdocto Au- 116
thore; an Clerici Fratres Iacobæi, qui antequam Ordini vnirentur, erant Canonici Regulares, poſt vnionem toto temporis decurſu vſque nunc, mutauerint Regulam ſui Inſtituti primæui, necne? Si non mutarunt Regulam, ergo Clerici Fratres nunquam vixerunt, nec nunc viuunt ſub Inſtituto Regulæ Ordinis Sancti Iacobi, quæ longè diuerſa eſt in norma Inſtituti ab illa Regula Canonicorum, ſi quidem Caſtitas abſoluta in hac exigitur, non in illa, & plura alia ſunt diſſimilia, ac diuerſa;

Quamvis

Quamvis enim vtraque dicatur, & ſit Regula Sancti Auguſtini, tamen ſub ea comprehenduntur plura Inſtituta ſpecifica, & determinata, quæ inter ſe differunt; Quod patet, nam ſub Regula Sancti Auguſtini militant plures ſacræ Religiones, quæ inter ſe ſunt diuerſæ; Quare ſicut vna ſacra Religio differt ab alia, ſic etiam Religio Canonicorum Regularium differt ab Ordine Sancti Iacobi. Fit id planius; Nam Canonici Regulares, qui nunc dantur in Eccleſiis inſignibus Pampilonenſi, Sancti Iſidori Legionenſis, Cæſarauguſtanæ Virginis Deiparæ del Pilar, ſub Regula Sancti Auguſtini degunt, & tamen diuerſa eſt eorum Religio, ac Ordo Sancti Iacobi. Ergo, ſi Clerici Fratres Iacobæi adhuc retinent Regulam, & Inſtitutum Canonicorum Regularium, non magis in Inſtituto Regulæ pertinent ad Ordinem Divi Iacobi, quàm Canonici Pampilonenſes, aut Cæſarauguſtani; Et tam diuerſa eſt eorum Religio ab Ordine Iacobæo, ac diuerſa eſt ab ipſo Religio Canonicorum eiuſmodi. Id autem videtur abſurdum; quamvis Petrus Gonzalez Gragera *in allegatione pro præcedentia Clericorum Fratrum Hiſpalenſium Sacerdotum ad Equites Iacobaos, num.* 5. aſſerat, ita vnitos fuiſſe Canonicos de Loyu Ordini Iacobæo, quòd inter ſe diſtincti, & ſeparati remanſerint, non mutata vita, nec Profeſſione. Et *numer. ſeptimo*, addit, modificatam fuiſſe Regulam Canonicorum Regularium per Regulam ab Alexandro Tertio traditam. Verum clarè pronuntiet; Viuuntne ſub Regula Ordinis Sancti Iacobi, vel non? Si vivunt, *numer. ſequent.* me videro. Si non vivunt; ecce intra ipſum Ordinem duæ Regulæ: en difformitas; En Clerici Fratres non profitentur Regulam Ordinis D. Iacobi. Id ægrè ipſi ferant. Et meritò.

117 Si dicatur, eos ſtatim ac vniti ſunt Ordini Iacobæo, mutaſſe Religionem, ſeu (ne verbis hæreamus) novam Religionem conſtruiſſe, cum diuerſa norma, & Inſtituto Regulæ, quam Alexander Tertius confirmauit. Ecce maius abſurdum, & falſitas ingentior, iuxta huius Authoris principia. Quippè ideò Moniales, iuxta ipſum, ſolam Caſtitatem coniugalem ſolemniter vovent, quia degunt ſub Regula approbata ab Alexando Tertio, in qua ea ſolùm Caſtitas exigitur, nec ex ea Regula liberum manet, quòd intra ipſam religionem alij ſolemniter voveant Caſtitatem coniugalem, alij abſolutam, quod ait is Author, fore ingentem abſurditatem; eſtò poſſit addi Votum ſimplex Caſtitatis abſolutæ, non ex regula, ſed ex Statutis; Ergo Clerici Fratres Iacobæi viuentes ſub regula Ordinis Sancti Iacobi, cum alia regula reſpectu ipſorum non reperiatur, & aliundè in hac ſecunda parte dilemmatis, cui inſiſtimus, ſupponatur, non viuere eos ſub regula Canonicorum regularium, ſeu ſub Inſtituto, & religione eorum, quatenùs diuerſa ab Ordine Sancti Iacobi, illi, inquam, non emittunt ſolemne Votum Caſtitatis abſolutæ; & vlteriùs ſub eadem opinione, ſub qua eſt, an Equites Ordinis Sancti Iacobi ſint ſtrictè religioſi, illi etiam verſantur. Vtrumque autem eſt penitùs falſum, & abſonum, nec vllus adhuc Author, etiam per dubitationis viam, in eam mentem deuenit, quòd hi Clerici Fratres non voueant ſolemniter Caſtitatem, & non ſint ſtrictè religioſi. Dum igitur Monialibus hic Author patrocinium fert; Clericis Fratribus, quæ adeò præcipua pars Ordinis eſt, parum adſtipulatur. Et quidem iuxta principia huius Authoris, omnes, qui ſub vno Ordine ſunt, ſub vna regula degere debent, vt difformitas vitetur; eſtò iuxta diuerſos ſtatus, reſpectu horum, vel illorum ipſa regula, ſeu Statuta Ordinis diuerſam normam poſſint præſcribere, aut pontifex diſpenſare, ſicut diſpenſauit in regula Ordinum Calatrauæ, Alcantaræ, Monteſæ, Auiſij, & Chriſti, vt Equites poſſent nuptias contrahere, non Clerici Fratres, nec Moniales. Aliundè ait, ſolam regulam ab Alexando Tertio confirmatam dari in Ordine Sancti Iacobi; ergo ne ſibi ipſi aduerſetur, ſub ea regula degunt Clerici Fratres Iacobæi; At in illa non datur locus, iuxta ipſum, emittendi Votum ſolemne Caſtitatis abſolutæ; ergo legitimè infertur ex his principiis, Clericos Fratres Iacobæos non emittere Votum ſolemne abſolutæ Caſtitatis.

Deinde non rectè æquiparat hic Author 118
Votum ſimplex Caſtitatis abſolutæ, quod ait, emitti à Monialibus Ordinis Divi Iacobi, Votis ſimplicibus, quæ in Societate IESV emittuntur poſt biennium Nouitiatus. Primò, quia Inſtitutum Societatis ea Vota continens approbatum, & confirmatum eſt à Sede Apoſtolica in pluribus Bullis Pontificiis, & à Concilio Tridentino *ſeſſion. 25. de Regularibus, cap.* 16. Fatetur autem ille, Votum ſimplex Monialium non habere confirmationem Pontificiam, ſed ex Statutis Ordinis dimanare. Secundò, quia Vota ſimplicia in Societate poſt biennium emiſſa ſunt

 impedi

impedimentum dirimens matrimonij contrahendi, vt definiuit Gregorius XIII. in Bulla celebri, quæ incipit, *Aſcendente Domino*, conſtituunt verum, proprium, & ſtrictum ſtatum Religioſum. At hic Author contendit, Votum Caſtitatis abſolutæ emiſſum à Monibus non eſſe impedimentum dirimens matrimonium contrahendum, ſiquidem (vt ait) Ordo illud Votum appoſuit, & Ordo nequit conſtituere impedimenta dirimentia, id enim ſolius Pontificis eſt. Aliundè Pontifices non declararunt, id; Votum ſimplex Caſtitatis conſtituere Moniales veras Religioſas. Quomodo ergo adeò inſiſtit æquiparationi Votorum ſimplicium Societatis Ieſu, & Voti ſimplicis Monialium, cum in his, quæ præcipua ſunt, omninò diſcriminentur. Si dicat. in eo conuenire; quòd non dirimant antecedens matrimonium ratum; eſtò id eſſet ita, ſanè communia id eſt Voto cuicumque ſimplici Caſtitatis etiam extra Religionem emiſſo. Quarè vt æquiparatio vim ſpecialem haberet, deberet fieri in eo, quod ſpeciale ineſt Votis ſimplicibus Societatis, ex conceſſione, authoritate, & confirmatione Apoſtolica; & ea æquiparatio non datur. Si vlteriùs dicat, conuenire in eo, quòd in Religione emittantur abſque Profeſſione illa Vota ſimplicia. Benè; Cur ergo vltrà non progreditur, & animaduertit, Vota illa ſimplicia abſque Profeſſione emiſſa in Societate eſſe impedimentum dirimens matrimonium contrahendum, & conſtituere ſtrictum ſtatum Religioſum? Quod non aptat Voto ſimplici Monialium. Etenim poſſe vtcumque extra Religionem emitti Vota ſimplicia abſque Profeſſione, certo certius eſt; in Religione autem emitti, quin conſtituant ſtatum Religioſum, & dirimant matrimonium contrahendum; ſingulariſſimum eſt in Monialibus Iacobæis, iuxta doctrinam huius Authoris; & ad id nequit, nec ex Societate, nec ex alia ſacra Religione paritatem, aut æquiparationem adducere.

119 Verùm adhuc huius Authoris doctrina eſt contra Ordines ipſos Militares, & eorum priuilegia Apoſtolica. Ait enim, Votum Caſtitatis abſolutæ emiſſum à Monialibus Iacobæis eſſe ſimplex ex ſtatuto Ordinis injunctum, & nulla approbatione Pontificia roboratur. Contra, nam vt tradidi *diſquiſ.* 7. *n.* 12. Sixtus IV. Clemens VII. & Paulus III. conceſſerunt (quæ conceſſio eſt communis omnibus Ordinibus Militaribus iuxta dicta ſæpè *in hoc tractatu* ratione communicationis priuilegiorum) vt quæcumque ſtatuerentur à Capitulis Generalibus Militiarum, illicò intelligerentur firmata, & roborata, ac confirmata authoritate Pontificia, non ſecùs ac ſi expreſsè approbatio, & confirmatio ab ea expoſcerentur, ac obtinerentur; ergo ex hoc capite illud Votum Caſtitatis abſolutæ in Capitulis Generalibus ſtabilitum, authoritate Pontificia eſt confirmatum, & approbatum, nec nudam Ordinis authoritatem retinet; aliàs nihil operaretur illa conceſſio in tot Bullis repetita; Contra quam conceſſionem, & Apoſtolica priuilegia agitur, dum ſola authoritas Capituli cum excluſione approbationis Pontificiæ ei tribuitur. Et quidem magis faueretur Ordini, ſi ex hac approbatione contenderetur, illud Votum eſſe ſolemne, quàm tollendo effectum eiuſmodi priuilegiorum; & Bullarum.

Itidem non capio, quomodò Moniales 120
Iacobææ, dum Profeſſorem peragunt (nam extra Profeſſionem nullum Votum emittunt) duo Caſtitatis Vota offerant, aliud ſolemne Caſtitatis conjugalis, aliud ſimplex Caſtitatis abſolutæ ſub vnica voce, nempè *Caſtitatem.* Poteſt ſanè euenire, Equitem Iacobæum, verbi gratiâ, per errorem, aut etiam vltroneum, cum Profeſſionem facit, emittere Votum Caſtitatis abſolutæ, & tunc, vt aſſerui *diſquiſit.* 5. *quæſtion.* 2. ad ſolam Caſtitatem conjugalem maneret obſtrictus, ſi error interceſſiſſet; Si verò vouiſſet vltroneus, ad Caſtitatem abſolutam ſolùm obligaretur, tanquam ex Voto ſimplici, cum ipſe nequiuerit facere, vt quoad hanc eſſet ſolemne; & ad Caſtitatem conjugalem teneretur ex Voto ſolemni. At id per accidens, & in raro euentu valet contingere. In præſenti autem, cum quotidie fiant à Monialibus Profeſſiones, mirum eſt, formam profitendi non fuiſſe immutatam, & clarè, ac diſtinctè diſpoſitam, vt Moniales intelligerent, quid in Profeſſione ſolemni voueant, & an Profeſſio ſupra Votum Caſtitatis cadat, & quomodo ad Caſtitatem ex vi Profeſſionis obligentur; nam ſi ab ipſis, ſaltem vt plurimùm inquiras, quam Caſtitatem Voto ſimplici, & quam Voto ſolemni promittant, & in quo differat Votum ſolemne à ſimplici, & quo pacto vnum, idemque Votum poſſit eſſe ex vna parte ſolemne, & ex alia ſimplex; ſanè nec terminos forſan intelligent. Non ergo rectè prouiſum cenſebitur, ſi Profeſſio ita obſcura, & implexa ſit, vt nec ipſæ vouentes capiant, quid peragunt.

Et quidem, ſi Votum Caſtitatis abſolu- 121
tè ſimplex eſſet, debuiſſet in Profeſſione

exprimi

exprimi Votum Caſtitatis coniugalis, vt ab Equitibus exprimitur; & peracta Profeſſione, ſeorſim ex vi Statuti poſteà Votum ſimplex Caſtitatis abſolutæ eſſet emittendum. Sic in Societate IESV Vota ſimplicia, quæ poſt Profeſſionem emittuntur, ſcilicèt non ambiendi Prælaturas, & ſimilia (quorum hic Author meminit) non proferuntur in ipſa Profeſſione; ſed hac in templo publicè peracta, ad Sacriſtiam pergitur, & ibi ante ipſum, qui Profeſſioni adſtitit, vt Superior, aut Superioris nomine, coram Communitate illa Vota ſimplicia emittuntur. Abſonum namque apparet, Moniales in Profeſſione, eodem verborum tenore, pronuntiare Caſtitatem abſque vllo addito, & tamen non facere Profeſſionem Caſtitatis abſque vllo addito; & ſolemnia eſſe Vota, quæ ſimul, & vno filo verborum cum Caſtitate coniunguntur, ſimplex verò Votum Caſtitatis, vt ibi profertur; nam ibi Caſtitas abſoluta enuntiatur.

122 Inſtantia allata ab hoc Authore ex Monaſterio *de las Iunqueras*, ab eodem diluenda eſt. Nam fatetur ipſe, (& Statuta referr) ex vi Statutorum non poſſe Moniales Iacobæas nubere, & prætereà eas emittere Votum ſimplex Caſtitatis abſolutæ. Tunc ſic. Sicut ipſe contendit, eandem eſſe Regulam omnium Monialium, ſic etiam ſunt eadem Statuta; ergo ſicut infert ex Regula, cæteras Moniales ſolùm emittere Votum Caſtitatis coniugalis ſolemne ad inſtar Monialium *de las Iunqueras*; inferre debebat, has Moniales non poſſe nubere, ex vi Statutorum, ad inſtar cæterarum Monialium; ſiquidem eadem Statuta ſunt reſpectu omnium, ſicut eadem Regula. Igitur, ſicut non obſtantibus Statutis, illæ nubere poſſunt, ratione tolerantiæ, conſuetudinis, aut ſpècialis priuilegij Pontificij ipſis conceſſi, ſic hac eadem ratione ſolùm emittunt Votum Caſtitatis coniugalis, & à clauſura deobligantur. Et ſicut poteſtas nubendi, qua gaudent, nequit extendi ad alias Moniales, ſic nequit deobligatio clauſuræ, & emiſſio Voti ſolius Caſtitatis coniugalis, quæ in ea poteſtate nubendi fundantur. Nec recta fit paritas, cum in ipſis rebus, à quibus fit, diſparitas, clara innoteſcit, maximè cum paritas, ſi concedatur, plurimum probet, dum conſequentia retineatur.

123 Denique, cur hic Author Statutorum repetitione adeò ſe tuetur, vt Votum ſolemne Caſtitatis abſolutæ à Monialibus Iacobæis releget, indeque viam aperiat ad deobligandum eas à clauſura; Et ſimul non affert Statuta, quæ clauſuram non de nouo iniungunt, ſed ſupponunt? Maximè illud Statutum, quod *quæſtione præcedenti* tranſcripſi, in quo Capitulum Generale ſupponit, tanquam certiſſimum, Moniales Iacobæas comprehendi ſub lege, & rigore Concilij Tridentini iniungentis clauſuram? Sanè, ſi Statutorum authoritas eum mouet ad aliqua fundamenta ex prædictis tradenda, quare non moueatur eadem authoritate Statutorum ad defendendam clauſuram? Nonne eadem vi pollent hæc, & illa Statuta? Quæ maior vis eſt in his, quæ ipſe affert, & nos obiter expoſuimus, quin clauſuræ derogetur, quam in illis, quæ ſine tergiuerſatione, verbis manifeſtiſſimis, ſtant pro obligatione clauſuræ ſeruandæ?

Hinc ergo pro clauſura validum deſumo 124
argumentum. Capitulum generale in eo Statuto pronuntiat, & declarat, ſub lege, & & rigore Tridentini comprehendi Moniales Iacobæas; ergo comprehenduntur. Probo conſequentiam. Primò, quia Capitulum generale totum Ordinem repræſentat, conſtatque Viris grauiſſimis, nec Statuta proferuntur, ac ſubſcribuntur à Rege noſtro, niſi poſt accuratum examen, & inueſtigationem, ac conſultationem cum Viris Sapientiſſimis; Ex hoc ergo capite authoritati Capituli Generalis plus eſt deferendum, quàm aliis, ſi contrarium opinentur. Et alij ſanè, vt crediderim, in id inſiſtunt, quòd in Monaſteriis, in quibus eſt conſuetudo localis, & ſpecialis contraria, non datur clauſuræ obligatio; dum iuſtè de nouo non imponatur; quod & ego fateor; Sed ea conſuetudo affixa eſt locis, & Monaſteriis, in quibus datur; non extenditur vltrà, nec eſt conſuetudo Ordinis circa Moniales ſuas; implicaret enim eſſe conſuetudinem Ordinis reſpectu omnium Monialium, & Monaſteriorum, tum quæ fundata ſunt, tum quæ de nouo fundentur, & Ordinem ipſum congregatum in ſuo Capitulo pronuntiare, non eſſe talém conſuetudinem, ſed Moniales comprehendi ſub lege Tridentini. Etenim ſi eſſet conſuetudo generalis Ordinis, ea lex Tridentini reſpectu Ordinis iam eſſet abrogata, & perperam, ac cum implicatione aſſereretur ab Ordine, Moniales ſuas comprehendi ſub ea lege; ſiquidem lex abrogata non obligat.

Secundò, nam Capitulum generale Or- 125
dinis, vt tradidi *diſq. 7. quæſt. 2.* fungitur poteſtate conceſſa à Sede Apoſtolica interpretandi, & exponendi dubia circa Regulam. Tunc ſic Præſens dubium eſt circa Regulam, ſiquidem Author præfatus ex Regula infert, Moniales non emittere Votum ſolemne Caſtitatis abſolutæ, & non teneri

ad

ad ſeruandam clauſuram. Sed Capitulum Generale declarat hoc dubium, quod præuidit, poſſe exoriri, aut exortum animaduertit, & pronuntiat ex poteſtate, quam à Pontificibus habet, Moniales lege clauſuræ à Tridentino lata teneri; ergo vel aſſerendum eſt, eas teneri, vel poteſtati, & authoritati Capituli generalis, & priuilegio Pontificio concedenti eam poteſtatem detrahitur. Nec video, quomodo ſaluis his, poſſit clauſuræ deobligatio defendi.

126 Hæc omnia propoſuerim, vt rei momenta perpenderem, non vt apologiam conficerem; tum quia eruditionem, ac doctrinam Authoris, cum quo egi, debita veneratione proſequor, & licèt nomen ille ſuum non prodiderit, Illuſtriſſimum ſubodoror, tum quia alienus ſum ab vmbra offenſionis cuiquam exhibenda. Indè etiam, quia rem hanc adhuc ſub lite eſſe, exiſtimauerim, eadem orationis clauſula, qua cœpi, quæſtionem abſoluo.

DISQVISITIO XV.

De bonis decedentium in Ordinibus Militaribus.

QVÆSTIO I.

An Equites Militares de omnibus ſuis bonis teſtari poſſint?

1 EXTAT Bulla Gregorij XIII. quæ incipit, *Romani Pontificis*, expedita ad inſtantiam Catholici Regis Hiſpaniarum Philippi II. die 6. Octobris, anno 1576. Quæ reuocatoria eſt alterius Bullæ editæ à Pio V. qui licentias teſtandi, & diſponendi de bonis mobilibus, & immobilibus abſtulerat ab Equitibus Militaribus. Quæ Bulla incipit, *Sacroſanctum*, & eſt 75. inter Conſtitutiones Pij V. expeditaque fuit anno 1568. & affertur in ſtatutis Ordinis D. Iacobi, & in Bullario Ordinis de Alcantara *pag.* 167. Gregorius autem concedit inibi Equitibus Sancti Iacobi, de Calatraua, & de Alcantara, vt poſſint quomodolibet diſponere, & teſtari de rebus, fructibus, bonis immobilibus, ac ſe mouentibus; indulget etiam, vt diſpoſitiones antecedentes, quæ effectum non fuerint ſortitæ ratione Conſtitutionis Pij V. ad firmitatem, ac robur reſtituantur.

2 Supponit in ea Bulla Pontifex, ante Bullam Pij V. vel conſuetudinem, vel licentias extitiſſe, ratione quarum Equites Militares de ſuis bonis diſponebant, ac teſtamenta condebant, approbatque conſuetudinem, & licentias prædictas, eaſque de nouo concedit. Vnde duo ſunt manifeſta. Alterum, præfatos Equites poſſe quomodolibet diſponere de ſuis bonis, & de eis teſtati, ſicut cæteri ſæculares poſſunt. Alterum, valida eſſe teſtamenta, donationes, contractus, ac diſpoſitiones, quæ ab Equitibus fuerunt conditæ, dum Conſtitutio Pij V. viguit, nam ait Gregorius XIII. *In eum, quem, antequam à dicto Pio prædeceſſore Conſtitutio prædicta edita fuiſſet, quomodolibet erant, ſtatum reſtituimus, reponimus, & plenarie redintegramus, ſuoſque plenarios, & integros effectus, impedimentis omnibus ſublatis, quæ ex dicta Conſtitutione prouenium, ſortiri debere volumus, ſtatuimus, & ordinamus.* Hinc tutè poſſidentur bona, in quæ ſucceſſit quilibet ex vi diſpoſitionum, ac teſtamentorum, quæ tunc temporis fuerunt condita, nec poſſunt ab eis auferri, quaſi inualidè relicta, cum fuerint à Pontifice reualidata.

3 Olim Equites Calatrauæ, & Alcantaræ, antequam poſſent nuptias contrahere, non valebant de bonis adhuc mobilibus teſtari; quòd ſi abſque Inuentario, & vltima diſpoſitione decederent, Magiſter, vt vſufructuarius, & Ordo ſuccedebant in eorum bona; & quia diſpenſationem non obtinuerant ad teſtandum, qua indigebant, & vt longiùs abeſſent ab effectu proprietatis, non permittebantur condere inſtrumenta publica teſtamentorum, ſed dumtaxàt ſimplicem ſcripturæ ſchedulam propria manu ſubſcriptam, quæ Prælatis tradebatur, vt bona ordini ſubordinata cernerentur in vita, & in obitu, ac de licentia, ſeu permiſſione eorum diſtribuerentur pauperibus, ac operibus piis, quibus Equites decedentes deſignauerant ſua bona mobilia. Poſtmodum ſufficiebat, vt in vltima diſpoſitione ab Equitibus decedentibus deſignaretur Eques, aut Frater eiuſdem Ordinis, qui eorum voluntatem exequerentur, & hæredibus, aut operibus piis traderent ea omnia bona, de quibus illi potuerant, iuxta Ordinis ipſius Statuta diſponere, nempè bona mobilia; nam de immobilibus diſponere tunc nequibant, ſed Ordo in ea ſuccedebat, & menſæ Magiſtrali applicabantur.

4 Verùm cum hæc omnia fuerunt nouo Iure Pontificio emendata, ampliſſimaque facultas teſtandi conceſſa, parùm refert ad

præſens inſtitutum, ac praxim, examinare, & explorare Iura, ſtuum, & diſpoſitiones antiquas ipſorum Ordinum, quod iam dumtaxat ad hiſtoricam eruditionem ſpectat. Nec ſolùm Gregorius XIII. ſed etiam Paulus III. eam facultatem Equitibus conceſſit; & ipſi Ordines in ſuis ſtatutis eam exprimunt, vt cernere eſt in ſtatutis Ordinis D. Iacobi *tit.* 5. *c.* 5. & in Definitionibus Ordinis de Alcantara, *tit.* 22. *c.* 4. 5. & 6. Imò & alij anteriores Pontifices eam facultatem præſtiterunt, (*infrà* referendi) Equitibus Ordinis D. Iacobi.

5 Ex dictis cernitur, olim ingentis fuiſſe vtilitatis, quòd Equites quotannis Inuentarium exararent bonorum, debitorum, & æris alieni, quod proprio nomine ſubſcriptum ſolebat tradi tempore paſchatis Confeſſariis in Ordine deſignatis, à quo illud accipiebat prælatus, & in archiuio reponebat. Id enim eò tetendit, vt, decedente Equite, noſceretur, quæ bona relinquere, & de quibus diſponere poterat, aut in quæ ipſe Ordo ſuccedebat, in caſibus, in quibus ſucceſſio competebat ipſimet Ordini. Quæ ratio eum ceſſauerit, conſtat apertiùs, quòd *diſq.* 4. *q.* 2. aſſeruimus, non peccare lèthaliter Equites; qui nunc temporis inuentarium non condunt, ceſſante contemptu, & defectu debitæ ſubordinationis.

6 Itaque iam licet Equitibus per plures Bullas Pontificias condere teſtamenta, quamvis ſecùs res ſe habuerit, actis retrò ſæculis; ſiquidem Equites Iacobæi per trecentos annos, & amplius teſtari non valuerunt; de quibus in ſpeciali agemus *quaſt. ſequenti*; Calatrauenſes item, & Alcatarenſes, vt *nuper* dicebamus, teſtamenta condere non poterant, imò nec de omnibus ſuis bonis per vltimam voluntatem, etiam abſque teſtamento, diſponere. Vnde in Definitionibus Ordinis de Alcantara *cap.* 6. *tit.* 2. fit mentio cuiuſdam Definitionis antiquiſſimæ, in qua Equitibus, & Fratribus permittebatur diſponere ſolùm de medietate bonorum mobilium, & ſe mouentium.

7 Deinde *ibidem* aſſeritur, hanc facultatem fuiſſe extenſam ad diſponendum de cunctis bonis mobilibus, in Capitulo Generali Plaſentiæ celebrato à Ioanne de Zuñiga Ordinis Magiſtro. Demum additur; *Mas los Cavalleros deſta Orden, que tomaron los habitos deſpues de la conceſion de la Bula de caſar, podran hazer inuentario, à teſtar de ſus bienes muebles, y rayces, con tal condicion, que de no dejen mandas à muger, con quien ayan pecado, ò ſido infamados.* Quæ conditio ab ipſis Pontificibus ſubjungitur in facultate teſtandi, vt *quaſt. ſequenti* oſtendam, & exponam. Quare legatum relictum ei fœminæ erit nullum, cum poſſint Pontifex, & Ordo, quibus ſubordinati ſunt Equites, ac Clerici Fratres, ſimiles prohibitiones honeſtati, æquitati, ac iuri conſentaneas, famæque ipſius Ordinis expedientes, apponere, ita vt quidquid ſecùs fiat, irritum euadat.

QVÆSTIO II.

An, & quomodo Equites, & Clerici Fratres Militiæ Sancti Iacobi teſtari queant?

IN ſtatutis Ordinis *titulo* 5. *cap.* 5. *fol.* 72 diſpoſitum eſt, quod Commendatarij, & Fratres laici (quo nomine Equites nuncupantur) poſſint pro arbitrio ſuo de omnibus ſuis bonis teſtari; dummodò relinquant Magiſtro Ordinis mulam, in qua equitant, & vas, in quo bibunt; & inſuper equum, & arma Commendatario majori. Prætereà qui Commendas habent, domos, ac facultates illæſas, ac reparatas conſeruare tenentur; alias ex eorum facultatibus propriis id erit præſtandum. 8

Fratres etiam Clerici permittuntur ibi teſtamenta condere, dummodò beneficiis Eccleſiaſticis gaudeant, ac ſingulis trienniis à Priore Monaſterij licentiam expoſcant, ac quintam partem bonorum ſuis Monaſteriis relinquant. Poteſt autem Prior Monaſterij, ſub cuius Prouincia Fratres Beneficiarij degunt, eam licentiam illis præſtare, quamvis in eo Monaſterio non fuerint in Ordinem admiſſi. Commendatur ibidem Equitibus, ac Clericis Fratribus decedentibus, vt libros, vel ſcripta, ſi quæ digna lectu habeant, legent ei Monaſterio, erga quod magis afficiantur, vt in eius Bibliotheca ad communem vtilitatem reponantur. Debent etiam Fratres Clerici quotannis inuentarium facere, vt *alibi* dixi, & licentiam ad vtendum ſuis bonis expoſcere. Quòd ſi licentiam ad teſtandum, vel ad vtendum bonis non expoſcant, & è viuis decedant, Monaſterium eorum bona omnia capit. An autem ſufficiat petiiſſe, ſi ob aliquod accidens conceſſio non fuit præſtita, aut non peruenit ad manus obeuntis, lis fuit noſtro æuo celebris; ſufficere crediderim, cum Frater Clericus, quantum eſt ex ſe, debito ſuo ſatisfecerit, & oſtenderit ſubjectionem 9

ſubjectionem, ac ſubordinationem, quæ præcipuè in eo intenditur.

10 Ex hoc ſtatuto infero primò, Fratres Clericos Iacobæos, qui beneficiis non gaudent, non poſſe condere teſtamentum, cum id indultum expreſsè concedatur Beneficiariis, & exceptio firmet regulam In contrarium; quare diſponere poterunt de ſuis bonis, dum obeunt eo modo, quo Clerici Fratres Calatrauæ, & Alcantaræ, de quibus egimus *ſuprà*. Quòd ſi Frater Iacobæus fuerit Beneficiarius, & Beneficio renuntiauerit, exiſtimo ſanè poſſe teſtari, cum priuilegia ſint amplianda; & ſupponatur ille, bona ex redditibus Beneficij acquiſiuiſſe, de quibus animus Pontificis Gregorij XIII. & mens ſtatuti prædicti fuit, vt teſtari valeret. Niſi ille poſt renuntiationem beneficij ad Monaſterium redeat, & degat, vt Conuentualis ex bonis Monaſterij; tum enim teſtari non poterit; ſi verò quis habeat Capellaniam, & intra Monaſterium degens ſumptus ſuos perſoluat, teſtari valebit, quia abſolutè dicendus eſt actu habere Beneficium, ſub cuius nomine Capellania venit.

11 Infero ſecundò, Priorem proprij Monaſterij, in quo admiſſus eſt Frater Clericus, poſſe facultatem præfatam quolibet triennio concedere, etiam ſi ille Beneficium habeat extra Prouinciam prædicti Prioris. Etenim, quod in ſtatuto dicatur, poſſe Priorem Monaſterij, intra cuius Prouinciam Monaſterium iacet, eam licentiam impertiri, non tollit, quominùs proprij Monaſterij Prior ad ipſum valeat, cum illud quaſi per indultum in Statuto concedatur, non verò vt neceſſarium deſignetur.

12 Infero tertiò, valdè inſuetum iam eſſe, ea legata, quæ Magiſtro, & Commendatario majori ſunt relinquenda, præſtare; vel quia Rex noſter, qui in locum Magiſtri in omnia hæc iura ſucceſſit, liberaliter hæc condonat, & itidem Commendatarius parùm de his curat, vel quia aliqua eſt incuria in his exigendis legatis, quæ ſanè poſſunt exigi. In Ordine Calatrauæ ſtatutum eſt *tit.* 33. *c.* 8. Et in Ordine Alcantaræ *tit.* 22. *cap.* 9. *&* 10. quid ex bonis Equitum Defunctorum pertineat ad Commendatarios majores, ad Sacriſtas majores, & ad Monaſteria; & quidem Monaſteria conantur obtinere ea, quæ ad ipſa attinet; verùm valdè in deſuetudinem abierunt cætera, vt experientia conſtat.

13 Infero quartò, adeò mihi certum eſſe Fratres Clericos Iacobæos, qui Beneficio Eccleſiaſtico non fruuntur, non poſſe condere teſtamentum, vt non videam, quo iure, authoritate, aut ratione, aliqui ex illis (vt audio) ſibi perſuaſum habeant, poſſe teſtari. Etenim in Statutis nouiſſimis Ordinis, editis anno 1655. & relatis *ſuprà*, facultas teſtandi ſolis Fratribus Beneficiariis conceditur, nec vlla in pagina (nam omnes euolui) quidquam aliud continetur. Id autem eſt irrefragabile fundamentum; Incredibile enim eſt, D. D. Franciſcum de Vergara Senatorem tunc Regium Ordinum, nun Fiſcalem ſupremi Senatus Caſtellæ, virum eximium eruditione, ac ſapientia, compilantem ea Statuta, omiſiſſe aliquod priuilegium, quod non præuiderit.

Deindè nunquam licuit Fratribus Clericis in Monaſterio degentibus, nec his, qui redditibus non potiuntur, condere teſtamentum. Et, vt res comprehendatur, ſciendum eſt, plùs trecentis annis poſt Confirmationem Ordinis non licuiſſe, adhuc Equitibus, condere teſtamentum; ac in eorum decedentium bona, Magiſtrũ ordinis ſucceſſiſſe; Eiſque facultatem teſtandi conceſſam fuiſſe ab Innocentio VIII. qui in Pontificatum fuit aſſumptus anno 1484. Poſtmodùm Clemens VII. qui creatus fuit Pontifex anno 1523. diſpenſauit, vt Fratres Clerici extra Monaſterium degentes, & redditibus gaudentes, teſtari valerent; quibuſdam limitationibus adjunctis, vt dilucidè tradit Magiſter Iſla *in Comment. Regulæ huius Ordinis fol.* 37. Eam facultatem à Clemente VII. conceſſam confirmauit Paulus III. anno 1534. eiuſque Bullam *affert* Didacus de la Mota *in tract. de Confirmat. huius Ordin. lib.* 2. *cap.* 4. §. 39. Deindè Pius V. eas facultates omnes teſtandi, & diſponendi de bonis abrogauit, ſcilicèt quæ ab Apoſtolica Sede emanabant. Demùm Gregorius XIII. illas reſtituit ſolùm reſpectu Equitum Ordinum D. Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ, non verò reſpectu Clericorum Fratrum, vt *ſuperiùs* annotauimus; aliàs, cum ſit æqua diſpoſitio Gregorij XIII. reſpectu horum trium ordinum, pariter ex vi illius poſſent teſtari Fratres Clerici Calatrauæ, & Alcantaræ; quod tamen omniuò eſſe falſum, conſtat. 14

Igitur nunquam ex conceſſione Pontificum licuit Clericis Fratribus Iacobæis intra Monaſteria degentibus, aut non habentibus redditus etiam extra Monaſterium, teſtari rurſus omnes facultates teſtandi reuocatæ ſunt à Pio V. ſaltem quoad non Beneficiarios, nec gaudentes redditibus, & à nullo Pontifice reſtitutæ. Reſtat ergo, quòd hi ſolùm poſſint de ſuis bonis diſponere, ſi id ſuus Ordo permiſerit; nam, vt *ſuperius* attigi, 15

attigi, Pontifiees non limitarunt poteſtatem ordinis, quominùs ipſe in ſuis Statutis valeret præſtare facultatem diſponendi abſque teſtamento, quoquo modo de bonis. Tùnc ſic. Ordo non potuit concedere eam facultatem teſtandi Fratribus Clericis non habentibus Beneficia, (aut ſimilibus *infrà* exponendis) nec alicùbi reperitur ea conceſſio facultatis à Pontifice indultæ; igitur præter Fratres Beneficiarios nullus alius poteſt condere teſtamentum. Nec video vllum penitùs fundamẽtum ad oppoſitum.

16 Sed dices, iuxta hanc doctrinam nec Fratres Beneficiarios poſſe teſtari. Nam à Pontificibus non eſt reſtituta eis facultas teſtandi, ablata à Pio quinto. Deindè ordo ipſe nequit concedere facultatem teſtandi ſuis Religioſis; hanc enim ſolum Pontificem poſſe præſtare, docent Nauarrus *de Regularib. conſ.* 2. *n.* 22. *&* 44. P. Molina *de iuſtit. tom.* 1. *diſput.* 141. *verſ. Dubium eſt*. P. Leſſius *de iuſt. lib.* 2. *c.* 41. *n.* 72. P. Thomas Sanchez *tom.* 2. *ſumm. lib.* 7. *cap.* 8. *num.* 5. Baſilius Legionenſis *de matrim. lib.* 7. *cap.* 13. Vbi proponit antiquas permiſſiones, vt Religioſi teſtarentur, & leges Eccleſiaſticas poſtmodùm prohibentes eis, teſtari. Vnde nullum reſtat caput, ex quo illi teſtari queant.

17 Primò reſponderi valet, poſt Pium V. ebtentam fuiſſe ab Ordine D. Iacobi diſpẽſationem ab aliquo Pontifice, vt Fratres Beneficiarij teſtari valeant; Quam diſpẽſationem ſæpè, & facilè concedi à Summis Pontificibus, tradit P. Molina *vbi ſuprà*, *verſu, ibidem*. Id eſt in eo poteſt fundari, quod in Statuto prȩfato ordinis renouato nouiſſimè aſſeritur, poſſe Beneficiarios Fratres teſtari; quod nequaquã aſſereretur, ſi diſpẽſatio, & facultas non fuiſſet ab Apoſtolica Sede impetrata; dum ſupponatur, ordinem ipſum nequire facultatem ad teſtandũ concedere.

18 Secundò aſſeri poteſt; hanc facultatẽ teſtandi, qua gaudent Fratres Beneficiarij, dimanare à Pontifice Clemeute VII. & Paulo III. quos *ſuprà* retulimus, & non fuiſſe reuocatam à Pio V. (non autem extat alia pontificia reuocatio.) Moueor, nam P. Molina *vbi ſuprà*, hæc habet; *Ad motum proprium Pij V. dicendum eſt, &c. Adde, receptum non eſſe vſque ad hanc diem eiuſmodi Motũ proprium in Hiſpaniis, præſertim quoad Commendatarios. Vbi* vox *præſertim*, non denotat, receptum eſſe quoad Fratres Clericos; qui aliundè facultatem habebant teſtandi, vt patet ex cõmuni modo loquendi. Quòd ſi inſurgas aſſerẽdo, receptum fuiſſe; aliàs Philippus II. Rex noſter non poſtulaſſet Bullam à Gregorio XIII. vt poſſent Equites trium Ordinũ Militarium D. Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ, teſtari. Reſpondeo, piè admodùm eam Bullam fuiſſe efflagitatam, ad majorem conſcientiæ ſecuritatem vndique conſeruandam, vt *in ſuperioribus* libaui; quod exindè ampliùs innoteſcit, nam fuit petita quoad Equites, & P. Molina ait, præſertim quoad illos non fuiſſe in Hiſpaniis acceptatam.

Sed ſtando huic ſecundæ locutioni *ſuprà* traditæ, contẽdat aliquis, non ſolùm Fratres Beneficiarios poſſe condere teſtamentum, ſed alios, qui extra Monaſterium degunt, & gaudent redditibus, qui non ſint ex Beneficiis; nam id ex Clemẽte VII. tradit Magiſter Iſla *vbi ſuprà*, ibi. *Y por la miſma razon tengo por mas ſeguro, que ſe aya anſimiſmo diſpenſado con los Freyles Clerigos, que tienen renta, y viuen fuera de los Conuentos, &c.* Reſpondeo primò, forſan ſupponi à Magiſtro Iſla, redditus non haberi à Fratribus Clericis, niſi ex Beneficiis Eccleſiaſticis, aut muneribus Eccleſiæ annexis, (quales ſunt Capellaniæ honorariæ Regis) atque adeò de his ſolùm loqui, cum communiter alij redditus à Religioſis non poſſideantur, niſi Eccleſiaſtici ex ſuis redditibus, & ex his, qui ex redditibus illis ipſis per induſtriam comparantur. Reſpondeo ſecundò, in ſtatuto nouiſſimo ordinis ſepè relato ſolùm aſſeri concedi, quòd Fratres Beneficiarij teſtari poſſint; vnde eſtò alij non Beneficiarij velint contendere, ſe, dum non ſint Conuentuales, poſſe teſtari, ex prædicto Statuto reuincuntur. 19

Sed dicent, ex vi Bullarum Clemẽtis VII. & Pauli III. eis licere, teſtamenta condere; nam hi Pontifices concedunt eam facultatem omnibus Clericis Fratribus, dum non ſint Conuentuales, aut pro Conuentualibus non deſeruiunt, de omnibus bonis acquiſitis ex beneficiis (dummodò beneficia ſint propria ipſorum ordinum) & de quibuſcũque bonis *aliàs vndecumque ſua induſtria licitè acquiſitis*; quæ ſunt verba Pauli III. Ordinem autem in prȩfato Statuto non potuiſſe limitare, aut reuocare indultum Pontificium. 20

Reſpondeo, ordinem ipſum, in cuius gratiam ea indulta ſunt expedita, ſic ea intellexiſſe, & accepiſſe, vt ſolùm beneficiariis cõceſſa eſſe credantur, qui de bonis beneficiorum, & aliis ſua induſtria acquiſitis, ſcilicèt per vſum, & induſtrioſam adminiſtrationem redituum, quos ex beneficiis comparant, poſſint teſtari. Vnde acceptioni, & perſuaſioni ordinis, ſatis in Statutis expreſſæ, ſtandũ eſt; cum probabile non appareat, à viris doctiſſimis, qui Bullas accuratè euoluerunt, & Statuta compilarunt ex ordinis cõmiſſione, fore omittẽdum quidquã maximè id, quod ad praxim quotidianã ſpectat. 21

22 Hinc Capellani honorarij Regis teſtari queunt, quia gaudẽt præbẽdis Eccleſiaſticis deſignatis vt talibus in Statutis, earumq; fit collatio, ex ſuaq; natura ſunt perpetuę. At dubitabis, vtrùm Priores Monaſteriorum, & Rectores Collegij Iacobæi Salmantini poſſint teſtari præcisè quà tales, cum ea ſint munera temporalia, triennio durantia, nec ex natura ſua perpetua, in quo à ratione Beneficij Eccleſiaſtici deficere videntur? In primis dicat quis, Prioratus Monaſteriorum, qui intra Ordinem ſunt Dignitates, maximè hi, in quibus datur iuriſdictio quaſi Epiſcopalis, nempè Prioratus de Vcles, & Sancti Marci Legionenſis, ſortiri rationem Beneficij Eccleſiaſtici, indeque Priores obtẽtes poſſe teſtari, cum ſit ſufficiens fundamẽtum, vt priuilegia, quæ latè ſunt interpretãda, ad eos extẽdãtur. Cui cogitationi non diſſentio. Nam quamvis ab ipſis Monaſteriis ſuſtẽtentur, alios redditus habent ratione Dignitatis. Et datur fundamẽtum, vt hæc interpretatio ſubſiſtat. At, finito Prioratus tempore, ſi extra Monaſterium abſque Beneficio decedant, an poſſint teſtari, ſicut poſſunt hi, qui Beneficio renuntiarunt, & ea bonis Monaſterij non degunt, dubium exoritur. Cenſerem ego, poſſe teſtari de redditibus, quos ratione Prioratus obtinuerunt, & quos eorum occaſione, induſtria ſua, comparatũt; nam is videtur fuiſſe animus, & mens Pontificum, ac Statuti Ordinis, dum ſemel ſupponatur conditio requiſita, nempè quod Beneficia obtinuerint. Rectores autem prædicti Collegij, præcisè quà tales iuxta dicta, teſtamentum condere non valebunt.

23 De Adminiſtratoribus Hoſpitalium, & Vicariis Monialium, etiam dubitabis, an queant teſtari? Ratio dubitandi eſt, quia extra Monaſteria degunt, nec ex eorum bonis victitant, nec Priorum ſunt ſubditi; quare videtur eadem eſſe ratio, vt teſtari ipſi poſſint, ac poſſunt hi, qui ex redditibus Beneficiorum aluntur extra Monaſteria. Sanè, ſi ad verba Statuti attendamus, eos non poſſe teſtari, videtur apertum, cum non habeant, nec ea munera poſſint Beneficia nuncupari; niſi eiuſmodi ſint, vt cura animarũ illis annectatur, atque eorũ fiat collatio.

24 Nec conſuetudo poteſt illis fauere, cum ipſis Ordo reſiſtat dum Statutum edit in lucem, quo monentur non poſſe facere teſtamentum, niſi Beneficiis Eccleſiaſticis gaudeant. Niſi indè moueantur, quia iuxta communem acceptionem, & perſuaſionem Ordinis ſub nomine habentium Beneficia intelliguntur hi omnes, qui extra Monaſteria degunt, & in muneribus ipſius Ordinis occupantur, indeque redditus capiunt, vnde victitare queant, (ſicut in ſimili ſtatim aſſeram.) Hæc ſanè eſt res facti, non iuris; ſtandumque erit aſſerto virorum, qui in ipſo Ordine ſint timoratæ conſcientiæ ſimul, & ſpectatæ doctrinæ, ac in rebus Ordinis apprimè experti, & verſati. Cæterùm ſi Clericus Frater Iacobæus ſit Senator, aut Quæſitor Fidei; vel aliud ſimile munus obeat, quamvis Beneficium non habeat, poterit teſtari; per æquiparationem enim, & interpretationem, rectè ad hos caſus licentia extenditur; Siquidem redditibus propria induſtria partis tunc gaudet, de quibus poſſit teſtari; ſicut quando eſt Beneficiarius; imò redditus ſunt titulo temporali acquiſiti; Obtentio autem redituum impulit ad poteſtatem teſtandi concedendam; nec fuit aliquod motiuum eius conceſſionis, quod non reperiatur in his caſibus.

25 Id annotauero, in Bullis Pontificum, in quibus licentia teſtandi modo iam dicto indulgetur, ita limitari facultatem, vt teſtatores nequeant bona relinquere *filiis, ſeu nepotibus ex damnato coitu procreatis, nec adulteris, ſeu inhoneſtis, aut quarum conuerſatio à iure eſſet eis prohibita, mulieribus.* Hæc tamen prohibitio non majorem vim retinet reſpectu Clericorum Fratrum Militarium, quàm ea, quæ edita fuit à Pio V. in Conſtitutione, quæ incipit, *Quæ Ordini*, reſpectu Clericorum ſæcularium, quibus prohibet, ne poſſint donare cauſa mortis, aut in teſtamento relinquere filiis ſpuriis bona ex ſuorum Beneficiorum fructibus acquiſita. Et inſuper in Conſtitutione, quæ incipit, *Ad Romanum ſpectat*, eam prohibitionem extendit ad cætera bona patrimonialia Clericorum.

Has autem Conſtitutiones exponunt Nauarrus, Villalobos, Trullench, P. Azor & Filiucius, quos retuli, & ſecutus ſum *tomo de Iure Academico, lib. 3. à n. 573.* aſſerentes, Pontificem non potuiſſe ſtatuere quidquam contra ius naturæ alendi filios, ſed poſitis terminis aptis, ſolùm prohibuiſſe Clericis, ne quidquam relinquerent filiis, ſi hi, vnde ſuſtentarentur, haberent; quo poſito, potuit Pontifex eam prohibitionem decernere. At, ſi filij non habeant, vnde victitent, ius naturæ vrget, vt eis alimenta relinquantur, & non ſolùm ea, quæ ſunt ſimpliciter neceſſaria, ſed quæ ea naturali æquitate debentur; vnde poterit Clericus filiam ſpuriam dotare, quia dos nomine alimentorum continetur. 26

Id ipſum aptandum eſt Clericis Fratribus, ſi fortè (quod Deus auertat) filios ſpurios habeant; eis enim relinquere poterunt alimenta, ſi illi aliundè ea non habeant, quia id eſt pium legatum; & ſicut poſſunt bona in pia opera expendere, ita & in hoc. Attamen reſpectu aliorum, ad quos prohibitio Pauli III. in verbis *ſuprà* appoſitis extenditur, cum ratio exigentiæ iuris naturæ non vrgeat, debet prohibitio obſeruari; nempè reſpectu fœminarũ, quarum conuerſatio, vt ait Pontifex, eſt prohibita. 27

QVÆSTIO III.

An, & de quibus poſſint per vltimam voluntatem diſponere Clerici Fratres Militaraum Calatrauæ & Alcantaræ?

CLericis Fratribus Militaribus Ordinum Calatrauæ & Alcantaræ permiſſum eſt diſponere de ſuis bonis mobilibus, cum è viuis decedunt, ſeruatis his conditionibus. Prima eſt, quòd id fiat cum ſubordinatione, & dependentia ab Ordine, eiuſque Prælatis, quorum licentia ſupponitur ad eam diſpoſitionem, extatque declarata in Capitulis & Definitionibus Ordinum. Quæ licentia, cum ſit ab ipſis Ordinibus reuocabilis, non tribuit Fratribus Clericis dominium, & proprietatem bonorum. 28

Etenim, iuxta doctrinam Patris Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 8. c. 16. num.* 15. aliud eſt concedere facultatem reuocabilem, aliud concedere illam ad actum irreuocabilem; ſic patris licentia conceſſa filio ad contrahendum matrimonium, ante illud eſt reuocabilis, eſtò poſt ipſum iam contractum ſit irreuocabile. Similiter licentia conceſſa ad diſponendum de bonis poteſt reuocari, licèt ipſa diſpoſitio irreuocabilis foret. Quod ſufficit, vt eiuſmodi diſpoſitio non aduerſetur voto Paupertatis, quia is, qui diſponit, præſtat id non vt dominus, ſed nomine alterius. Indè etiam ea licentia facit, vt donationes à Religioſis peractæ, ſint licitæ, & validæ, quia reuocabilis eſt licentia, & Paupertatis voto non detrahitur. Ita docent Emanuel Rodriguez *in q. reg. tom. 3. quæſt.* 29. *art.* 8. Ioannes de la Cruz *de ſtat. relig. lib. 1. c. 3. dub.* 2. P. Vazquez *de redditibus c. 3. dub. 2. n.* 10. P. Sanchez *de relig. lib. 7. c.* 19. Diana 1. *part. tr.* 6. *reſol.* 23. Euſebius de Herrera *de ſtat. relig. decis. 5. fol.* 163. Baſilius Legionenſis, & alij. 29

Secunda

30 Secunda conditio eſt, quòd ea diſpoſitio non conficiatur per modum teſtamenti. Sic enim ab ipſis ordinibus eſt diſpoſitum; tum quia teſtamenti factio prohibita iam eſt Religioſis, iuxta dicta *n.* 24. nec ab ordinibus poteſt diſpenſari in hac Lege Pontificia; tum vt affectus proprietatis longè vitetur; & vt diſpoſitio magis dependens, & ſubordinata ſit ordinibus ipſis. Hinc anno 1344. cum Fr. Ægidius Abbas Morimundi ordinem de Alcantata viſitaret, id inter alia ſtabiliuit; *Otro ſi mandamos, que ningun Freyle non ſaga teſtamento; y ſi lo ficiere ſea echado à la puerta; è ſi muriere, que no ſea ſoterrado, y ſi fuere ſoterrado, que lo deſoterren.* Quæ diſpoſitio etiam penes Equites verſabatur, qui vocabuntur Fratres, & adhuc tunc teſtari nequibant. Et, quamvis iuxta ſententiam Patris Suarez *loco nuper relato*, non aduerſaretur ex ſe Voto Paupertatis factio teſtamenti irreuobabilis proueniens ex licentia reuocabili, tamen manifeſtiùs ei Voto ſatisfit, ſi tum licentia, tum diſpoſitio ſint reuocabiles. Quarè poteſt ordo ipſe (quod raro, vel nunquam eueniet) poſt diſpoſitionem vltimam, & obitum Fratris Regularis, bona ab ipſo relicta aliter applicare, & diſponere, ſi id ob vrgentes cauſas fieri debere cenſeatur, de quo *infrà quaſt.* 4.

31 Hæ vltimæ diſpoſitiones olim conficiebantur in Inuentario, aut Memoriali, in quo decedens ſuam exprimebat voluntatem, & ſubſcribebat, fideſque ei adhibebatur non ſecùs ac ſi fuiſſet peractum Inſtrumentum publicum coram teſtibus à Tabellione. Poſtmodum vt occluderetur aditus fraudibus, quæ interuenire poterant, fuit ſtabilitum, vt Clerici Fratres decedentes ſuam vltimam voluntatem declararent ſcripto, aut vèrbis, coram Tabellione, & teſtibus, ita tamen vt non fieret Inſtrumentum per modum teſtamenti; ſed ſimplicis declarationis.

32 Ex ipſo autem ordine debent eſſe hi, qui vices gerunt Teſtamentariorum, ſeu executores ſunt vltimæ voluntatis, ſaltem ex illis vnus, qui ſtatim ac Frater Clericus decedit, abſque noua licentia, aut permiſſione debent adimplere ea, quæ ſpectant ad ſuffragia pro defuncto. Deinde monere debent, attentis definitionibus ordinum, Capitulum, ſi tunc temporis ſit congregatum, aut aliter Senatum Regium Ordinum, de bonis relictis à defuncto, & de eorum diſpoſitione, vt illis non repugnantibus, executioni mandetur; & bona expendantur in vſus pios deſignatos à defuncto, vt potè in Eccleſias, pauperes, conſanguineos indigentes, aliaque ſimilia, ad quæ poſſunt Clerici Fratres decedentes ſua bona deſtinare, nec enim eis facultas eſt conceſſa ad diſponendum de bonis niſi in ordine ad opera pietatem redolentia. Videatur in definitionibus ordinis de Alcantara *cap.* 6. *&* 7. *tit.* 22. *& cap.* 5. *tit.* 19. & in Definitionibus Calatrauæ *titulo* 33. *à cap.* 3. Hodie in vſu non extat, vt moneatur Capitulum, aut Senatus de diſpoſitiune decedentium; ſed viſitatoribus redditur ratio de adimpletione voluntatis defuncti; Cui ſanè ordines annuunt. Et ſic in definitionibus Alcantaræ ſtatutum eſt *tit.* 22. *c.* 7.

33 Sequitur ex his, ordinem ſuccedere in bona Clerici Fratris, qui deceſſit, quin de illis diſponeret; non enim alius ei poteſt eſſe hæres neceſſarius. Etenim ipſe Religioni acquiſiuit, quæcumque habuit; & de eius beneplacito poterat ad vſus pios relinquere bona mobilia acquiſita; vnde, ſi non reliquerit, penes ipſam Religionem manet, cuius ſunt. Ita exprimitur in Definitionibus Alcantaræ *cap.* 7. *tit.* 19.

34 Cæterùm abſque ſpeciali licentia nequeunt Clerici Fratres Militiarum (exceptis referendis *infrà*) diſponere, cum obeunt, de bonis immobilibus, ſi fortè aliqua acquiſierint. Id ſuadetur primò, quia Definitiones, ſeu Statuta permittentia illis diſponere per extremam voluntatem de ſuis bonis, loquuntur de mobilibus, vt ex contextu ipſarum Definitionum, & communi exiſtimatione ipſorum Militiatum ordinum liquet; vnde excepta cenſentur ab hac permiſſione, & facultate bona immobilia. Secundò, quia nec viuentes poſſunt Clerici Fratres bona immobilia donare, vt ſtabiliuimus *diſquiſ.* 4. ergo nec morientes poterunt illa expendere, cum nihil ſpeciale eis conceſſum ſit reſpectu vltimæ diſpoſitionis, quod antecedēter non valeāt præſtare. At, ſi neceſſum ſit, bona immobilia vendi, vt debita ſoluantur, id valebit effici, ſicut in ſimili aſſeruimus *loco relato.*

35 Tertiò, quia aliqui Clerici Fratres, qui bona immobilia in vltima diſpoſitione legarunt, priùs ſpecialem ad id facultatem popoſcerunt; quod ſignum eſt manifeſtum, abſque ea facultate non poſſe id fieri, aliàs non poſceretur. Et, vt ab aliis abſtineam, anno 1560. D. Fr. Petrus Gutierrez, Sacriſta major Ordinis de Alcantara petiit, & obtinuit licentiam ab Imperatore Carolo V. & à Capitulo generali, vt poſſet bona immobilia in vltima diſpoſitione pro libito legare. Quam facultatem in Breui ſpeciali approbauit, & confirmauit Pius IV. anno 1562. vt indè conſtet, adeò eſſe certum, non poſſe Fratres Clericos Militiarum de

bonis immobilibus diſponere, vt etiam poſt obtentam licentiam ſpecialem ab Adminiſtrature Ordinis, & Capitulo generali, viſum fuerit neceſſarium, aut expediens, à Pontifice approbationem, & confirmationem efflagitare. Excipiuntur Priores formati Ordinis Calatrauæ, qui poſſunt de bonis immobilibus diſponere, dum obeunt, vt extat in Definitionibus *tit.* 3. *cap.* 7. & ſimiliter dum viuunt.

36 Attamen pro comperto habeo, abſque Pontificis ſpeciali facultate, poſſe ab ipſo ordine præſtari licentiam diſponendi de bonis immobilibus. Quippè Ordo habet dominium eiuſmodi bonurum, & ſicut ipſe poteſt de illis diſponere, ſic etiam valet indulgere alteri, vt diſponat, quaſi eius nomine. Et ſicut coucedit Clericis Fratribus, vt de bonis mobilibus diſponant, ita concedere poteſt, vt diſponant de immobilibus, cum non minùs ſit dominus vnius generis bonorum, quàm alterius. Quod confirmatur, nam de facto Ordo, ſeu Senatus Regius Ordinum ſæpè conceſſit licentiam Fratribus Clericis, vt in vita donarent aliqua bona immobilia, vt attigimus *ea diſquiſ.* 4. quin accederet facultas Pontificis; nun autem dubitandum eſt de poteſtate Senatus Regij ad eam licentiam concedendam, cum eam conceſſerit. Vnde poteſt eandem concedere, vt Fratres Clerici, cum obeunt de bonis immobilibus diſponant.

37 In vltima diſpoſitione tenentur Clerici Fratres relinquere bona neceſſaria, vt reſtaurentur res ordinis ſibi cummiſſæ, ſi deteriores ſint redditæ. Alcantarenſes etiam debent relinquere ſuum lectum, aut decem ducata aulæ ægrotantium ſui Monaſterij; Sacriſtæ majori libros Ordinis, ſeu continentes Statuta, & ceremonias Ordinis, aut eorum loco tria ducata; inſuper cæteros libros Bibliothecæ Monaſterij, ſeu duodecim ducata. Extat in Definitionibus Ordinis *tit.* 2. *cap.* 5.

38 Ex dictis etiam colligo, poſſe ordinem præſtare liceutiam, vt Clerici Fratres, qui intra Communitatem è viuis decedunt, (nam hi aliundè nequeunt ibi decedentes de bonis generaliter diſponere) de bonis ſuis diſponant. Ratio eſt *nuper* tradita. An verò valeat Senatus Ordinum, annuente ipſo Monaſterio, id præſtare? Reſpondeo, poſſe; cum ſit Prælatus Superior, & velut Generalis Ordinum, nec fiat præjudicium Monaſterio ſcienti, & conſentienti; ſicut Prælatus Religionis non Militaris poteſt licentiam prębere ſubdito morienti, maximè annuente Monaſterio, vt de aliquibus libris, ſeu ſimilibus diſponat.

In præſenti aduerto, Priorem Alcantaræ, cui decedẽti è viuis permittitur in Definitionibus *tit.* 5. *cap.* 11. *num.* 5. diſpoſitio bonorum, poſſe de eis diſponere, ſi obeat poſt Prioratum finitum; ea enim boua ſupponuntur propria induſtria, & labore parta, & ex emolumentis Prioratus prouenientia, indeque ei indulgetur, vt poſſit diſponere de ipſis; Quæ ratio adhuc poſt Prioratũ finitũ militat & iuſta, ac prudenti interpretatione placitum Ordinis donatur, ac extenditur. Adminiſtrator Calatrauæ, ſi aliundè non ſit Prior formatus, nequibit de bonis immobilibus diſponere, de quibus poſſunt Priores formati Calatrauenſes, De mobilibus autem poterit diſponere Adminiſtrator, ſi antecedenter extra Communitatem degebat, nam tune poterat de illis diſpouere; nec Ordo vult eius reſtringere poteſtatem, dum ad illud munus euchitur. Si verò Adminiſtrator nunquam extra Communitatem extiterit, (quod rarò eueniet) cum nihil de illo in Definitiunibus, provt Adminiſtratore, quoad hoc permittatur, diſponere non valebit de bonis, cum obeat; nec enim adeſt licentia, nec fundameutum extenſiunis prudens, & per æquiparantiam. Nec poſſunt alij in Communitate obeuntes diſponere de bonis; ſiue ſint emolumenta, ſiuè redditus Capellaniarum, quibus gaudebant. Id ita conſuetudine eſt præfixum, nec licentia ad id expreſſa, aut interpretatiua datur. 39

Quoties autem Clerici Fratres vbicũque ſint; non diſpouunt de bonis, dum obeunt, Monaſteria iu ea ſuccedunt. Rectores Collegiorum, niſi aliundè titulo diſponendi de bunis gaudeant, nequeunt obeuntes diſponere de Rectore Collegij Alcantarenſis ſic ſtatuitur in definitionibus *tit.* 15. *c.* 11. *n.* 12. Cuius bona inter Monaſterium, & Collegium ex æquo diuidi, injungitur. 40

Sed contẽdat aliquis aduerſus dicta, poſſe hos Clericos Fratres Militiarũ facere teſtamentum de bonis quibuſcũq; ex Bulla Gregorij XIII. quæ incipit; *Romani Pontificis*, expedita anno 1576. ad inſtantiã Catholici Regis Philippi II. & eſt reuocatoria Motus proprij Pij V. qui pruhibuerat facultatẽ teſtandi conceſſam à Paulo III. Militibus Ordinum; vbi ſic ait Gregorius; *Nos igitur commodis Militiarum prædictarum*, (ſcilicet S. Iacobi, Calatrauæ, & Aleantaræ) *quibus idem Philippus Rex præeſt, conſulere ac Philippi Regis voluntati hac in parte ſatisfacere volentes, conſtitutioniſque prædictæ ſeriem, ac ſi de verbo ad verbum inſereretur præſentibus pro expreſſis habentes*, 41

habentes, illam (necnon illius omnes effectus (quoad hoc vt S.Iacobi de Spathà, de Calatraua, & de Alcantara, Prioribus, Præceptoribus, & aliis ipſarum Militiarum obtinentibus Beneficia, & quovis nomine nuncupatis Militibus, quacumque licentia, & facultates teſtandi, & aliàs quomodolibet diſponendi de rebus, fructibus; & bonis immobilibus, mobilibus, & ſe mouentibus, vt præfertur, ſuffragentur, eædemque licentiæ, & facultates in poſterum valeant, ac perpetuam roboris firmitatem obtineant, ſuoſque effectus plenè ſortiantur) penitùs, & omninò Apoſtolica authoritate tenore præſentium tollimus, & abolemus. Ecce loquitur Pontifex de Prioribus, & habentibus Beneficia, ſed Clerici Fratres ſunt, qui Beneficia habent, & etiam ſunt Priores Monaſteriorum; ergo eis competit poteſtas teſtandi de quibuſvis bonis.

42 Reſpondeo, Pontificem in hac Bulla ſolũ loqui de Equitibus Militiarum, non de Clericis Fratribus. Id conſtat primò, quia Pontifex aſſerit; *Nos igitur cõmodis Militum Militiarum prædictarum*, ſolùm intendens vtilitati Militum conſulere; Et in Epigraphe eius Bullæ ſic extat; *Gregorius PP. XIII. reuocat Motum proprium Pij V. prohibentis facultatem teſtandi Militibus à Paulo III. conceſſam*: vt conſtat ex Priuilegiis Ordinis de Alcantara, *pag.* 167. Militum autem nomine non veniunt Clerici Fratres, ſed Equites.

43 Secundò, quia verba priuilegiorum, quæ ad inſtantiam alicuius impetrantur, intelligenda, ac interpretanda ſunt iuxta petitionem ſupplicantis, vt cum Felino, & aliis docet Emanuel Rodriguez *in addit. ad Bull. Cruc. ad* §. 9. *n.* 109 Philippus verò Rex noſter ſolùm à Pontifice popoſcit reuocationem Motus proprij Pij V. quoad Equites, vt ex narratiua petitionis liquet, ipſeque Pontifex ſolùm intendit annuere poſtulationi, vt cernitur ibi; *Ac Philippi Regis voluntati hac in parte ſatisfacere volentes.*

44 Nec obſtat vox *Prioribus*, qua vtitur Pontifex; non agit namque de Prioribus Monaſteriorum, aut de habentibus Beneficia Curata Ordinum, qui ſolent Priores nuncupari, ſed de Equitibus Prioribus, vt comprehendat omnes Milites Equites quovis nomine nuncupatos, ſi fortè aliqui dicantur Priores, ſicut in Ordine Sancti Ioannis dantur Equites Priores; Imò in Ordine de Alcantara primus Prælatus, ſeu Magiſter Don Gometius nuncupatus fuit Prior, & poſtmodùm alij Equites, qui Beneficia obtinuerunt, eodem Priorum nomine fuerunt appellati.

45 Nec obſtant ea verba *Beneficia obtinentibus.* Nam etiam ex Equitibus aliqui Beneficia obtinuerunt, voluitque Pontifex omnes Equites includere, quare poſtmodũ addidit; *Et quovis nomine nũcupatis Militibus*; non ait autem *Religioſis*, ſed *Militibus*, vt ſolùm de Equitibus ſermonem habere cernatur; Vnde cum deſignaſſet Milites iis gradibus, aut qualitatibus affectos, quæ poſſent veroſimiliter reperiri (& inter eos, Beneficia habentes) inſuper adjunxit quovis numine nuncupatos Milites, ne vllus eſſet euentus, aut Gradus, qui non incluſus iudicaretur.

Et ſanè id ampliùs ſtabilitur ab abſurdo, 46
quod ex oppoſito ſequeretur; nam ſi Clerici Fratres incluſi cenſerentur in eiuſmodi Bulla, poſſent non ſolùm teſtamenta condere, verùm & vincula, ac Maioratus fundare, & relinquere ſuis conſanguineis, aut aliis, ſicut poſſunt Equites ex vi ablationis impedimenti à Pio V. impoſiti, & facultatis à Gregorio XIII. conceſſæ; quod omninò eſt abſonum, & nunquam in Ordinibus Militaribus permiſſum, aut inventum.

Verùm replicabis. Iuxta doctrinam tra- 47
ditam nihil Gregorius XIII. indulſit Clericis Fratribus Militiarum, nec reuocauit quoad illos Breue, ſeu Motum proprium Pij V. Ergo hic Motus proprius reſpectu Clericorum Fratrum in ſua vi, & robore manet. Tunc ſic. Pius V. reuocauit omnibus Militaribus facultates teſtandi, & diſponendi de ſuis rebus, vt cõſtat ex ipſo Motu propriu, & videri poteſt apud Nauarrum *com. 1. de regular. ſuper cap. non dicatis, num.* 56. Igitur non poterunt Clerici Fratres diſponere de ſuis rebus, adhuc mobilibus, non ſolùm per modum teſtamenti, ſed nec per aliam vllam viam, qua ſuam aperient extremam voluntatem. Vnde videtur colligi, falſam eſſe doctrinam initio huius quæſtionis traditam.

Reſpondeo Pium V. prohibuiſſe Milita- 48
ribus, teſtari, & diſponere de ſuis bonis, virtute priuilegiorum ſpecialium, quæ ab Apoſtolica Sede fuiſſent obtenta, quæ per eum Motum proprium reuocauit; At verò non prohibuiſſe diſpoſitiones, quæ poſſent fieri iuxta propria Statuta, & Definitiones Ordinum, de quibus non fuit locutus, nec quidquam circa hæc immutauit. Hinc cum iuxta Definitiones, & Facultates ab Ordinibus conceſſas, poſſint Clerici Fratres Militiarum diſponere de ſuis bonis, vt *ſuprà* oſtendimus, fit, vt à Pio Quinto non fuerint reuocatæ. Quæ doctrina traditur à Miranda *in Manuali Prælator. regular. tom. 1. quæſt. 28. art. 4. in concluſ. circa finẽ.* Qui addit, etiam extante Motu proprio Pij V. potuiſſe Or-

dines Militares concedere facultatem Equiquitibus ad teſtandum; id enim non eſſet contra Motum proprium, in quo ſolùm facultates Apoſtolicæ reuocantur, quin tollatur poteſtas ab Ordinibus, vt iuxta proprium inſtitutum ſuas definitiones decernant; iuxta illud autem eſt, vt Equites, qui poſſunt nuptias contrahere, filioſque legitimos procreare, valeant illos hæredes in teſtamento relinquere, Quare Bulla Gregorij XIII. ad majorem conſcientiæ ſecuritatem fuit impetrata, non verò quia ipſi Ordines nequirent facultatem prædictam concedere. Eandem doctrinam affert Emanuël Rodriguez *tom.* 3. *qq. Regul q.* 29. *art.* 7. Hæc doctrina ſuſtineri poteſt, ſi defendatur, Equites non eſſe ſtrictè Religioſos; nam in contraria ſententia nequit ſtare, cum prohibitum ſit per Pontifices omnibus Religioſis condere teſtamentum, & hæc prohibitio nequeat per ordines auferri, ſed ſolùm per Pontificem.

QVÆSTIO IV.

An Ordines Militares in ſuis Capitulis, aut Regius Ordinum Senatus poſſit immutare vltimas diſpoſitiones bonorum à Clericis Fratribus Militaribus Calatrauæ, & Alcantaræ relictas? Vbi aliqua obſeruantur de Clericis Fratribus Ordinis D. Iacobi.

49 SVperiùs id attigi, & affirmaui, poſſe. Ratio eſt, quia Bonorum, quæ à Fratribus Clericis poſſidentur, proprietas penes ordines eſt; & hi de illis diſponendi licentiam ita concedunt, vt poſſint tum reuocare licentiam, tum diſpoſitionem bonorum, antequam effectum ſortiatur, & bona ad dominium alterius per legitimam apprehenſionem, & profeſſionem tranſeant. Id enim ad obſeruandum Voti Paupertatis ſpectat, vt à Clericis Fratribus debet obſeruari; & ſatis exprimitur in Statutis & definitionibus ipſorum Ordinum Militarium, in quibus facultas eis conceditur ad diſponendum de bonis; quippè in illis exprimitur, ipſos nihil, tanquam ſuum poſſidere, ſed nomine Magiſtri, ſeu ordinis, & abſque eius conſenſu non valere quidquam alienare. Deinde *ibidem* præcipitur Fratribus Clericis inuentarium bonorum conficere, ne adhuc, obeuntibus ipſis, fraudentur ordines eorum bonis, ſi de illis per inuentarium non conſtet. Rurſùs olim præſcribebatur forma vltimæ diſpoſitionis, in qua decedens è viuis rogabat Magiſtrum Ordinis, vt ratum dignaretur habere, quod ille diſponebat. Quæ forma adhuc viget reſpectu Clericorum Fratrum Calatrauæ, & Alcantaræ in diſpoſitione vltima bonorum mobilium; quæ tamen impletur, quia ordo omninò ei annuit.

Denium ex ipſis eſſe debent ordinibus 50
Executores vltimæ voluntatis, qui (ſaltem vnus,) præcipiuntur rationem reddere omnium, quæ in vltima diſpoſitione à Fratribus Clericis relinquuntur, antequam eam exequantur; (præter ſolutionem debitorum, quæ impediri nequit, vtpotè ex iuſtitia debita) neque alio poteſt tendere id requiſitum, niſi vt ipſi ordines inſpiciant, an ſit exequendum, quod Clerici Fratres diſpoſuerunt, an immutandum; quod adhuc expreſſè ibidem cauetur. Videatur in definitionibus Ordinis de Alcantara, *titulus* 22. *cap.* 4. & 5. & *Acta Capitularia anni* 1602. *die* 25. *Septembris*. Eſtò iam id fuerit immutatum, & ſolùm de executione teneantur reddere rationem Executores, ſeu Viſitatoribus territorij intra annum. Sic in Definitionibus Alcantaræ *tit.* 22. *cap.* 7. Ordo enim ratam habet eam diſpoſitionem; ſed non abdicat à ſe facultatem reuocandi illam ante executionem, ſi id ob vrgentes cauſas expediat.

Amplius id innoteſcet, ſi diluamus du- 51
bitandi rationem, quæ poteſt deſumi ex doctrina *ſuprà* libata Patris Suarez *tom.* 3. *de Religion. lib.* 8. *cap.* 16. *num.* 12. docentis, aliud eſſe concedi licentiam irreuocabilem; aliud condi ad actum irreuocabilem; poſſe autem irreuocabilem eſſe actum ortum à licentia reuocabili, quæ ſcilicèt ante executionem actus poterat reuocari. Vnde poterit Religioſus, præhabita eiuſmodi licentia, abſque violatione Voti Paupertatis, donare, & diſponere de eis bonis, quorum vſum habet; & id etiam docent Emanuël Rodriguez *in qq. Regalar. tom.* 3. *quæſtion.* 29. *articul.* 8, 10. & 12. Ioannes de la Cruz *de ſtatu religioſo*, *lib.* 1. *cap.* 3. Diana *part.* 1. *tractat.* 6. *reſolution.* 32. P. Vaſquez *in opuſculis*, *tractat. de redditib. Eccleſiaſtic. cap.* 3. *dub.* 2. *num.* 10. P. Thomas Sanchez *in ſumm. tractat de religion. lib.* 7. *cap.* 19. Hinc videtur colligi, non poſſe immutari diſpoſitionem vltimam Fratrum Militarium, quia eſtò licentia diſponendi fuerit reuocabilis, antequam effectum ſortiretur, at poſtquam diſpoſitio eſt peracta, hæc irreuocabilis eſt iudicanda.

Reſpondeo, doctrinam traditam eſſe 52
veram,

Digitized by Google

veram, quando actus exercitus ex vi licentiæ reuocabilis eſt eius naturæ, vt reuocari nequeat, nec detur poteſtas ad reuocationem in illo, qui licentiam conceſſit reuocabilem. Secùs accidit, quando actus non eſt eius naturæ, ſed ita ſubordinatus concedenti licentiam, vt tam hæc, quàm ille ſub ipſius liberam poteſtatem cadant. Primum reperitur in exemplis à Patre Suarez allatis; Secundum in caſu noſtræ quæſtionis. V. gratia, matrimonium ſemel contractum habet eam firmitatem ex ipſa inſtitutione diuina, vt quod Deus coniunxit, homo non ſeparet, nec ſub parentum poteſtatem cadat, dirimere illud, quamvis abſque ipſorum conſenſu fuiſſet initum. Et in hoc etiam deficit id exemplum; nam matrimonium ritè contractum eſt validum, & indiſſolubile, quamvis non præcedat licentia parentum, imò etiam, ſi expreſsè diſſentiant, ac reſiſtant; (ſermo enim eſt, non attento Iure ciuili antiquo, ſed Canonico, & Eccleſiaſtico) at diſpoſitio de bonis facta à Religioſo abſque Ordinis, ſeu Prælatorum licentia, vel cum eorum reſiſtentia, eſt illicita, & in vtroque foro inualida.

53 Præterea teſtamentum conditum ab eo, qui dominium rerum retinet, veluti ab Equite Militari (exceptis Equitibus Sancti Ioannis) poſita licentia teſtandi, vt ſic Votum Paupertatis ſartum tectum ſeruetur, firmum manet ex natura ipſius teſtamenti, quod ſolemniter factum, morte interueniente teſtatoris, irreuocabile eſt; nam proprietas bonorum non eſt penes Ordinem, qui licentiam teſtandi conceſſit, vnde nequit circa id, quod ſuum non fuit, nec eſt, aliquid innouare; cum ſolummodò bona Equitum ſint ſubordinata Prælatis eo modo, atque ad eos fines, quos attigimus *diſq.* 4.

54 Aliter hæc eueniunt in Clericis Fratribus Calatrauæ, & Alcantaræ, qui nec proprietatem bonorum retinent, nec teſtamenta condere poſſunt. Quare ipſa diſpoſitio vltima, non ſecùs ac licentia diſponendi, eſt ſubordinata, & dependens ab ipſis Ordinibus, qui, cum proprietatem bonorum apud ſe habeant, ac poſſint cōcedere licentiam ita diſponendi, vt ipſa etiam diſpoſitio ab eis ſit reuocabilis, ſi ita oporteat, imò ſic licentiam concedant, vt conſtat ex dictis *ſuprà*, fit, vt valeant reuocare, variare, & immutare vltimas diſpoſitiones, quæ cum non ſint teſtamenta, ſi adhuc non ſupponantur executioni mandatæ, ex vi propriæ naturæ non ſunt irreuocabiles.

Confirmatur ex aliis Sacris Religionibus non Militaribus, (& in ordine ad hoc, ſi caſus apponendus eueniat, eodem modo vtrobique eſt philoſophandum). Nam ſi Prælatus immediatus, dum aliundè poſſit, concedat licentiam Religioſo exiſtenti in extremis, vt diſponat de aliquibus picturis, v.g. aut libris, quorum vſum habebat, adhuc poſt eius diſpoſitionem, & mortem, ipſe Prælatus, aut alius ipſo Superior, poterit immutare eam diſpoſitionem, & picturas, aut libros applicare Monaſterio, ſi id magis expediat, rebus attentiùs conſideratis. De quo ſanè crediderim, nullus cum ſufficienti fundamento dubitauerit. 55

Cæterùm vt vltimæ diſpoſitiones Clericorum Fratrum Militarium immutentur, debet intercedere rationabilis, & vrgens cauſa; aliàs dedeceret ipſos Ordines variatio, & immutatio, cum ſemel ipſi licentiam diſponendi conceſſerint. Attamen facta ab illis teneret; cum abſolutè proprietatem retineant, & poſſint tum denegare licentiam, tum reuocare diſpoſitionem illis penitùs ſubordinatam. Sic ſi ſubditus poſcat licentiam à Prælato Regulari ad donandum aliquid, & ille neget, etiam abſque rationabili cauſa, imò ob ſpeciem vindictæ, ſeu odij, nequibit ſubditus donare, nam abſolutè licentiam non habet, & abſque illa non valet de vllis bonis diſponere. Similiter proportione ſeruata, in eo euentu contingeret, in quo pro libito dumtaxat immutaretur vltima diſpoſitio Clericorum Fratrum; quod tamen nec præſumi debet, nec expedit vllo modo fieri. 56

Inquires, an mortuo Clerico Fratre, ſi hi, quibus bona relicta ſint, ea apprehenderint, poſſit Ordo immutans vltimam diſpoſitionem ea ab illis extrahere, vt aliter diſponat? Cum diſtinctione reſpondeo. Si Ordo priùs monitus de diſpoſitione defuncti ſemel annuerit, & adimpletioni non repugnauerit, nequit poſteà quidquam immutare; nam eius conſenſu expreſſo, aut tacito ſuppoſito, dominium irreuocabiliter transfertur, niſi aliqua fraus, aut dolus interuenerit, vel probetur læſio Ordinis, qui, inſtar minoris, exigat reſtitutionem. Si verò olim antequam Ordo, ſeu Senatus Regius Ordinum fieret de diſpoſitione certior, bona apprehenderentur, poſſet eam diſpoſitionem iuuertere, ſi expediens animæ defuncti, & ipſi Ordini cenſuiſſet; quod tamen non eſſet præſtandum abſque matura conſideratione, & cauſa ſufficienti. Id conſtat ex dictis *ſuperiùs*; nam non aliter approbabatur vltima illa diſpoſitio, 57

nec facultas neceſſaria ad illam concedebatur, niſi ea conditione, vt Executores Ordinem monerent, illeque perſpiceret, an expediret, diſpoſitionem variare; quare in ſuſpenſo erat dominium rerum, ſeu potius penes ipſum Ordinem, donec ea conditio adimpleretur. Nunc verò, cum non requiratur, Ordinem priùs moneri, ſtatim dominium in quaſi legatarios tranſit irreuocabile.

58 Cæterùm facultas immutandi vltimas diſpoſitiones reſidet in ipſis Ordinibus, qui in Capitulis generalibus ſimul cum Rege noſtro, Admiuiſtratore perpetuo, repræſentantur. Præterea Rex ipſe, & eius nomine Senatus Regius Ordinum ea facultate gaudent. Quippè Rex munere Magiſtri fungitur, eo modo, quem ſæpè repetiuimus; ad Magiſtrum autem, velut ad caput, & Superiorem Ordinis ſpectat, facultates ſubditis concedere ad diſpoſitionem de ſuis rebus, quin Paupertatis Voto refragentur.

59 Non fuit nobis in hac quæſtione ſermo de Clericis Fratribus Ordinis Sancti Iacobi; nam, vt *ſuperiùs* oſtendimus, poſſunt condere teſtamenta, nempè hi, qui Beneficiis Eccleſiaſticis potiuntur & ſimiles; teſtamenta autem morte teſtatoris confirmata reuocari nequeunt ab Ordine; dummodò his conditionibus afficiantur, quas ad valorem ipſe Ordo ex priuilegiis Pontificiis deſignauit; aliter inualida erunt, ſaltem quoad eam partem, quæ ad ipſum Ordinem ſpectat. Nam ponamus, Clericum Fratrem relinquere hæredem vniuerſalem bonorum, quin aliquid Monaſterio deſignet, poterit Monaſterium quintam partem bonorum, iuxta Ordinis Statutum, ſibi vendicare, & quoad hanc partem inſtitutio hæredis inutilis erit, eſtò ſit vtilis, quoad alias, ne vtile per inutile vitietur.

60 Sed inquires, an ſit validum teſtamentum, ſi conſtet, Clericum Fratrem non petiiſſe licentiam à Priore, ſingulis trienniis, vt Statutum iniungit? Reſpondeo diſtinguendo circunſtantias. Si Frater ille gerens ſe, vt dominum bonorum, & independentem ab Ordine, nec ei ſubordinatum, noluiſſet obſtinatè, ſeu ex contemptu licentiam expoſcere, iudico, teſtamentum fore inualidum, & Monaſterium in eius bona ſuccedere. Nam ad valorem teſtamenti defuit conditio eſſentialiter requiſita, & aliundè ex nullo capite excuſari ille poteſt, nec æquitati eſt locus. Dices, etiam deeſſe conditionem eſſentialem, cum Clericus Frater non relinquit quintam bonorum partem Monaſterio, & tamen teſtamentum non eſſe inualidum. Contrà primò, nam inualidum eſt quoad eam partem; vnde fit pro noſtro aſſerto paritas; Etenim ea parte, qua deficit conditio, inualidum eſt teſtamentum; ergo, cum conditio licentiæ poſtulandæ non reſpiciat partem, ſed totum teſtamentum, deficiente hac conditione, totum teſtamentum inualidum erit. Contrà ſecundò, nam defectus conditionis relinquendi quintam partem bonorum eſt ſupplebilis, & vendicabilis, cum Monaſterium habeat ius vendicandi ſibi eam partem, atque adeò, quoad effectum perindè res maneat, ac ſi relicta fuiſſet ea quinta pars in teſtamento. At defectus licentiæ non petitæ prauo animo non eſt ſupplebilis, quia petitio, & non petitio ſunt actus voluntarij ſubordinationis, aut reſiſtentiæ, qui, mortuo teſtatore, nequeunt ſuppleri.

61 Rurſùs, ſi Frater Clericus licentiam non petierit ex obliuione, aut aliqua incuria, ita vt conſtet de eius animo ſubordinato, & probè erga Ordinem, & Prælatos affecto, cenſeo, non fore teſtamentum inualidum; nam ex quadam æquitate iudicandum eſt, ipſum Ordinem ſupplere eum defectum, ne nimis rigidum erga ſubditum, ac filium ſe habeat, ſed potiùs annuat, vt eius extrema voluntas effectum ſortiatur. Quod quidem cuilibet prudenti, & docto, ſi rem attentè perpendat, arridebit. Nam, ſi res rigidè iudicetur, teſtamentum decernetur inualidum.

62 Demùm ſi ille omnino inculpatè licentiam non petierit, vel ob abſentiam longinquam neceſſariam, vel ob aliam cauſam, independenter à ratione æquitatis, teſtamentum valebit; quia præceptum iniungens eam conditionem petitionis licentiæ non obligat in euentu, in quo moraliter nequit impleri; nec ob defectum præciſum petitionis licentiæ nudè ſumptum, inualidum redditur teſtamentum, cuius factio aliundè eſt licita ob diſpenſationem Pontificiam; in qua, eſtò contineatur præceptum poſcendi licentiam à Priore, & vt conditio neceſſaria, apponatur ad valorem teſtamenti, prudenter interpretanda eſt, ſicut in primo, & ſecundo euentu eam interpretati ſumus, nec extendenda eſt ad euentum moraliter impoſſibilem; cum aliundè ſupponantur adeſſe, quæ intrinſecè conſtituunt teſtamentum validum.

DISQVISITIO XVI.

De Funeribus Equitum, & Clericorum Fratrum Militiarum.

QVÆSTIO I.

De Habitu, & Pompa, qua Equites, & Clerici Fratres Militiarum tumulari debent, & de ipſorum ſepulturis.

1 ANTEQVAM è vita Regulares Militiarum decedant, cautum eſt in Statutis; & Definitionibus, quòd opportunè eis Sacramenta miniſtrentur, Aliquiſque Frater Clericus aſſiſtat ægrotantibus, ac moribundis, vt exerceat pietatis officia, animamque in extremo vitæ diſcrimine, & agone laborantem orationibus ſubleuet, Deoque commendet; deficiente autem Clerico Fratre, dum aliquis Calatrauenſis, & Alcantarenſis decedit, ad id munus aduocandus eſt Monachus Ciſtercienſis, ſeu Benedictinus, & in eius defectum quivis alius Sacerdos ſæcularis, vel Religioſus. Legantur in Definitionibus Ordinis Calatrauæ *cap. 2. tit.* 34. & in Definitionibus Alcantaræ, *cap. 2. tit.* 22. Vbi aliqua iniunguntur circa diſpoſitionem bonorum ab Equitibus decedentibus committendam alicui ex Ordine, & circa ea, quæ hic præſtare debebat, vt bonorum decedentis cuſtos. Quæ locum habebant, antequam Equites Militares teſtandi facultatem à Sede Apoſtolica accepiſſent; nunc verò locum non habent, cum liberè teſtari queant, atq; ad ſucceſſores, & hæredes bona pertineant.

2 In Ordine Calatrauenſi ſtatutum fuerat olim, vt in extremo vitæ halitu Crux cineritia ſuper pauimentum formaretur, ac ſupra eam aliquis extenderetur pannus, in quo æger à lecto extractus decumberet, & animam Deo redderet. Verùm quia corporis motus mortem valebat præuenire, iam diu fuit ſtabilitum, vt hæc ceremonia poſt mortem perageretur. Ita legitur *loco ſuprà relato.*

3 Sepeliendi autem ſunt omnes Equites, & Clerici Fratres Militiarum ornati toga Capitulari; Ita in Statutis D. Iacobi *tit. 6. cap.* 4. In Definitionibus Calatrauæ *tit.* 34. *cap.* 2. vbi additur, quòd eis ſcapulare Ordinis ſub toga collo circumdetur; In Definitionibus Alcantaræ *tit. 22. cap.* 3. In Statutis D. Ioannis *tit.* 4. §. 20. Vbi Habitus ſepeliendorum ſic præſcribitur; *Laudabile cenſeri debet, vt quo habitu Fratres noſtri in ingreſſu Religionis, & in vita fuerint redimiti, eodem in ſepultura, & funeris pompa ornentur. Igitur ſancimus, vt omnes Fratres Hoſpitalis, cum è vita deceſſerint, mantellis ad roſtra, id eſt, cum punctis, & Cruce alba ſepeliantur.* Video, Equitibus Militaribus, qui ad ſepulchrum efferuntur, enſes, & calcaria addi, quæ in ſuſceptione Habitus eis apponuntur; verùm nec in Statutis, nec in Definitionibus id ſtabilitur; quare ſolùm conſuetudine eſt inductum, quam proſequi; laudabile eſt cenſendum.

Equitem aut Fratrem Clericum defunctum tenentur in funere comitari omnes Regulares Ordinis ipſius, ſub pœna pecuniaria. Ita in Statutis D. Iacobi *tit. 8. c. 9.* Vbi tamen ſolùm de Equitibus decedentibus eſt ſermo, & ſolùm etiam cæteros Equites comitari funus præcipitur; & additur, hos teneri defuncti corpus vſque ad ipſius ianuam domus portare, ac poſtmodùm ipſum in Eccleſiam, in qua eſt tumulandus, inferre. Si verò in Curia decedat Eques, Præſes Senatus Ordinum à teſtamentariis eſt admonendus de morte, & funere, vt ille conuocari iubeat Equites ad comitatum. Extra Curiam autem monendus eſt Eques Ordinis antiquior Habitu, in eodem Oppido degens. 4

In Ordine Calatrauæ, quicumque ex Ordine è viuis decedat, omnes ex eodem Ordine funus comitantur, moniti in Curia à conſanguineis defuncti, quos Capellani honorarij Regis certiores de obitu debent facere; & extra Curiam quomodocumque conſcij Ordinis Regulares funeri tenentur adeſſe, & corpus ſuis humeris vſque ad Eccleſiam portare, atque intereſſe Miſſæ, & Vigiliæ. Ante Bullam, qua nuptiæ Equitibus ſunt permiſſæ, nequibant illi ſepulturam extra Ordinem eligere, nec Capellas ſibi conſtruere, niſi in Eccleſiis propriis, in quibus debebant ſuſcipere Sacramenta. Iam verò liberè poſſunt ſepulturam eligere, & Capellas, aut Eccleſias conſtruere, ſeu dotare. 5

In Ordine Alcantaræ quemcumque etiam defunctum comitari in funere omnes ex ipſo Ordine tenentur. Quòd ſi aliquis ex eodem Ordine obeat extra oppidum Alcantaræ, eiuſque corpus ad Monaſterium ſtatim deferatur (nam id non obſeruatur, ſi oſſa poſtmodùm portentur) Clerici Fratres toga Capitulari ſuperueſtiti, Cruce præcedente, procedunt obuiam defuncto vſq; ad Eremitoriū Sanctæ Annæ, ſeu vſque ad Monaſteriū Sancti Spiritus, reſpectiuè ad vitā, per quā corpus defuncti effertur; Quæ obligatio 6

obligatio eſt ſub virtute Sanctæ Obedientiæ, & conſequenter ſub lethali, vt conſtat ex Definitionibus *tit. 10. cap. 1.* Ibidem *c. 2.* licentia conceditur, vt poſſint obeuntes ſepeliri, vbi velint, eo quòd ſæpiſſimè obeant in locis diſtantibus à ditione Ordinis; olim autem ſolùm in Eccleſijs Ordinis valebant tumulari. Ibi *cap. 3. & 4.* ſtabilitur, ne in Eccleſia Monaſterij ſuper ſepulturas aliquod funebre monumentum apponatur, nec in Eccleſijs Ordinis, niſi intra Capellas, quæ ſub alicuius fuerint patronatu. Si verò quis interiùs in Monaſterij Clauſtro ſepeliatur, per duos menſes, & non ampliùs, ſupra ſepulturam funebris tumulus permittitur. Prohibetur etiam, quòd in Eccleſijs Ordinis poſſit quiſquam ſepeliri iuxta Altare maius ſupra gradus, ſeu ſcalas, quæ communiter ante illud iacent, & quòd ibi aliquod apponatur funebre ſignum. Ex his cernitur, Clericos Fratres intra Monaſterium degentes, ſeu etiam Collegas, ſi in Monaſterio decedant; aut illuc ſepeliendi deferantur, non poſſe eligere ſepulturam, ſed arbitrio Prælati fore ſepeliendos; nam eis non conceditur electionis poteſtas; vnde, ſicut alij Religioſi Militares nequeunt eligere ſepulturam; ita nec illi. Aduerte tamen in Definitionibus *tit. 9. cap. 1.* concedi facultatem, vt aliquæ perſonæ Ordinis poſſint ſibi in Monaſterio Capellas erigere, quæ ipſis dumtaxàt reſeruentur; quod ita obſeruatur.

7 In Ordine D. Ioannis id ſpeciale eſt, quòd non permittitur, in Funeribus Regularium, quicumque ſint; aliquem lugubri veſte indutum procedere, non ſolùm ex ipſo Ordine, ſed nec ſæcularem, quamvis ſit conſanguineus proximus defuncti. Ita in Statutis *tit. 4. §. 22.* Mors ſanè Religioſorum non lugenda, ſed inuidenda eſt; cum eos, ſupponatur, diſciplinæ regularis nexibus obſtrictos vitam cumulaſſe meritis, quibus ſibi tutiùs parent regnum cæleſte.

QVÆSTIO II.

De ſuffragijs, & Orationibus fundendis pro defunctis Ordinum Militarium.

8 IN omnibus Sacris Religionibus perſoluuntur officia, & ſuffragia pro defunctis, vt debitæ Fratribus pietati, & beneuolentiæ indulgeatur. Id ipſum etiam præſtatur in Ordinibus Militaribus. In Ordine D. Iacobi, quoties celebratur Generale Capitulum, tertia die conueniunt omnes ad Veſperas, & Vigiliam Defunctorum, & die ſequenti ad Miſſam pro ipſis celebrandam, in qua omnes, qui ex Ordine è viuis deceſſerunt poſt vltimum antecedens Capitulum referuntur. Ita in Statutis *in Inſtructione Equitum, pag. 80.* Deindè quoties quis ex ipſo Ordine obit, quilibet Sacerdos Frater Clericus in eodem loco exiſtens tenetur tres Miſſas pro eo celebrare; vnam verò, ſi ſit abſens; Clericus Frater non Sacerdos Pſalterium debet recitare, ſi ſit præſens; quinquaginta autem Pſalmos, ſi ſit abſens; Equites autem præſentes debent recitare centies, & quinquagies Orationem Dominicam; abſentes verò quinquagies. Rursùs Commendatarius, in cuius ditione obierit aliquis ex Ordine, pro eius anima tenetur quadraginta diebus pauperi vni neceſſaria alimenta conferre; & totidem diebus Fratres Clerici inibi commorantes debent pro eius anima Commemorationem in Miſſæ ſacrificio facere. Quin & pro familiaribus, ſeu famulis cuiuſque ex Ordine, tenetur Commendatarius, in cuius ditione, vel Commenda illi deceſſerint è vita, ſeptem diebus egenum alere; Clerici verò Fratres Sacerdotes vnam Miſſam offerre, cæteri non Sacerdotes quinquagies Orationem Dominicam recitare, ſi ſint præſentes; omnes autem abſentes ter eandem Orationem. Ita in Statutis *in Regula Ordinis, cap. 29.* Commendatarij demùm, vt *ibidem c. 30.* aſſeritur, quorannis debent celebrari facere triginta Miſſas pro Defunctis Ordinis. Quæ obligatio explicatur *tit. 15. cap. 37.* ita vt Commendatarij, qui Parochis conferunt prouentus ex Altari, non teneantur ad eas Miſſas, ſed ipſimet Parochi eas ſint celebraturi; At ſi Commendatarij ſint ex his, qui ditione, & Eccleſijs carent, eo quòd Commendæ ſint venditæ; aut quia Commendæ ſunt *De las caſas, ò de los baſtimentos* (vt Hiſpanè dicitur,) debent prædictas triginta Miſſas celebrari curare, & à Viſitatoribus Ordinis ratio de his eſt poſcenda. In Collegio Salmantino D. Iacobi tenentur Fratres Clerici ad Miſſas, & ſuffragia, quæ in Domo Virginis de Tudia dicenda erant pro Fundatore Magiſtro Ordinis D. Pelagio Parez Correa; quippè redditus eius Domus applicati ſunt præfato Collegio, vt habetur in Statutis *tit. 20. cap. 8.*

9 In Ordine Calatrauæ pridie ante Capituli Generalis abſolutionem Miſſa, & Vigilia pro Defunctis Ordinis perſoluitur, omneſque ex Ordine toga Capitulari induti tenentur aſſiſtere, ſerie antiquitatis in ſedibus ſeruata; Miſſaque celebranda eſt à

Priore

Priore Monaſterij Calatrauæ, cum detur; & in eius defectum à Sacriſta maiori, ſeu Priore antiquiori. Ita in Definitionibus *tit. 1. cap.* 13. Pro ſingulis defunctis Ordinis tenentur Sacerdotes Clerici Fratres tres Miſſas celebrare; & omnes alij recitare Pſalterium; Et præterea pro Defunctis Ordinis in generali quotannis incipiendo à die S. Lamberti, nempe à die 17. Septembris, Sacerdotes debent viginti Miſſas (quas S. Lamberti vocant, eo quòd ab eius die incipiant) celebrare, & cæteri recitare decem Pſalteria. Hæc autem, ſi velint recitaturi, poſſunt in Miſſas commutare, ita vt Commendatarij loco decem Pſalteriorum triginta Miſſas celebrari faciant, & pro ſingulis defunctis Ordinis loco vnius Pſalterij recitandi, tres Miſſas offerant, eleemoſyna pro illis erogata; Equites autem non Commendatarij pro decem Pſalterijs S. Lamberti decem Miſſas; Et pro Pſalterio recitando pro vnoquoque defuncto vnam offerant Miſſam. Idem ſtatuitur de Monialibus Ordinis, tum vt ipſæ recitent, vel Miſſas offerant; tum vt pro ipſis defunctis eadem præſtentur. Idem dicendum de Clericis Fratribus non Sacerdotibus quoad obligationem recitandi, aut offerendi miſſas, eſtò expreſsè non ſtabiliatur, ſed ſatis clarè conſtat ex ordinatione in Definitionibus *tit.* 34. *cap.* 5.

10 Io Ordine Alcantaræ pridie ante Capituli Generalis finem, Veſperæ, Vigilia, & Miſſa pro defunctis Ordinis ſolemniter celebrantur, aſſiſtentibus cunctis ex Ordine toga Capitulari indutis, & accenſas lucernas geſtantibus; & Clerici Fratres eo die miſſas priuatas pro eiſdem defunctis ſunt oblaturi; & relatio defunctorum à Capitulo præcedente vſque ad illud eſt peragenda, quorum memoriæ cura priori Alcantaræ, & Capellanis honorarijs incumbit. Ita in Definitionibus *tit.* 1. *cap.* 17. prior autem celebrat hanc miſſam, pontificalibus ornatus. In Capitulis autem trium horum Ordinum hoc Officium Defunctorum peragitur in Monaſterijs, in quibus ipſa Capitula habentur; & ſuper tumulum funebrem Corona Regia apponitur, propter perſonas Regias, qui ex Ordinibus fuerunt, ac præcipuè propter Reges noſtros, eorum Adminiſtratores perpetuos. Præterea non Sacerdotes tenentur ad Pſalteria S. Lamberti, ſicut Calatrauenſes (id enim vtique ab Ordine Ciſtercienſi acceperunt) & ad viginti Miſſas hi, qui Sacerdotes ſunt; At illa decem Pſalteria poſſunt commutari à non Sacerdotibus in viginti Miſſas. Pro quouis autem defuncto Ordinis Sacerdotes celebraturi ſunt tres Miſſas; & non Sacerdotes, ſiuè Equites, ſiuè Clerici Fratres, Pſalterium recitaturi ſunt, aut loco eius vnam Miſſam celebrari facere. Ita in Definitionibus *tit.* 13. *c.* 19. In Monaſterijs, ſtatim ac notitia peruenit alicuius Defuncti Ordinis, Capitulum congregatur ad abſolutionem defuncti, (qui mos, & terminus vocum eſt proprius Ordinis Ciſtercienſis) per triginta dies Oratio pro defuncto ad Primam recitatur. Præterea pro parentibus Regularium ſiunt ſuffragia; plures aliæ Miſſæ dicuntur, ſeu Anniuerſaria pro Prælatis, & Epiſcopis ex Ordine aſſumptis, & pro alijs, qui ea dotauerunt, quòd etiam in Collegijs obſeruatur, & ratio Viſitatori redditur. Fratres autem Clerici, qui omiſerint aliquas Miſſas, vel Pſalteria, tenentur, cum obeunt, id declarare, vt pro eis fiat ſatis eiuſmodi obligationi. Ita in Definitionibus *tit.* 21. *ca.* 3. *pag.* 200.

In Ordine S. Ioannis, feria ſecunda poſt 11
Quinquageſimam in omnibus Eccleſijs Ordinis celebratur Miſſa ſolemnis pro defunctis eiuſdem Ordinis, & ipſa die Dominica Vigiliæ defunctorum ad veſperum cantantur, aſſiſtentibus cunctis ex ipſo Ordine, qui in locis adfuerint, vbi illæ extant Eccleſiæ. Ita in Statutis *tit.* 3. §. 13. *& ſequent.* Finitio etiam Capitulo tum generali, tum Prouinciali preces funduntur pro Defunctis, quæ referuntur *titulo* 6. §. 2. *pag.* 52.

Dubitabis, an obligatio peragendi prædi- 12
cta ſuffragia ſit ſub peccato? Hoc dubium diluimus *ſuprà diſq. 6. & diſquiſ.* 13. Profectò diligentiſſimè eſt curandum ab vnoquoque ex Ordinibus ea ſuffragia exequi, Id pietas ſuo iure expoſcit; fraternitas exigit, vnio, ac beneuolētia ſollicitāt. Notaueris in præſenti, ſi Pſalteria *ſuprà* dicta recitentur, ad finem cuiuſque Pſalmi non fore addendum verſiculum *Gloria Patri*, ſed *Requiem æternam*. Ego hortarer omnes, vt eorum commutationem in Miſſas eligerent, quæ ipſorum arbitrio relinquitur. Notaueris etiam, Equites, qui ſunt Sacerdotes, non teneri præcisè, & neceſſariò ad Miſſas, ſed ad eas, vel ad pſalteria, vt cæteri Equites tenentur; nam materialiter ſe habet, quòd Sacerdotes ſint, reſpectu huius obligationis, vt à Definitionibus præſcriptæ. Idem dic de Iacobæis Commendatarijs, & Equitibus; reſpectiuè ad obligationem eis incumbentem.

DISQ. XVII.

Google

DISQVISITIO XVII.

Et vltima Praxis Regij Senatus Ordinum.

QVÆSTIO I.

Præſtringuntur plura de munere, poteſtate, & iuriſdictione huius Senatus.

Vbi de Clericis Fratribus Salmanticæ degentibus.

1 DIſcvssimvs ferè cuncta, quæ ad Senatum Regium Ordinum ſpectant, *diſquiſition.* 2. *&* 7. *& toto Operis decurſu*, nunc ea velut in epilogum redigemus, nonnulla inſuper addendo. Regius hic Senatus vnum cum Rege noſtro, quatenùs Adminiſtratore perpetuo Ordinum, conſtituit Tribunal, vnde ab illo non datur ad Regem appellatio, ſed dumtaxàt ſupplicari poteſt. Succeſſerunt Reges in locum Magiſtrorum cum omnimoda eorum poteſtate, ita tamen vt quæ ad ſpiritualia concernunt, per Regulares ipſorum Ordinum exerceant; Deputauerunt ergo (præter Priores, & Vicarios) hunc Senatum, qui eam exerceat iuriſdictionem; hæc verò eſt Eccleſiaſtica, quatenùs ab eo, vt Adminiſtratore, dimanat; à pluribus Pontificibus roborata, & confirmata. Iuriſdictione etiam Regia temporali gaudet, iuxta dicta *diſquiſit.* 2. *quæſtion.* 2. Hinc reſpectu Ordinum Diui Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ, habet ſe, vt Generalis Regularis, & ſub eius iuriſdictione, ac obedientia verſantur Equites Militares, Clerici Fratres, Moniales Militiarum, territoria, & ditiones Ordinum, ac Clerici ſæculares in eis verſantes, ſeu Beneficia, vel Capellanias in Eccleſijs Ordinum obtinentes.

2 Fit indè, appellationes à Iudicibus Ordinarijs Eccleſiaſticis, & ſæcularibus deferri ad hunc Senatum; niſi à Priore Alcantaræ, à quo ratione Concordiæ, de qua *diſq.* 7. appellatur ad Epiſcopum Caurienſem; prætereà in pluribus cauſis, non tamen in omnibus, à Iudicibus ſæcularibus Ordinum datur in appellatione electio, vel ad hunc Senatum, vel ad Regia Tribunalia, de quo *diſq.* 2. Præterea in ſententia tuente. Equites Militares eſſe ſtrictè Religioſos, de qua latè *ibidem*, cauſæ criminales eorum in prima inſtantia pertinent ad Senatum Ordinum. Ad quem etiam appellatur à ſententijs, quas pronuntiant Viſitatores Ordinum, & item Iudices Commiſſionum, aut alij ſpeciales Iudices ab ipſo Senatu ad exploranda, & punienda delicta deſignati.

3 Extat Tribunal, nuncupatum Hiſpanè *Iunta de Comiſſiones*, conſtans ex duobus Supremi Conſilij Caſtellæ Senatoribus, ex duobuſque alijs huiuſce Ordinum Senatus; Ad quod poteſt appellari, ſeu ſupplicari à ſententijs prolatis à Senatu Ordinum in cauſis temporalibus Vaſſallorum ipſorum Ordinum; Et querelæ, ſeu appellationes ab executione ſententiæ ab hoc Conſeſſu prolatæ ad ipſum deferuntur, & in eo cauſæ terminantur.

4 In ſententia, de qua *ſuprà*, tuente, Equites eſſe ſtrictè Religioſos, cauſæ criminales Equitum Nouitiorum ſpectant ad Ordinum Senatum, etiam ſi ante ſuſceptionem Habitus deliquerint, dummodò non ſuſceperint Habitum in fraudem iuriſdictionis Regiæ temporalis (Nec vnquam ſermo eſt de criminibus, quæ ad Sacræ Fidei Tribunalia priuatiuè ſpectant.) Nequit hic Senatus ſententiam capitis, aut mutilationis membri ferre. Rex verò ex indulto Pontificio, adhuc ſi defendatur, Equites eſſe Religioſos ſtrictè, poteſt deſignare Iudicem, qui Equitem merentem plectat capite. Cæterùm Iudices ſæculares agnoſcunt de cauſis ciuilibus Equitum Militarium; De quo obſeruanda ſunt, quæ tradidimus *diſquiſit.* 2. *quæſtion.* 2. Vbi etiam egimus de pœnis, quæ eis poſſunt infligi à prædictis Iudicibus ob violationem alicuius pregmaticæ; & de remiſſione eorum ad Senatum Regium ordinum, quando deprehenſi in delicto in cuſtodia detinentur.

5 Quid autem Senatus hic poſſit præſtare circa Clericos Fratres in Collegijs Salmantinis degentes, oportet obſeruari. Supponendumque eſt, ordines Militares gaudere communicatione ampliſſima priuilegiorum, quæ conceſſa, & concedenda fuerint cuicumque ex Sacris Religionibus. Quod ex Bullis Pontificijs apertiſſimè *in ſuperioribus* patefecimus. Recenſui *ſuperiùs diſquiſ.* 9. *ex num.* 63. omnia, quæ circa hanc quæſtionem tradidi *tomo de Iure Academico*, & meam mentem explanaui. Videnda ſunt *ibi* dicta. Igitur Magiſtrum Scholæ Salmantinum non poſſe cognoſcere de vllo prorsùs crimine Religioſorum (quo nomine Militares Clericos Fratres comprehendi, eſt

eſt euidens) docent Emanuël Rodriguez *tom. qq. regul. quaſtion.* 2. *artic.* 9. Corduba, & Collector priuilegiorum, quos refert, & ſequitur Hieronymus Rodriguez, *reſolut.* 62. *num.* 6. Villalobos 2. *part. tract.* 38. *difficult.* 4. Probant primò, hi, & alij, quia Prælatis Regularibus conceſſa eſt omnimoda iuriſdictio priuatiua ad puniendos ſubditos delinquentes, & ea iuriſdictio immediata eſt Sedi Apoſtolicæ, vt tradunt Tamburinus, Barboſa, Peyrinus Schoreia, Cochier, Caſaingh, P. Henriquez, P. Thomas Sanchez, Pellizarius, & innumeri paſſim, & conſtat ex Bullis Pontificijs conceſſis erga Sacros Ordines. Nechæc iuriſdictio reuocatur à Martino V. in Bulla conceſſa erga Academiam Salmantinam, & Magiſtrum Scholæ, in qua non exprimuntur Regulares, dum iuriſdictio in criminalibus conceditur erga inſcriptos albo Academiæ. Priuilegia autem Regularium, niſi exprimantur, non cenſentur vllo modo reuocata, vt cum innumeris docet Fr. Bruno Chaſaingh *tractat.* 1. *de priuileg. Regular. cap.* 5. Et priuilegium non exprimens mentionem alterius minimè operatur reuocationem illius, iuxta *cap. venient* 19. *de praſcript. cap. Abbatum,* 40. *de reſcript.* Et id docent Emanuël Rodriguez, Ioannes de la Cruz, Menochius, P. Suarez, P. Thomas Sanchez, Quintanadueñas, & alij plures. Vnde priuilegia Religionum in ſuo robore permanent.

6 Probant ſecundò ex Bulla Innocentij VIII. expedita erga Vicarium Generalem Ordinis Prædicatorum, in qua expreſsè aſſeritur, prælatos Ordinis fore cogniturus de delictis Religioſorum, non obſtantibus priuilegijs, & Bullis conceſſis Academiæ Salmantinæ, & Magiſtro Scholæ. Expedita fuit quartu Idus Martij, anno 1488. & incipit, *Sacra Religionis*; affertur que à Collectore Compendij Mendicantium *verbo Correctio Fratrum*, §. 14. Et in Monumentis Ordinum *fol.* 76. ac ab Emanuële Rodriguez *tom.* 2. *quaſtion.* 2. *artic.* 9. Præterea aliam Bullam expediuit Pius II. die 15. Octobris, anno 1485. quæ incipit *Religioſorum*, & in Bullario affertur *tom.* 1. *fol. mihi* 385. in qua omnibus Generalibus Religionum indulget, quòd cognoſcant Prælati de ſuis ſubditis delinquentibus in Studijs Generalibus, etiam de Gradu inſignitis, non obſtantibus quibuſcumque Bullis, & priuilegijs, quamvis ad eorum reuocationem exigatur ſpecifica mentio, & de verbo ad verbum. Ex his grauiſſimis fundamentis inferunt, Magiſtrum Scholæ omnino teneri, ſi Religioſum aliquem in delicto flagranti deprehendat, illico remittere eum ad Prælatum proprium; Et conſequenter Clericos Fratres ad ſuos Prælatos, ſeu ad Senatum Ordinum. Idem dicito de Equitibus Militiarum in Academijs verſantibus, in ſententia tuente, eos eſſe ſtricte Religioſos, de qua *diſquiſit.* 2. *quaſtion.* 2. Videatur Memoriale editum hoc anno 1657. ſub nomine illuſtris Collegij Salmantini Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis, in quo omnimoda exemptio Religioſorum in criminalibus à Magiſtro Scholæ exornatur, & declaratur pluribus fundamentis allatis.

Addunt, reſponderi non poſſe, eas Bullas, & exemptionem Religioſorum in Salmantina Academia in vſu non eſſe, ſed potiùs vſum eſſe contrarium, ac Magiſtrum Scholæ agnouiſſe de cauſis criminalibus Regularium, nullo refragante. Nam contrà primò. Religiones Sacræ pluribus Pontificiis indultis gaudent, quòd ſua priuilegia non amittant per renuntiationem, nec per actum contrarium, nec per non vſum; Quod oſtendunt, pluribus Bullis allatis, Fr. Bruno Chaſaingh *in Priuilegijs Regularium, tractat.* 1. *c.* 5. *propoſ.* 1. & 2. Portel, Diana, & Alij. Et quamvis amitti poſſent per non vſum, ſi in eo præſcriberetur, tamen Chaſaing *ibi* demonſtrat, impoſſibilem eſſe præſcriptionem per non vſum aduerſus priuilegia Regularium. Contrà ſecundo, quia non poteſt probari non vſus, nec actus contrarius in præſenti. Etenim quod aliquando ob leues aliquas diſcurdias Magiſtri Regulares in ſuis Cœnobijs recluſi fuerint à Magiſtro Scholæ, id peractum fuit per modum gubernationis œconomicæ, & politicæ, abſque ſtrepitu iudiciali, & abſque actibus ad iudicium criminale ſpectantibus. Nec illi reclamarunt, quia id agnoſcebant, & quia in rebus adeò leuibus controuerſia grauis ſuper iuriſdictione non erat agitanda. Etenim (aiunt) ſi aliquando criminaliter procedere contra Regulares tentauit Magiſter Scholæ, non obtinuit. Sanè cum Clericus Frater Iacobæus homicidij accuſaretur anno 1590. & contra eum Magiſter Scholæ cauſam cæpiſſet, Senatus Ordinum ipſam ad ſe auocauit, declarante noſtro Rege Philippo II. illam ad eum ſpectare. Proceſſus apud Iacobæos aſſeruatur. Deindè Religioſum Clauſtralem exterum, & extra Clauſtra degentem Salmanticæ, inibique nulli Prælato Regulari ſubiectum, Magiſter Scholæ incarcerauit propter culpam, cuius falsò accuſabatur;

accuſabatur; Sed ante ſententiæ prolationem Iudex Superior à Curia cauſam ab illo amouit; & Prætereà non dabatur Prælatus Salmanticæ, qui reclamaret. Anno 1653. voluit idem Scholæ Magiſter cognoſcere de duobus Clericis Fratribus Calatrauenſibus; quod pro illo affertur; verùm addendum eſt, non ipſum, ſed Senatum Ordinum auocaſſe ad ſe cauſam, & eos puniuiſſe, quin ille ſententiam proferret. Contrà deniquè, quia ſi in aliqua Religione toleratum fuiſſet, de delicto ſubditi cognoſci à Magiſtro Scholæ, Prælati reſiſtere debuerunt; & actus vnius, alterius Religionis non poſſunt vllo modo cæteris præjudicium aliquod afferre; vt ex principiis Iuris, & Theologiæ moralis eſt manifeſtum. Idcircò hoc anno 1657. Prælatus Collegij Ordinis SS. Trinitatis reſtitit, & noluit tradere ſubditum Religiuſum delinquentem Magiſtro Scholæ; Et cum hic in eum ſententiam protuliſſet, Senatus Supremus Caſtellę non permiſit, ſententiam eam executioni mandari, ſed Religioſum temporalitatibus (vt aiunt) mulctanit, exilium à Regnis his dumtaxàt ei infligens, cum tamen Magiſter Scholæ grauiſſimo ſupplicio eum damnaſſet. Et quidem Senatus ille eximius Prætori Vrbis Salmantinæ commiſit executionem, & monitionem præſtandam Prælato Regulari, vt de eo ſubdito relegando illicò curaret. Hæc ab his Authoribus traduntur; Quibus aſſenſuros fore tum Senatum Ordinum, tum Communitates Religioſas, ac doctiſſimas, non dubitauerim, à quibus animaduerto, meam opinionem traditam *tom. de Iure Academico* impugnari, & derelinqui. Videantur, quæ *eo tomo in 2. editione* circa id addidi *lib. 4. quæſt. 3. ex num. 67.*

7 Ad alia pergamus. Poteſt Senatus Ordinum per viam gubernationis præcipere omnibus ſubditis, quidquid conducens cenſuerit tum circa temporalia, tum circa Eccleſias, Miſſarum ſolemnia, eleemoſynarum præſtationem. Officia funeralia, Confraternitates, Capitula Clericorum ſæcularium, ac ſimilia; Nec debet in his apices Iuris obſeruare, vtpotò Prælatus Regularis. Indè etiam valet pœnas infligere omnibus ſubditis iuxta delictorum qualitatem; & de his explorationem ſecretam capere, & Reos ſecretò etiam corrigere. Ei etenim incumbit promotio diſciplinæ Regularis; cura obſeruantiæ Regularum, Statutorum, & Definitionum: ſullicitudo erga Viſitatores, & Paruchos; bonorum, & Commendarum conſeruatio; Templorum ſplendor; iuriſdictionis defenſio, ne Ordines vllum detrimentum ſentiant.

8 Vocat Senatus in examen ad plura Beneficia; de quo latè *diſquiſ.* 11. Deſignat Clericos Fratres Calatraueuſes, & Alcantarenſes ad Collegia Salmantina. De quo *diſquiſit.* 9. Conſulit Regem noſtrum de perſonis idoneis ad Dignitates Ordinum, & ad alia munera obeunda. Expedit Chirographa circa pecunias ex menſæ Magiſtralis redditibus perſoluendas, eorumque reddituum Collectores deſignat. Decedentibus è vita Regularibus Militiarum, ſi deſides ſint diſpoſitores bonorum, Senatus eos debet cogere ad curam adimplendi defunctorum voluntates, aut alios mittere, qui id promptiùs exequantur. Monialibus præbet licentiam, vt ex vrgenti cauſa valetudinis pro limitato tempore è Monaſteriis exeant, Clericis Fratribus eas licentias poteſt concedere, quas Superiores ſupremi aliis Religioſis valent elargiri.

9 Præſentatio ad omnia Ordinum Beneficia; & munia Eccleſiaſtica, etiam valdè exigua, ex ſe pertinet ad Regem noſtrum, vt Patronum vnicum Ordinum. Aliqua tamen iam a primis exordiis Priores Iacobæi præſtant, & aliquas Sacriſtias Cummendatarij nounulli; alia vt aſſerimus, Senatui Ordinum ſunt commiſſa. Plura egimus *diſq.* 1. & 11.

10 Præcepta obedientiæ valet idem Senatus imponere; & prætereà deſignare Clericum, qui cenſuras ferat. Poteſt prætereà, vt cæteri Superiores Regulares, vota ſubditorum irritare; deſignare Confeſſarios idoneos Monialibus, & aliis Militaribus. Ad plura tamen ex adhuc dictis, ſubſcriptio Regis noſtri in Decretis, ſeu Schedulis à Senatu expeditis, requiritur, vt ſuis locis annotauimus.

11 Cæterùm poteſtas, & iuriſdictio, qua Senatus Ordinum gaudet, non anguſtatur intra terminos Hiſpaniarum, ſed valet ad ſe auocare Equites, aut Clericos Fratres vbicumque delinquentes, etiam in exteris Prouinciis, nam vbique illi ſuo foro potiuntur, nec à Iudice non proprio poſſunt conueniri. In Regnu Neapolitano Equites Militiarum ſubduntur Iudicibus ordinariis; quod præſtari, quin præjudicium inferatur iuriſdictioni, & furo Militiarum, oſtendimus *diſquiſit.* 2. *num.* 58.

12 Et crediderim, ex commiſſione Regis, idem contingere in Indiis, & Prouinciis diſtantibus à Senatu Regio Ordinum. Et quidem adhuc in ſententia aſſerente, Equites non eſſe Religioſos ſtrictè, nec Eccleſiaſticos, eorum Superior eſt Senatus, cum in ea ſententia gaudeat circa eos

iuriſdictione

Iuriſdictione Regia, & ea poſſit vti, vt ipſos ad ſuum Tribunal trahat; præ oculis tamen habeantur dicta *diſq.* 2. *q.* 2.

13 Ad electionem Priorum qui in Monaſteriis Iacobæis per ſuffragia domeſticorum fit, & ad electionem in Monaſteriis Militaribus Monialium in Commendatariam, aut Abbatiſſam, deſignat Senatus aliquem, qui ipſius nomine aſſiſtat. Quòd ſi Superiores Militares digni ſint depoſitione, cauſa probata, maturéque perpenſa, Senatus eos valet deponere, vel iuxta cauſæ qualitatem ſuſpendere; Quin & Beneficia poteſt Senatus tollere, ſi cauſæ iuſtæ adſint. Recolantur dicta *diſq.* 11.

14 Agnoſcit deindè Senatus Ordinum in prima inſtantia de ſententiis interlocutoriis, quas proferunt Priores, aut Vicarij Militiarum, à quibus ad Senatum ipſum appellatur. Quin dubitari poſſet, an Senatus poſſit ad ſe auocare in prima inſtantia cauſas ciuiles, vel criminales, quæ inter Priores, ſeu Vicarios Generales, & alios Regulares, vel ſubditos ſæculares geruntur? Si præcisè conſideremus Senatum, vt Iudicem Superiorem, id nequit præſtari; etenim immediati Iudices primam ſibi vendicant inſtantiam, quam ab eis auferre non valent Superiores, ne ordo iudicij turbetur, & ſua quiſquam priuetur iuriſdictione. Vnde in cauſis Beneficialibus, Decimalibus, Iuriſpatronatus, & ſimilibus, in quibus cum Dignitate Epiſcopali alius litigat, prima inſtãtia ad Tribunal ipſius Epiſcopi pertinet, & coram Vicario Generali ventilatur.

15 Verùm, ſi inſpiciamus Senatum, vt ſupremum Superiorem Regularem, & cauſa agitetur inter ſubditos Regulares, cenſerem, poſſe ad ſe eam auocare, Quippè ita præſtant Generales, & Prouinciales Sacrarum Religionum, cum materiæ grauitas id exigit; Deindè cum cauſæ ſunt criminales, ſupremum Tribunal poteſt ad ſe eas auocare, ratione publicæ vtilitatis, ſeu ex vrgenti cauſa; quod ita præſtari à Supremo Caſtellæ Senatu in aliquibus delictis, frequenter cernimus; Cum ergo Senatus Ordinum, quateuùs Eccleſiaſticum, ſit Tribunal ſupremum reſpectu ipſorum Ordinum (ſolùm enim eſt Pontifex ſummus ſuprà illud) auocare etiam cauſas criminales ſubditorum ad ſe valebit, ſi vrgens ſeſe offerat ratio. Præterea ad delicta ſubditorum exploranda, & punienda poteſt Senatus Ordinum deſignare, & mittere Iudicem ſpecialem, non ſolùm ad inſtantiam partis, verùm motu proprio, ob publicum bonum; id autem eſt, cauſam ad ſe auocare.

A Sententiis prolatis à Iudicibus inferioribus Ordinum nequit immediatè ad ſummum Pontificem appellari, omiſſo ipſorum Ordinum Senatu, ſed priùs ad hunc eſt appellandum; iuxta ſpeciale indultum, & Breue Iulij III. A ſententiis autem pronuntiatis ab eodem Senatu Ordinum immediatè ad Pontificem datur appellatio, non verò ad eius nuntium Apoſtolicum, ex conceſſione Pontificum, quorum Bullas retulimus *locis relatis*. Videatur Barboſa *in praxi exigendi penſiones*, *lib.* 2. *vot.* 36. qui tranſcribit verba Bullæ Pontificiæ concedentis prædicta. 16

Iuriſdictio Senatus Ordinum eſt ordinaria, vt docet cum pluribus Rodriguez *tom.* 1. *qq. Reg. q.* 36. *art.* 3. & infertur ex præiactis; eadem quippè eſt, ac iuriſdictio Adminiſtratoris perpetui, Regis noſtri, cum quo idem Tribunal conſtituit; quare eſt delegabilis, & frequenter ad ſpeciales cauſas delegatur. Quin quamvis ea iuriſdictio eſſet delegata, valeret ſubdelegari; nam poteſtas delegata à ſupremo Principe ad vniuerſitatẽ cauſarum, ſubdelegari poteſt. 17

QVÆSTIO II.

Attinguntur ea, de quibus Senatus Regius Ordinum Regem noſtrum, vt ipſorum perpetuum adminiſtratorem, conſultat. Vbi de alienatione Officiorum.

CVm totum Ordinum Militarium regimen penes Senatum ſit, plura concurrunt grauiſſima negotia, de quibus Rex noſter, vt Adminiſtrator Supremus, ſit conſulendus; & ea quæ ſecretiorem notitiam exigunt, ab vno ex Senatoribus in bello exarantur, vt Rex pro arbitrio decernat. In Definitionibus Alcantaræ *tit.* 7. *c.* 3. Senatori ex ordine iniungitur, vt Regem informet, quoties aliquid in præjudicium priuilegiorum tenetur. In praxi autem ſemper inſcriptis fit conſultatio. Præterea aſſeruit Ægidius Gonzalez *vbi infrà*, Senatum conſulere Regem ipſum de Ordinum Muneribus vacantibus, vt benemeritis diſtribuantur; Scilicèt de Commendis Majoribus, Clauigerorum Muniis, Dignitatibus, Commendis, Prioratibus, Beneficiis, Rectoriis, Gubernationibus, Præfecturis Munimentorum, Regiminibus, & cuſtodiis majoribus pratorum, ſeu paſcuorum. Sed tamen non conſulit iuxta praxim de Commendis, de Clauigeratu, nec de Præfecturis Arcium. 18

19 Hæc ſanè ingentia ſunt, ſplendore, opulentia, iuriſdictione, & numero. Quippè Senatus poteſtas, ac iuriſdictio ſub ſe continet duas Ciuitates, ducentum viginti vnum oppida, & ſeptuaginta quinque pagos. Iam retulimus *diſq.* 8. Dignitates, & quot Gubernatores Equites, & Iuriſperiti ſint in vnoquoque Ordine Militari; & Arcium præfecturæ: item qui Prioratus, & Vicariæ. Et *diſq.* 10. recenſuimus Commendas trium ordinum. Et *diſq.* 7. enumerauimus Priores iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentes. Hi quidem à Senatu Regi noſtro proponuntur. Rursùs *diſq.* 9. *&* 14. Monaſteria Militaria Virorum, ac Collegia, necnon Monialium Conuentus deſignauimus.

20 In Ordine D. Iacobi annui redditus Commendarum omnium ſunt ducentum triginta mille ducata. Prioratus, Rectoratus, & Beneficia vltra ducentum exiſtunt. Quatuor ſunt itidem Eremitoria, & quinque Hoſpitalia, quæ ſigillatim referuntur ab Ægidio Gouzalez *in Theatro de las grandezas de Madrid*, *pag.* 487. Sicut etiam territoria propria ordinis, in quibus duæ ſunt Ciuitates, & centum ac ſeptuaginta octo oppida, & pagi. Ordini autem Calatrauæ ſunt ſexaginta quatuor oppida, & pagi ſubjecta. Commendarum verò redditus annui centum mille ducata enumerantur. Sub ordinis Alcantaræ dominio ſunt quinquaginta oppida, & pagi. Commendæ verò nonaginta quatuor mille ducata in annuos redditus habent. In vtroque ordine Calatrauę, & Alcantaræ plurimi ſunt Prioratus, & Beneficia. Et prætereà ex tribus ordinibus Capellani honorarij Regis deſignantur; Quatuor ex præſcripto ex Ordine Iacobæo· tres ex Calatrauenſi, & ex Alcantarenſi totidem.

21 Nonnunquam Præfecturæ Arcium, quæ Equitibus Ordinum ſunt deputatæ, aliis ſunt deputatæ, aliis ſunt traditæ, ſed præcedere debere diſpenſationem Pontificiam, ait Ægidius *vbi ſuprà*; At ſaltem in Ordine Alcantaræ Præfecturæ à Rege conferuntur aliis ab ordine abſque diſpenſatione: Similiter impetrata diſpenſatione Pontificia, vni, eidemque plures Cõmendæ ſunt collatæ tum ex eodem ordine, in quo ipſe eſt Profeſſus, tum etiam altera ex eo ordine, altera verò ex alio. Quod, niſi Pontifex diſpenſet, non valet præſtari. Etenim ſatis cautum eſt in ſtatutis, ac definitionibus, Commendas fore concedendas Equitibus ex ipſo ordine, & deindè non niſi vnam cuilibet elargiendam. Quod etiam Iuri, & rationi eſt conſentaneum. Nam Munera, Dignitates, Beneficia, & quævis alia Regularia·Regularibus, ipſis deputantur, reſpectiuè in ſingulis Religionibus; nec datur inter eas communicatio in his, ſicut in priuilegiis; nihilque magis cuivis ordini eſt inuiſceratum, quam inter ſuos ſubditos omnia Officia, & Munera diſtribui. Diſpenſatio etiam requiritur, vt plures eidem Equiti Commendæ conferantur; nam Stututa ac Definitiones, quæ Apoſtolica confirmatione roborantur, id prohibet.

Præter Beneficia, de quibus Rex noſter 22
à Senatu Ordinum conſulitur, alia plura, Rege annuente, ex Senatus ipſius electione, & deſignatione conferuntur, præcedente examine coram ipſo, Cæterùm quando Capitulum Generale congregatum eſt, Capitulum, & Senatus conſultant Regem ſuper quolibet Beneficio conferendo, etiam ex his, quæ Senatus conferre ſolet, quando non eſt Capitulum congregatum.

Certum autem eſt, nihil Eccleſiaſticũ ex 23
his, quæ Rex cum Senatus cõſultatione, aut abſq; illa confert, poſſe alienari, cum id eſſet manifeſtè ſimoniacũ; Sed nec alia Munera, & Officia Ordinum, poſſunt abſque diſpenſatione Pontificia alienari, vt attigimus *ea diſq.* 8. *q.* 4. Etenim ea officia, hoc ipſo quòd iam ſint inſtituta, & erecta, ſeu denuò inſtituãtur, ſunt bona propria ordinũ; at alienare bona propria Religionum, prohibitum eſt in Iure, & per innumeras Bullas Pontificias; ergo nequeunt per venditionem, aut donationem alienari, niſi Pontifex in eo iure poſitiuo Eccleſiaſtico diſpenſet.

Et ſanè ea Officia, ſi vendantur, emptor 24
ea, vt bona propria, ac æſtimabilia pretio, retinet, eiuſque hæredes in illis ſuccedunt; ergo ex ſe ſunt inter bona annumeranda; ſicut inter bona ſua quiſque recenſet officium Tabellionatus, aut Notarij, ſi proprium ipſius ſit, necnon munus Senatoris in Vrbibus, & alia eiuſmodi, quæ quotidie pretio æſtimãtur, ac venduntur. Tunc, ſic ergo ea Officia, antequam per donationem, aut venditionem transferrentur, erant bona ordinum. Nam cuius alterius? Si enim apud emptorem, aut donatarium bona propria recenſentur illa Officia, ſanè etiam apud donantem, ſeu vendentem bona propria antecedenter ſunt iudicanda; imò ex terminis id eſt perſpicuum; Quomodo enim vendantur, niſi ſint pretio æſtimabilia, & conſequenter bona propria. Dices, eſſe bona ipſius Regis, & ex ſe merè temporalia; cur ergo Rex non poſſit alienare; maximè ſi ille ea de nouo inſtituat; Contrà, quia Officia, quæ ad Ordines ſpectant, ſiuè iam olim inſtituta, ſiuè de

nouo

nouo erecta ad regem non attinent, niſi quatenùs eſt Adminiſtrator perpetuus Ordinum; quare eo ipſo quòd ea inſtituat, ipſis Ordinibus vnit, & incorporat; quod patet; nam ſtipendia, & redditus, quibus ea officia potiuntur, ex ipſis Ordinibus emergunt, vel in communi, vel in ſpeciali ex ſubditis, & Vaſſallis ipſorum. Quo pacto igitur poſſit Rex ſua facere, quæ ipſi Ordines pendunt? id enim eſſet ſibi applicare eos redditus, ac ſtipendia, & ius ad illa, tanquam proprium, alienare.

25 Deindè quòd temporalia ſint ea Officia, ſeu nun concernant ad ſpiritualia, non tollit, quo minùs ſint bona ipſorum ordinum, ſupra quorum alienationem tot prohibitiones circumferuntur. Id firmatur, nam quamvis plurimi affirment, quibus ego ſubſcripſi, Commendas concedi titulo temporali, earumque bona, vt iam à Pontificibus applicata Commendatariis, ſapere naturam temporalium bonorum, tamen nemo concedet, poſſe Commendas vendi, aut alienari ab ordinibus abſque diſpenſatione Pontificia, quæ niſi ex vrgentiſſimis cauſis, non eſſet obtinenda; igitur bona ordinum, eſtò temporalia ſint, alienari non valent.

26 Accedit, aliqua officia ex prædictis alienata fuiſſe, impetrata priùs Pontificia diſpenſatione; vnde iudicatum eſt non, aliter id poſſe præſtari. Quin ad alienationem peragendam Rex nuiter cunſenſum à Capitulo Generali non ſemel popoſcit; cum is ſit ſtylus Curiæ, vt ſimiles diſpenſationes expediantur iniungendo, ne præiudicium fiat his, qui ius obtendere valent. Et cum hæc officia ſint propria ordinum, ius in eis datur ad ea retinenda. Ex his cernitur, Senatum ordinum non poſſe vlla officia alienare, nec de alienandis Regem conſulere, imò teneri ad conſulendum, ne per alienationem transferantur, niſi requiſita præfixa concurrant. De ſimili officiorum alienatione videatur Renatus à Valle *in Hiparcho de Religioſo negotiatore, pag.* 13. rem concinnè exornans.

QVÆSTIO III.

De Informationum examine, & approbatione ad Senatum Regium Ordinum ſpectantibus.

27 EXpedita gratia Habitus à Rege noſtro, & monito Senatu per eius Decretum à Secretario ordinum ſubſcripto, Præſes deſignat Informantes, quia iuxta Interrogatorium, & formulam in Statutis, ac Definitionibus præfixam; peragunt Informationes de qualitate ſanguinis, & perſonæ Candidati; & ſummariam relationem ad earum calcem in ſcriptis deprumunt; ac vnus ex illis (cum duo concurrunt, nam Informationes Monialium Militarium vnus peragit, & præterea Fratrum Clericorum, & de harum examine, & approbatione egimus *diſq.*3.) coram ipſo Senatu, ſi à Præſide interrogetur, rationem etiam de Informationibus præbet. Poſtmodum illæ ſecretò leguntur, & examinantur. Approbatio ex omnium Senatorum ſuffragio præſtatur. In Statutis ordinis D. Iacobi *tit.*1. *cap.*11. aſſeritur, Informationes poſſe à tribus Iudicibus videri, quorum vnus ſit Præſes Senatus, vel alius loco ipſius abſentis, & ægrotantis; & non aliter, quàm illis tribus conformiter conſentientibus, approbandas fore. Præſes autem, ſi ægrotet, poteſt ſuſpendere cognitionem Informationum, donec ipſe ſit præſens. Si reprobentur, excluditur Candidatus ab admiſſione in ordinem. Quòd ſi aliquid circa ſanguinis qualitatem adhuc ſub dubio hæreat, vel non exactè, ac plenè fuerit examinatum, & probatum, decernitur noua diſcuſſio, quam *diligentiam* nuncupant, Informantibus iterùm à Præſide deſignatis. Secundas autem Informationes peragi prohibetur in Statutis, & Definitionibus; diſpenſare autem Senatum in hac prohibitione poſſe, conſuetudine eſt inductum, & praxis oſtendit.

Cæterùm, cum de honore, & fama 28
Candidati ex vno capite, & ex alio de Ordinum ſplendore agatur, ſumma iudicij maturitas requiritur, ne vel ob calumniam, odium, aut inimicitias teſtium Candidatus patiatur repulſam; vel è contra, ſi libratis vndique teſtimoniis, & circunſtantiis perpenſatis, ille ſanguinis puritate, aut nobilitate laboret, ne Ordo ſuſtineat detrimentum; præcipuè cum excommunicatio ſit inflicta in eos, qui admittunt, aut cooperantur in admiſſionem eorum, qui impuro ſunt ſanguine, vt *diſq.*3. expoſuimus. Hinc communiter non debent à Senatu admitti facilè libelli abſque nomine contra Candidatorum qualitatem, cum in ſe ipſis ſuſpicionem odij, aut inuidiæ præferant; niſi eæ adſint circunſtantiæ, quæ prudenter inducant ad novum examen peragendum; Etenim, ſi Informationes nihil contineant, vnde reprobari queant, non ſufficiunt eiuſmodi libelli, etiam nomine ſubſcripto, dati, vt reprobentur; cum

ad ſummum indè debeat ad novum te-
ſtium examen procedi.

29 Nec ſufficit vnus, duo, tres, aut etiam
aliqui plures teſtes contra ſanguinis qua-
litatem præbentes teſtimonium in Infor-
mationibus, ſi tamen multò ingentior nu-
merus teſtium detur, qui contrarium aſſe-
rant, & eorum teſtimonia diluant; hæc
enim eſt vrgentior probatio, cui ſtandum
eſt in rigore iuſtitiæ. Quòd ſi poſt accura-
ta, & repetita teſtium examina, adhuc in
ambiguo hæreatur [qui euentus non vide-
tur practicus.] Ordo cernitur poſſidere
ſuum Statutum, & ſplendorem, & Candi-
dato incumbere, probare ſuam nobilita-
tem, aut ſanguinis puritatem, quæ probatio
fit, dum Informationes peraguntur; vnde,
cum eam non probauerit, rejiciendus vi-
detur. Nec dici valet, illum poſſidere, &
contra illum non probari. Quippè eius
poſſeſſio non ſupponitur, ſed inueſtigatur,
& de ipſa poſſeſſione eſt dubium, & am-
biguitas. In Ordine autem ſupponitur poſ-
ſeſſio Statuti; ſed circa hæc, & ſimilia in-
tegri tractatus ſunt exarati ab his, qui ex
profeſſo *de Nobilitate* ſcribunt. Nos non
pauca attigimus *diſq.* 3.

30 Si in Informationibus vnus, aut aliter
teſtis contra Candidatum obloquantur,
cæteris pro illo ferentibus teſtimonium, &
inde Informationes approbentur, tenen-
tur, quotquot aſſiſtunt Senatui, ſub obli-
gatione graui non manifeſtare labem illam
ſanguinis falsò impoſitam Candidato; nam,
eſto Habitum obtineat, indeque eius pu-
ritas, aut nobilitas timoratis, ac prudenti-
bus pateat, tamen apud aliquos poteſt eius
opinio imminui, aut labefactari, vel ſub
ambiguitate perſiſtere, ſi manifeſtetur id,
quod contra ipſum aliquis teſtis depoſuit,
quod in ipſius graue præiudicium vertitur;
& ex iuſtitia datur obligatio non auferen-
di ab illo famam, ac opinionem bonam,
quam poſſidet. Hinc eadem obſtringuntur
obligatione Informantes. Plura circa ſecre-
ti cuſtodiam in ſimili tradidi *tom. de Iure
Academico, lib.* 2. *q.* 17. Informationes à Se-
natu examinatæ aſſeruantur, donec mit-
tantur ad Scrinia ſecreta Monaſteriorum
S. Iacobi de Veles, Calatrauæ, & Alcanta-
ræ, in quibus illæ, quæ ad ſingulos reſpe-
ctiuè Ordines ſpectant, colliguntur. Ibi
enim ſunt Archiuia Ordinum.

31 Aduerte in præſenti, Vrbanum VIII.
die 23. Maij, anno 1624. expediuiſſe Bul-
lam, quæ incipit, *Cum ſicut*, in qua in-
dulget, quòd Informantes Militiarum Hiſ-
paniæ poſſint compellere ad teſtificandum
quaſvis perſonas ſæculares, & Eccleſiaſti-
cas, necnon Regulares, dum non ſint
Monachales. Et Rex Philippus II. die 24.
Ianuarij, anno 1566. ſtabiliuit, quòd Infor-
mantes poſſent compellere, abſque requi-
ſitoriis literis, quaſvis perſonas ad depo-
nendum; & quòd Senatus Ordinum vale-
ret punire quoſlibet, qui falſum depoſuiſ-
ſent. Et noſter Rex Philippus IV. die 14.
Maij, anno 1655. expediuit Decretum
præcipiens, quòd Capitula Eccleſiarum,
Collegia, Monaſteria, Confraternitates,
Conſeſſus Vrbium, & Oppidorum, exhi-
berent, & traderent quævis Inſtrumenta,
Codices, & libros, quos videri in Senatu
Ordinum ſit neceſſe, aut expediens, quo-
ties ab Informantibus poſcantur; Et his
quidem traditur tranſcriptum Bullæ præ-
dictæ, & huiuſmodi Decretorum, vt eis
vtantur.

QVÆSTIO IV.

*Exponuntur alia ad Senatum Regium Ordi-
num pertinentia.*

CVm iuriſdictio Eccleſiaſtica ſit penes 32
Senatum Ordinum, eaque poteſtas,
quæ in ſuis diœceſibus competit Epiſcopis,
modo latè *in ſuperioribus* expoſito, fit, vt
ei aptanda ſint, proportione ſeruata, quæ
illis incumbunt. Aliundè etiam cum Se-
natus ſubeat vices Prælati Regularis, &
ſit veluti Generalis trium Ordinum Mili-
tarium, competunt etiam ei, quæ Prælatis
Regularibus.

Hinc ergo poteſt Senatus Miſſarum, 33
quæ in Monaſteriis, & Collegiis Ordinum
dotatæ fuerint, imminuere onus, ſi reddi-
tus decreuerint (adhuc poſt Declaratio-
nem ſacræ Congregationis editam iuſſu
Vrbani VIII.) ratione communicationis
priuilegij, de quo *diſq.* 9. *quæſt.* 5.

An verò poſſit Senatus reſeruare pro 34
Equitibus, & Clericis Fratribus eos caſus,
qui in Breui Clementis VIII. continentur,
reſeruabiles ab omnibus Prælatis localibus
Religioſis pro ſuis ſubditis, & committere
abſolutionem Confeſſariis determinatis,
cum id ſit quid merè ſpirituale? Videnda
ſunt, quæ diximus *diſquiſit.* 12. *ex n.* 91.

Pertinet ad Senatum, confirmare ele- 35
ctiones Prioris, Vicarij Generalis, & Ma-
giſtri Nouitiorum factas à Capitulo Mona-
ſterij S. Marci Legionenſis; Idem eſt di-
cendum de Prioribus, & Magiſtris Noui-
tiorum S. Iacobi de Veles, & S. Iacobi Hiſ-
palenſis, conſulitque Regem noſtrum de
Senatore

Senatore, qui aſſiſtat electionibus in Monaſteriis de Vcles, & S. Marci. Poteſt etiam præcipere, & conſtringere Priores Militares, v.g. de Alcantara, & de Magacela, vt Vicarios (ſi eis opus habeant) conſtituant Clericos Fratres, & non Clericos ſæculares. Cæterùm in ſententiis proferendis circa omnes cauſas, & negotia, de quibus Statuta, & Definitiones ſunt conditæ, tenetur iuxta illas decidere; cum illæ ſint leges propriæ, & velut municipales, quibus in Ordinibus ſtandum eſt.

36 Nequit concedere Senatus licentiam Militaribus, ad habendum Oratoria in Domibus priuatis; poteſt autem concedere Sacerdotibus, quòd in caſu neceſſitatis, aut ingentis vtilitatis Altari portatili vtantur ad celebrandum: id quippè priuilegium Ordines Militares propter communicationem priuilegiorum cum aliis Religionibus participant, vt tradidimus *diſquiſ.* 12. *ex num.* 132.

37 Si in territoriis Ordinum aliquod Monaſterium ædificandum ſit, ea licentia, quæ ab Epiſcopo eſt obtinenda ad Monaſteria extruenda in aliis diœceſibus, conceditur à Rege noſtro, vt Prælato Ordinum, ſeu à Capitulo Generali, vel à Senatu, vt docent Pereyra *de manu Regia* 1. *part. cap.* 58. *n.* 10. Dom. Zambrana *in allegat. Iur. pro Ordin. Militar. fol.* 13. *num.* 87. Verùm ad Senatum etiam Regium Caſtellæ, vices Regis agentem, ſpectat ea licentia; nam conceſſio illius eſt actus, in quo exercetur *Regalia*, & hanc non exercet Rex, quatenùs Adminiſtrator Ordinum Militarium, ſed quatenùs Regia poteſtate fungens. Id ita fuit in Curia deciſum, vt teſtatur Don Ioannes de Solorzano *in Politica Indiarum, lib.* 4. *cap.* 25. *pag.* 696. Senatus autem Ordinum abſolutè concedere poteſt licentiam, vt Eccleſiæ, Eremitoria, & Xenodochia ædificentur.

38 Collegiorum Militarium, quæ Salmanticæ ſunt, maxima Senatui Ordinum cura, & ſollicitudo incumbit, vt Studia promoueantur, & benemeriti præmia intra, & extra Ordinem obtineant; quod, quantum ipſorum Ordinum interſit, egimus *diſq.* 9. *num.* 64. Pertinet ad eum, licentiam concedere cuivis Collegæ abſentiam à Collegio paranti; necnon eos, qui ſuo muneri non ſatisfaciunt, exindè expellere, atque ad Monaſteria reuocare. Hinc frequenter à Rectoribus Collegiorum ſecretam Informationem de ſubditis expoſcit, vt dignoſcat, quinam ſint Muneribus apti, quinam correctione, aut etiam expulſione digni.

39 Poteſt Senatus Ordinum cogere Clericos Fratres ad Beneficia acceptanda; & examinare eos, qui ab vno Beneficio ad aliud promouentur, ſeruatis his, quæ tradidimus *diſquiſ.* 11. Pertinet ad ipſum licentia permutandi ea Beneficia, quæ ipſe confert; & prætereà deſignatio, examen, & approbatio Vicariorum, qui conſtituuntur in Eccleſiis Ordinum (quæ ſunt intra limites alicuius diœceſis) ratione obitus Parochi proprij, aut impediti, vel propter frequentiam populi; eiſque congruam ſuſtentationem debet deſignare. Ad eundem etiam ſpectat, concedere licentiam prædictis Parochis, vt poſſint, iuxta ſtatutum Tridentini, abeſſe a ſuis Eccleſiis tempore per ipſum præſcripto. Coram ipſo quoque Senatu renuntiatio, ſi facienda ſit, eiuſmodi Beneficiorum debet fieri. De quo ea *diſq.* 11. *quæſt.* 6.

40 Ab eodem Senatu obtinetur facultas ab aliquibus Clericis Fratribus, vt propriis expenſis ad literarum ſtudium commorentur in Collegiis Salmantinis, cum ſint ſupra numerum eorum, qui ad ſingula Collegia ſunt deſignati. Nullus autem etiam ex his poteſt indè abſentiam parare abſque Senatus licentia. Ab eo prætereà, vel à Rege noſtro debent Equites Militares licentiam expoſcere, ſi ſacris Ordinibus velint initiari, aliàs poſſunt puniri. De quo *diſquiſ.* 3. *quæſt.* 15.

41 Ad eundem Senatum ſpectat, punire eos, qui in his Regnis nati à Principibus exteris aliquem Habitum Militarem acceperunt, & illum abſque licentia publicè in Regnis Hiſpaniæ geſtant. Id enim prohibitum eſt per leges Regni. Quin id obſtaculo eſt, vt hi ad aliquem Habitum Militarem Hiſpanum admittantur, exceptis dumtuxat Equitibus, & Clericis Fratribus Ordinis S. Ioannis de quo *diſquiſit.* 12. *ex numer.* 142.

42 Si aliquis admittendus ſit ad Ordinem Militarem, Informationibus peractis per Actus poſitivos, eo quòd gratia conceſſa fuerit ante Statutum conditum in Capitulis Generalibus celebratis anno 1652. quo id de cætero prohibetur, non tenetur Senatus Regius Ordinum (niſi Rex noſter aliud præcipiat) admittere Actum poſitivum Ordinis S. Ioannis; quia, licèt hic ſit valdè honorificus, tamen non expeditur in ipſo Senatu Ordinum, nec in alio Tribunali proprio Regis noſtri; Et aliundè, ſi Aſſemblea non admittat Actus poſitivos aliorum Ordinum Militarium, æquitas, & ratio parem compenſationem expoſtulant. Poteſt autem Senatus eum Actum poſitivum admittere, cum per illum ſanguinis puritas,

& nobilitas conſtent. Demùm generaliter loquendo, nihil eſt Eccleſiaſticum in Ordinibus Militaribus, quod, niſi in his, quæ à Rege noſtro limitantur, & ea, quæ in hoc opere ſunt tradita, non pertineat ad Senatum Ordiuum.

QVÆSTIO V.

Ex quibus conſtituatur perſonis illuſtriſſimus Senatus Regius Ordinum.

43 EX præſcripto conſtituitur Senatus Regius Ordinum ex Præſide, ac ſex Senatoribus, & Fiſcali, qui omnes aliquo ex tribus ordinibus habitu debent eſſe inſigniti, quamvis ob varias circunſtantias, pro arbitrio Regis noſtri ſit, numerum adaugere.

44 Vnus eſt omnium ordinum Secretarius, qui tamen nihil intra ipſum Senatum expedit; Quippè ad Tabelliones Cameræ Senatus attinet expeditio Conſultationum, quæ publicæ ſunt, & eorum quæ ad juriſdictionem ſpiritualem, ac temporalem gubernationem, & iuſtitiam in ordinum territoriis ſpectant. Aſſiſtit ille Conſeſſui, quem vocant *Iunta de Cavalleria*, qui aliquibus diebus congregatur, & nihil in eo, niſi temporale, geritur; duoque adduntur officiales Secretariæ huius Conſeſſus; In officio autem Secretarij tres extant officiales, major vnus, alius ſecundus, poſtremus, quem nuncupant *Entretenido*. Secretarius ſubſcribit Schedulis omnibus circa ordines à Rege ſubſcriptis; ſiuè in his Rex noſter Commendas, aut Habitus conferat (quibus ipſis Senatus monetur de gratia facta, vt ad Informationes Candidatorum, vel ad collationem Commendarum media neceſſaria apponantur, ac Decreta, & tituli per Cameræ Tabellionem formentur) ſiuè in quibuſvis aliis Regio nomine obſignatis. Secretarius etiam Conſultationes ad Regem noſtrum peragit circa merita Militum, & aliorum, qui Habituum ſunt candidati, nam ad illum remittuntur eorum libelli ſupplices. Abſtinet ſe ab Actibus publicis, in quibus aſſidet Senatus, eo quòd iam diu cum Fiſcali Senatus de præcedentia Sedis contendat, nec adhuc cedere velit.

45 Quæſitor major ordinum, ſeu Cenſor rationum, Hiſpanè *Contador mayor*, in Actibus publicis cum Senatu aſſidet, & intra ipſum ſede potitur, cum ad eum ratione negotij alicuius aduenıat. Lictor major ordinum eadem prærogatiua potitur. Sedem etiam ſibi præfixam dumtaxat in Actibus publicis cum Senatu occupant tres Procuratores Generales, ac tres Equites Fiſcales trium Militiarum, & Theſaurarius Generalis Senatus.

Duò intra Senatum aſſiſtunt Relatores Iuriſperiti; alter ad cauſas ordinis D. Iacobi; alter ad cauſas ordinum Calatrauæ, & Alcantaræ. Duo prætereà Cameræ Tabelliones, ſeu Secretarij, ex quibus vnus negotia Militiæ Iacobææ expedit; alius negotia Calatrauenſis, & Alcantarenſis Militiæ. In officio autem Cameræ ordinis D. Iacobi extant officiales; Major, & ſecundus, ſtipendio præfixo gaudentes, ac duo alij abſque eo ſtipendio. In Officio Cameræ Calatrauæ, & Alcantaræ tres officiales aſſiſtunt; Majori, & ſecundo ſtipendium eſt deſignatum, non verò tertio. 46

Sequentes prætereà Munia diuerſa exequuntur; Agens Fiſcalis Aduocatus pauperum. Procurator eorundem. Theſaurarius Generalis Ordinis Iacobæi. Theſaurarius alter ad ipſius ordinis dimidias annatas colligendas, & aſſeruandas. Theſaurarius Generalis Ordinis Calatrauæ, qui ſimul retinet, quod ſpectat ad Munimenta, Hiſpanè *lo Fuerte*, & Regna Aragoniæ, ac Valentiæ. Quinque Theſaurarij Ordinis Alcantaræ. Alius Generalis. Alius reparationum Arcium, & Dumorum territorij de Alcantara, Hiſpanè *Encaſamentos*; Alius reparationum territorij *de la Serena*; Alius Munimentorum, ſeu *de la Fuerte*; Alius demùm Lancearum; Qui omnes Theſaurarij ſunt eorundem ordiuum Equites, ſed nullibi cum Senatu conſident. 47

Eſt deindè Cenſor, & Adminiſtrator Generalis dimidiarum annatarum Ordinis D. Iacobi, cui alius ſuperadditur Cenſor Rationis, Hiſpanè *Contador de la Razon*. Alius rurſus Cenſor Commendarum, Prioratuum, Dignitatum, ac Theſaurorum ordinis Calatrauēſis, & Alcantarenſis. Cenſor alius adminiſtrationum Propriorum, quæ ſunt in ordinum territoriis. Alius Cenſor pœnarum Cameræ, quas Senatus infligit. Alius ſumptuum Iuſtitiæ, & Operum piorum. Tres item Cenſores, qui ſuo ſinguli ordine elaborant inſtrumenta, ſchedulas, & rationes dati, & accepti in Officio Cenſoriæ majoris ordinum. 48

Quatuor ſunt Oſtiarij Senatus; duo Ordinis Iacobæi, quorum alter eſt ex præſcripto, alter ſupernumerarius; duo verò ordinum Calatrauæ, & Alcantaræ. Duo prætereà Lictores, qui Senatui famulātur. Cenſor vnus rationis ſummarum, quæ ex theſauris 49

ſauris ordinum Calatrauæ, & Alcantaræ perſoluendæ à Senatu indicuntur, per chirographa ab ipſo data. Inſuper vices gerens Theſaurarij Generalis Senatus. Ac demùm tres Cancellarij, ſeu Hiſpanè *Cancilleres*, ſingulorum trium ordinum ſinguli. Prædicti omnes (his exceptis quos annotauimus) ſtipendiis annuis ex ordinum facultatibus potiuntur. Apud Senatum autem eſt Regeſtum Generale, in quo exarantur Decreta, ſchedulæ & cætera, quæ inibi peraguntur, in quo facilè reperiri poteſt, quidquid deinceps inueniri ſit opus.

50 Vidiſti iam numerum, grauitatem, rectamque diſpoſitionem Munerum, & officiorum, quæ requiruntur profectò, & quæcumque ad tres Ordines Militares attinent, promptè, exactè, & opportunè tractentur, ac peragantur. Nec enim glorioſa adeò moles ſtare poſſet, niſi his fulcris innixa.

51 Vt autem mireris Senatus ipſius authoritatem, in medium proferre libuit clariſſimos Senatores cum ſuo Præſide, qui hoc ineunte anno 1660. cum ſecundæ editioni hic tomus paratur, Senatum, ac integerrimum Tribunal conſtituunt. Et quamvis ſinguli, iure optimo, longa panegyri nobilitatis, virtutum, ſcientiæ, aliarumque dotium forent celebrandi, (quod ego ſanè præſtarem ex animo, ex debito, ex genio) non tamen id patitur libri huius inſtitutum, & breuitas; quare per ſumma capita eorum Nomina, & Munera libabo.

52 Præſes Regij Senatus ordinum eſt excellentiſſimus Dominus Don Henricus Pimentel Henriquez, Marchio de Tabara; Comes de Villada; Prorex olim Regni Siciliæ, necnon Regni Nauarræ, ac etiam Aragoniæ, inibique Armorum Gubernator; In Lombardia præfectus Generalis belli, In Galleciæ Regno Gubernator, ac Imperator militiæ; Eodemque munere functus in tractu Pacenſi, ac in Caſtellæ Regno; Regis noſtri à cubiculis; Eques Alcantarenſis, & Commendatarius Sancti Spiritus. Quem eximiæ animi dotes ad ingentia hæc Dignitatum euexère faſtigia, & ſuprema Regni Gubernacula ſuo quaſi iure depoſcunt.

53 Senatores ſunt Dom. Don Ioannes Giron, & Zuñiga, in Senatum ſimul ſupremum Caſtellæ coaptatus; Eques Iacobæus, Commendatarius de Pozorubio; olim in Maiori Salmantino Collegio Conchenſi togatus; Pintianus Senator; Fiſcalis Regij Conſilij belli; Menſor diuerſoriorum Regis; & a cubiculis Ferdinandi III. Auſtriaci Imperatoris Auguſti.

54 Dom. Don Antonius de Benavides, Frater excellentiſſimi Domini Comitis de Santiſtevan, nunc poſt alia Munera, Regni Nauarræ Proregis; Eques Alcantarenſis, atque ordinis Diffinitor Generalis: à Cortinis Regis: Archidiaconus de Alcàral, Dignitas in Alma Eccleſia Toletana, Hiſpaniarum Primates; olim in Maiori Salmantino Conchenſi Collegio togatus; & ſereniſſimi Infantis Hiſpaniæ Cardinalis Ferdinandi à ſecretis cubiculis.

55 Dom. Don Ioannes de Eſtrada Manrique; Eques Alcantarenſis: olim in Maiori Ouetenſi Salmantino Collegio togatus; in Academia Cathedræ Decretalium, necnon Clementinarum Moderator: Senatorque Pintianus.

56 Dom. Don Antonius de Piano, & Salamanca Eques Calatrauenſis: olim in Pintiano Maiori ſanctæ Crucis Collegio togatus; itidem Senator Pintianus; huius Senatus ordinum Fiſcalis primùm, deindè Senator.

57 Dom. Don Ferdinandus de Arce: Eques Alcantarenſis: olim in Maiori Conchenſi Salmantino Collegio togatus: Granatenſis Senator; huius ordinum Regij Tribunalis Fiſcalis priùs, poſtmodùm Senator.

58 Dom. Don Ioannes Golfin, Eques Calatrauenſis: olim in Maiori Conchenſi Salmantino Collegio togatus: Cathedræ Clementinarum in ea Academia Moderator, ac Senator Granatenſis.

59 Dom. Don Gabriel de Chaues, Eques Iacobæus: olim in Collegio Salmantino Maiori Ouetenſi togatus: itidem Moderator Cathedræ Veſpertinæ Iuris Cæſarei: Pintianus Senator; nunc huius Regij ordinum Senatus Fiſcalis.

DISQVISITIO XVIII.

APPENDIX MISCELLANEA.

Prodit ſecundò in publicam lucem hic Tomus ; poſt cuius primam editionem non pauca ſeſe obtulerunt addenda , tum ex his , quibus aliqui doctiſſimi Authores recenter in ſuis ſcriptis meas opiniones , me relato , impugnarunt , tum ex caſibus , qui denuò acciderunt ; quæ nunc exponemus.

QVÆSTIO I.

An qui non acceptabit duellum , impedimentum contrahat , ne admittatur in ordinem equeſtrem Iacobæum ?

1 SVPPONENDA ſunt , quæ attuli *ſuperiùs diſquiſit.* 3. *ex num.* 15. de ea interrogatione , quæ in informationibus candidati ordinis equeſtris Iacobæi fit , an ſcilicèt ille prouocatus ad duellum nun acceptauerit illud ? & prætereà ea , quæ de acceptione duelli aſſerui *ſuprà diſquiſit.* 12. *ex num.* 96. & ex dictis *ibi* firmiter eſt aſſeuerandum , eum , qui duellum non acceptat , vt legi diuinæ , & præceptis Pontificum , & Conciliorum obediat , adeò longè eſſe , vt non debeat in ordinem equeſtrem D. Iacobi admitti, quòd potiùs eximia laude ſit digniſſimus , mereaturque proptereà ei ordini adſcribi , aliis qualitatibus concurrentibus ; & ſic ſub grauiſſimo peccato lethali debent id decernere Senatores, ſi in informationibus conſtet , candidatum non acceptaſſe duellum ; vt legum Chriſti, & Eccleſiæ obſeruatorem; nec àliter poſſunt iudicare, quin obnoxij ſint reſtitutioni honoris , quem ab eo iniuſtè auferunt , & detrimentorum , quæ indè ſequantur. Nunc id ampliùs firmemus , & aliqua ſuperaddamus.

2 Inprimis Azeuedo cum pluribus *in leg.* 10. *num.* 19. *tit.* 8. *lib.* 8. *Recopilat.* docet , nullum ducem Militiæ , nec Equitem , nec vllum alium conſcium praxis legum duelli poſſe declarare , prouocatum ad duellum , & non acceptantem illud manere aliquo dedecore notatum. Hinc fit , nullum dedecus candidato Ordinis Equeſtris Iacobæi impingi ex eo , quòd non acceptet duellum ; ergo nullam inhabilitatem contrahit , vt in ordinem admittatur , ſiquidem ſolum dedecus ex non acceptatione proueniens poſſet eum inhabilem reddere, cum aliud non ſuperſit caput, ob quod non acceptatio inhabilitatem inducat. Niſi fortè apertè conſtaret , eum non acceptaſſe duellum dumtaxàt ob ignauiam , puſillanimitatem , & timorem ; tunc enim indicaretur ille ineptus ordini , in quo profeſſio ad militandum cum hoſtibus Fidei ; & Eccleſiæ dirigitur ; nec etenim ignauus aptus eſt ad pugnandum in bello, & vitam ſuam periculis obiiciendam ; quod iam attigi *ſuperiùs diſquiſit.* 3. *num.* 17.

In propriis autem quæſtionis terminis 3
Don Ioannes Baptiſta de Larrea *in allegat. fiſcal. part.* 2. *allegat.* 117. *num.* 44. affirmat nihil prorsùs nocere ad admiſſionem in Ordinem Equeſtrem , non acceptaſſe duellum. Subjunxitque *num.* 46. caſu , quo id nocere poſſet, dumtaxàt fore in euentu, in quo pro bono communi , authoritate Principis, committeretur alicui equiti duellum , quod in his circunſtantiis non acceptans cenſeretur indignus habitu Militiæ Equeſtris. Cæterùm ego hanc duelli commiſſionem ſolùm iudico licitam in bello, cum ad terminandum illud duellum indicitur ; ſeu ad debilitandos hoſtium animos, & roborãdos proprios Milites ; cũ tunc duellum ſit pars belli , & ad victoriam conducat , honeſteturque eiſdem rationibus, quibus ipſum bellum , & cædes , ac damna in illo contingentia honeſtantur , vt tradidi *in ſtatera opinionum benignarum* , *diſſert.* 1. *num.* 266.

Propoſui *loco relato in ſtatera opinionum* 4
benignarum ex num. 233. ſententias circa quæſtionem celebrem , an liceat aliquando viro nobili prouocato ad duellum , acceptare illud , necnon & an liceat in aliquo caſu prouocare ad illud ? Deindè *ex num.* 239. diſcuſſi fundamenta ſententiæ affirmantis. *Ex num.* 252. expoſui ſententiæ negantis

negantis rationes. Ex *num.* 261. meum iudicium pro negante tuli ; & ſimul non paucos examinaui ſpeciales caſus. Demùm ex *num.* 273 propoſui medium efficax, & facile ad extirpanda omnino duella, vtpotè legi Dei, ſanctionibus Eccleſiaſticis, & nouæ legi noſtri Caſtellæ Regni contraria, & grauiſſimorum cauſas damnorum, cædium, inimicitiarum, dæmonis inuenta, naturæ rationali diſſona, à Sanctis Patribus damnata, & grauiſſimis ſub pœnis prohibita. Vtinam illud medium, qui poſſunt, exequantur. Videnda hæc omnia *ibi* ſunt, ne ea repetantur. Sat ſit enuntiare, longiſſimum à ratione eſſe, quòd nec per vmbræ ſpeciem impedimentum eſſe valeat ad ingreſſum in Ordinem Militarem Equeſtrem Iacobæum non acceptatio duelli, cum potiùs tum prouocatio, tum acceptatio ſint deteſtandæ, extirpandæ, & penitùs odio, ac pœnis proſequendæ.

5 Hinc ne occaſio fortè ſcandali detur his, qui ignorant, (& quidem ſunt plurimi) quid intendatur per eam interrogationem, quæ fit pro Candidatis Ordinis Equeſtris Iacobæi, an ſcilicet non acceptauerint duellum, & arbitrantur, implicitè iudicari iuſtam acceptationem duelli, cum aliàs id non interrogaretur, indeque fortè aliqui, ne inhabiles fiant ingreſſui in præfatum Equeſtrem Ordinem, duella acceptent prouocati; Cenſerem, conſulto Rege noſtro, Adminiſtratore eius Ordinis, oportere, eam interrogationem mutare, & ad ſenſum, qui in ea intenditur, reuocare; Nempè interrogando à teſtibus, an ſciant, Candidatum eſſe virili animo præditum, non reformidare pericula, quæ fortè contingant, & aptum eſſe ad pugnandum contra Fidei hoſtes, non ignauum, nec formidoloſum ? Hac interrogatione loco alterius appoſita, finis obtinetur; nec anſa ſcandali puſillis miniſtratur, & tollitur è medio ſpecies illa apparens, qua duella licita eſſe ignari, aut non multùm gnari poſſunt ſuſpicari, vel cenſere.

6 Nec ad hanc mutationem peragendam officit, ſi dicatur, eam interrogationem ab exordio Ordinis dimanare, & omnibus rectò ſæculis perſtitiſſe, nec expedire quidquam detrahere de auito, & antiquo more. Etenim ea interrogatio iniuncta fuit in exordio Ordinis, cum in Hiſpania quotidie cum Saracenis, & Mauris decertabatur, & cum illis duella frequentia parabantur, ad quæ interrogatio tunc reſpexit. Poſtmodùm Mauris ab Hiſpania eradicatis, perſtitit interrogatio, nec de ea curatum eſt, nec propter illam in memoria hominum extat, quenquam amiſiſſe honorem ingreſſus in ordinem Iacobæum. Iam verò, dum incommoda magis expenduntur, quæ ex illa valent oriri, par eſt, vt obuiam eis eatur ; & cum ipſæ leges ceſſent, cum finis earum ceſſat, etiam ea interrogatio, fine deficiente, debet ceſſare; maximè cum finis, qui nunc poteſt intendi, per aliam interrogationem mitiorem, & vt apparet, magis aptam, nullique puſillorum ſcandalo obnoxiam ſuppleatur. Nec nouum eſt, in Interrogatoriis Ordinum Militarium vnum, vel alterum immutare, addere, aut tollere; quin & in ipſis Informationibus per aliquod tempus vidimus Actus poſitiuos nobilitatis admitti, qui nunc non admittuntur, & alia huiuſmodi. Hæc quidem ego propono; iudicium ipſius Ordinis ſemper venerari, ac tueri paratus.

QVÆSTIO II.

De poteſtate Priorum Militarium ad conſecrandum Aras, Vaſa ſacra, & Eccleſias.

QVia poſt primam huius Tomi editionem P. Gabriel de Henao *part.* 2. *de Sacrific. Miſſæ, diſp.* 27. *ex num.* 75. Me impugnauit, & quæſtionem hanc eruditione, qua ſolet, diſcuſſit, ad eam redeo, eiuſque argumenta enodare conabor. Partem affirmatiuam tradidi *diſquiſ.* 7. *n.* 126. Meum id eſt fundamentum. Prioribus Militaribus iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentibus, & inſuper petentibus benedicere populum ſolemniter poſt Officia diuina ; ac celebrare in pontificalibus, vtendo mitra, & baculo, (qualiter poſſunt aliqui Priores, vt eſt conſtans) licent iure communi ea omnia, quæ Epiſcopis, eademque qua illi poteſtate, & iuriſdictione funguntur, niſi in his, quæ ſpecialiter Ordinem Epiſcopalem exigunt ; Sed conſecratio Aræ, Eccleſiarum, & Vaſorum Sacrorum non exigit Ordinem Epiſcopalem ſpecialiter, & priuatiuè ; ergo ea poteſtas conſecrandi licet, & competit præfatis Prioribus. Major propoſitio eſt principium, quod ieci, & ſatis probaui *hoc tomo, pluribus locis*, nec ei P. Henao reſiſtit. Minor probatur. Si eiuſmodi poteſtas conſecrandi eſſet priuatiuè propria Epiſcoporum, nullus alius, niſi ipſi, poſſet conſecrare; alij autem, præter ipſos, conſecrant Aras, & Vaſa ſacra, nempè Abbates Benedictini, & Ciſtercienſes, ac ſimiles, vt omnibus innoteſcit ; Cur igitur 7

non

non poſſint idem præſtare Priores prædicti
Militares? Maximè cum Priores Calatra-
uenſes, & Alcantarenſes, (eſtò nunc nul-
lus Prior Calatrauæ detur) ſiut veluti Ab-
bates Ciſtercienſes; Vnde quamvis ex
priuilegio competat ea poteſtas illis Abba-
tibus, poteruut ea vti Priores tum propter
æquiparationem omnimodam in Dignita-
te, tum ob communicationem priuilegio-
rum cum illis. Quare ſi ex Iure communi
ea poteſtas Abbatibus, & Prioribus huiuſ-
modi Militaribus non competat, ex priui-
legio pari competet vtriſque.

8 . Hoc aſſertum denuò confirmo primò
ex ipſo P. Henao, qui *vbi ſuprà num.*77. ſic
ait; *Dico quartò, ſi conſtet, Priores præfatos
Ordinum Militarium habere communicatio-
nem in omnibus priuilegiis Ciſtercienſium, fo-
re, vt poſſint, quod ait P. Mendus. Sed Ma-
chado apud ipſum deſiderat communicationem
in hoc priuilegio: Ego nec poſſum eam affirma-
re, nec negare. Examinent eam illi, quorum
interfuerit vſus priuilegij.* Sic argumentor.
Poſſunt, vt ille fatetur, Priores Militares
conſecrare Aras, & Vaſa ſacra, ſi commu-
nicent omnia priuilegia Abbatum Ciſter-
cienſium; At ea communicant; ergo poſ-
ſunt. Probo minorem. Pontifices declara-
runt, Ordinem Calatrauenſem, & Alcan-
tarenſem eſſe Ciſtercienſes, vnde non
per participationem gaudent priuilegiis
Ordinis Ciſtercienſis, ſed ea directè illis
competunt, quia in ipſo Ordine Ciſtercij,
quaſi membra propria ſunt incorporati, vt
conſtat ex his, quæ adduxi *hoc tomo, diſqui-
ſit.9. quæſt.*10. *& tota diſquiſit.*2. *& diſquiſit.*
1. *quæſt.*7. *&* 8. Et quaſi propria ipſius Or-
dinis Alcantarenſis (quod idem præſtare
poteſt Calatrauenſis) in tomo Bullarum, &
Priuilegiorum ipſius Ordinis apponuntur
priuilegia, & Bullæ Ordinis Ciſtercienſis
*ex pag.*181. *vſque ad* 222. Nec ob aliam ra-
tionem per innumeros annos Abbas Ci-
ſtercienſis Morimundi Prælatum præfecit
Monaſterio Calatrauæ Monachum Ciſter-
cienſem, niſi quia id Monaſterium eſt eiuſ-
dem Ordinis, ſicut & Monaſterium Mon-
teſæ, cui Monachus præficitur; Et in Ca-
pitulis Generalibus Ciſtercij Calatrauenſes
in Ordinem ipſum fuerunt admiſſi, &
coaptati. Rursùs Ordines Militares inter ſe
communicant priuilegia omnia, vt liquet
ex Bullis, quas retuli priùs à me perlectas,
*ea diſquiſit.*2. Igitur abſolutè datur condi-
tio, ſub qua aiebat P. Henao, poſſe illos
Priores Militares Vaſa Sacra conſecrare.

9 Quin ex dictis, & ex ipſo Authore, ad-
huc firmiùs arguo circa Priores Alcantaræ,
& Calatrauæ; (cùm detur), Abbatibus Ci-
ſtercienſibus competit poteſtas conſecran-
di Vaſa Sacra; ſed illi Priores ſunt Abbates
Ciſtercienſes, abſque vllo prorsùs in Di-
gnitate diſcrimine, ſed ſolùm pro nudo
arbitrio, mutato nomine Abbatum in no-
men Priorum; ergo ſiue ex Iure communi,
ſiuè ex priuilegio pontificio Abbates va-
leant conſecrare Vaſa Sacra, ex eodem ca-
pite, & titulo valent Priores Militares.
Diſcurſus eſt legitimus. Minor conſtat ex
iam poſitis, nempè quòd Ordo Calatra-
uenſis, & Alcantarenſis ſunt idem Ordo
Ciſtercij, ac membra illius; & Monaſteria
Calatrauæ, & Alcantaræ ſunt Monaſteria
Ciſtercienſium, quare eorum Prælati ſunt
Abbates Ciſtercienſes, mutato nomine;
nempè vocantur Priores, ſicut Prælati in
Monaſteriis Monachorum vocantur Ab-
bates.

Hanc autem nominis diuerſitatem nihil 10
obſtare, probo, & ſecundò confirmo aſſer-
tum ex ipſo P. Henao, qui *num.*78. ait,
caſu quo Abbas Morimundi conſtitueret
Monachum Priorem Monaſterij Calatra-
uæ, vt per tempus immemoriale præſtitit;
*Tunc diſputationi adhuc ſubiectum fore, an
poſſet conſecrare Altaria, & Vaſa Sacra, ſi-
quidem non eſſet Abbas, ſed Prior? Quan-
quam ex alia parte videri queat nimis acci-
dentale, quòd non Abbas, ſed Prior vocaretur,
cum tamen haberet ſimilem, & parem digni-
tatem, quam Abbates Ciſtercienſes in ſuis
Monaſteriis, & præterea iuriſdictionem quaſi
Epiſcopalem in vtroque foro.* Qua ratione ad-
ducta, nihil ei contrarium ſubnectit,
oſtendens, ſe ei aſſentire. Tunc ſic. In
Prioribus eſt ſimilis, & par dignitas, ac in
Abbatibus Ciſtercienſibus, & iuriſdictio-
ne illi quaſi Epiſcopali in vtroque foro po-
tiuntur, & præterea ipſi ſunt Ciſtercien-
ſes; ergo nimis accidentale eſt, quòd vo-
centur Priores. Nec obſtat, in caſu poſito,
Monachum fore conſtituendum Priorem;
tum quia, vt aſſeruimus, etiam illi Priores
ſunt Ciſtercienſes, & ex eodem Ordine,
cuius eſſet ille Monachus; tum quia ratio-
ne paris dignitatis, & iuriſdictionis cum
Abbatibus poſſet ille conſecrare Vaſa, &
non ratione Monachatus. Nam pone, Ab-
bati Morimundi liberum relinqui, quòd
Priorem præficiat Monaſterio Calatrauæ,
ipſumque in Priorem eligere Clericum
Fratrem Calatrauenſem, vtpotè ex ſuo
Ordine membrum, & ex ſua Filiatione
alumnum, (ſicut enim Monaſteria aliqua
erant filiationes aliorum, ita Monaſterium
Calatrauæ à Capitulo Generali Ciſtercij
datum eſt in Filiationem Monaſterij Mori-
mundi.) Quis dubitet, hunc Clericum
Fratrem

Digitized by Google

Fratrem Priorem poriturum fore eiſdem prærogatiuis, ac Monachum Priorem? Nequit reperiri diuerſitatis vllum caput. Ergo ſi ille Monachus Prior poſſet conſecrare Vaſa ſacra, poteſt & Clericus Frater Prior, quicumque eadem iuriſdictione potiatur. Vndique igitur firmum eſt, Priores Militares præfatos valere conſecrare Vaſa ſacra; tum quia aliqui ſunt Ciſtercienſes, quibus directè, & immediatè competunt priuilegia Abbatum Ciſtercienſium, quibus ea poteſtas conſecrandi eſt conceſſa; tum quia per Bullas Pontificias conſtat, communicare Ordines Militares priuilegia aliorum Ordinum inter ſe, tum reſpectiuè ad perſonas, tum ad Communitates, dum perſonæ capaces ſint illorum, capacitas autem Priorum Militarium dignoſcitur in iuriſdictione quaſi Epiſcopali pro vtroque foro, & in benedictionis ſolemnis ebilatione, ac vſu Pontificalium in Miſſæ celebratione; tum demùm quia nomenclatura Prioris, & non Abbatis, ſub omnibus circunſtātijs traditis, vt pote quid ad rem valdè accidentale, nihil penitùs obſtat.

11 Sed ait P. Henao cum Franco, Ancharano, Geminiano, Aſcanio, P. Azor, Suarez, Vazquez, Pellizario, Fagundez, Fr. Emanuële Rodriguez, Barboſa, & Muſtr. D. Didaco Frances de Vrritigoyti, ex Iure communi Abbatibus non competere poteſtatem conſecrandi Vaſa ſacra, nec textum inueniri in Iure, ex quo ea colligatur; & quamvis in Iure ſit ſtabilita eorum poteſtas in pluribus textibus ac conferandam primam tonſuram, & Ordinis minores, ex vna facultate non argui efficaciter ad aliam, neque ſubordinatam, neque eiuſdem rationis. Rationem eam affert, quia conſecrare Vaſa ſacra eſt actus Ordinis Epiſcopalis ex inſtitutione Eccleſiæ, & Iure communi, ac eo ipſo non poteſt eſſe actus alterius non Epiſcopi ex munere proprio, & Iure communi; aliàs etiam eſſet actus Prouiſoris, Sede vacante. Addit, competere poteſtatem Abbatibus ex priuilegio, non arguere, eam non eſſe priuatiuè Epiſcoporum, ſed ſolum Pontificem voluiſſe ex peculiari gratia eam Abbatibus communicare; ſicut non tollit, eſſe actum priuatiuè proprium Epiſcoporum, conferre Sacramentum Confirmationis, cuius ille eſt proprius, & ordinarius Miniſter ex iure diuino Chriſti D. quòd Pontifex cōcedat Presbytero ſimplici facultatem miniſtrandi id Sacramentum, vt non ſemel Pontifices conceſſerunt. Et quidem in his conceſſionibus non ſupplet Pontifex id, quod eſt Ordinis Epiſcopalis, nam ea, quæ ſunt Ordinis, ſupplere non valet; ſed de plenitudine poteſtatis Pontificiæ indulget eum actum alijs non Epiſcopis, & concedit, vt ſit actu Miniſter extraordinarius is, qui ex ſe eſt capax, & aptus ad illum exercendum.

In primis ex toto hoc diſcurſu non infertur, ſaltem ex priuilegio conceſſo Abbatibus Benedictinis, & Ciſtercienſibus, quod vel æquè directè competit præfatis Prioribus Militaribus, vel ab eis communicatur, non licere his, conſecrare Aras, Vaſa ſacra, hiſque ſimilia. Quare poteſtas Priorum eiuſmodi ad eam conſecrationem non mira videri debet, ſed potiùs affirmari, ſiuè illa ex capite hoc, ſiuè ex illo proueniat; Et ſicut abſolutè aſſerimus, Abbates prædictos gaudere poteſtate conſecrandi Vaſa ſacra, ita abſolutè eſt enuntiandum, præfatos Militares Priores eadem poteſtate gaudere; idque ſaltem habebimus, quamvis aliud caput, vnde eis prouenire valeret ea poteſtas conſecrandi Vaſa ſacra, ſcilicèt ex Iure communi, deficeret. Quare in probatione mei aſſerti *loco relato*, non ſolùm vſus ſui ea ratione Iuris communis, ſed ea, nempè quòd Priores eiuſmodi ſint quidam Abbates Ciſtercienſes, eodemque modo vtriſque competere poteſtatem conſecrandi Vaſa ſacra. Vndè id intendi, quòd negantes, hanc poteſtatem competere Prioribus ex Iure communi, faterentur, eis competere ex priuilegio, quod ſufficit, vt obtineatur præcipuus ſcopus, & aſſertio abſolute prolata de poteſtate conſecrandi Vaſa ſacra in eis exiſtente, ſit vera. 12

Deindè ex Iure communi competere 13 prædictis poteſtatem conſecrandi, probabilis Authoritas, & ratio ſuadent. Authores ſunt Sylueſter, Tabiena, & Armilla, quos ipſe P. Genao *num.* 76. afferr pro opinione aſſerente, ex Iure communi alijs, quàm Epiſcopis, eam congruere poteſtatem; necnon P. Beauni ab eodem allatus *num.* 79. probans, eiuſmodi poteſtatem non eſſe annexam Ordini Epiſcopali. Hinc deſumitur. Poteſtas conſecrandi Vaſa ſacra non ita eſt Ordini Epiſcopali annexa, vt Epiſcopus ſit ſolus Ordinarius Miniſter illius; ergo competit his, quibus ex Iure communi competunt omnia, quæ ad Epiſcopos attinent, exceptis his, quæ ſunt propria Ordinis Epiſcopalis. At hi ſunt, qui potiuntur iuriſdictione quaſi Epiſcopali, pro vtroq; foro, inter quos recenſētur Priores aliqui Militares, ergo his Prioribus competit facultas conſecrandi Vaſa ſacra.

Tota ratiocinatio tenet, ſi ſuadeamus, 14 eam poteſtatem non eſſe ita Ordini Epiſ-

copali annexam, vt ſolus Epiſcopus ſit Miniſter ordinarius eiuſmodi functionis conſecrandi vaſa ſacra. Id mihi ſuadetur primò, quia ſi Epiſcopus eſſet ſolus Miniſter ordinarius, non tot aliis conceſſum fuiſſet à Sede Apoſtolica, quòd eſſent Miniſtri extraordinarij, nec per longam temporis ſucceſſionem; qualiter in perpetuum conceſſum eſt omnibus Abbatibus Benedictinis, Ciſtercienſibus, Abbatibus Benedictis ſæcularibus, & ſimilibus. Etenim ipſa vox *extraordinarius Miniſter* fert ſecum, quòd rarus ſit, & in caſu vrgenti neceſſitatis, aut propter aliquam ingentem cauſam. Id in exemplo allato à P. Henao, cernitur; nam eo quòd Epiſcopus ſit ordinarius Miniſter Sacramenti Confirmationis, rariſſimè Sedes Apoſtolica alium non Epiſcopum, nec ipſoſmet Abbates, deſignauit in Miniſtrum extraordinarium, etſi ius euoluamus, necnon & hiſtorias, ter, aut quater, totis æuis præteritis id fuiſſe præſtitum reperiemus; exigenteque id ſumma neceſſitate, veluti in remotiſſimis Indiarum partibus, quò Epiſcopus nullus accedebat; ſi ergo Sedes Apoſtolica non vtitur plenitudine ſuæ poteſtatis ad deſignandum Miniſtrum Sacramenti Confirmationis, quòd non minùs neceſſarium eſt, quàm conſecratio vaſorum Eccleſiæ, eo quòd Epiſcopus ſolus ſit Miniſter ordinarius illius; Quomodò eidem rationi non attendit in deſignandis ex priuilegio, vtens plenitudine ſuæ poteſtatis, tot, tamque innumeris Miniſtris extraordinariis functionis conſecrandi? Et quidem plures ſunt Miniſtri extraordinarij, quàm ordinarij in ſententia oppoſita, cum plures ſint Abbates, quàm Epiſcopi, ſaltem in noſtra Hiſpania. Profectò mihi abſurdum apparet, ſolos Epiſcopos eſſe Miniſtros ordinarios conſecrandi vaſa Eccleſiæ, & Aras, idque eſſe proprium ſolius Ordinis Epiſcopalis, & plures quàm ipſos conſtitutos fuiſſe à Pontifice Miniſtros extraordinarios de plenitudine poteſtatis.

15 Suadetur deindè, quia id competit vniuerſaliter omnibus Abbatibus, eſtò habuerit ortum ex priuilegio, iam factum eſt ius commune, & in iure communi inſertum reputatur; Quod à paritate probatur, nam iam ex iure communi dicitur, poſſe Abbates benedictionem ſolemnem populo impertiri poſt diuina Officia, illam nempè, quæ incipit; *Sit nomen Domini &c. Adiutorium noſtrum in nomine Domini*; & tamen huius benedictionis impertiendæ conceſſio ortum ex priuilegio habuit, vt notat Syluester *in ſumma, verbo benedictio, num. 1.* Et ſimul extat inſerta in iure communi, & ex priuilegio proueniſſe notatur, vt videre eſt *in cap. miniſtrare 26. q. 6. in cap. cum ad celebrandas de conſecrat. diſt. 1. in cap. accedentibus de exceſſibus Prælator. in cap. Abbates, de priuileg. lib. 6.* Ergo ſimiliter, cùm ea conceſſio poteſtatis conſecrandi vaſa ſit perpetua, & annexa Abbatibus, qui plures adhuc ſunt, quàm Epiſcopi, ex iure iam communi prouenire cenſenda eſt, quamvis à Priuilegio exordium ſumpſerit; ſicut poteſtas benedicendi ſolemniter populo admittitur à iure communi concedi, quamvis originem nacta fuerit ex priuilegio. At P. Henaò ſolùm admittit ex priuilegio Clementis VII. expedito anno 1530. in Bulla, quæ incipit, *Romani Pontifices*, poſſe Priores Alcantaræ, & Magacelæ, Alcantarenſis Ordinis benedictionem ſolemnem impertiri. Verùm ſi vt competat ex iure, deſiderat iura, videantur textus allati *nuper*, & quod Abbatibus conceditur, Prioribus, ſaltem Ordinum Militarium Ciſtercienſium, qui ſunt quidam Abbates Ciſtercienſes, conceſſum fuiſſe, iam *ſuprà* ſtatuimus, quod ſtrictiùs aptatur Prioribus Monaſteriorum.

Difficilius eſt; an poſſint conſecrare Eccleſias, cum hanc poteſtatem, etiam Abbatibus, negent Tamburinus, & alij. Equidem ſi poſſunt conſecrare Aras, à paritate, & ab æquiparatis ea poteſtas ſatis, vt apparet, probabiliter inducitur; indeque conjunxi conſecrationem, & Eccleſiarum, quamvis conſultò non inſtiterim in conſecratione Eccleſiarum. 16

QVÆSTIO III.

An Clerici Fratres Ordinum Militarium poſſint edere oua, & lacticinia virtute Bullæ Cruciatæ in jeiuniis Quadrageſimæ?

POſt primam huius tomi editionem, incidi in duos Authores, quorum vnus 17 Fr. Barnabas Gallego ſectatur meum aſſertum traditum *diſquiſ. 12. ex num. 146.* quòd nempè Clerici Fratres Militiarum poſſint edere oua, & lacticinia tempore Quadrageſimæ virtute Bullæ Cruciatæ. Ita habet *in explicat. Bull. dub. 58. poſt medium.* Alter verò, Fr. Ioannez Martinez de Prado *tom. 1. Theolog. Moral. quaeſt. 8. §. 3.* reiicit illud, & mea impugnat fundamenta; Ac *num. 13.* ait, conſuetudinem edendi oua, & lacticinia in Monaſteriis Militarium Ordinum, videri

videri ortum habuiſſe ex priuilegio Leonis X. & ſecurè in praxi exerceri, ſi legitimè præſcripſit. Et concludit, non eſſe improbabilem ſententiam à me traditam, quam Baſilius Legionenſis, & alij Magiſtri Salmantini de hoc conſulti.

18 Impugnat igitur mea fundamenta primò, quia in Bulla Hiſpana aſſeritur; poſſe gaudere priuilegiu edendi oua, & lacticinia *Todos los Caualleros de las Ordenes Militares*, indeque me diſtrahere eam vocem *Caualleros* à propria ſignificatione, dum ſub illa Clericos Fratres compreheudo. Hoc quidem mihi nec in mentem venit, quin potius aſſero, in Bulla Latina ſic extare; *Et ſub hoc indulto veſcendi carnibus, & ouis, & lacticiniis comprehenduntur omnes cuiuſvis militiæ Regulares*; At Clerici Fratres ſunt Regulares Militiarum; ergo ſub indulto veſcendi ouis, & lacticiniis comprehenduntur. Conſequentia eſt euidens; Major; Sunt ipſius Bullæ verba. Minor abſque temeritate nequit negari. Cum per innumeras Bullas Pontificias ſit definitum, nec vllus vnquàm id dubitauit. Non ergo meus diſcurſus poteſt labefactari. Quòd autem in Bulla Hiſpana vox *Regulares* vertatur *Caualleros*, nihil omninò obſtat, cum non poſſit ſenſus mutari, qui extat in Bulla Latina, vt notaui *ſuprà num.* 37. Et ſanè mutaretur, ſi à voce *Regulares* excluderentur Clerici Fratres, & ſoli Equites ſub illa comprehendi intenderetur. Et cum hanc doctrinam de non mutando ſenſu verborum Bullæ Latinæ tradidiſſet Martinez de Prado §. 2. *num.* 9. & tranſcripſiſſet *num.* 11. verba Bullæ Latinæ, & Hiſpanæ, & meum fundamentum *nuper* præfixum attuliſſet, non video, quo pacto aſſerat, me diſtrahere vocem *Caualleros* à propria ſignificatiune. Potiùs ſic impugnat Commiſſarium Generalem, qui cum ſupponatur non mutare, nec poſſe mutare ſenſum Bullæ Latinæ, voluit ſub ea voce *Caualleros* comprehendere omnes Regulares Militiarum, etiam Clericos Fratres. Tandem ipſe agnoſcit mutationem ſenſus in Bulla Hiſpana, & ſtandum eſſe verbis Bullæ Latinæ, ex quibus meum aſſertum deducitur, vt fatetur *num.* 13. *in vltimis verbis*, vbi ſe refert ad dicta *num.* 9. in quo tradiderat doctrinam de non mutando ſenſu verborum Bullæ Latinæ.

19 Sed ait; *Iſti Fratres adhuc in Bulla Latina non expreſſè comprehenduntur, quia Religio per ſe primò reſpicit Equites, & Commendatarios, & alij ſolùm ſunt, quaſi Coadjutores, & Capellani aliorum.* Videat alius, an hæc doctrina poſſit ſuſtineri, ſcilicèt Clericos Fratres Militares non comprehendi expreſſe ſub hac voce *Regulares Militiarum*; cum tot Bullis Pontificiis clarè, & abſque tergiuerſatione decernatur, eos eſſe abſolutè, propriè, & ſtrictiſſimè Regulares; Quin controuerſia his temporibus celeberrima ea ſit, an Equites Militiarum (exceptis Equitibus Ordinis ſancti Ioannis, quos Religiuſus eſſe conſtat) ſint propriè Religioſi, cum poſſint nuptias contrahere, & Majoratus, ac proprietatem bonorum ſuorum habeant; cum quo non poſſe ſtare propriè Religionem, docet D. Thomas 2.2. *quæſt.* 186. *art.* 1. & 4. Et ideò Equites Militares non eſſe propriè Religioſos, tuentur Fr. Dominicus Soto, Aragon, Ledeſma, Ioannes de la Cruz, & alij viginti quinque Anthores, quos retuli *hoc tom. de Ordinib. Militar. diſquiſ.* 2. *quæſt.* 2. *num.* 48. & *tota ea diſquiſit.* Hanc controuerſiam latiſſimè ventilaui. Et cum adhuc huius deciſio ſub lite ſit, nunquam dubitatum eſt, Clericos Fratres eſſe ſtrictiſſimè Regulares. Et tamen affirmat Martinez de Prado, ſub voce *Regulares cuiuſvis Militiæ*, primò & per ſe comprehendi expreſsè Equites, de quibus dubitatur, an ſint Regulares, & in ſententia D. Thomæ. & plus quàm triginta Authorum Regulares non ſunt; & primò, & per ſe non comprehendi Clericos Fratres.

Deindè Religiunem Militarem per ſe 20
primò reſpicere Equites, & Commendatarios ſolùm, & plus quàm falſum. Primò, quia non poteſt ſecundariò, & non per ſe, reſpicere Religio eos, qui indubitanter ſunt Religioſi; & primò, ac per ſe eos, de quibus dubitatur, an ſint Religioſi, & non eſſe tales, eſt doctrina D. Thomæ, & tot Authorum. Secundò quia etſi Equites admittantur, vt ſtrictè Religioſi, vt admittuntur ab innumeris ſcripturibus, quos retuli *loco relato*, *num.* 28. tamen nun ſunt magis Religioſi, quàm Clerici Fratres: ergo æquè primò, & per ſe Religio reſpicit vtroſque.

Ait Martinez de Prado, Clericos Fra- 21
tres additos fuiſſe Equitibus vt Coadjutores, & Capellanos; & Iacobæos Clericos Fratres fuiſſe priùs Canonicos Regulares S. Auguſtini. Benè. Et ne indè probatur, non eſſe propriè Regulares Militiarum, eoſque æquè primò, & per ſe, ac Equites, non reſpici à Religione? Sanè quòd Iacobæi fuiſſent Canonici Regulares, potiùs probat, eos adhuc antequam in Ordinem Iacobæum coaptarentur, fuiſſe Regulares; id autē nec amiſerunt, nec amittere potuerunt per eam coaptionem. Deindè certum

eſt, Militias Equeſtres in ſui prima inſtitutione ſolùm Militantibus Equitibus conſtitiſſe; verùm vbi in Religionis propriæ ſtatum redactæ ſunt, & à Pontificibus approbatæ, ſimul Clerici Fratres in corpus Religionis, vt vera illius membra, ſunt admiſſi. Sicut è contrà, an quia in Sacro Prædicatorum aut S. Franciſci Ordine ad Miniſterium ſpirituale prædicandi, docendi & iuuandi proximos, Sacerdotes ſunt apti nati, conuerſi propterea non comprehendentur ſub voce Regularium eius Ordinis, eoſque æquè primò, & per ſe Religio in ſui approbatione, & priuilegiis non reſpiciet? Aliud enim eſt, eſſe quoſdam magis præcipuos, & neceſſarios ad finem, & inſtitutum Religionis; aliud, cæteros, quatenùs eos iuuant, vt eum finem obtineant, non eſſe propriè membra Religionis, & æquè cum illis à Religione reſpectos. Sic conſtat in exemplo appoſito. Sic etiam quamvis ad finem militandi, Equites ſint præcipui, & neceſſarij, & Clerici Fratres non militent, ſed illos iuuent, membra ſunt Religionis, & æquè primò, ac per ſe ab illa reſpiciuntur.

22 Imò exemplum non aptatur quoad omnia; Quippè Clerici Fratres in altiori ordine, & terie ſunt, quàm Conuerſi in Religionibus Sacris; quod patet tum ex nobiliori munere, ad quod deſtinantur, vt nempè Sacramenta miniſtrent Equitibus, & Vaſſallis Ordinum Militarium; vt Prioratus Monaſteriorum obtineant (indéque poſt Magiſtros Ordiuum præcipua iuriſdictione ſpirituali hi Priores fungebantur, imò ad aliqua munia ea gaudebant, ad quæ Magiſtri eam exercere non poterant) vt Prioratus etiam alios iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentes obeant, aliaque ſimilia munia exerceant. Hinc in Capitulis generalibus Priores Monaſteriorum ſuffragium habent, & alij etiam Clerici Fratres, qui Munera præcipua obtinent, ſedemque habent deſignatam, ac Prior Alcantaræ ſuam inter Equites poſt Commendatarium Majorem. Inquiro iam à præfato Authore, an hæc omnia, & plurima, quæ videri poſſunt apud me *hoc tomo de Ordinib. Militar.* euidenter manifeſtent, Clericos Fratres reſpici à Religione æquè primo, ac per ſe? aut dicendum erit iuxta ipſum, ſecundariò, & per accidens, ſeu non per ſe reſpici. Adde, Monaſteria Ordinum Militarium in Hiſpania eſſe Capita ipſorum Ordinum, hoc eſt, ſedem præcipuam eorum, & conſtantur ex ſolis Clericis Fratribus; & hos, affirmat ille Author, non reſpici primò, & per ſe à Religione.

Ad præcipuum dubium nos reuocemus. 23
Aſſertum ergo noſtrum rurſùs impugnat ſic Martinez de Prado; *Et quia mirum eſt, quòd hoc priuilegio non gaudeant ipſi facti Epiſcopi, & fruantur, cùm ſunt mere Sacerdotes.* Non autem affert rationem, quarè hoc mirum ſit; cum ego rationem *loco relato* attulerim, cur Clerici Fratres gaudeant priuilegio veſcendi ouis, & lacticiniis, etiam ſi ſint Sacerdotes, non tamen, ſi ſint Epiſcopi, & Prælati. Quæ ratio non impugnatur per vocem admirationis; hæc enim impugnatio præſtò eſſet cuilibet contra ſententiam ſuæ aduerſantem.

Demùm quod ait de priuilegio Leonis X. 24
ex quo ortam eſſe conſuetudinem comedendi oua, & lacticinia arbitratur, ad rem non pertinet: Nam dubium eſt, an virtute Bullæ poſſint ea comedere omnes Clerici Fratres Militiarum? Reſpondere autem Clericos Fratres ſolius vnius Militiæ poſſe ea comedere abſque Bulla, ſiquidem hæc non eſt neceſſaria ad fruendum priuilegio Leonis, non ſpectat ad dubium præfixum. Et quidem id priuilegium non communicatur Fratribus Clericis aliarum Militiarum. Deindè ex eo non potuit conſuetudo dimanare ad alia Monaſteria, nec ad alios Clericos Fratres extra Monaſteria etiam degentes, qui omnes virtute Bullæ Cruciatæ edunt oua, & lacticinia in ieiuniis Quadrageſimæ. Quin ſi indè conſuetudo emanaſſet, cum non requiratur Bulla ad edendum oua virtute eius priuilegij Leonis X. ſanè abſque Bulla comederent oua illi, qui id ex conſuetudine obtinuiſſent; quod tamen non ita præſtabant: Signum ergo euidens eſt, ex eo priuilegio non dimanaſſe conſuetudinem in cæteros Clericos Fratres, nec illud eis fuiſſe communicatum.

Quòd ſi ſolùm de Clericis Fratribus Ia- 25
cobæis Monaſteriorum de Veles, & ſancti Marci loquatur is Author, non rectè aſſerit, conſuetudinem emanantem ex eo priuilegio Leonis X. ſi legitimè præſcripſerit, poſſe tutò exerceri. Etenim quod ex priuilegio habetur, non eſt neceſſe, vt legitimè præſcribatur, ſed ſtatim ac priuilegium indulgetur, poteſt ad praxim deduci. Nec ex vi conſuetudinis, ſed ex vi priuilegij licitus eſt ille vſus ouorum; tunc enim ad conſuetudinem confugitur, quando non adeſt lex, aut priuilegium, vi cuius aliquid præſtetur. Sic in ſacris Religionibus ea, quæ ex indultis Apoſtolicis iam diu exercent, non aſſeritur, ex vi conſuetudinis exerceri, ſed ex vi priuilegiorum. Quin quamvis illud priuilegium non fuiſſet adhue

adhuc executioni mandatum, ita vt non extaret conſuetudo, poſſent nunc illo vti hi, quibus eſt conceſſum; nam priuilegia conceſſa Regularibus non amittuntur per non vſum, vt docet Fr. Brunus Chaſſaing. *de priuilegiis Regular. part.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. *propoſit.* 1. & de omnibus priuilegiis in alterius grauamen non redundantibus tradit id ipſum P. Caſtro Palao *tract.* 3. *diſp.* 4. *punct.* 18. & 19. Quibus ſubſcribit P. Henao *part.* 2. *de ſacrific. Miſſ. diſp.* 23. *ſect.* 10. *num.* 142. Vnde ad præfatum dubium dirimendum non opus eſt conſuetudine, nec ex ea quidquam inducitur, ſuppoſito priuilegio.

QVÆSTIO IV.

An Clerici Fratres Iacobæi Monaſteriorum de Veles, & S. Marci Legionenſis poſſint extra Monaſteria vti altari portatili?

26 ASſerui *in ſuperioribus diſquiſit.* 12. *quæſt.* 11. *num.* 135. non poſſe eiuſmodi Fratres Clericos Iacobæos vti altari portatili extra Monaſteria. Scripſit poſtmodùm P. Gabriel de Henao, & *part.* 2. *de Sacrificio Miſſæ, diſp.* 23. *ſect.* 10. *num.* 140. Illic refert, & expendit verba priuilegij conceſſi eiuſmodi Clericis Fratribus à Leone X. anno 1514. ſexto Kalendas Iunij, Pontificatus ſui anno ſecundo. Verba ſunt; *Vt liceat illis, & vobis, qui eſtis, & fuerint pro tempore Graduati Nobiles, vel Presbyteri habere Altare portatile cum debitis reuerentia, & honore, ſuper quo in locis, aliàs ad hoc congruentibus, & honeſtis ſine iuris alieni præiudicio, & cum qualitas negotiorum pro tempore ingruentium id exegerit, etiam antequam illuceſcat dies, circa tamen diurnam lucem; & ſi forſan ad loca Eccleſiaſtico interdicto ordinaria authoritate ſuppoſita vos declinare contigerit, in illis, ianuis clauſis, non pulſatis campanis, & ſubmiſſa voce, excommunicatis, & interdictis prorſus excluſis, in veſtra, & cuiuſlibet veſtrum, ac familiarium veſtrorum domeſticorum præſentia, dummodò vos, vel illi cauſam non dederitis interdicto, nec illud in vos, aut eos contigerit ſpecialiter emanare, per vos, vel per proprios, vel alios Sacerdotes idoneos, ita quòd id vobis, & Sacerdotibus taliter celebrantibus ad culpam nequeat imputari, Miſſas, & alia Officia diuina celebrare, & celebrari facere poſſitis.* Afferuntur hæc verba à Ioanne de la Cruz *lib.* 1. *de ſtatu Relig. cap.* 6. *dub.* 12. *verſ. in aliis tamen.* Ex quibus à ſe tranſcriptis, ait P. Henao, moueri vt cenſeat, vſum Altaris portatilis licere præfatis Iacobæis, etiam extra Monaſteria exiſtentibus. Eius fundamenta proponam, & diluam, cum mihi nequaquam rem ſuadeant, nec à meo aſſerto contrario dimoueant.

In primis ait, ante verba præfata, præcedere abſolutionem ab excommunicatione, quæ non poteſt ferri in communitatem, nec in illam lata ſupponi. Non calleo vim huius fundamenti. Etenim vſus Altaris portatilis non conceditur Communitati, vt Communitas eſt, ſed ſingulis perſonis de Communitate, qui poſſunt cenſuris ſubjacere, & quoad affectum vtendi eo priuilegio, abſolutio ab excommunicatione præſtatur, quæ eſt formula præfigi ſolita in conceſſionibus Pontificiis priuilegiorum. Indè verò, quo pacto inducitur, priuilegium id concedi Iacobæis extra Communitatem degentibus? Pone, Pontificem concedere Religioſis vnius Cœnobij Salmantini priuilegium aliquod ſpeciale, dum in eo Cœnobio cauſa ſtudiorum verſantur; & præfigere abſolutionem ab excommunicatione quoad effectum vtendi eo priuilegio; Annon rectè ea abſolutio præfigitur? Et an hi, ſi extra Salmantinum Cœnobium verſentur, eo priuilegio gaudebunt? Minimè quidem. Ex ea ergo abſolutione præmiſſa nihil quoad præſens infertur. 27

Ait deindè, ſi ſolum de Altari portatili intra Monaſteria eſſet ſermo, non fore adhibendam eam cautionem à Pontifice, quòd nempè Altare in loco congruenti, & honeſto apponeretur, neque enim prudenter poſſet timeri, quòd intra ea eligeretur locus minùs congruens, & honeſtus. Id ſanè robore caret, Quippè cautio Pontificia ad euentus contingentes tendit, & contingere poſſet ob aliquam injuriam, & negligentiam in loco minùs apto, & in cubiculo minùs congruente erigi altare. Nec nouum eſt, ea, quæ prudenter timenda non ſunt, præcaueri, cum homines aliquando operentur contra id, quod prudenter iudicabatur fuiſſe operaturos. Quin præcaueri, quòd Altare erigatur in loco congruente, & honeſto, rectè ſtat cum iudicio prudenti, quòd non erigetur in loco indecenti. Imò de facto non ſolùm præcauetur, ſed re ipſa examinatur; Hinc teſtor, mihi commiſſum fuiſſe ab illuſtriſſimo quodam Præſule, vt viderem, & examinarem intra Cœnobium Monialium, an Altare, in quo celebrandum erat, vt Monialis ægrotans nobiliſſima audiret ſacrum, eſſet ſitum in loco decenti, & honeſto, nec permitterem celebrari, ſi locus mihi non 28

non videretur aptus, & congruens. Infringitur in hoc, & ſimilibus caſibus Authoris ratiocinatio.

29 Ait præterea, à Pontifice præcaueri, non eſſe parandum præjudicium contra ius alienum, quod timeri non poſſet per celebrationem intra Monaſteria exercitam; quarè de Altari portatili extra Monaſteria habendo ſermo eſt. Contrà primò, quia ſaltem id certum eſt, concedi vſum Altaris portatilis intra Monaſteria; quòd ſi per eandem clauſulam concederetur ſimul vſus illius intra, & extra Monaſteria, tenor conceſſionis exigebat, vt ſubjungeretur id, nempè quòd iuri alieno non derogaretur, quando extra Monaſteria in Altari portatili celebraretur; hæc enim diſtinctio, & explicatio neceſſaria foret; aliàs ea cautio de non lædendo iure alieno caderet ſupra totam conceſſionem vſus Altaris intrà, & extra Monaſteria; atque adeò nihil probat prædictus Author, cum etiam ſi tueatur vſum Altaris extra Monaſteria, cautio de non lædendo iure alieno ſupra integram conceſſionem cadat, nec vbi Pontificium priuilegium non diſtinguit, nos diſtinguere debemus. Contrà ſecundò; Nam communiter ea formula apponitur de non inferendo præjudicio iuri alieno in conceſſionibus ſimilium priuilegiorum, vt videre eſt in non paucis priuilegiis conceſſis Religionibus, & intrà ipſas exercendis. Contrà tertiò, quia etiam intra Monaſteria poteſt excogitari caſus, in quo vſus Altaris portatilis eſſet in præjudicium iuris alieni; ſi Miſſæ v.g. in eo celebratæ aſſiſterent diebus Feſtis Parochiani alicuius Parochiæ, qui debebant in hac intereſſe ad oblationes præſtandas, aut alia munia obeunda. Hinc egomet vidi, in Diœceſi Ouetenſi in pagis prohibitum eſſe Parochianis, audire Miſſam diebus Feſtis in Eremitorio, aut Oratorio deſignato pro aliqua Familia nobili; Quòd ſi illi in eo Oratorio ſacrum audirent, & habens Oratorium eos ad id hortaretur, aut præberet conſenſum, ſanè contra ius Parochi operaretur. Ecce ergo quomodo valet intra Monaſteria ius alienum lædi, ſi eum, aut ſimiles caſus apponas. Quarè rectè ea cautio præmittitur, quamvis vſus Altaris portatilis intra Monaſteria concedatur.

30 Ait, rursùs, eam clauſulam, *etſi forſan, &c.* continuatam cum præcedentibus ſatis oſtendere vſum Altaris portatilis concedi extra Monaſteria. Verùm meo iudicio longè aliter res ſe habet; Nam ex ea clauſula incipit alia conceſſio, nempè quòd tempore interdicti in locis interdicto ſuppoſitis liceat prædictis Clericis Fratribus Nobilibus Graduatis, aut Presbyteris celebrare, aut facere celebrari in ſui, & ſuorum Familiarium præſentia; quæ conceſſio fit etiam in Bulla Cruciatæ reſpectu eam habentium; Non verò conceditur in eo priuilegio, id fieri in Altari portatili, ſicut nec in Bulla Cruciatæ id conceditur; ſed in Eccleſiis, & Altaribus aliundè extantibus; Id mihi eſt omninò manifeſtum; Nam aſſeritur à Pontifice Leone X. illam celebrationem præſtandam fore *non pulſatis campanis*; In domo autem priuata, in qua Altare portatile exigeretur, non ſunt campanæ. Deindè ait, *ianuis clauſis*; Ianuam autem domus priuatæ non eſt neceſſum, claudi, quando Oratorium eſt in penetralibus domus, vt eſſe debet, nam ſtatim poſt ianuam in porticu, aut atrio non eſt locus congruens, & honeſtus. Demùm ea requiſita, quæ apponit Pontifex vt neceſſaria ad celebrationem tempore interdicti, eadem ſunt, quæ ad celebrationem in Eccleſiis eo tempore communiter præſiguntur. Et quidem id priuilegium Leonis X. vltra ius commune aliquid operatur: Etenim licèt Sacerdos poſſit celebrare tempore interdicti; tamen nequit ſecum adducere ſuos domeſticos, & familiares, aliundè non gaudentes priuilegio, vt audiant Miſſam; nec poteſt, vt laicus, Miſſam coram ſe celebrari facere, niſi ei miniſtret.

Ait demùm P. Henao, etiam ſi magna 31
ſit ea conceſſio vſus Altaris portatilis, tamen plures eiuſmodi expeditas fuiſſe à variis Pontificibus, pluribus Religionibus ſacris, & Canonicis Regularibus; Et demùm Nobili familiæ Methymnenſi *de Quintanilla* vſum eius Altaris fuiſſe indultum. In primis de minori ad maius nullum eſt argumentum; Quarè quod conceſſum ſit Altare portatile vni familiæ non tolleret admirationem, quòd conceſſum fuiſſet ducentis v. g. Clericis Fratribus commorantibus in ſuis domibus priuatis. Verùm id non vrgeo, ſed aſſero, ſi priuilegium circa plures expediatur, eos omnes poſſe illo vti eo modo, ac forma, quæ ex conceſſione conſtet: At ſi conceſſio ſit reſtricta, non poſſe ampliari. Igitur priuilegium conceſſum Iacobæis ſolùm tendere ad eos intra Monaſteria commorantes, non autem extra Monaſteria, conſtat ex his, quæ adhuc diximus; cum fundamenta ad illud extentendum extra Monaſteria maneant eneruata.

Ad calcem ait prædictus Author *n.* 142. 32
ipſum latere, quid ſignificetur in præfato priuilegio

priuilegio nomine Nobilium Graduatorum. Id mihi facilè apparet. Etenim Nobiles in noſtra Hiſpania hi vocantur, qui non ſolum puro ſuut ſanguine, ſed vlteriùs ſunt, vt Hiſpanè dicimus *hijos dalgo de ſangre*; Nec etenim vox Nobilium debet vltrà reſtringi, nec poſſet deſignari regula fixa nobilitatis, cum inter ipſos nobiles alij aliis ſint nobiliores; quare vt certa regula præfigatur, ſtandum eſt ei acceptioni Hiſpanæ communiori, iuxta quam iudicandum eſt, fuiſſe pontificem locutum, aliàs expreſſiſſet gradum Nobilitatis, ne rem adeò in ſubobſcuro ſenſu relinqueret. Dubitat *ibidem*, an Nobiles dicantur, qui habeant in litteris Gradum? At id ex ipſis verbis Pontificis deciditur; ait namque *Graduati Nobiles*; ergo non eſt idem *Nobiles*, ac *Graduati*, aliàs ſufficeret dicere, *Graduati*; Cum autem ſupra Gradum nobilitas requiratur, diuerſum eſt requiſitum, Deinde nomine Graduatorum veniunt hi, qui in Academia approbata Gradum Bacchalaureatus acceperunt, quem gradum non præſtare nobilitatem, certo certius eſt; eſtò hi, qui Gradu Doctoratus, imò & licentiatus ſint inſigniti, priuilegiis nobilitatis, iuxta aliquos Authores gaudeant, & admittendi ſint ad Officia nobilitatem requirentia. De quo videndus ſum ego *tom. de Iure Academico, lib. 1. n. 324. & 326.* Alias demùm quæſtiunculas excitat P. Henao *eo num.* 142. Nec eas decidit, ſed ait eſſe inſpiciendas, ac expendendas. Verùm illæ ſupponunt, in priuilegio Leonis X concedi vſum Altaris portatilis extra Monaſteria; Et cum id nos inficiemur, opus non eſt eis quæſtionibus facere ſatis, quod non eſſet difficile. Hæc de noſtro opere ſufficiant, & cuncta Eccleſiæ, ac meliori iudicio ſubmitto. Dicta cedant in Dei Optimi Maximi gloriam, ac Virginis Deiparæ abſque labe originaria conceptæ, necnon & Sanctiſſimi Parentis Ignatij.

FINIS.

INDEX VERBORVM,

Quæ in Indice Rerum extant.

ABBAS. Abbatiſſa.
Abortus. Abſentia.
Abſoluere. Abſolutio.
Accuſare. Accuſator.
Act° poſitiuus nobilitatis.
Administrator perpetuus Ordinum Militarium.
Adminiſtrator.
Alcantarenſis Ordo Militaris.
Alimenta Equitum Militarium.
Alienare. Alienatio. Altare.
Anniuerſarium. Antiſtes. Apoſtata.
Appellare. Appellatio.
Approbare. Approbatio Confeſſarij.
Arma. Aſſemblea.
Auiſij Ordo Militaris.
S. Benedictus. Benedicere. Benedictio.
Beneficium. S. Bernardus. Bona.
Bulla Cœna. Bulla Cruciata.
Calatraua Ordo Militaris.
Candidatus Ordinis Militaris.
Canon Miſſa. Canonis priuilegium.
Canonicus. Capellania. Capellanus.
Capitularis toga.
Capitula Ordinum Militarium.
Cardinalis. Caſus reſeruati.
Caſtitatis votum. Cathedraticum ius.
Cathedra.
Caurienſis Epiſcopus, & Eccleſia.
Cauſa. Cenſor. Cenſura.
Chriſti Ordo Militaris.
Ciſtercienſis Ordo, & Inſtitutum.
Clauiger. Clauſura.
Clericus frater Militaris.
Collatio ad Beneficia, & Commendas.
Collecta Miſſa.
Collegia Militaria. Collega.
Commenda. Commendatarius.
Commenda Beneficiorum.
Commiſſionum conſeſſus.
Communio Euchariſtia. Competentia.
Conceptio Deipara Virginis.
Confeſſarius. Confiteri.
Confirmationis Sacramentum.
Confraternitates. Congrua ſuſtentatio.
Coniugalis caſtitas. Conſecrare.
Conſeruatores iudices. Conſpirator.
Conſuetudo. Conſultatio.
Contractus. Contrahere.
Conuerſa Moniales. Conuerſio morum.
Debita. Decima. Definitiones.
Defunctus. Degradare. Delictum.
Depoſitarius. Depoſitum. Dignitates.
Dimiſſoria litera. Diœceſis.
Diſpenſare. Diſpenſatio.
Diſpoſitio bonorum. Doctoratus.
Dominium. Donare. Donatio.
Dos. Dubium. Duellum.
Eccleſia. Eleemoſyna. Enſis. Epiſcopus.
Eques militaris.
Euchariſtia Sacramentum.
Examen. Examinare.
Excommunicatio. Excuſatum.
Exemptio. Exemptus.
Exploratio voluntatis. Expoſitus.
Falſarius. Famulus. Famula. Feſtum.
Fides, & Fidei ſacra Tribunal. Filius.
Finis Ordinum Militarium. Fiſcalis.
Fiſcus. Fœmina. Fori priuilegium.
B. Franciſcus de Borja.
Frater Clericus Militaris.
Funus. Fur.
Gradus. Gubernator.
Habitus. Hæreſis. Hebræus.
Hiſpalis. Hora Canonica. Hoſpitale.
D. Iacobi Ordo militaris. Ieiunium.
D. Ioannis Baptiſta Ordo militaris.
Immunitas. Incendiarius. Indulgentia.
Infirmus. Informationes. Inſigne militare.
Inſtitutio, & Inſtitutum Ordinum Militarium.
Interdictum. Interpretari. Interpretatio.
Inuentarium. Irregularitas. Index.
Iuramentum. Iuriſdictio.
Ius Canonicum, & Ciuile.
Ius ſpirituale. Ius patronatus.
Legatum. Lex. Licentia. Lictor.
Litera dimiſſoria. Lucrum. Ludus.
Magiſter Ordinum Militarium. Magiſtratus.
Magiſter nouitiorum. Magiſterij Gradus.
Majoratus. Martyr. Matrimonium.
Militares Ordines.
Militares Equites, & Clerici fratres.
Militia Equeſtres. Minor ætate. Miſſa.
Monachus. Monaſterium. Monialis.
Monteſa Ordo Militaris.
Morimundi Abbas. Munus.
Negotiatio. Negotiator. Nobilitas.
Notarius. Nouitius. Notitia.
Obedientia votum. Oblationes.
Obligationes ſtatus. Oculea labes.
Officialis. Officium diuinum, ſeu Canonicum.
Officia Ordinum Militarium.
Operarius Ordinis Calatraua.
Orationes. Oratoria. Ordinarius.
Ordo ſacer, & Ordines minores.
Ordo Ciſtercienſes.
Ordo B. Mariæ de Mercede.
Ordines Militares, & Militia Equeſtres.
Ordines, & Militia vigentes, & extinctæ.
Oſtiarius. Oua, & lacticinia.
Paraſcenes. Parochus.
Patronatus Regius Ordinum Militarium.
Panis, & aqua alimenta.
Paupertatis votum. Penſio. Pœna.
Pontifex ſummus. Pontificalium vſus.
Præbenda. Præceptum. Præfectus arcis.
Prælatus Regularis.
Præſentatio ad Eccleſiaſtica.
Præſes Senatus Regij Ordinum.
Præſidens Monaſterij, aut Collegij militaris.
Praxis Senatus Regij Ordinum.
Prima tonſura. Primitia.
Prior militaris. Prioratus. Priuilegium.
Proceſſiones. Procurator. Profeſſio.
Prohibitio. Proprietarius. Proprietas.
Pſalterium. Puritas ſanguinis.
S. Raymundus. Receptor.
Recitatio Officij diuini.
Rector Collegij militaris. Redditus.
Regula. Religio. Religioſus.
Reliquia Sanctorum. Renuntiatio Beneficij.
Reſeruati caſus, & vota reſeruata.
Reſidentia. Reſignatio Beneficij.
Reſtitutio. Rex Hiſpaniarum.
Sacramenta. Sacriſta.
Salmantina Collegia militaria.
Sanctia Alfonſa. Sanctorum Officia.
Sanguis. Sarabaita. Secretarius.
Secretum. Scrutinium. Sedes vacans.
Senatus Supremus Caſtellæ.
Senatus Regius Ordinum.
Sepelire. Sepultura. Simonia.
Societas IESV. Sponſalia. Stabilitas.
Statuta, & Definitiones. Stipendium.
Studia litterarum. Subprior.
Subſidium, & Excuſatum.
Suffragia. Superior. Superpelliceum.
Taurorum agitatio. Tertiaria.
Teſtamentarius. Teſtamentum. Teſtis.
Theſaurarius. Theſaurus.
Toga Capitularis.
Tranſitus ad Religionem.
Tredecim viri.
Tribunalia Sanctæ Fidei.
Vaſſallus. Velum. Vendere. Venditio.
Veſtis. Vicarius. Vice-rector. Vidua.
Viſitare. Viſitator. Votum.
Vſufructus. Vxor.

INDEX RERVM, ET VERBORVM IN HOC Volumine contentorum.

LITERA D. DISQVISITIONEM; N. Numerum marginalem deſignat.

A

Abbas.

ABBATIS, qui iuriſdictione quaſi Epiſcopali in territorio gaudet, nomen eſt apponendum in Miſſa ſub verbis *Antiſtite N. d.7.n.112.*

Abbates Ciſtercienſes poſſunt initiare minoribus Ordinibus Clericos Fratres Calatrauæ, & Alcantaræ, ac alios ſub Ciſtercij Inſtituto degentes. *d.3.n.160.*

Abbatis de Morimundo controuerſiâ cum Calatrauenſibus ſuper Prioratu Monaſterij de Calatraua *d.9. ex n.76.*

Abbatiſſa.

Abbatiſſæ an poſſint præcipere in virtute ſanctæ obedientiæ, *d.6. n.3.* & *d.14. ex n.18.* Si res ab eis præcepta ſit grauis, tranſgreſſio ex alio capite erit peccatum lethale, *d.6. n.7.* An aliquæ Abbatiſſæ iuriſdictione Eccleſiaſtica gaudeant? *d.6. n.3. & 4. & d.7. n.59.* Abbatiſſa *de las Huelgas*, propè Burgos eligit perſonas, quæ ea iuriſdictione funguntur. *ibi n.59.* Fœmina illegitima poteſt eſſe Abbatiſſa, *d.14. n.42.* Plura circa electionem, ſuffragia, renunciationem, requiſita, poteſtatem Abbatiſſarum exponuntur. *ibi, & ex n.51.*

Abortus.

Abortus proprij procuratio non ſubiacet excommunicationi, *d.14. n.41.*

Abſentia.

Abſentiâs longas parare an poſſint Equites, & Fratres Clerici Militiarum abſque licentia ſuorum Ordinum? *d.3. n.94.* Vt Parochi Ordinum Militarium abſint, tempore præfixo à Tridentino, Senatus ipſorum Ordinum poteſt licentiam præbere, *d. 11. n.105.*

Abſoluere Abſolutio.

Abſoluere poſſunt Priores Militares iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentes à caſibus, à quibus iuxta Tridentinum poſſunt Epiſcopi, *d.7. n.109.* An poſſint ab hæreſi occulta? *ibi n.111.* Poſſunt à Capitulis generalibus Ordinum Militarium deſignari Confeſſarij, qui abſoluant ſubditos illorum à cenſuris, etiam reſeruatis, *d.7. ex n.18.* Quis poſſit abſoluere ab excommunicatione, quæ profertur in Monaſteriis Calatrauæ, & Alcantaræ, die Dominica Palmarum? *d.12. n.68.* Priores Militares poſſunt eligere Confeſſarium, qui eos abſoluat à caſibus, à quibus ipſi ſubditos valent abſoluere, *d.7. n.142.* A quo poſſint abſolui Regulares Militares à caſibus reſeruatis in Religione, ſi darentur? *d.12. n.91.*

Abſoluendus an ſit, qui, ne impediatur eius ingreſſus in Ordines Militares, paratus eſt acceptare duellum, aut ad illud prouocare? *d.12. ex n.96.*

Accuſare. Accuſator.

Accuſari Viſitatores Ordinum Militarium an

an poſſint? *d.7.n.* 185. Accuſator contra illos, dum viſitanr, non eſt admittendus. *ibi.*

Actus poſitiuus Nobilitatis.

Actus poſitiuus nobilitatis Ordinis S. Ioannis an ſit admittendus pro Habitu Militari Hiſpano, ſi fortè ad hunc conferendum Informationes fiant per Actus poſitiuos? *d.17.n.42.*

Adminiſtrator.

Adminiſtraror perpetuus Ordinum Militarum. Vide, *Reges Hiſpaniarum.*

Adminiſtratores Hoſpitalium non cenſentur habere Beneficium.*d.15.n.23.*

Adminiſtrator, & non Prior, nunc deſignatur Monaſterio Calattauæ, & quare? *d.* 8. *n.*5. *&* *d.* 9. *num.*98. Eius iuriſdictio. *d.* 7. *n.* 50.

Adminiſtraror bonorum tenetur ſoluere ea, quæ ſuo muneri ſunt annexa, & quænam hæc ſint? *d.6.n.22.* Adminiſtrator Calatrauæ decedens è vita an poſſit de bonis diſponere? *d.* 15. *n.*40.

Adminiſtratorum ſpecialium Ordinum Militarium diuerſitas,& munus, *d.8.num.*36.

Alcantarenſis Ordo Militaris.

Alcantarenſis Ordinis inſtitutio, & confirmatio, Domicilium, Habitus: Vexillum: Magiſtri: incorporatio Magiſtratus *d.* 1. *ex num.*155. Alcantaræ Prior. VIDE *Prior.* In Alcantaræ territorijs dies S. Benedicti erat feſtus. *d.* 12. *n.* 72. Expediens oſtenditur, hunc morem renouari. *ibi ex n.* 75. Alcantarenſi Ordini indulgentiæ conceſſæ proponuntur.*d.12.n.* 81. Et quinam eas lucrari queant? *ibi n.* 85. Concordia Epiſcopi, & Eccleſiæ Caurienſis cum Ordine Alcantaræ. *d.* 7. *num.* 163. Monaſterium, & Collegium Salmantinum.*d.9.n.4. &* 6. Monaſteria Monialium,quæ Ordini ſubiacent. *d.*14. *n.*1. Viſitarores Ordinis. *d.7.n.*182. Iuriſdictio ſpiritualis Priorum.*d.7.ex num.*52. Collegarum Alcantarenſium electio, *d.* 9. *n.* 9. Alcantarenſes olim fuerunt vocati Equites *de Trujillo*, & quare? *d.1.num.* 101. Et priùs Ordo fuit dictus S. Iuliani *del Pereiro*, & quare? *d.1.ex n.*156,

Alcantarenſium promiſſio facta in Profeſſione de conuerſione à bono in melius exponitur. *d.* 3. *n.* 83. An ſpecialem obligationem inducat? *ibi n.* 84. Alcantarenſis Ordinis priuilegia. *d.2.num.*104. Dignitates *d.* 2.*n.*4. Commendæ. *d.*10. *n.* 19. Clerici Fratres inſignes ex Ordine Alcantarenſi referuntur. *d.* 9.*n.*111. VIDE *Ordines Militares, Eques Militaris, Clerici Fratres*, & plura alia verba.

Alimenta Equitum Militarium.

Alimenta, Hiſpanè *Pan, y Agua*, ſuppeditantur Equitibus Ordinum Militarium à Rege, vt Adminiſtratore perpetuo. *d.* 12. *n.*139. Quibus,& quomodo? *ibid.*

Alienare. Alienatio.

Alienari an poſſit dos Monialium? *d.14.n.* 16. Alienari an valeant Officia Ordinum Militarium? *d.8.n.42.*

Altare.

Altari portatili poſſunt vti Priores Militares iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentes. *d.* 7.*n.*143. An eius vſus liceat omnibus Militaribus? *d.11 num.*132. *& d.14 ex n.26.* Priuilegia Religionum circa illud. *ibi,n.*131.

Anniuerſarium.

Anniuerſaria non debentur Commendatarijs in ſuis Eccleſijs, ſed Parochis *d.10.ex n.* 35. De anniuerſarijs ſitis in Monaſterijs, & Collegijs militaribus aliqua elucidantur. *d.* 9.*n.*27. *& ſeqq.*

Antiſtes.

Antiſtitis vox ſæpè comprehendit Abbates, & Priores exemptos *d.* 7. *n.*124. An in Canone, & Collecta ſub nomine *Antiſtitis N.* ſint illi apponendi? *ibi, n.* 126. VIDE *Epiſcopus.*

Apoſtata.

Apoſtata eſt cenſendus is, qui, poſtquam tranſijt ex laxiori Religione ad ſtrictiorem, & profeſſionem emiſit, ab illa ad priorem regreditur. *d.* 3. *n.*128. Apoſtata, aut fugitiuus, ſi ſit in Prouincijs remotis, vbi nequit ad ſuam Religionem redire, poteſt ingredi aliam, etiam laxiorem, abſque licentia, *ibi num.*132. Apoſtata Monialis incurrit excommunicationem. *d.14.n.*41.

Appellare. Appellatio.

Appellationes in cauſis ciuilibus ſpectantibus ad Ordines Militares ad quos Iudices ſint deferendæ? *d.2.num.* 85. Appellationes à ſententijs Iudicum Conſeruatorum immediatè ſunt ad Pontificem deducendæ *d.* 2. *num.*143. Appellationes etiam ad illum in cauſis criminalibus, & in Eccleſiaſticis à Senatu Ordinum deferuntur. *d.* 17. *n.* 16. Appellari nequit à ſententia interlocutoria Prioris de Alcantara, ad Epiſcopum Caurienſem. *d.* 7. *n.* 175. Nec appellari poteſt à ſententia Viſitatorum generalium Ordinum

num Militarium. *ibi. n.* 193. Nec in territorio Alcantaræ, adhuc poſt Concordiam appellari ab illis poteſt, niſi ad Senatum Ordinum. *d.7.ex num.*152. Nec à mandatis in viſitatione expeditis, *ibid.*

Approbare. Approbatio Confeſſarij.

Approbatus Confeſſarius ab Ordinario poteſt eligi à quibuſcumque Monialibus virtute Bullæ Cruciatæ, vt abſoluantur à mortalibus non reſeruatis. *d.*14.*n.*55. *& d.*12.*n.*87. An approbatio Ordinarij requiratur ad excipiendas Confeſſiones Monialium, quæ illi non ſunt ſubditæ? *ibid.n.* 57. Religioſi poſſunt confiteri Sacerdoti deſignato à ſuperiore, etiam non approbato ab Ordinario. *ibid.n.* 56. Ad Priores Militares iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentes attinet approbatio Confeſſorum in ſuo territorio ex ſe. *d.* 7. *n.*152. Approbatio an requiratur ad audiendas Confeſſiones Equitum, & Clericorum Fratrum Militarium, *d.* 12. *ex num.*89.

Arma.

Arma non ſunt afferenda à Clericis Fratribus Militaribus, & quid, ſi itinerentur? *d.*12.*n.*3.

Aſſemblea.

Aſſemblea Ordinis S. Ioannis quid, & quot Aſſembleæ ſint? *d.* 10. *n.* 10. Ad eam ſpectant cauſæ criminales Equitum, & Clericorum Fratrum, & ciuiles, quando ſunt Rei. *d.*2.*n.*82.

Auiſij Ordo Militaris.

Eius inſtitutio, confirmatio Habitus, & alia ad hunc Ordinem pertinentia. *d.*1. *ex num.* 177.

B

S. Benedictus.

S. Benedicti dies in territorijs Alcantaræ erat dies feſtus, d. 12.*n.*72. Expediens oſtenditur, vt nunc etiam feſtus inſtituatur. *ibid.ex n.* 75. Quis poſſit feſtum inſtituere? *ibid.n.* 75. *& d.* 7. *n.* 139. Sub Regula S. Benedicti degunt plures Ordines Militares, *d.* 1. *paſſim.* Profeſſio *ſecundam Regulam S. Benedicti, quid ſignificet? d.*3.*ex n.*136. Communionis frequentia vſitata apud Benedictinos *d.*12. *ex num.* 127. Vnde dicatur *San Bento*, ſignum, quod afferunt puniti à Tribunalibus Sanctæ Fidei? *d.* 1. *n.* 146. Breuiario Benedictino vti debent intra Monaſteria Clerici Fratres Militiarum Ciſtercienſium, *d.* 13. *n.* 6. Non intra Collegia. *ibid.n.*10.

Benedicere. Benedictio.

Benedictiones Habitus Militaris, eum accipitur, à Preſbytero ſunt præſtandæ. *d.* 3. *n.* 54.

Benedicere populo extra Eccleſiam an poſſint Priores Militares iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentes? *d.* 7. *num.* 138. Intra Eccleſiam poſſunt ſolemniter benedicere. *ibid.* Benedicere ornamenta Eccleſiaſtica poſſunt non ſolùm Priores, ſed etiam Rectores Collegiorum Militarium. *d.* 7. *num.* 247.

Beneficium.

Beneficium Parochiale nequit habere Clericus Frater Militaris, qui intra Ordinem eſt ſuperior, aut Dignitatem habet, *d.*7. *n.* 188. Beneficia Ordinum Militarium ſunt amouibilia. *d.*11.*n.*15. Quæ vis poſſunt obtineri à Clericis Fratribus, dum ſint ſita in ſuis Eccleſijs. *ibid.n.*19. Et eo ipſo, quod in eis ſint ſita, fiunt Regularia. *ibid.n.*21. Rex Hiſpaniæ, vt Adminiſtrator Ordinum, poteſt omnia ea Beneficia præſtare. *ibid.n.* 23. Beneficia Ordinum Militarium nequeunt concedi Equitibus, *d.*8.*n.*7. Equites poſſunt obtinere Beneficia ſæcularia. *ibid n.*18.

Beneficia Ordinum Militarium quomodo concedantur? *d.*11.*ex n.* 1. Examen eſt præmittendum, quamvis ſint inſigniti Gradu, qui promouentur. *ibid.n.*9. Examen non eſt neceſſariũ, in permutatione. *ibid. n.*14. Forma examinis requiſita ad Beneficia ſæcularia non eſt neceſſaria ad Regularia. *ibid.* Capellaniæ honorariæ Regis cenſentur Beneficia Eccleſiaſtica. *d,*15. *n.* 19. Non verò Adminiſtrationes Hoſpitalium, & Vicariatus Monialium. *ibid.n.*23. Quid de Prioratibus, & Rectorum Collegiorum muneribus *ibid. n.* 22.

Beneficia ſæcularia an poſſint obtinere Clerici Fratres Militiarum? *d.*11.*ex n.*44. An in Indijs? *ibid. n.*82. An Equites Militares poſſint Beneficia ſæcularia obtinere abſque diſpenſatione *ibid.n.*69. Beneficia Ordinum Militarium annumerantur. *d.* 8. *n.* 30. Poſſunt cogi Clerici Fratres ad acceptandum Beneficia Ordinum *d.* 11. *n.* 99. Cum promouentur ab vno ad aliud Beneficium, an debeant examinari. *ibid.n.* 100. Nequeunt abſque licentia Regis, aut Senatus Ordinum reſpectiuè permutare Beneficia. *ibid. n.* 102. Quæ idoneitas in eis requiratur ad Beneficia ſimplicia, & ad Capellanias *ibid. n.*107. Coram quo debeant reſignare Beneficia. *ibid n.*105. An plura Beneficia, vel Capellanias

pellanias habere poſſint? *ibid. num.* 108.

Beneficij reſignatio, & renuntiatio quid, & quotuplex ſit? *d.* 11. *n* 110. Quæ Beneficia in Ordinibus Militaribus renuntiari queant? *ibid. ex n.* 111. An Prioratus, Dignitates, & Vicariæ, & quomodo? *ibid. n.* 112. An in fauorem alterius, *ibid. & n.* 119. Commendæ temporales Beneficiorum nequeunt reſignari. *ibid. n.* 115. Beneficia Fratris Clerici tranſeuntis ad aliam Religionem poſſunt illicò alteri concedi; non verò Beneficia ſæcularia eorum, qui ingrediuntur Religionem, vſque ad tempus à Tridentino præfixum. *ibid. n.* 116. Exponuntur cauſæ ad reſignandum Beneficia, & Dignitates. *ib. n.* 118. In quorum fauorem poſſint Beneficia reſignari? *ibid. n.* 117. Beneficiorum redditus non obtinent Clerici Fratres cum proprietate illorum, *d.* 4. *numer.* 66. Beneficium Ordinis poteſt habere Nouitius, nec in Profeſſione illud amittit. *d.* 11. *n.* 35.

S. Bernardus.

S. Bernardi Militia fuit olim in Hiſpania. *d.* 1. *n.* 102. Eius Magiſter. *ibid.* Sub Ordinis Ciſtercienſis Inſtituto plures Ordines Militares degunt. *d.* 3. *per totam.* Calatrauenſis Monaſterij cum eo controuerſia ſuper Prioratu. *d.* 7. *ex num.* 64.

Bona.

Bonorum proprietati non aduerſatur votum Paupertatis Equitum Militarium. *d.* 4. *n.* 6. De omnibus bonis poſſunt Equites teſtari. *d.* 15. *n.* 1. An Clerici Fratres? *ibid. n.* 8. De bonis mobilibus poſſunt Clerici Fratres diſponere, dum viuunt extra communitatem, & dum obeunt. *d.* 15. *n.* 34. An de immobibilibus *ibid. n.* 40. Ordines poſſunt concedere facultatem omnibus Clericis Fratribus Calatrauæ, & Alcantaræ ad diſponendum de immobilibus. *ibid. n.* 4. Cum non diſponunt morientes de bonis, Ordines in illa ſuccedunt. *ibid. n.* 39. Diſpoſitio eorum manet Ordinibus reſpectiuè ſubordinata. *ibid. num.* 50.

Bona immobilia poſſunt Clerici Fratres vendere, vt æs alienum ſoluant. *d.* 4. *num.* 40. Idem poſſunt præſtare executores, ſeu Diſpoſitores vltimæ voluntatis eorum. *ibid. n.* 41. An poſſint emere alieno nomine bona immobilia, reſeruando ſibi proprietatem, aut vſumfructum? *ibid. n.* 42. Bona mobilia pretioſa an poſſint habere? *d.* 4. *n.* 60. Bonorum ſucceſſio competit Clericis Fratribus, & Equitibus Ordinis D. Ioannis, & quomodo? *d.* 4. *ex n.* 96. Quænam bonorum ſucceſſiones competant Religioſis? *ibid.* Bona Ordinum ſunt officia, quæ in illis dantur. *d.* 17. *numer.* 24. Nequeunt ea abſque diſpenſatione Pontificia, & conſenſu ipſorum Ordinum alienari. *ibid. n.* 23.

Bona caſtrenſia ſunt fructus Commendarum. *d.* 10. *n.* 50. VIDE *Commenda.* Bonorum ſucceſſio competit Equitibus Ordinis D. Ioannis, quamvis ſit clauſula excludens Religioſos. *d.* 10. *n.* 62. Bona Clericorum Fratrum in nouitiatu decedentium ab inteſtato ad hæredes tranſeunt, quamvis ex priuilegio emiſerint in articulo mortis Profeſſionem. *d.* 3. *numer.* 150. Bona patrimonalia, & immobilia Equitum, & Clericorum Fratrum an poſſint Ordines aliquo caſu ab eis abducere? *d.* 4. *ex n.* 106. Etiam ſi ſint bona Maioratus? *ibid. n.* 117. An bonorum redditus teneantur Nouitij tribuere Ordinibus, ſi ab eis poſcantur? *ibid. n.* 119. VIDE *Diſpoſitio bonorum.*

Bulla Cœnæ.

Bullæ Cœnæ excommunicationem contrahunt, qui percutiunt, aut hoſtiliter inſequuntur Priores Militares iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentes. *d.* 7. *n.* 145.

Bulla Cruciatæ.

Bulla Cruciatæ poſſunt vti Nouitij Ordinum Militarium, vt abſoluantur ab omnibus caſibus in illa contentis. *d.* 3. *n.* 65. Etiam renuente Prælato. *ibid.* Item Equites, & Clerici Fratres, & quomodo? *d.* 9. *n.* 71. Poſſunt virtute Bullæ edi oua, & lacticinia, diebus Quadrageſimalibus à Monialibus Militaribus, & à Clericis Fratribus, dum hi non gaudeant juriſdictione quaſi Epiſcopali. *d.* 12. *ex numer.* 146. *& d.* 18. *ex num.* 17. Abſque Bulla virtute ſpecialis priuilegij, quod non communicatur aliis, poſſunt edere oua, & lacticinia Priores S. Iacobi de Vcles, & S. Marci Legionenſis. *ibid. n.* 147. Per Bullam Cruciatæ non reuocantur priuilegia conceſſa Ordinibus Militaribus. *d.* 12. *n.* 148. Bulla Cruciatæ non indigent Religioſi, vt lucrentur Indulgentias Ordinum. *d.* 3. *n.* 68.

C.

Calatraua Ordo Militaris.

Calatrauenſis Ordinis Militaris Inſtitutores. *d.* 1. *n.* 139. Inſtitutionis annus. *ibid. n.* 140. Regula, *ibid. n.* 141. Domicilium. *ibid. n.* 143. Magiſtri, *ibid. n.* 144. Priuilegia. *ibid n.* 145. *& d.* 2. *n.* 103. Habitus *d.* 1. *n.* 146. Compedes in vexillo Ordinis ſignum ſunt,

quod

quod ab exordio ſeruitutem Deiparæ Virginis profitentur Calatraueoſes. *ibid. num.* 148. Olim non poterant Equites contrahere nuptias. *ibid. num.* 147. Ordinis Dignitates *d.* 8. *num.* 3. Commendæ. *d.* 10. *num.* 19. Beneficia, & Prioratus formati, *d.* 8. *num.* 31. Calatraueoſis Monaſterij ſuper Prioratu controuerſia cum Ordine Ciſtercienſi. *d.* 9. *ex num.* 76. Calatrauenſes Clerici Fratres inſignes literis, & Muneribus referuntur. *d.* 9. *n.* 110. Calatrauenſes Clerici Fratres. VIDE. *Clericus Frater Militaris.* Calatrauæ Prior, aut Sacriſta maior abſoluit omnes, qui adſunt Capitulo generali. *d.* 7. *num.* 17.

Calatrauenſis Monaſterij Adminiſtrator, eiuſque iuriſdictio. *d.* 7. *n.* 50 De Miſſis inſtitutis in Monaſterio Calatrauæ dubia deciduntur. *d.* 9. *n.* 46. VIDE *Ordines Militares.* Et plura alia verba. Calatraueoſium, cum moriuntur, ritus collocandi eos ſuper crucem cinericiam. *d.* 16. *n.* 2.

Candidatus Ordinis Militaris.

Candidatus Habitus quomodo poſſit inducere Teſtes, vt in ſui fauorem deponant de veritate, quam ignorant? *d.* 3. *n.* 37. Plura circa teſtes dubia exponuntur ad informationes Candidati. *ibid. ex n.* 26. An poſſit poſcere Habitum, & poſteà gaudere Commendis, qui ſcit ſe impuro, aut ignobili ſanguine natũ? *ibid. ex n.* 40. An qui deſcendit ab Hebræis, qui non conſenſerunt morti Chriſti D. & crediderunt in eum ſimul cum tota progenie? *ibid. n.* 52. VIDE *Informationes. Teſtis.* Quo fine, & diſpoſitione Candidatus debeat Habitum petere? *diſq.* 3. *ex numer.* 170.

Canon Miſſæ.

In Canone Miſſæ ſub voce, *Antiſtite N.* apponendum eſt in proprijs territorijs nomen Prioris Militaris, aut Abbatis, iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentis. *d.* 7. *ex num.* 122.

Canonis Priuilegium. Vide *Priuilegium.* *Canonicus.*

Canonici Eccleſiarum Cathedralium, & Collegialium poſſunt eligi in Iudices Conſeruatores. *d.* 2. *n.* 116. Canonicatus nequeunt abſque diſpenſatione obtineri à Clericis Fratribus Militiarum. *d.* 11. *ex n.* 44. Clerici Fratres, aut Equites, ſi ſint Canonici, nequeunt geſtare Inſigne ſuper Habitum Canonicalem Chori. *d.* 12. *n.* 143.

Capellania Capellanus.

Capellaniæ ſitæ in Eccleſijs Ordinum Militarium poſſunt obtineri à Clericis Fratribus. *d.* 11. *n.* 19. Etiam ſi pertineant iure ſanguinis, vel alio titulo, dum is in illis reperiatur. *ibid. n.* 19. Quamuis adhuc à Clericis ſæcularibus fuerint obtentæ. *ibid.* Hoc ipſo, quòd in eis Eccleſijs ſint Capellaniæ, fiunt Regulares. *ibid. n.* 21. Nequeunt in eis inſtitui abſque licentia Ordinis. *ibid. n.* 29.

Capellaniarum Miſſas in ſuis territorijs an poſſit Senatus Ordinum, aut Prior imminuere ex cauſa? *d.* 9. *nu.* 39. Capellani, aut Monaſteria an valeant committere Miſſas alijs, minori ſtipendio ſoluto? *ibid. n.* 43. Capellani, & Beneficiarij Hiſpalenſis Vrbis quo priuilegio gaudeant circa Miſſarum omiſſionem, cum ægrotant, vel ſunt legitimè occupati? *diſq.* 9. *n.* 33. Capellaniæ honorariæ Regis annumerantur inter Beneficia Eccleſiaſtica, *d.* 15. *n.* 28. Capellani honorarij Regij ex Militijs poſſunt confeſſiones Equitum Militarium audire in Curia. *d.* 6. *n.* 46. Capellanias ſæculares an poſſint abſque diſpenſatione obtinere Clerici Fratres? *d.* 11. *ex n.* 44.

Capellaniarum quænam prouiſio iure deuoluto ad Priores Militares ſpectet? *d.* 11. *n.* 121. Poſſunt, ſi non præſentetur à Patrono, qui eſt monendus, Clericis Fratribus concedi. *ibid.* VIDE *Beneficium Eccleſiaſticum.*

Capitularis Toga. Vide *Toga Capitularis.* *Capitula Ordinum Militarium.*

Capitula generalia Ordinum Militarium, Rex noſter, vt Adminiſtrator, congregat. *d.* 7. *n.* 8. Eorum forma in tribus Ordinibus Militaribus, & ceremoniæ *d.* 7. *n.* 8. Quinam aſſiſtere vnicuique debeant? *ibid. n.* 8. Eorum poteſtas. *ibid. n.* 12. Repræſentãt ipſos Ordines, *ibid.* Poſſunt immutare ſtatuta, & Definitiones, ac alias condere, ſacris Canonibus non contrarias. *d.* 7. *n.* 12. Valent interpretari dubia circa Regulam. *ibid. n.* 13. Pœnas infligere, & an cenſuras ferre? *ibid. ex n.* 16. An, & quomodo poſſint ſuſpendere, & priuare Priores, & Abbatiſſas Militares? *ibid. ex numer.* 19. Valent deſignare Confeſſarios pro ſubditis, & an irregularitates tollere? *ibid. numer.* 18. Quæ indulgentiæ obtineantur tempore Capituli Generalis? *ibid. ex numer.* 22. Capitula Generalia debent maximè curare de ſtudijs Clericorum Fratrum promouendis. *d.* 9. *num.* 114.

Capitula Generalia tractant res, quæ ad gubernationem Ordinum ſpectant, *d.* 7. *n.* 24.

Digitized by Google

Votum defendendæ immaculatæ Conceptionis Deiparæ Capitula Generalia trium Ordinum Militarium emiſeruut. *d.* 12. *nu.* 102. Plura circa huius Myſterij deuotionem à Capitulis ſtabilia. *ibid. numer.* 103. Capitula poſſunt reſeruare caſus.*d.*12.*n.*91. An expediat reſeruatio? *ibid.n.*92.

Cardinalis

Cardinalis S. R. E. ſi fiat Religioſus, eodem iure, ac ſi eſſet Epiſcopus,gaudet. *d.* 9.*n.* 58. Cardinalitiam purpuram obtinuère plures Equites Militares.*ibid.numer.*108.

Caſus Reſeruati. Vide, *Reſeruati caſus.*

Caſtitatis Votum.

Caſtitatis votum ad quid obliget Equites Militiarum? *d.* 5. *ex numer.* 1. Contra illud peccant in delectatione Venerea moroſa. *ibid. numer.* 5. Item ſi cum coniuge actus illicitos habeant. *ibid. num.* 3. & 20. Si voueat Eques in Profeſſione (dum non ſit Ordinis D. Ioannis) caſtitatem abſolutam, non erit votum ſolemne, ſed validum, niſi per errorem fiat. *ibid. num.* 10. Caſtitatis votum ad quid obliget Clericos Fratres, & Moniales Militiarum? *d.*14.*num.*17.Caſtitatis votum non exprimitur in Profeſſione aliquarum Religionum, & quare *d.*3.*n.*55.

Caſtitatis explicatio. *d.* 5.*numer.* 20. Caſtitas coniugalis eſt virtus, *ibid.* Caſtitatis abſolutæ votum emittebant olim omnes Equites Militares præter Iacobæos. *d.* 2. *numer.* 35.& *paſſim.*

Cathedraticum Ius.

Cathedraticum ius proprium Epiſcoporum, quid? *d.* 7. *numer.* 162. Ferè non eſt in vſu. *ibid.*

Cathedra.

Cathedras obtinere in Artibus, Theologia, & Iure Canonico, licitum eſt Clericis Fratribus Militiarum. *d.* 9. *numer.* 23. An in Iure Ciuili? *ibid. numer.* 64. Cathedras in Iure Canonico quinam ex illis in Academia Salmantina obtinuerint. *ibid. ex n.* 114.

Caurienſis Epicopus, Et Eccleſia.

Caurienſis Epiſcopi, & Almæ Eccleſiæ concordia cum Ordine Alcantaræ circa iuriſdictionem,& cætera Eccleſiaſtica.*d.*7.*ex.num.* 163. Plures caſus circa illam deciduntur. *ibid.* & *ſeq.*

Cauſa.

Cauſæ criminales, & mixtæ Equitum Militarium tum Profeſſorum, tum Nouitiorum, ad quos iudices pertineant? *d.* 2. *ex n.*21. Ad quos cauſæ ciuiles, ſiuè ſint Actores, ſiuè Rei? *ibid. num.* 55. & 65. Cauſæ competentiarum in Ordinibus Militaribus quomodo ſint ſequendæ? *ibid.n.* 143. Cauſæ decimales ad Tribunal Eccleſiaſticum ſpectant. *d.* 10. *num.* 41. Cauſæ pertinentes ad Regium Patronatum Ordinum Militarium in Senatu Ordinum ſunt ventilandæ. *diſq.*2.*n.*87.& *d.*7.*n.*28. Cauſæ omnes Clericorum Fratrum criminales, & item ciuiles, cum ſunt Rei, ad Senatum Ordinum, aut ad ſuos Prælatos reſpectiuè ſpectant. *d.*2.*num.* 67. Cauſæ Clericorum Fratrum in Collegijs Salmantinis degentium quænam pertineant ad Magiſtrum ſcholæ? *d.*9. *num.* 64.

Cenſor.

Cenſores Rationum dati, & accepti dantur in Ordinibus Militaribus. *d.*8.*n.* 40. Eorum munus. *ibid.* Cenſores ad Senatum Ordinum pertinentes.*d.*17.*n.*48.

Cenſura.

Cenſuras poſſunt ferre Priores Militares Monaſteriorum in Equites Militiarum, dum hi ſunt in Monaſterijs. *d.* 6. *num.* 15. Nequit eas ferre, qui non ſit initiatus Ordinibus. *d.* 7.*numer.* 17. Deputantur à Rege, vt Adminiſtratore Ordinum, aut ex eius commiſſione, qui cenſuras ferant in Ordinibus Militaribus. *d.* 6. *numer.* 15. Cenſuras in ſubditos poſſunt ferre Rectores Collegiorum Militarium. *d.* 7. *ex. numer.* 213.

Cenſuræ latæ contra ingredientes clauſuram Monialium, & contra has, ſi egrediantur. *d.* 14. *num.* 83. Priores Militares iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentes poſſunt ferre cenſuras per modum ſtatuti.*d.*7.*ex n.* 151. Durant hæ cenſuræ, adhuc eis mortuis, aut amotis, ſecus aliæ. *ibid.* Priores non incurrunt in cenſuras generaliter in iure latas, niſi ſub nomine Epiſcoporum exprimantur. *d.* 7. *numer.* 144. VIDE *Excommunicatio. Interdictum. Abſoluere.* Priores an validè ſine monitionibus cenſuras ferre queant? *d.*7. *numer.* 143. Cenſuras ferre an poſſint Capitula, & Senatus Ordinum? *d.* 7.*n.*17.

Chriſti Ordo Militaris.

Inſtitutio Ordinis Militaris Chriſti. d. 1. *n.* 194. Regula. *ibid.* 195. Habitus. *ibid. num.* 196. Commendæ,& opulantia. *ibid. n.* 197. Magiſtri, & Adminiſtratores. *ibid. n.* 196. Sub regula Ordinis Calatrauæ à ſuo exordio degit. *ibid. n.* 195. VIDE *Ordines Militares*, & cætera verba.

Ciſtercienſis Ordo, & Inſtitutum.

Sub inſtituto Ordinis Ciſtercienſis plurimi Ordines Militares erecti recenſentur. *d.* 1, *per totam.* Eius cum Monaſterio Calatrauæ ſuper prioratu controuerſia. *d.* 9. *ex n.* 76. Conuerſi in hoc ordine non tenentur ſub mortali recitare orationes præſcriptas. *d.* 13. *num.* 20. Nec vllus tenetur ſub mortali perſoluere orationes, & Miſſas pro defunctis in Ordine deſignatas. *ibid. n.* 14. Abbates Ciſtercienſes poſſunt initiare Minoribus Ordinibus Regulares Militiarum, quæ ſub Ciſtercij inſtituto degunt. *d.* 3. *n.* 160.

Clauiger.

Clauigeri in Ordinibus Militaribus ſunt Dignitates intra ordines ipſos. *d.* 8. *num.* 3. Eorum munus. *ibid. n.* 4.

Clauſura.

Clauſuram Monialium quando, & ex quibus cauſis poſſit ingredi Confeſſarius ad miniſtrandum Sacramenta? *d.* 14. *num.* 60. Ad quæ alia munia ingredi queat? *ibid. n.* 61. Quid de ingreſſu ad ſepeliendas defunctas? *ibid.* Clauſura Monialium quid ſit, & qui eius limites? *d.* 14. *num.* 67. & 71. Qua lege introducta? *ibid.* Quid poſſint circa illam Epiſcopi erga Moniales exemptas? *ibid. n.* 68. Per conſuetudinem legitimam poteſt introduci defectus clauſuræ? *ibid. n.* 69. An clauſuram poſſint Prælati præſcribere in Monaſteriis, in quibus non datur. *ibid. n.* 70. In quibus caſibus violetur, aut non violetur clauſura? *ibid. n.* 71. Non violatur à Moniali, ſi extra Monaſterium ex cauſa degens exeat è domo, in qua habitat. *ibid. n.* 73. Non violatur ab his, qui ingrediuntur Monaſterium cum ædificatur, etiam ſi aliquæ Moniales ibi aſſiſtant, & quomodo? *d.* 14. *numer.* 74.

Ad clauſuram obligantur Conuerſæ Profeſſæ, & Tertiariæ intra Communitatem degentes. *d.* 14. *n.* 74. Quinam poſſint ingredi clauſurã? *ibid. ex n.* 77. Poſſunt reges, & reginæ. *ibid.* Monialis vnius Monaſterij egreſſa cum licentia ex illo an poſſit ad alia Monaſteria ingredi? *ibid.* Clauſuræ legibus tenerentur Moniales Religionis, ſi daretur, quæ cum votis ſimplicibus abſque Profeſſione à Pontifice approbaretur. *ibid. n.* 75. Nouitiæ ad clauſuram non tenentur. *ibid. n.* 76. Quis, & ex qua cauſa poſſit concedere licentiam ad ingrediendum in Monaſteria Monialium? *d.* 14. *ex n.* 78. In ſcriptis licentiam concedi, quomodo ſit neceſſarium? *ibid. n.* 79. Exponuntur cauſæ ingreſſus ad Moniales, & egreſſus Monialium ex Monaſterio. *ibid. n.* 81. Fugiens ſatellites, aut inimicum non peccat ingrediendo clauſuram Monialium. *ibid. n.* 82.

Clauſurã violantibus pœnæ inflictę. *d.* 14. *n.* 83.

Clericus Frater Militaris.

Clerici Fratres poſſunt obtinere Capellanias in Eccleſiis Ordinum ſitas, iure ſanguinis, aut per præſentationem conferendas. *d.* 11. *n.* 19. Sunt ſtrictè Religioſi, & emittunt vota ſolemnia. *d.* 1. *n.* 91. Tenentur ſub mortali geſtare ſuum Habitum, & Inſigne. *d.* 12. *n.* 11. Publice nequeunt incedere, etiam per exiguum tempus abſque illo. *ibid. n.* 12. Quid ſi noctu non geſtent illud? *ibid. n.* 12. Si deſerant ordinem, ſunt Apoſtatæ, & ſubjacent pœnis, ac cenſuris. *ibid. n.* 28. Nullus ex illis tenetur afferre comam capitis circularem. *ibid. n.* 145.

Clericorum Fratrum vitæ Inſtitutum, & finis perfectus exponitur. *d.* 1. *ex num.* 1. & *d.* 9. *ex n.* 1. Soli ipſi, & non Equites poſſunt obtinere Beneficia, & aliquas Dignitates Ordinum. *d.* 8. *num.* 7. Tenentur facere inuentarium de bonis, & quomodo? *d.* 4. *num.* 28. Intra Communitatem degentes, de quibus bonis diſponere queant? *ibid. num.* 18. De quibus extra Communitatem? *ibid. n.* 31. Clerici Fratres, præter Iacobæos, nequeunt teſtamenta condere. *d.* 15. *n.* 36. Quinam ex Iacobæis poſſint? *ibid. n.* 8. Cæteri de quibus bonis poſſint diſponere, cum è vita decedunt? *ibid. num.* 34. Poteſt Ordo concedere facultatem his qui aliundè non poſſunt, vt de bonis immobilibus diſponant. *ibidem. num.* 41.

Clerici Fratres cui teneantur obedire ex vi voti? *d.* 6. *n.* 39. An, ſi expendant bona in vſus illicitos, peccent contra paupertatem, & iuſtitiam? *d.* 4. *n.* 52. An peccent, ſi habeant pretioſam ſupellectilem, & nimiam pecuniæ quantitatem? *ibid. num.* 60. An poſſint exponere ludo pecuniam plurimam? *ibid. n.* 54. Si habitum laïcalem

induant, an Incidant in excommunicationem, & alias pœnas? *d.* 12. *n.* 28. An poſſint afferre inſigne è collo pendens, & illud ſufficiat, quin in veſte geſtetur? *ibid. n.* 34. Nequeunt abſque diſpenſatione tranſite ad ſtarum Equitum. *d.* 3. *n.* 128. Sic vero è contra. *ibid.*

Clericorum Fratrum diſpoſitiones vltimas an poſſit immutare Rex noſter, aut Senatus Ordinum, quando, & quomodo? *d.* 15. *num.* 50. Clerici Frarres poſſunt publicè Ius Ciuile addiſcere. *d.* 9. *num.* 14. An matriculæ in eo iure adſcribi? *ibid. numer.* 17. Valent ad Cathedras opponi, & quarum facultatum? *ibid. num.* 24. Poſſunt Gradus Magiſterij, & Doctoratus ſuſcipere, & in quibus Facultatibus? *ibid. num.* 22. Clerici Frarres inſignes literis, & Dignitaribus recenſentur. *d.* 9. *ex num.* 109.

Clerici Frarres Iacobæi quinam dicantur habere Beneficia, vt poſſint reſtari? *d.* 15. *ex n.* 10. Clericis Fratribus an, & quomodo liceat vti veſtibus ſeticis? *d.* 4. *num.* 63. *& d.* 12. *n.* 40. In Collegijs degenres peccant grauiter, ſi alij ſcientiæ ſtudeant ex profeſſo, niſi ei, ad quam deſignantur. *d.* 9. *n.* 21. Quomodo eligantur ad Collegia, & ad quas ſcientias? *ibid. n.* 9. Clericos Frarres, expedit, in Viſitatores Monaſteriorum, & Collegiorum ſimul cum Equitibus deſignari. *d.* 7. *n.* 194. An poſſint ſoli abſque Equitibus deſignari in Viſitatores à Capitulo Generali, aut particulari? *ibid.* An poſſint in Ordine Alcantaræ ſimul cum Equitibus? *ibid.*

Clerici Fratres an veniant in odioſis ſub nomine Religioſorum. *d.* 11. *ex num.* 48. An poſſint habere Canonicatus, Capellanias, & Beneficia ſæcularia abſque diſpeuſatione Pontificia? *d.* 11. *ex num.* 44. Clerici Fratres proprio foro gaudent. *d.* 2. *ex num.* 69. Apud quos Iudices ſunt conueniendi in quibuſcumque cauſis? *d.* 2. *n.* 67. Salmanticæ in Collegiis degentes in quibus ſubiaceant Magiſtro Scholæ? *d.* 9. *n.* 64

Cletici Fratres Iacobæi Beneficia habentes licentiam ad teſtandum quolibet triennio poſcere debent. *d.* 15. *num.* 9. Aliter bona obeuntium ad Monaſterium pertinent. *ibid.* Quid, ſi conſtet de petitione, & non de conceſſione licentiæ? *ibid.* Fratrum Clericorum obeuntium habitus, funus, & pompa refertur. *d.* 16. *n.* 3. Clerici Fratres, quæ ſuffragia teneantur pro defunctis perſoluere? *ibid. ex num.* 8. Quas orationes debeant recitare communiter. *d.* 13. *ex n.* 1. Iacobæi ad quas Miſſas teneantur in Collegio Salmantino? *d.* 16. *n.* 8.

Clerici Frarres non initiati ſacris an teneantur perſoluere Officium Canonicum *d.* 13. *nu.* 7. Calatrauenſes, & Alcantarenſes in Monaſtetijs debent vti Breuiario Benedictino. *ibid. n.* 10. An etiam extra Chorum, & in Collegijs? *ibid.* Poſſunt eo vti ſemper, quamvis ad Dignitates promoueantur, & quomodo? *ibid. num.* 12. Miſſæ quomodo perſoluendæ, ſint à Clericis Fratribus Militaribus in Monaſterijs, & Collegijs? *d.* 9. *ex n.* 17. VIDE *Capellania. Miſſa.*

Clerici Frarres in Monaſteria, & Collegia, ex quibus locis orti admittantur? *d.* 9. *num.* 5. Ad Clericorum Frarrum ſtatum poſſunt Equites abſque diſpenſatione Ponrificia tranſire. *d.* 3. *ex numer.* 97. Non è conuerſo. *ibid.* Cletici Fratres virture Bullæ Cruciatæ poſſunt edere oua, & lacticinia tempore Quadrageſimali. *d.* 12. *ex num.* 146. *& d.* 18. *ex numer.* 17. Iacobæi in Monaſterijs de Vcles, & S. Marci, etiam abſque Bulla, ex priuilegio Ponrificio *d.* 12. *numer.* 147. An famuli Monaſteriorum eiuſmodi? *ibid.* Non verò alij Clerici Fratres communicant hoc priuilegium. *ibid. ex num.* 149. Exponitur priuilegium Clericorum Fratrum de Vcles, & S. Marci, circa electionem confeſſarij. *d.* 14. *numer.* 55. Alia eorundem priuilegia ſpecialia proponuntur. *d.* 12. *ex numer.* 132. Clerici Fratres nouitij an teneantur bona ſua præſtare, ſi ab Ordine ex cauſa poſcantur? *d.* 4. *numer.* 115. An poſſit Ordo à Clericis Fratribus bona quæcumque abducere ex cauſa? *ibid. n.* 118. An poſſint ſuccedere in Bona, & Maioratus *d.* 4. *num.* 96.

Clericis Frarribus benemeritis valdè expedit, præmia, & Munera conferre. *d.* 9. *numer.* 114. Clerici Frarris Beneficium, ſi ad Religionem ſtrictiorem tranſeat, poteſt illico alteri conferri. *d.* 11. *numer.* 116. Clericus Frater Nouitius capax eſt Beneficij Ordinis. *ibid. numer.* 35. VIDE *Beneficium.* Poſſunt à Prioribus iuriſdictione gaudentibus minoribus Ordinibus initiari. *d.* 3. *numer.* 157. In articulo mortis an poſſint ante finitum annum Nouitiatus Profeſſionem emittere? *ibid. num.* 150. Ante ſuſceptionem Sacrorum Ordinum præſcribitur Clericis Fratribus tempus Religionis. *d.* 3. *num.* 153. Indigent literis dimiſſorijs ſui Prælati, ac cum illis poſſunt à quovis Epiſcopo Ordines ſuſcipere. *ibid. numer.* 157.

Cletici Frarres Calatrauæ, & Alcantaræ emittunt Profeſſionem ex Regis licentia, meritis cognitis. *d.* 3. *n.* 151. Clerici Fratres cuiuſcumque Ordinis Militaris debent

examinati

examinari, vt Beneficium Parochiale obtineant. *d.* 11. *n.* 8. An vt ab vno ad aliud promoueantur? *ibid. nu.* 12. *& n.* 100. Poſſunt cogi ad acceptanda beneficia. *ibid. n.* 99. Rennntiare, & reſignare an, & quomodo poſſint? *ibid. num.* 110. Eorum ſtrictæ obligationes, dum Parochi ſunt. *ibid. n.* 84. Negotiatio, an, & quæ ſit eis licita? VIDE *Negotiari*. Clerici Fratres Iacobæi non habent bonorum dominium, ſicut nec cæteri. *d.* 4. *ex num.* 66. Clerici Fratres an poſſint abſque licentia ad Regna diſtantia, aut extera proficiſci? *d.* 3. *n.* 94. An poſſint vti toga Capitulari loco ſuperpellicei ad Sacramenta adminiſtranda? *d.* 12. *ex numer*: 15.

Clericus Frater, vt Epiſcopatum acceptet, qua licentia indigeat? *d.* 9. *n.* 51. Eius bona, habitus, obedientia, & plura alia. VIDE, verbo *Epiſcopus*. Clerici Fratres poſſunt aſſiſtere ſpectaculó agitationis Taurorum ex tolerantia, non aliter. *d.* 9. *n.* 62. Si habeant Beneficium, nequeunt retinendo illud eſſe Priores Monaſteriorum, aut Rectores Collegiorum. *d.* 7. *ex num.* 199. Clerici Fratres ſub inſtituto Ciſtercienſi degentes poſſunt minoribus Ordinibus initiari ab Abbatibus Ciſtercienſibus. *d.* 3. *num.* 160. Clerici Fratres etiam intra Communitatem poſſunt eligere Cõfeſſarium virtute Bullæ, qui eos abſoluat ab omnibus caſibus, præter reſeruatos Pontifici. *d.* 9. *ex num.* 70. Poſſunt de licentia Prælati coufiteri Sacerdoti non approbato ab Ordinario. *d.* 9. *n.* 71. Approbatus à Priore an poſſit excipere Confeſſiones Regularium totius Ordinis? *ibid. num.* 75. Poſſunt Clerici Fratres ad aliam Religionem ſtrictiorem tranſire, & quomodo? *d.* 3. *ex n.* 98.

Clericorum Fratrum Inuentarium poteſt aperiri à Prioribus, & Rectoribus reſpectiuè. *d.* 4. *num.* 28. An peccent, ſi occultent aliquid, ne à Prælato reperiatur in ſcrutinio? *d.* 14. *n.* 21. Quæ poſſint expendere intra Communitatem ex licentia generali? *d.* 4. *num.* 29. Exeuntes è Monaſterio aut Collegio nocturno tempore abſque licentia grauiter peccant. *d.* 12. *num.* 32. VIDE *Prior. Rector. Monaſterium, Collegium*, & alia verba paſſim.

Collatio ad Beneficia & Commendas.

Collatio Beneficiorum in Ordinibus Militaribus à quibus præſtetur? *d.* 11. *num.* 3. Collatio Commendarum *d.* 10. *numer.* 54.

Collecta Miſſæ.

In Collecta Miſſæ ſub voce *Antiſtitem N.* debet apponi in propriis territoriis nomen Abbatum, & Priorum Militarium iuriſdictione gaudentium. *d.* 7. *ex num.* 122. Sede vacante, omittenda ſunt nomina Prælatorum. *ibid. n.* 136.

Collegia Militaria. Collega.

Collegiorum Militarium Rectores poſſunt in ſubditos cenſuras ferre, & præcepta ſanctæ obedientiæ imponere. *d.* 7. *ex num.* 213. VIDE *Rectores*. Collegarum delicta grauiora, ſi quæ ſunt, deferenda erunt ad Regem, aut Senatum Ordinum. *d.* 7. *num.* 224. Collegiorum Militarium finis. *d.* 9. *n.* 6. Salmantina quæ, & quot ſint? *ibid. ex num.* 6. Erecta ſunt à Carolo V. Imperatore. *ibid. num.* 7. Collegæ quas Facultates audire debeant? *ibid. n.* 9. Nequit deputatus vni audire aliam. *ibid. num.* 9. Quomodo ad Collegia eligantur Clerici Fratres? *ibid. n.* 8. Collegia quomodo viſitentur, & quibus ſumptibus? *d.* 7. *n.* 186. *& d.* 14. *num.* 99. Quantum curandum ſit de promouendis Collegiis. *d.* 9. *n.* 114. Ex Collegiis quàm Inſignes Viri prodieriut, & in eis fuerint verſati? *d.* 9. *ex num.* 109. Miſſæ debitæ in Collegiis quomodo ſint perſoluendæ? *d.* 9. *ex n.* 27.

Collegæ Militares in quibus ſubjaceant Magiſtro Scholæ Salmantino. *d.* 9. *n.* 64. Qui ſuis ſumptibus in Collegiis verſantur an debeant poſcere licentiam ſpecialem, vt de ſuis bonis mobilibus diſponant? *d.* 4. *num.* 30.

Commenda. Commendatarius.

Commendæ vox, & origo *d.* 10. *n.* 1. Commeudas vendere non eſt ſimonia, eſt autem peccatum lethale. *d.* 1. *n.* 233. Commendæ non ſunt Beneficia Eccleſiaſtica. *ibid. n.* 234. *& d.* 10. *n.* 55. Ad eas obtinendas nullus Ordo requiritur. *d.* 1. *n.* 234. Earum redditus ſunt bona caſtrenſia. *d.* 10. *n.* 50. Poſſunt exponi ludo, & inſumi in vſus profanos. *ibid. n.* 48. Inhabiles ſunt ad commendam obtinendam Equites non geſtantes ſuum Habitum. *d.* 12. *n.* 14. Poſſunt commendis obtentis priuari, ſi non geſtent. *ibid. n.* 14.

Commendatarij an teneantur ſub peccato perſoluere Orationes in ſtatutis præſcriptas, & item ſuffragia pro defunctis? *d.* 13. *num.* 14. Tenentur vocati proficiſci ad bellum contra Eccleſiæ hoſtes, & ſecum alios ferre auxiliares. *d.* 1. *num.* 23. commen-

das plures an poſſit quis ſimul habere? *d.* 10. *ex n.* 16. Verùm poſſint Commendæ fæminis conferri? Et alijs, qui non ſunt ex Ordine? *ibid. ex n.* 11. Obligationes annexæ Commendatarijs. *ibid. n.* 19. Quot Commendæ ſint in Ordinibus Militaribus? *d.* 10. *ex n.* 19. *& d.* 1. *per totam.* Lanceæ perſoluendæ à Commendatarijs. *d.* 10. *num.* 19. Commendæ maiores quomodo ſint præſtandæ? *d.* 10. *num.* 18.

Commendæ quo fine fuerint inſtitutæ? *d.* 10. *n.* 6. Commendæ Ordinis S. Ioannis quomodo in diuerſis Regnis fuerint auctæ? *d.* 10. *ex n.* 7. Commendatariorum S. Ioannis ſpolia, ac redditus Commendæ vacantis, & iura mortuarij ad ærarium commune ſpectant. *d.* 10. *n.* 10. Commendatarij maiores Ordinum Militarium ſunt Dignitates intra Ordinem. *d.* 8. *n.* 2. Commendatarij maioris munus priſtinum. *d.* 8. *n.* 6. Commendatarij quid teneantur ſoluere ex Commendis. *d.* 6. *n.* 22.

Commendarum ex bonis decimæ non debentur. *d.* 10. *n.* 38. Commendam an poſſit licitè obtinere, qui ſcit, ſe impuro, aut ignobili ſanguine ortum? *d.* 3. *ex num.* 39. Commendatarijs ex quibus fructibus debeantur decimæ? *d.* 10. *n.* 1. *&* 39. Inuito Commendatario poteſt dominus agri mutare culturam, quamvis decimas poſteà non ſit ſoluturus. *ibid. nu.* 42. Ex decimis, quæ ſoluuntur Commendatarijs, poteſt aliqua pars deduci ad Collegia puerorum in Eccleſijs Cathedralibus. *ibid. n.* 43. Cõmendatarijs an debeantur primitiæ? *d.* 10. *num.* 35. Oblationes eis non debentur. *d.* 10. *num.* 37.

Commendatarij tenentur ſoluere ſubſidium, & excuſatum. *d.* 10. *n.* 46. Congruam Parochis tribuere, ſi eis non ſuppetat. *d.* 10. *n.* 50. Eccleſiarum ornatum, & reſtaurationem ſuis ſumptibus ſuppeditare. *d.* 10. *n.* 50. Bona, & domus Commendarum conſeruare. *d.* 6. *n.* 25. Decimæ conceduntur eis titulo temporali. *d.* 10. *n.* 48. Oneribus perſolutis, poſſunt eas pro libito expẽdere. *ibid.* Etiã ſi ſint filij familias. *ibid.* Cõmendarũ expectatiuæ exponuntur. *d.* 10. *ex n.* 25. Quis ſit præferendus, cũ plures gratiã Cõmendæ, quin vlla deſignetur, obtinuerũt? *ibid. ex n.* 28. Si Cõmenda deſignetur, ſuccedit is, cui deſignata fuit. *ibid. n.* 27. Si redditus in gratiæ conceſſione determinentur, & excedant redditus Commendæ vacantis, non ſuccedit is, cui limitati ſunt. *ibi n.* 28. Si concedatur cum onere, & id non fuerit adimpletum, quid ſit præſtandum? *ibid.* Si duo ad Commendam determinatam ſint deſignati, quis ſit præferendus? *ibid. num.* 29. Commendatarij an ſint Prælati. *d.* 10. *num.* 6.

Commendas vnire, & diuidere, ad Pontificem ſpectat, non ad Ordines. *d.* 10. *num.* 1. Commendatarij Ordinis S. Ioannis ſunt Ordinarij territorij proprij. *d.* 10. *num.* 52. Commendarum collatio. *ibid. nu.* 54. Commendatarij non tenentur perſoluere Officium Canonicum. *ibid. nu.* 55. Bona Commendarum ſunt Eccleſiaſtica. *ibid. n.* 63. Sed nullus Commendatarius, nec Ordinis S. Ioannis tenetur expendere ea in vſus pios. *ibid. nu.* 60. Commendas procurare, pretio oblato, non eſt ſimonia. *ibid. num.* 64. Commendarum trium Ordinum valor annuus. *d.* 17. *n.* 20.

Commendæ Beneficiorum.

Commendæ Beneficiorum temporales nequeunt in alium reſignari. *d.* 11. *n.* 115.

Commiſſionum Conſeſſus Regius ad negotia Ordinum Militarium.

Commiſſionum Conſeſſus ex quibus Senatoribus conſtet? *d.* 2. *n.* 41. De quibus cauſis cognoſcat ſpectantibus ad Ordines Militares? *ibid. num.* 41.

Communio Euchariſtiæ. Vide *Euchariſtia.*

Competentia.

Competentia iuriſdictionis erga Equites Militares inter Senatum Supremum Caſtellæ, & Senatum Regium Ordinum ventilatur. *d.* 2. *ex num.* 21. Competentiæ in Ordinibus Militaribus quomodo ſint ſequendæ. *ibid. n.* 143.

Conceptio Deiparæ Virginis.

Conceptionem Immaculatam Deiparæ defendere vouerunt tres Ordines Militares in Capitulis Generalibus congregati. *d.* 12. *ex n.* 100. Eius Feſtum ſpeciali cultu obſeruant. *ibid. num.* 103. Super tria vota addunt Regulares Militares in Profeſſione votum defendendi Immaculatam Conceptionem. *ibid.* Ad quid obliget id votum? *ibid.*

Conceptionis Feſtum in Hiſpanijs ex præcepto obſeruatur, etiàm poſt Feſtorum moderationem. *d.* 12. *n.* 105. An debeat obſeruari extra Hiſpanias in locis ſubiectis Regi noſtro? *ibid.* Quantum coluerit Immaculatam Conceptionem Ordo B. Mariæ de Mercede, à ſua Fundatione? *ibid.*

Circa Conceptionis myſterium propoſitiones ſequentes à docto Authore Ordinis B Mariæ de Mercede, editæ in lucem referuntur. Scilicèt quod Virgo Maria nec de potentia abſoluta potuit concipi in peccato originali.

Quod implicet à parte rei, ſententiam piam

de Conceptione eſſe falſam.

Quòd ſit ab Eccleſia definibile myſterium Immaculatæ Conceptionis.

Quod iam id probabiliter teneatur eſſe formaliter de Fide abſque obligatione aſſentiendi,& quomodo?

Quod ſit Martyr, qui pro hac veritate defendenda vitam profunderet, & quomodo? Et item pro defendenda celebritate Eccleſiæ. *d.12.ex n.112.*

Circa Conceptionem Immaculatam Virginis aliqua exornantur. *diſq. 12.ex n.104.*

Confeſſarius. Confiteri.

Confeſſarius interroget Equites Militares, an ſint Profeſſi, vt dignoſcat grauitatem peccatorum contra caſtitatem. *d. 5. num. 2.* Coufeſſarios Militaribus ſubditis poſſunt deſignare Capitula Generalia, & Prælati immediati. *d.7.n.18. & d. 9. num.* 70. Confeſſariorum approbatio in territorijs Ordinum ad quem pertineat? *d.7.nu.*166. Priores Militares poſſunt ſibi eligere Confeſſarium,& quomodo? *d.7.n.*139.

Confeſſarius nequit abſoluere virtute Bullæ Religioſos, nec Moniales à reſeruatis ſuo Superiori, aut Papæ. *d. 14. num.* 54. Poteſt vero, ſi ſit approbatus ab Ordinario, abſoluere eos à non reſeruatis. *ibid. numero* 55. Nouitij cui poſſint confiteri? *d. 12. numer.* 95. Virtute Bullæ poſſunt nouitij vtriuſque ſexus eligere Confeſſarium approbatum. *ibid.* An Confeſſarius, vt audiat Confeſſiones Monialium, quæ ſunt ab Ordinario exemptæ, debeat eſſe approbatus ab Ordinario? *ibid. num.* 57. Confeſſarius extraordinarius quando, & quomodo ſit deſignaudus Monialibus? *d.14 n.62.*

Confiteri cui teneantur Equites, & Clerici Fratres Militiatum? *d. 12. ex numer.* 86. An requiratur approbatio Ordinarij in Confeſſarijs eorum? *ibid. ex num.* 89. Poſſunt eligere Confeſſarium virtute Bullæ Cruciatæ. *ibid. numer.* 87. Si darentur in Ordinibus Militaribus caſus reſeruati, à quo poſſent abſolui? *ibid. num.* 92. Ad Confeſſiones Parochianorum, etiam quotidianas, audiendas debent eſſe parati omnes Parochi. *d.11.n.86.*

Confeſſiones omnium Regularium Ordinis poſſunt excipere Priores Militares, & quinam ex his? *d.9.num.*74. An Confeſſarius approbatus à Priore poſſit excipere Confeſſiones Regularium totius ordinis? *ibid. nu.* 74. VIDE, *Abſoluere.*

Confirmationis Sacramentum.

Confirmationis Sacramentum an poſſint conferre Priores Militares de licentia Epiſcopi? *d.7.nu.*148. An Miniſter illius poſſit eſſe alius præter Epiſcopum? *ibid.*

Confraternitates.

Confraternitates nequeunt erigi in Monaſterijs Monialium. *d.14.n.40.*

Congrua Suſtentatio.

Congrua eſt tribuenda Parochis à Commendatarijs, ſi non ſuppetat ex ingreſſu Eccleſiæ. *d. 10. n.* 50. Equitibus Militaribus de licentia Ordinis ſuſcipientibus ſtatum Clericalem, ſi congrua deficiat, ab ipſo Ordine eſt præſtanda. *d.3.num.*158.

Coniugalis Caſtitas. Vide *Caſtitatis Votum.*

Conſecrare.

Conſecrare aras, calices, & ſimilia an poſſint Priores Militares iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentes? *d.7.nu.* 139.*& d.18. ex. n.7.*

Conſeruatores Iudices.

Conſeruatorum iuriſdictio. *d. 2.num.* 115. An ſit ordinaria, aut delegata? *ibid. num.* 115. Ad quid fuerint inſtituti? *ibid. n.* 137. Poſſunt eſſe Conſeruatores Prælati, Vicarij generales Epiſcoporum, Canonici Eccleſiarum Cathedralium, & Collegialium, Dignitates, Superiores, locales Regulares, Priores, & Rectores Militares. *d.2.ex num.* 116. Subpriores Militares, præſente Priore, nequeunt eſſe Conſeruatores, ſic vero, abſente, aut vacante Munere. *d. 7. num.* 229.

Conſeruatoriæ Bullæ à pluribus Pontificibus conceſſæ ſunt Ordinibus Militaribus. *d. 2. ex num.* 121. Reges, vt Adminiſtratores, & Ordines Militares poſſunt eligere Conſeruatores, & pro quibus cauſis? *ibid.n.* 133. Ab eorum ſententijs immediatè ad Pontificem appellatur. *ibid. num.*128. Quinam poſſint eligere Iudices Conſeruatores? *ibid.n.* 129. Contra quos poſſint hi procedere? *d. 2.num.* 131. Nequeunt ab aliquo, niſi, Rege, ex territorio ſibi ſubiecto in temporalibus, aut in ſpiritualibus eligi. *ibid. n.*136.

Conſeruator an poſſit eligi Prælatus vnius

Ordinis à Regulari alterius ad iniuriam perſonalem propulſandam? *d.* 2. *num.*135. Conſeruatores Ordinum Militarium ampliori iuriſdictione gaudent, quam Conſeruatores ex præciſo ſuo munere habent. *ibid. n.*138. Antiquitus etiam Ordines Militares eligebant Conſeruatores. *ibid.num.* 139. Priuilegia conſeruatoria eorum, quæ ſunt per modum contractus remuneratorij, an limitentur per Tridentinum, aut per Conſtitutiones Pontificias? *ibid. num.* 140. Conſeruator in cauſis competentiæ Ordinum Militarium quomodo ſe gerat? *d.* 2. *num.* 143.

Conſpirator.

Conſpiratores excommunicantur ſingulis annis in Ordinibus Calatrauæ, & Alcantaræ. *d.* 12. *num.* 57. Qui ſint conſpiratores? *ibid n.* 58.

Conſuetudo.

Conſuetudo poteſt tollere obligationem peccati mortalis, & venialis. *d.* 5. *num.*27. Poteſt etiam tollere obligationem clauſuræ reſpectu Monaſteriorum Monialium. *d.* 14. *num.* 69.

Conſultatio.

Conſultationes ſuper quibus rebus, Dignitatibus & Muneribus Ordinum Militarium fiant Regi noſtro à Senatu Ordinum? *d.* 17. *n.* 27.

Contractus. Contrahere.

Contrahere an poſſit Monialis, & quomodo, & an indè Monaſterium obligetur? *d.* 14. *num.* 32.

Conuerſæ Moniales.

Conuerſæ Profeſſæ tenentur ad clauſuram ſeruandam. *d.*14. *n.*74. VIDE *Moniales.*

Conuerſio Morum.

Conuerſio morum de bono in melius, quæ promittitur in Profeſſione Alcantarenſium, quid ſit, & ad quid obliget? *d.* 3. *ex num.* 82.

D.

Debita.

Debita contracta ante, & poſt Profeſſionem an teneatur Monialis, vel Monaſterium ſoluere. *d.* 14. *n.* 35.

Decimæ.

Decimæ non debentur ex bonis Commendarum Militarium. *d.* 10. *n.* 38. Ex decimis, quæ commendatariis ſoluuntur, poteſt deduci aliqua pars ad Seminaria puerorum in Cathedralibus. *d.* 10. *num.* 43. Ex quibus fructibus debeantur decimæ commendatariis? *d.* 10. *num.*39. Dominus fundi poteſt, inuito commendatario, aut Parocho, mutare culturam, quamvis poſteà indè non ſit ſoluturus decimas. *ibid. num.* 41. Lites ſuper decimis ad Tribunal Eccleſiaſticum attinent. *ibid.* In territoriis Ordinum pertinent ad Priores, & ad Senatum Ordinum. *d.* 10. *num.* 41.

Decimarum retentio eſt caſus reſeruatus in pluribus diœceſibus. *d.* 10. *num.* 45. Decimæ conceduntur commendatariis titulo temporali, & ſolutis oneribus, poſſunt hi in quoſvis vſus eas expendere *d.* 10. *num.* 48. Decimæ Eccleſiarum Ordinum Militarium pertinent ad ipſos Ordines. *d.* 10. *n.* 1. Decimæ an ſoluendæ ſint ab Equitibus Militiarum? *d.* 2. *n.* 113. An à Clerico Fratre ex vſufructu, quem ſibi reſeruauerit, bonorum ſuorum? *ibid. n.*114.

Definitiones. Vide *Statuta. Defunctus.*

Defunctorum Militarium ſuffragia perſoluenda ab omnibus ex Ordine præſtringuntur. *d.*16. *ex num.* 8. An ſit peccatum, ea non perſoluere? *d.* 13. *num.* 14. Expedit valdè ea adimplere? *d.* 13. *n.* 25. Defunctorum Equitum, & Fratrum Clericorum funus, habitus, & pompa. *d.*16. *n.*1.

Degradare.

Degradare nequeunt Clericum ſubditum Priores Militares iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentes. *d.*7. *n.*158.

Delictum.

Delicta grauiora Fratrum Clericorum Militarium (ſi quæ ſint) in Collegiis degentium ad Senatum Ordinum ſunt deferenda. *d.* 7. *num.* 124. De delictis Equitum Militarium, qui Iudices cognoſcant? *d.* 2. *ex num.* 21.

Depoſitarius. Depoſitum.

Depoſitis pecuniis obtentis ex informationibus, aut aliundè, an poſſint vti abſque licentia ſpeciali Superioris Clerici Fratres intra communitatem degentes? *d.* 4. *num.* 30. Depoſitarij Ordinum Militarium. *d.* 8. *num.* 40.

Dignitates.

Dignitates aliæ ſunt intra Ordines Militares, aliæ extra ipſos. *d.* 8. *n.* 1. Poteſt vna, eademque Dignitas eſſe talis intra, & extra ordinem. *ibid. n.* 1. Receuſentur Dignitates trium Ordinum Militarium. *ibid. n.* 2. Clericus Frater habens Dignitatem intra ordinem nequit eſſe Prior Monaſterij, aut Adminiſtrator, nec Rector Collegij, niſi renuntiet Dignitati. *d.* 7. *ex n.* 199. Dignitates conſuetæ conferri clericis Fratribus nequeunt concedi Equitibus, & è conuerſo. *d.* 8. *num.* 7. Dignitates poſſunt renuntiari, & quomodo? *d.* 11. *num.* 112. Exemptiones Dignitatum ordinum Militarium. *d.* 8. *n.* 26. Quid teneantur Dignitates ſoluere ex redditibus? *d.* 6. *n.* 24.

Dignitates ſæculares in Eccleſiis nequeunt habere clerici Fratres abſque diſpenſatione. *d.* 11. *à n.* 44. An Equites Militares poſſint eas obtinere? *ibid. n.* 54. Dignitates ordinum Militarium quomodo ſint præſtandæ. *d.* 10. *n.* 18.

Dimiſſoriæ Literæ.

Dimiſſorias ad ordines poſſunt concedere Priores Militares ſuis ſubditis. *d.* 7. *ex num.* 82. An poſſint Subpriores, illis deficientibus? *ibid. num.* 95. An, vt Equites Militares Ordinibus initientur, debeant petere literas dimiſſorias à Prioribus? *d.* 7. *ex num.* 103. Clerici Fratres nequeunt ſine dimiſſoriis Priorum Ordines ſuſcipere. *d:* 6. *n.* 45. Priores poteſtate quaſi Epiſcopali fungentes poſſunt Ordines minores conferre his, qui literas dimiſſorias à ſuis prælatis afferunt. *d.* 7. *ex n.* 81. Vicarij Priorum, Sede vacante, nequeunt intra annum dimiſſorias concedere ſubditis ſæcularibus, ſic verò, tranſacto anno *d.* 7. *ex n.* 95. Niſi intra annum ratione Beneficij obtenti ſubditus debeat initiari ſacris. *ibid.* Poſſunt eas concedere intra annum Clericis Fratribus ſubditis. *ibid. n.* 101. Literæ dimiſſoriæ conceſſæ ab Epiſcopo, aut Priore, adhuc eis morientibus, aut à Prælatura ceſſantibus, non expirant. *d.* 7. *n.* 94.

Diœceſis.

Sanctorum Diœceſis, intra quam ſunt loca exempta, ſeu Ordinum Militarium, Officium diuinum poteſt in his recitari. *d.* 12. *n.* 113. An poſſit recitari in ipſa Diœceſi Officium diuinum Sanctorum, qui ſunt proprij loci exempti? *ibid. num.* 119. Subditi ſæculares Priorum Militarium ſunt nullius Diœceſis. *d.* 7. *n.* 53.

Diſpenſare. Diſpenſatio.

Diſpenſare an poſſint Priores Militares territorio gaudentes in omnibus caſibus, in quibus Epiſcopi poſſunt? *d.* 7. *num.* 108. In quibus poſſint Subpriores Militares, abſentibus Prioribus, diſpenſare cum ſubditis? *d.* 7. *ex n.* 232. Diſpenſationes conceſſæ à Priore, aut Subpriore abſque limitatione temporis, non expirant, quamvis illi ſua officia abſoluant. *d.* 7. *n.* 241. Diſpenſare an, & quomodo poſſint Priores in impedimentis matrimonij, in Iure, & ad petendum debitum. *d.* 7. *n.* 153.

Diſpoſitio Bonorum.

Diſpoſitiones vltimas Clericorum Fratrum an poſſint immutare Rex, Ordo, aut Senatus Ordinum? *d.* 15. *n.* 5. An poſt apprehenſam poſſeſſionem bonorum defuncti? *ibid. n.* 51. Clerici Fratres intra communitatem obeuntes nequeunt diſponere de bonis. *ibid. n.* 41. Nec Rectores Collegiorum Militarium. *ibid.* Sic verò Priores Monaſteriorum, adhuc finito officio. *ibid.* An Adminiſtrator Monaſterij Calatrauæ? *ibidem.*

Diſponere poſſunt de bonis mobilibus Clerici Fratres extra communitatem degentes, dum viuunt. *d.* 4. *n.* 31. Et in morte; ſed quibus conditionibus? *d.* 15. *n.* 34. De bonis immobilibus poſſunt diſponere, dum viuunt, & dum obeūt Clerici Fratres Iacobæi Beneficia habentes, & Priores formati calatrauenſes, & Sacriſta maior. *d.* 14. *ex n.* 31. *&* *d.* 15. *n.* 8. *&* *n.* 40. Nulli verò Alcantarenſes. *d.* 4. *n.* 35. *&* *d.* 15. *n.* 40. Bona eorum, qui non diſponunt de bonis, dum moriuntur, ad Monaſterium pertinent. *d.* 15. *n.* 40. Et bona eorum, qui diſponunt, deficientibus conditionibus neceſſario requiſitis. *ibid. n.* 35. De licentia ordinis poſſunt diſponere de bonis Clerici Fratres obeuntes intra communitatem. *d.* 15. *n.* 41.

Doctoratus. Vide *Gradus. Dominium.*

Dominium bonorum habent Equites Militares. *d.* 4. *n.* 5. Non habent illud clerici Fratres, adhuc Iacobæi. *ibid. n.* 66. Dominium ſtat cum voto paupertatis. *d.* 10. *ex num.* 58.

Donare. Donatio.

Donans rem, inſtrumento publico facto, ſibi reſeruans proprietatem, iudicatur factam donationem peregiſſe. *d.* 4. *num.* 44. Monialis, & quomodo facere queat donationes

donationes cauſa mortis? *d.* 14. *numer.* 8.

Dos.

Dos recipitur pro admiſſione Monialis abſque ſimonia. *d.* 14. *n.* 15. Quando ſit dos recipienda? *ibid.* Valor monetæ ſoluendæ pro dote attenditur iuxta tempus contractus. *ibid. n.* 16. Poteſt recipi aliquid pro damno emergente, ſi dos non ſoluatur; nihil verò pro lucro ceſſante. *ibid.* Dos Monialis an alienari poſſit? *ibid.*

Dubium.

Dubia circa Regulam poſſunt interpretari capitula generalia Ordinum Militarium. *d.* 7. *n.* 13. In dubio, an ſit ſtrictior Religio, ad quam vult tranſire Religioſus ex alio ordine, ſtandum eſt viri prudentis arbitrio. *d.* 3. *n.* 134.

Duellum.

Duelli acceptatio an aliquando ſit licita? *d.* 12. *ex num.* 96. An prouocario ad duellum? *ibid.* Quomodo in ſenſu recto intelligatur interrogatio in informationibus ad Ordinem D. Iacobi, an candidatus prouocatus ad duellum ſe purgauerit ab ignominia? *d.* 3. *ex num.* 15. & *d.* 18. *ex n.* 1. Non poteſt excludi ab Ordinis Iacobæi ingreſſu is, qui propter Deum remiſerit iniuriam, & prouocatus non acceptauerit duellum. *d.* 12. *num.* 16. An abſolnendus ſit, qui paratus eſt accepiare duellum ob vitandam infamiam, aur ne impediatur ei ingreſſus in Ordinem D. Iacobi? *d.* 12. *n.* 96. Etiam ſi acceptatio aur prouocatio ad duellum in aliquo caſu licitæ cenſeantur, conſulendum eſt, abſtinere ſemper à duellis. *d.* 12. *n.* 99. De duello aliqua attinguntur. *d.* 18. *ex n.* 2. An expediar mutari interrogationem circa duella in informationibus? *ibi ex n.* 5.

E.

Eccleſia.

Eccleſiæ Ordinum Militarium. VIDE. *Beneficium. Exemptio. Viſitatio.*

Eleemoſyna.

Eleemoſyna largienda à Commendatariis Militiarum in ſuis territoriis. *d.* 6. *num.* 22. Eleemoſynæ à Parochis tribuendæ. *d.* 4. *num.* 93.

Enſis.

Enſibus accinctis poſſunt Equites Militares recipere Sacramenta, ſed oppoſitum non non eſt peccatum. *d.* 12. *ex num.* 43. Enſes ſunt proprius Habitus Equitum quorumcumque, non verò Militarium, vt Militares ſunt. *ibid. n.* 47.

Epiſcopus.

Epiſcopi poterant olim Religiones approbare, & eas approbabant. *d.* 1. *num.* 157. Epiſcopus Salmantinus, ante approbationes Pontificias, approbauit Ordinem S. Iuliani del Pereiro, qui nunc Ordo Alcantaræ vocatur. *ibid.* Quare Epiſcopi plures renuant initiare ordinibus eos, qui afferunt litteras dimiſſorias ab Abbatibus, & Prioribus Militaribus? *d.* 7. *ex num.* 89. Quare in litteris dimiſſoriis, quas expediunt, prohibeant ſubditos initiari ordinibus minoribus ab Abbatibus, & Prioribus? *ibid. n.* 87. Epiſcopi nomen in territoriis exemptis an ſit apponendum in canone, & collecta Miſſæ? *d.* 7. *n.* 124. An nomen Epiſcopi Caurienſis in territorio Alcantaræ? *ibid. num.* 130. Omittendum eſt nomen, ſede vacante. *ibid. n.* 136.

Epiſcopus an valeat excommunicare Moniales exemptas? *d.* 14. *n.* 41. Epiſcopi poſſunt cenſuras ferre per modum ſtatuti, quæ durant ipſis mortuis, aut amotis. *d.* 7. *n.* 151. Non verò aliæ durant. *ibid.* Epiſcopi an, & quomodo poſſint commutare voluntates Fundatorum, circa opera pia? *d.* 7. *num.* 155. An valeant familiam armatam habere ad iuſtitiæ execurionem? *ibid. num.* 256. Plura, quæ poſſunt præſtare, præſtringunrur. *ibid. & ſeq.* Epiſcopus de nouo adueniens, poteſt obligare Sacerdotes, etiam Religioſos, ad nouum examen, vt concioneutur & audiant Confeſſiones. *d.* 7. *n.* 121.

Epiſcopus poteſt Ordinibus initiare Nouitios, qui à ſuo Prælato afferant litteras dimiſſorias. *d.* 3. *num.* 154. Eriam ſi non afferant, poteſt Epiſcopus loci, in quo eſt Nouitiatus, eos ordinibus initiare. *ibid.* Ad Epiſcopatum poteſt promoueri quilibet Religioſus, niſi ſtatuta ſui ordinis obſtent. *d.* 9. *num.* 51. Quæ licentia requiratur ad acceptandnm Epiſcopatum? *ibid.* Bona Religioſi promoti ad Epiſcopatum ad ſuam Religionem ſpectant. *d.* 9. *num.* 52. Clericis Fratribus, ſi ad illum promoueantur, licentia vteudi eis bonis conceditur. *ibidem.*

Epiſcopus Religioſus, cum decedit è vita, an poſſit diſponere de bonis, quæ ante Epiſcopatum habebat? *ibid.* & 59. An de aliis ſua induſtria acquiſitis? *ibid.* Epiſcopus Religioſus non abſoluitur à votis. *ibid.*
num.

num. 52. Quomodo ad ea teneatur? *ibid.* non tenetur niſi ex æquitate ad obſeruantias ſui Ordinis. *d.* 9. *n.* 55. Tenetur geſtare Habitum ſui Ordinis. *ibid. num.* 56. Et Clericus Frater crucem. *ibid.* Et conformari Officio Canonico Eccleſiæ, cui præeſt. *ibid. num.* 57. Statim ac confirmatur Epiſcopus, liberatur ab obſeruantia Regulari, & ab obedientia Prælati. *ibid. num.* 58. Quamvis renunciet Epiſcopatui, non ſubeſt Prælato Ordinis. *d.* 9. *num.* 59. Idem poteſt tunc præſtare circa diſpoſitionem bonorum, ac ſi non renuntiaſſet. *ibid.* Epiſcopus Religioſus poſt conſecrationem poteſt ſuccedere in bonis hæreditariis. *ibid. num.* 55. Epiſcopi Caurienſis concordia cum Ordine Alcantaræ. *d.* 7. *ex n.* 163.

Eques Militaris.

Equites Militares Ordinis S. Ioannis ſunt ſtrictè Religioſi. *d.* 1. *num.* 120. An cæteri Equites Militares ſint abſolutè, & ſtrictè Religioſi? *d.* 2. *ex num.* 21. An perſonæ Eccleſiaſticæ? *ibid. n.* 22. An in cauſis criminalibus, & mixtis exempti à juriſdictione ſæculari? *ibid. n.* 28. Quo fine, & animo debent Habitum poſcere, & ſuſcipere? *d.* 3. *n.* 168. Ad quid teneantur ratione voti Obedientiæ? *d.* 5. *ex num.* 1. Ad quid ratione voti Paupertatis? *d.* 4. *ex n.* 1. Ad quid ratione voti caſtitatis? *d.* 6. *ex n.* 1. Non tenentur ſub peccato ſeruare Regulas, Statuta, & Definitiones Ordinum, niſi in eis cenſura, aut præceptum obedientiæ imponatur, aut materia ex ſe grauiter obliget. *d.* 6. *ex num.* 17. Nec tenentur ſub peccato graui recitare orationes præſcriptas in ſtatutis. *d.* 13. *n.* 14. Nec facere Inuentarium. *d.* 4. *ex num.* 11. Nec perſoluere ſuffragia præfixa pro defunctis. *d.* 13. *num.* 14. Ea tamen omnia explere omninò par eſt. *ibid.* Equitum, qui commendis potiuntur, obligationes. VIDE *Commenda.*

Equites Militares an gaudeant priuilegio Canonis? *d.* 3. *num.* 66. An, ſi nouitij ſint, eo gaudeant, & priuilegio fori proprij? *ibid. n.* 65. An teneantur Equites ſub mortali geſtare Habitum ſuorum Ordinum. *d.* 12. *n.* 1. A peccato excuſabit eos paruitas temporis. *ibid. n.* 5. Si non geſtent, inhabiles ſunt ad commendas. *ibid. n.* 14. Poſſunt eis priuari, ſi non geſtent Habitum. *ibid.* An ſufficiat afferre Crucem è collo pendentem? *ibid. num.* 6. Equites à quo debeant accipere Habitum. *d.* 3. *num.* 53. A quo Profeſſionem. *ibid. num.* 55. In quo caſu poſſit alius, qui non ſit ex Ordine, Habitum, & Profeſſionem præbere? *ibid. n.* 57.

Equites Militares vocati à Rege noſtro ad pugnandum contra hoſtes Eccleſiæ tenentur ad bellum proficiſci. *d.* 6. *n.* 13. Eorum inſtitutum, & finis, qui pius, & perfectus eſt, exponitur. *d.* 1. *ex n.* 1. Eques Profeſſus peccat contra votum caſtitatis, ſi habeat delectationem veneream moroſam. *d.* 5. *n.* 5. VIDE *Caſtitatis votum.* Si voueat in Profeſſione votum caſtitatis abſolutæ, illud non erit ſolemne, ſed validum, niſi per errorem fiat. *d.* 5. *n.* 10.

Equites Militares proprietatem retinent bonorum. *d.* 4. *num.* 6. Non violant votum paupertatis expendendo bona in vſus illicitos. *ibid. num.* 14. Nequit Ordo tollere ab eis proprietatem bonorum, ſic verò redditus ob cauſas vrgentes. *ibid. num.* 10. Quid de Nouitiis? *ibid. n.* 116. Vide *Paupertatis votum.* Equites (excipe Equites ordinis S. Ioãnis) poſſunt teſtari de omnibus bonis. *d.* 15. *num.* 1.

Equites, an debeant impetrare literas dimiſſorias à Prioribus Militaribus, vt Ordinibus initientur? *d.* 7. *n.* 103. Nequeunt obtinere Prioratus, & Dignitates Ordinum conſuetas præſtari Clericis Fratribus, nec item ſimilia Beneficia. *d.* 8. *num.* 7. Nec è conuerſo Clerici Fratres poſſunt obtinere commendas proprias Equitum. *ibid.* Accinctis enſibus poſſunt Equites recipere Sacramenta, & item diſcinctis. *d.* 12. *ex numer.* 43.

Equites Ordinis S. Ioannis, & cæteri poſſunt validè ad Religionem ſtrictiorem tranſire. *d.* 3. *ex n.* 98. An licitè? *ibid. n.* 121. Quæ licentia ſufficiat. *ibid. num.* 122. Eques Ordinis S. Ioannis poteſt ex diſpenſatione Pontificia ad alios Ordines Militares tranſire. *ibid. num.* 135.

Equites Militiarum in Regno Neapolitanó conueniuntur in cauſis criminalibus coram Iudicibus ſæcularibus. *d.* 2. *num.* 56. Quid in aliis Regnis extra Hiſpaniam? *ibid.* Si delictum ante ſuſceptionem Habitus commiſerunt, ad quem pertineat cognitio? *d.* 2. *n.* 78. Propter delicta concernentia officium publicum Regium iuxta omnes ſententias poſſunt puniri à Iudice ſæculari. *ibid. n.* 80. An pœna corporali? *ibid.* Propter violationem pragmaticæ in flagranti deprehenſi à Iudice ſæculari pœna impoſita poſſunt affici, & quomodo? *ibid. num.* 81. An poſſit Actor in cauſis ciuilibus Equitem conuenire coram Senatu Ordinum? *d.* 2. *n.* 83. Eques Actor in ciuilibus debet conuenire Reum in huius foro. *ibid. num.* 66. Eques Reus in ciuilibus, iuxta omnes ſententias, coram Iudice ſæculari conuenitur. *ibid. n.* 55. Quid circa id ab aliquibus ċēſeatur?

tur? *ibid. n.* 64. Cum vterque litigans eſt Eques Militaris, an Actor coram Senatu Ordinum debeat Reum conuenire? *ibid. n.* 83. Equites Ordinis D. Ioannis, etiam in cauſis ciuilibus, coram Aſſamblea ſunt conueniendi. *ibid. n.* 84. Qui in Ordine D. Ioannis dimidiam Crucem pro Inſigni geſtant, non gaudent priuilegio fori. *ibidem.*

Equitum Militarium funera, habitus, pompa, & comitatus. *d.* 16. *ex num.* 3. Equites an poſſint contrahere nuptias abſque licentia, & ad quid hæc licentia requiratur? *d.* 3. *num.* 87. An valeant abſque licentia ſuſcipere Ordines Sacros? *ibid. num.* 97. An ad extera, & ad diſtantia Regna proficiſci? *d.* 3. *n.* 95. Eques poteſt abſque diſpenſatione tranſire ad ſtatum Clericorum Fratrum, non verò è conuerſo *d.* 3. *num.* 129.

Equitibus Ordinis D. Ioannis competit bonorum ſucceſſio, quamvis ſit clauſula excludens Religioſos. *d.* 10. *num.* 60. A fortiori cæteris Equitibus. *ibid.* Equitibus Iacobæis vſus conjugij prohibetur in ſtatutis, certis diebus. *d.* 5. *ex num.* 22. An ſit peccatum is vſus illis diebus? *ibid.* Equitibus Iacubæis præſcribitur forma relinquendi legata. *d.* 15. *n.* 8. Vt quis Habitum Equeſtrem recipiat, & Profeſſionem emittat, ſi ſit conjugatus, requiritur licentia vxoris. *d.* 3. *num.* 160. Quæ licentia ſufficiat? *ibid. ex n.* 167. Equitis Profeſſi filius extra matrimonium habitus eſt ſacrilegus. *d.* 5. *num.* 9. An legitimetur per ſubſequens matrimonium? *ibid.*

Equites Militares poſſunt obtinere perfectionem virtutis per media in ſuis Ordinibus ſtabilita. *d.* 3. *n.* 171. Debent abſtinere à iuramentis, & ludis immoderatis. *ibid. numer.* 173. Poſſunt, etiam in ſacris conſtituti, aſſiſtere ſpectaculis agitationis Taurorum, adhuc independenter à tolerantia. *d.* 9. *numer.* 60. Cum quo debeant, & poſſint confiteri? *d.* 7. *n.* 18. *&* *d.* 9. *ex n.* 70. *&* *d.* 12. *numer.* 86. VIDE *Ordines Militares.*

Euchariſtiæ Sacramentum.

Euchariſtiæ Sacramentum an ſint accepturi Equites Militares, accinctis enſibus? *d.* 12. *ex n.* 43. Præfixi ſunt dies, vt Equites illud accipiant. *d.* 6. *num.* 34. Non peccant, quamvis id non præſtent. *d.* 6. *num.* 34. Ante Capitula Generalia Euchariſtia ab omnibus adſtituris recipitur. *d.* 7. *num.* 8. Euchariſtiam nequeunt habere Moniales intra clauſuram, niſi ex ſpeciali priuilegio. *d.* 14. *numer.* 37. Eam habent plura Monaſteria. *ibid.*

Euchariſtiam frequenter ſumere debent Militares. *d.* 12. *ex num.* 126. An acceptio Euchariſtiæ ſit prohibita in die Paraſceues? *d.* 12. *num.* 129. Olim eo die ſumebatur. *ibidem.*

Examen. Examinare.

Examinandi ſunt omnes Clerici Fratres, vt Beneficium Parochiale obtineant. *d.* 12. *n.* 8. Quid Senatus Ordinum præſtet circa examen ad Beneficium? *ibid. ex n.* 100. Si ab vno ad aliud Beneficium promoueantur, an ſint examinandi? *ibid. n.* 12. *&* 100.

Epiſcopus de nuuo adueniens poteſt vocare ad examen Confeſſarios, & Concionatores, etiam Religioſos approbatos à ſuo prædeceſſore. *d.* 7. *n.* 121. Quamvis ſint gradu inſigniti Clerici Fratres, ſunt examinandi ante collationem Beneficij. *d.* 11. *ex num.* 2. In permutationibus, & reſignationibus Beneficiorum an ſit neceſſarium examen? *ibid. num.* 14. Non requiritur ad Beneficia Regularia ea forma examinis, & examinatorum, quæ ad Beneficia ſæcularia *ibidem.*

Excommunicatio.

Excommunicatio lata per modum ſtatuti ab Epiſcopis, aut Prioribus Militaribus, adhuc ipſis deficientibus durat. *d.* 7. *n.* 151. Secùs aliæ excommunicationes. *ibid.* Excommunicàtio, quæ fertur die Dominica Palmarum in Monaſteriis Calatrauæ, & Alcantaræ expunitur. *d.* 12. *ex n.* 57. An comprehendat Equites, & Clericos Fratres abſentes? *ibid. n.* 63. An Moniales Militares? *ibid. num.* 69. An poſſit legi in Collegiis Militaribus, & Monaſteriis Ordinum? *ibid. n.* 69. Quomodo incidant in excommunicationem Clerici Fratres non facientes Inuentarium? *d.* 4. *num.* 28. VIDE *Abſoluere. Cenſura.*

Excuſatum. Vide *Subſidium.*
Exemptio. Exemptus.

Exemptio Ordinum Militarium. *d.* 2. *ex n.* 1. *&* *d.* 7. *numer.* 44. Eccleſiæ Ordinum, & Clerici Fratres exempti ſunt ab Ordinariis. *d.* 2. *num.* 8. *&* *d.* 7. *numer.* 44. An Equites Militares ſint exempti? *d.* 2. *ex numer.* 21. An Epiſcopus poſſit excommunicare Moniales exemptas? *d.* 14. *numer.* 41.

Exploratio

Exploratio Voluntatis.

Explorari debet ab Ordinario voluntas Monialis ante Profeſſionem. *d.*14.*n.* 9. Quamvis non exploretur, eſt valida Profeſſio ſecuta.*ibid.* Exponuntur aliqua circa eam explorationem.*ibid.& numer.*13.

Expoſitus.

Expoſiti nequeunt recipi ad Ordines Militares.*d.*3.*num.*50.

F

Falſarius.

Falſarij excommunicantur in Monaſterijs Calatrauæ, & Alcantaræ, die Dominica Palmarum. *d.* 12. *numer.* 57. Qui intelligantur falſarij? *ibid.n.*61.

Famulus, Famula.

Famulæ vt admittantur in Monaſterijs Monialium, conſuetudini eſt ſtandum. *d.*14.*n.* 97. Famuli Equitum, & Fratrum Clericorum an gaudeant in aliquibus caſibus priuilegio fori dominorum? *d.* 1. *num.*71. Priuilegia conceſſa à Leone X. Famulis Monaſteriorum de Veles, & S. Marci, nequeunt ab illis obtineri abſque Bulla Cruciatæ.*d.*12.*num.* 148. Famuli Ordinum Militarium, ſeu perſonarum, quibus priuilegijs potiantur.*d.*2.*num.*107.

Feſtum.

Feſtum Immaculatæ Conceptionis Deiparæ obſeruatur ex præcepto in Hiſpanijs. *d.* 12. *numer.* 105. An extra Hiſpanias in locis Regi noſtro ſubiectis? *ibid.* Feſtus erat olim dies S. Benedicti in territorio Ordinis de Alcantara. *d.* 12. *num.*73. Expediens eſt, vt feſtus ille dies inibi inſtituatur. *ibid. ex num.* 75. Quis poſſit eum diem Feſtum inſtituere? *ibid. nu.* 75. *& d.* 7. *n.* 154.

Fides; & Fidei Sacrum Tribunal.

Fidei proteſtatio fit, dum aſſurgitur ad Euangelium in Miſſa.*d.*12.*num.* 44. Olim in enſibus manus tenebantur.*ibid.*

A Fidei ſacris Tribunalibus non ſunt exempti Equites, nec Clerici Fratres Militiarum in cauſis ad illa pertinentibus.*d.*2.*n.*90. In Tribunalibus Fidei ad cauſas Reorum ſæcularium, qui ſunt ſubditi Priorum Militarium, debent aſſiſtere Ordinarij Priorum, ſicut aſſiſtunt ad ſimiles cauſas Ordinarij Epiſcoporum.*d.*7.*n.*162. In ſacris Fidei Tribunalibus plures Clerici Fratres fuerunt, ac ſunt Quæſitores, & Fiſcales.*diſq.*9.*n.*109.

Filius.

Filius Equitis Militaris Profeſſi habitus extra matrimonium, eſt ſacrilegus. *d.* 5. *n.* 9. An legitimetur per ſubſequens matrimonium? *ibid.*

Finis Ordinum Militarium

Finis Inſtituti Ordinum Militarium quoad Equites, & Clericos Fratres exponitur. *d.* 1. *ex numer.* 1. Eſt valdè pius, & perfectus. *ibid.n.*1.*& ſeqq.*

Fiſcalis.

Fiſcales Equites dantur in Ordinibus Militaribus. *d.* 8.*nu.* 35. Eorum munus, & electio. *ibid.* Eorum Sedes. *d.*17.*n.*45.

Fiſcus.

Fiſcum habere poſſunt, cui pœnæ applicentur, Priores Militares iuriſdictione quaſi Epiſcopali in territorio gaudentes.*d.*7.*num.* 150. Ad quem ſpectent pœnæ Fiſco applicatæ? *ibid.*

Fœmina.

Fœmina an, & quomodo poſſit habere Commendam Ordinum Militarium? *d.*10. *num.* 11. Fœmina, ſi ſuccedat in Regna Hiſpaniæ, erit Adminiſtratrix Ordinum Militarium.*d.* 6.*num.* 1. Fœminæ an ſint capaces iuriſdictionis ſpiritualis? *d.*6.*num* 2. Fœmina coniugata poteſt de conſenſu viri in Monialem admitti. *d.* 14. *n.* 6. Et ante conſummatum matrimonium intra bimeſtre ſine conſenſu.*ibid.*

Fori Priuilegium.

Fori priuilegio an gaudeant Equites Militares? *d.* 2. *ex numer.* 21. Gaudent illo Clerici Fratres. *ibid. numer.*70. Et Moniales Militarium. *ibid.* An Nouitij Equites? *d.* 2. *n.* 70. *& d.* 3. *num.* 65. Nouitij Clerici Fratres eo gaudent. *ibid.* Et Nouitiæ Moniales. *d.* 14. *numer.* 44. An eo potiantur famuli, & Miniſtri Priorum poteſtate quaſi Epiſcopali gaudentium? *d.* 7. *num.*150. An eo gaudeant vxores Equitum, viduæ, filij, famuli, & Vaſſalli Ordinum? *d.*2.*num.*71.

B. Franciſcus De Borja.

B. Franciſcus de Borja, Dux Gandiæ, tertius Præpoſitus Generalis Societatis IESV, fuit Eques Ordinis D. Iacobi. *d.*6.*num.* 116.

Eius corpus Matriti in Domo Profeſſa Societatis ſumma veneratione colitur. *ibid.*

Frater Clericus Militaris. VIDE, *Clericus Frater.*

Funus.

Funeris Equitum Militarium, & Clericorum Fratrum, forma, comitatus, & pompa. *d.* 16.*ex num.*3

Fur.

Fures excommunicantur in Monaſterijs Calatrauæ, & Alcantaræ ſingulis annis, die Dominica Palmarum.*d.*12.*num.*57. Quinam fures huic excommunicationi ſubiacent? *ibid.num.*60.

G

Gradus.

Gradum Bacchalaureatus in Iure Ciuili an poſſint recipere Clerici Fratres Militiarum? *d.*9.*num.* 18. An Gradum Doctoratus? *ibid. num.*67. Poſſunt inſigniri Gradibus Magiſterij. & Doctoratus in Artibus, Theologia, & in Iure Canonico. *ibid.num.* 22. Nobilitatis requiſitum in Clericis Fratribus Calatrauenſibus diſpenſatur per Definitiones, ſi ſint inſigniti Gradu Bacchalaureatus in Artibus, Theologia, aut Iure Canonico in aliqua ex Acadêmijs ibi deſignatis. *d.* 3. *numer.* 12. Quamvis ſint Gradu inſigniti Clerici Fratres, cum promouentur ad Beneficia Curata, debent examinari.*d.*11.*num.*9.

Gubernator.

Gubernatores Ordinum Militarium recenſentur.*d.*8.*ex n.*30.

H

Habitus.

Habitum ſuorum Ordinum tenentur geſtare ſub peccato mortali Equites Militares, & Clerici Fratres. *d.* 12. *ex numer.*1. Clerici Fratres nec per exiguum tempus poſſunt publicè abſque illo incedere. *ibid. numer.* 32. An lethaliter peccent, ſi illum noctu non geſtent? *ibid. numer.* 12. Si Habitum; & Ordinem deſerant; ſunt Apoſtatæ; ſubiacentque cenſuris, & pœnis. *ibid. numer.* 11. Habitum an ſufficiat geſtare è collo pendentem? *ibid. numer.* 6. An Clerici Fratres, & quomodo valeant illum ſic afferre? *d.*12. *num.* 29. Equites non geſtantes Habitum, inhabiles ſunt ad Commendas.*ibid.n.*14. Cõmendatarij abſque Habitu incedentes poſſunt Commendis priuari. *ibid.*

Habitum à quo accipere debeant Equites? *d.* 3 *numer.*53. A quo Clerici Fratres? *ibid. n.* 58. A quo Moniales Militiarum? *d.*14. *nu.* 63. In quo caſu ſæcularis poſſit Equiti præbere Habitum? *d.*3.*num.*57. Benedictiones Habitus à Presbytero ſunt præſtandæ. *ibid. num.*50.

Habitum laicalem afferentes Clerici Fratres peccant grauiter, quamvis Crucem geſtent. *d.*12.*numer.* 11. Enſes non ſunt habitus proprius Equitum Militarium, qua Militares ſunt, ſed qua Equites in communi. *d.*12. *numer.* 51. Quo habitu poſſint vti Clerici Militares in administratione Sacramentorum.? *ibid. num.* 15. Quo fine ſit expoſceudus Habitus Militaris? *d.*3. *nu.* 168. Simonia non eſt, Habitum Equitum vendere. *d.*1.*n.*234. An ſit peccatum graue? *ibid.n.*243.

Habitus omnium Militiarum deſcribitur. *tota diſq.*1.*ex quaſt.* 2. Habitus, iuxta ſtatuta Ordinum, debet ab Equitibus accipi in Monaſteriis Ordinum. *d.* 3. *num.* 56. In hoc facilè diſpenſatur. *ibid.* Habitus à Principibus exteris conceſſus viris Hiſpanis, niſi ſit S. Ioannis, nequit ab eis afferri in Hiſpania. *d.* 12. *num.* 142. Fiunt inhabiles ad accipiendum Habitus Equeſtrium Ordinum Hiſpaniæ. *ibid.* Quo Habitu ſepeliendi ſint Equites, & Clerici Fratres? *d.* 16.*num.*1.

Hæreſis.

Ab hæreſi occulta an poſſint abſoluere Priores Militares iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentes? *d.*7. *num.*108. Cum datur facultas abſoluendi ab omnibus caſibus reſeruatis Sedi Apoſtolicæ, ſemper intelligitur exceptum crimen hæreſis, niſi exprimatur. *d.* 3. *numer.* 18. Decretum Pontificium ſuper hoc iam eſt intimatum omnibus Cõmunitatibus Religioſis, & Confeſſarijs. *ibid.* Quotannis debet id Decretum legi in Communitatibus, ac in omnibus Capitulis Generalibus, & Prouincialibus. *ibid.*

Hebræus.

Hebræorum ſanguine infecti quocumque ex latere nequeunt admitti ad Ordines Militares. *d.* 3. *numer.* 4. Plures Hebræi in Hiſpania execrati ſunt per literas necem illatam Chriſto D. *d.* 3. *numer.* 52. Per prædicationem D. Iacobi fidem Chriſti acceperunt.*ibid.* An, ſi quis probaret, ab his

Hebræis

Hebræis deſcendere, poſſet admitti ad Ordines Militares, & ad Communitates, quæ ſtatutum puritatis ſanguinis habent? *ibid.*

Hiſpalis.

In vrbe Hiſpaleuſi Monaſterium eſt Ordinis D. Iacobi. *d. 9. num.* 4. Ei Benedictus Arias Montanus ex conceſſione Regia, & diſpenſatione Pontificia Commendam Ordinis applicauit. *ibid. numer.* 109. In Hiſpalenſi diœceſi, quo priuilegio potiantur circa Miſſas, qui eas tenentur dicere ratione Beneficij, aut Capellani? *ibid. num.* 33.

Horæ Canonicæ. VIDE, *Officium Diuinum.*

Hoſpitale.

Hoſpitalium Ordinum Militarium Adminiſtratores non cenſentur habere Beneficia Eccleſiaſtica. *d. 15. num.* 29. Hoſpitalibus applicantur certæ pecuniariæ pœnæ in Ordine D. Iacobi. *d. 14. numer.* 99. Hoſpitalis Regij iuxta Burgos Ordo, ſeu Congregatio, Habitus, & aliqua ad illud ſpectantia. *d. 12. numer.* 5. *&* *d. 3. numer.* 57. *&* 147.

I

D. Iacobi Ordo Militaris.

Iacobæi Ordinis Militaris inſtitutio, & varia circa illam. *d. 1. ex num.* 123. Proponitur ſententia aſſerens fuiſſe inſtitutum in Ciuitate Locrunienſi. *ibid.num.* 125. Progreſſus Ordinis, & fundatio Monaſteriorum. *ibid. ex num.* 126. Ipſius propagatio in Luſitania. *ibid. n.* 128. *&* 135. Magiſtri Ordinis. *ibid. n.* 129. Approbationes, & priuilegia Pontificum, & Regum. *ibid. ex numer.* 130. Conſtitutio Tredecem virorum, & munus, *ibidem. numer.* 139. Inſigne, & Habitus Equitum, & Clericorum Fratrum. *ibid. num.* 134.

Iacobæi Ordinis Magiſter fuit vocatus à Pontifice, vt aſſiſteret Concilio, in quo Templarij fuere damnati. *d. 1. n.* 28. Magiſtratus Ordinis fuit vnitus Regiæ Coronæ Hiſpaniæ. *ibid. num.* 129. *&* 136. Forma, & modus congregandi Capitula Generalia Ordinis. *d. 7. num.* 9. Ceremoniæ Capituli? quinam ius ſuffragij habeant? Poteſtas, & alia ad ipſum ſpectantia. *d. 7. n.* 10.

Iacobæi Clerici Fratres non habent bonorum dominium. *d. 4. ex num.* 66. Poſſunt teſtari ſoli illi, qui Beneficia Eccleſiaſtica obtinent. *d. 15. n.* 10. Priuilegia conceſſa Monaſterijs de Veles, & S. Marci Legionenſis. *d. 12. numer.* 132. *&* 147. Plures Clerici Fratres Inſignes literis, & muneribus referuntur. *d. 9. num.* 108. An abſque diſpenſatione poſſint obtinere Beneficia ſæcularia? *d. 11. num.* 44. In Collegio Salmantino quas Miſſas teneantur dicere? *d. 16. n.* 8.

Iacobæi Ordinis Dignitates. *d. 8. n.* 2. Priores & Vicarij *ibid.* Cõmendæ, & earum valor. *d. 10. n. 19. &* *d. 17. n.* 20. Beneficia. *d. 17. num.* 20. Iacobæi Equites ab exordio Ordinis potuerunt nuptias contrahere. *d. 1. n.* 36. Quomodo poſſint condere teſtamenta, & quæ legata relinquere? *d. 15. num.* 8. Priores Monaſteriorum huius Ordinis eliguntur per ſuffragia Clericorum Fratrum. *d. 8. nu.* 5. VIDE *Ordo Militaris. Eques Militaris. Clericus Frater.* Et cætera verba.

Ieiunium.

Ieiuniorum dies præſcripti in Regula Ordinis D. Iacobi. *d. 5. ex numer.* 22. Quæ obligatio vrgeat ad illa? *ibid. num.* 23. In ieiunijs Quadrageſimæ poſſunt Clerici Fratres virtute Bullæ Cruciatæ edere oua, & quinam ex eis non poſſint? *d. 12. num.* 145. *&* *d. 18. ex num.* 17. Fratres Clerici in Monaſterijs de Veles, & S. Marci abſque Bullæ Cruciatæ poſſunt ea edere ex priuilegio. *d. 12. n.* 148.

D. Ioannis Baptiſtæ Ordo Militaris.

D. Ioannis Ordinis Militaris inſtitutio, exordium, & Sedes. *d. 1. ex num.* 107. Inſulam Melitenſem Ordini donauit Imperator Carolus V. *ibid. num.* 110. In donationis ſignum ad Reges noſtros tranſmittitur indè Auis *Azor. ibid.* Epiſcopus Melitenſis eligitur à Rege noſtro vnus ex tribus, quos magnus Magiſter præſentat. *ibid.* Vocatur Magiſter voce Eminentiæ. *ibid. num.* 111. Augmentum huius Ordinis. *ibid. num.* 112. Confirmationes Pontificiæ, & priuilegia. *d. 1. num.* 110. *&* *ex num.* 112. *&* *ex num.* 118. Series, & gradus Equitum. *ibid. numer.* 114. Senatus ſupremus, ex quibus conſtet? *ibid.* Ordinis Officia. *ibid. num.* 113. *&* *num.* 116. Modus optandi Commendas. *ibid. num.* 115. Commendæ quomodo per omnia Regna creuerint? *d. 11. num.* 7. Magiſtri Ordinis iuriſdictio, & poteſtas. *ibid. n.* 118.

D. Ioannis Ordinis Equites vouent Caſtitatem abſolutam. *d. 1. numer.* 116. Sunt ſtrictè Religioſi. *ibid. numer.* 120 In omnibus cauſis conueniuntur in ſuo Tribunali, nempè Aſſemblea. *d. 2. num.* 82. Monaſteria virorum, & Monialium Ordinis. *d. 9. num.* 4. Collegium Salmantinum. *ibid. numer.* 7.

Nullus ex Ordine poteſt teſtari. *d.* 10. *numer.* 57. Commendatarij eligunt parochos examinandos, & approbandos ab Aſſemblea. *d.* 11. *n.* 7. Si non ſint Parochi electi ex Ordine, in illum admittuntur, & loco Nouitiatus Parochiæ inſeruiunt. *d.* 3. *numer.* 2.

Ordinis D. Ioannis habitus. *d.* 1. *num.* 114. Numerus linguarum, ſeu Nationum, Commendarum, & Prioratuum. *ibid. num.* 113. Magnæ cruces *ibid. n.* 114. Bajuliui. *ibid.* Dimidiæ cruces famulantium. *ibidem.* Hi non gaudent exemptione fori. *d.* 2. *numer.* 84. Commendas, magnos Prioratus Bajuliuatus, & Beneficia Ordinis in Hiſpania nequeunt exteri obtinere. *d.* 1. *num.* 21. Equites Ordinis poſſunt tranſire ad alios Ordines Militares ex diſpenſatione pontificia. *d.* 3. *num.* 135. Tam ipſi, quàm Clerici Fratres poſſunt tranſire ad Religionem ſtrictiorem abſque licentia expreſſa ſui Ordinis. *d.* 3. *ex num.* 98. Præſumitur licentia. *ibid. n.* 122. Etiam abſque illa validus eſt tranſitus. *ibi ex num.* 98. Vota Ordinis D. Ioannis diſſoluunt matrimonium ratum non conſummatum, etiam quoad vinculum. *d.* 5. *ex num.* 14. Actus poſitiuus Ordinis S. Ioannis an deberet admitti in Senatu Regio Ordinum, ſi informationes per actus poſitiuos peragerentur? *d.* 17. *num.* 42. VIDE *Eques Militaris. Clericus Frater. Ordo Militaris.*

Immunitas.

Immunitate Eccleſiaſtica an gaudeant domus Priorum Militarium juriſdictione quaſi Epiſcopali pro foro externo gaudentium? *d.* 7. *n.* 150.

Incendiarius.

Incendiarij excommunicantur in Monaſteriis Calatrauæ, & Alcantaræ, quotannis die Dominica palmarum. *d.* 12. *num.* 57. Quinam incendiarij ei excommunicationi ſint obnoxij? *ibid. n.* 59.

Indulgentia.

Indulgentiæ conceſſæ Ordiuibus Militaribus præſtringuntur, & declarantur. *d.* 3. *num.* 109. *&* *d.* 12. *num.* 81. Diſpoſitio requiſita ad obtinendas indulgentias. *d.* 7. *num.* 80. An eas valeant concedere Priores militares? *ibidem. numer.* 76. Quæ indulgentiæ obtineantur tempore Capitulorum Generalium à militaribus? *ibidem. numer.* 21. Indulgentiæ conceſſæ Ordini de Alcantara. *d.* 12. *numer.* 81. Indulgentiis ordinis gaudent Nouitij. *d.* 3. *num.* 68. Et Religioſi ad Epiſcopatum promoti. *d.* 3. *num.* 57. Et infirmi Religioſi ex ſuo lecto recitantes orationes præfixas ad lucrandum indulgentias. *d.* 12. *num.* 25. Et qui ex obedientia exiſtunt extra loca, quibus indulgentiæ ſunt conceſſæ. *d.* 12. *n.* 85. Ordines Militares gaudent communicatione indulgentiarum aliarum Religionum. *d.* 3. *n.* 109. Vt Religioſi lucrentur indulgentias ſuorum ordinum, non indigent Bulla Cruciatæ. *d.* 3. *n.* 68.

Infirmus.

Infirmus Religioſus poteſt lucrari indulgentias ſui ordinis, ſi ex lecto recitet orationes requiſitas. *d.* 12. *n.* 85. Infirmi Beneficiarij, aut Capellani, quo priuilegio gaudeant in Diœceſi Hiſpalenſi circa Miſſas, quas tenentur celebrare? *d.* 9. *n.* 33.

Informationes.

Informationes qualitatis ſanguinis præcedunt ſuſceptionem Habitus militaris. *d.* 3. *n.* 1. Quis eas peragat ad Equites admittendos, ad Clericos Fratres, atque ad Moniales? *ibid.* *&* 58. *&* *d.* 14. *num.* 63. Quæ puritas, & nobilitas ſanguinis in ſingulis ex his requiratur? *ibid. num.* 8. Senatus Regius ordinum informationes Equitum, & Monialium probat, aut reprobat. *d.* 3. *num.* 1. *&* *d.* 17. *num.* 27. Informationes Clericorum Fratrum à quibus videantur, & probentur? *d.* 3. *num.* 58. Quo pacto teſtes in informationibus deponere debeant? *d.* 3. *num.* 26. Plures caſus circa id exponuntur. *ibid.* Si dubium ſit de qualitate Candidati, quid ſit circa informationes decernendum? *d.* 17. *num.* 27. Informationes ſecundæ an peragi poſſint? *d.* 3. *num.* 25. *&* *d.* 17. *num.* 27. Informantes deſignantur à Præſide Senatus ordinum. *d.* 17. *num.* 27. Quid ipſi de informationibus cenſeant, declarant. *ibid.* Iuramentum fideliter ſe habendi emittunt. *ibid. num.* 18. An ante, aut poſt informationes poſſint recipere aliquid à Candidatis? *ibid.*

Informationes probatæ, aut reprobatæ à Senatu ordinum mittuntur ad Archiuia Monaſteriorum Militarium. *d.* 3. *numer.* 25. Informationum ſtipendium an poſſint pro libito expendere Clerici Fratres intra Communitatem degentes? *d.* 4. *numer.* 30. In nulla Communitate Hiſpaniæ informationes puritatis omnimodæ, & nobilitatis ſanguinis paterni ſimul requiruntur, niſi in Monaſterio Alcantaræ; atque

etiam

etiam in Monaſterio Calatrauæ. *d.* 3. *num.* 12. *&* 13. Sed in hoc qualitas nobilitatis diſpenſatur cum inſignitis Gradu Bacchalaureatus. *ibid.* *n.* 12. Quæ informationes requirantur ad Moniales, & ad Conuerſas Ordinum Militarium? *d.* 14. *ex num.* 63. Si per Actus poſitiuos fierent informationes, an eſſet admittendus Actus poſitiuus Ordinis S. Ioannis? *d.* 17. *num.* 42. Secretum ſeruandum circa illas. *ibidem.* *num.* 30.

INSIGNE MILITARE. VIDE *HABITVS.*

Inſtitutio, & Inſtitutum Ordinum Militarium.

Inſtitutio Ordinum Militarium extra Hiſpaniam. *d.* 1. *ex num.* 15. Eorum inſtitutio intra Hiſpaniam. *d.* 1. *ex num.* 94. Vide *Ordo Militaris.*

Inſtitutum Ordinum Militarium exponitur. *d.* 1. *ex n.* 1. Pium valdè eſt, & perfectum. *ibid.* Et ſatisfacere debent Militares. *d.* 3. *num.* 169. Animo adimplendi illud debent Candidati petere Habitus. *ibid.*

Interdictum.

Interdicti tempore, quid liceat Clericis Fratribus Monaſterij de Vcles, & S. Marci, ex ſpeciali priuilegio? *d.* 12. *num.* 138. Quid eo tempore poſſint præſtare omnes Clerici Fratres? *ibid.*

Interpretari. Interpretatio.

Interpretari dubia circa Regulam, & ſtatuta Ordinum Militarium poſſunt Capitula Generalia *d.* 3. *n.* 13. Hæc iterpretatio fit authoritate Apoſtolica. *ibid.*

Inuentarium.

Inuentarium ſuorum bonorum debent Equites Militiarum conficere. *d.* 4. *n.* 11. An illud ſint tradituri, & cui? *ibid.* *num.* 17. An peccent, ſi non conficiant? *ibid.* *num.* 12. Clerici Fratres tenentur illud facere. *ibid.* *num.* 28. Cui ſint illud tradituri? *ibid.* An peccent, ſi non faciant? *ibid.* Diſpoſitio bonorum peracta à Clericis Fratribus, dum obeunt, an ſit valida, ſi Inuentarium non fecerint, aut licentiam non petierint? *d.* 15. *num.* 50. *&* 60. Inuentarium traditur clauſum, ſed poteſt aperiri à Prioribus, & Rectoribus reſpectu ſubditorum. *d.* 4. *num.* 28.

Irregularitas.

In irregularitatibus, in quibus Epiſcopi poſſunt iuxta Tridentinum diſpenſare, poſſunt etiam Priores Militares juriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentes. *d.* 7. *num.* 111. Cum ſubditis Religioſis poteſt Subprior, abſente Priore, diſpenſare in irregularitatibus, in quibus ipſe Prior poteſt. *d.* 7. *numer.* 235.

Iudex.

Iudices poteſt deſignare Senatus Ordinum pro rebus grauibus in ditionibus Ordinum, auocando ad ſe cauſas. *d.* 3. *numer.* 31. Iudices Conſeruatores Ordinum. VIDE *Conſeruatores.* Iudices ſæculares an poſſint cognoſcere de cauſis criminalibus, & mixtis Equitum? *d.* 2. *ex num.* 21. Cognoſcunt de ciuilibus. *ibid.* *numer.* 55. A Iudicibus Ordinum Militarium ad quem appelletur? *ibid.* *numer.* 5. Clerici Fratres poſſunt eſſe Iudices in Senatibus Eccleſiaſticis, & ſæcularibus. *d.* 11. *numer.* 61. Plures ex illis id munus exercuerunt, & exercent. *d.* 9. *ex num.* 109. VIDE *Forum. Iuriſdictio.*

Iuramentum.

Iuramento amphibologico, & cum reſtrictione, quando teneatur vti teſtis deponens in informationibus ſanguinis? *d.* 3. *numer.* 30. An poſſit indici à Candidato, vt iuret is, qui rem neſciebat, & oſtenduntur ei inſtrumenta, ſeu alij eum de re conſcium reddunt? *ibid.* *num.* 36. Quando teneatur teſtis iurare defectum ſanguinis Caudidati? *ibid.* *num.* 28. Si examen alicuius rei non eſt neceſſarium ad finem informationum, non tenetur affirmare cum iuramento, quod nouit. *ibid.* *numer.* 37. Equites Militares debent abſtinere à iuramentis. *d.* 3. *n.* 170.

Iuriſdictio.

Iuriſdictio Regum Hiſpaniæ erga Ordines Militares. VIDE *Reges Hiſpaniarum.* Iuriſdictio Capitulorum Generalium. VIDE *Capitulum Generale.* Iuriſdictio Regij Senatus Ordinum. VIDE *Senatus Regium Ordinum.* Iuriſdictio quotuplex ſit? *d.* 2. *num.* 1. Ordines Militares gaudent iuriſdictione pro vtroque foro, tum ſpirituali, tum temporali. *ibidem.* *ex numer.* 2. VIDE *Ordines Militares.* Plures Priores Militares gaudent juriſdictione pro vtroque foro. *d.* 7. *ex numer.* 45. Nec ad eius indigent confirmatione Pontificia. *ibid.* *numer.* 50. Iuriſdictio Senatus Regij Ordinum eſt Eccleſiaſtica. *d.* 7. *numer.* 24. Item temporalis. *d.* 2. *numer.* 3. Quomodo poſſit vel

iuriſdictione Eccleſiaſtica, ſi Senatores ſint laici, & non Eccleſiaſticæ perſonæ, iuxta plurium ſententiam? *d.* 7. *num.* 31. Iuriſdictio Eccleſiaſtica poteſt à Pontifice laicis concedi. *ibid.* An fœminis? *ibid. & d.*6.*num.* 1. Abbatiſſæ an gaudeant iuriſdictione ad imponendum præcepta obedientiæ? *ibid. & d.* 14. *num.* 28. Abbatiſſa *de las Huelgas*, propè Burgos deſignat perſonas, quæ gaudeant iuriſdictione Eccleſiaſtica. *d.* 7. *numer.*59.

riſdictio ad viſitandum ſua territoria, & Eccleſias reſidet in Ordinibus Militaribus. *d.*2. *ex num.*10. Equites Viſitatores Ordinum iuriſdictione Eccleſiaſtica vtuntur. *d.*7. *num.* 195. Iuriſdictioni Senatus Ordinum quinam ſubiaceant? *d.*7. *ex num.*27. Rex noſter deſignat Viros ex Ordinibus, qui iuriſdictione Eccleſiaſtica gaudeant. *d.*7.*num.* 25. In eo datur erga Ordines Militares iuriſdictio Eccleſiaſtica mediata, non exercenda per ipſum, ſed per alios ab ipſo deputandos. *ibid.* Iuriſdictionis competentiæ in Ordinibus Militaribus quomodo tractentur? *d.*2. *num.*142. Equites Militiarum an ſubiaceant iuriſdictioni Regiæ in cauſis criminalibus, & mixtis? *d.*2. *ex num.*2. In quibus ei ſubiaceant iuxta omnium ſententiam? *ibid. num.*26. Rectores Collegiorum Militarium iuriſdictione gaudent erga ſubditos. *d.*7. *n.*214. Quos actus erga eos poſſint exercere ex vi iuriſdictionis? *ibid. num.*215. Iuriſdictio Conſeruatorum. *d.*2. *ex num.*115.

Iuriſdictio Vicariorum. *d.*7. *n.*158. Iuriſdictio Subprioris Militaris, abſente Priore. *d.* 7. *ex num.* 232. Iuriſdictio Regij Conſeſſus Commiſſionum, circa Ordines Militares. *d.*2. *n.*5. & 41. & 85. VIDE *Prior. Subprior. Rector.* Iuriſdictioni Tribunalium Sanctæ Fidei priuatiuè ſubiacent omnes Militares in cauſis ad illa pertinentibus. *d.*2. *n.*90.

Ius Canonicum, & Ciuile.

Ius ciuile poſſunt publicè addiſcere Clerici Fratres trium Ordinum Militarium. *d.*9. *num.*14. Non verò matriculæ adſcribi in eo Iure, nec Gradum Baccalaureatus in eo accipere, niſi poſt auditum Ius Canonicum. *ibid. n.*17. Poſſunt Clerici Fratres Gradus Magiſterij, & Doctoratus in Iure Canonico accipere. *d.*9. *n.*23. Et illud publicè docere. *ibid. num.*24. Cathedras eius Iuris moderari, & ad eas opponi. *ibid.* Obtinuerunt plures in Academia Salmantina. *ibid. ex n.*110. An poſſint eum Gradum in Iure Ciuili aſſequi? *ibid. num.*18. & 69. Non poſſunt publicè illud docere, nec Cathedras Iuris Ciuilis moderari. *ibid. n.*69. Iuri Canonico addiſcendo deputati in Collegiis Militaribus nequeunt ex profeſſo Theologiam audire, nec è conuerſo. *ibid. num.*9.

Ius ſpirituale.

Ius ſpirituale percipiendi decimas non conceditur laicis, quando decimæ ipſis conceduntur à Pontifice. *d.*10. *num.*47.

Ius Patronatus.

Ius patronatus Ordinum Militarium eſt penes Reges Hiſpaniæ. *d.* 1. *ex num.* 202. Ratione illius omnia Eccleſiaſtica Beneficia, Prioratus, Dignitates, Commendæ, Habitus, ab ipſis conceduntur. *ibid. num.* 206. Niſi ab exordio Ordinum, his conſentientibus, aliqua Beneficia, aut Sacriſtias concedi à Commendatariis, & Prioribus, conſuetudo ſit præſcripta, *ibid. num.* 207.

L

Legatum.

Quænam legata ex bonis defunctorum Militarium debeantur Magiſtro, Commendatario maiori, Sacriſtæ maiori, & Monaſterio? *d.*15. *ex n.*8. Quæ legata liceant ab Equitibus Iacobæis in teſtamento relinqui? *ibid. num.*8. & 31.

Lex.

Lege lata pro omnibus Monialibus diœceſis non tenentur illæ Moniales, quæ eam non acceptarunt, vel iam abrogarunt. *d.*14. *num.*33. Nequit Abbatiſſa, nec Conuentus condere legem obligantem. *ibid. num.* 29. Legum obligandi vis ex quibus capitibus dignoſcatur? *d.*6.*num.*19.

Licentia.

Licentia ad tranſeundum ab vna ad aliam Religionem quotuplex ſit? *d.*3. *num.* 105. Quænam ſufficiat? *ibid. & num.*121. Vxoris licentia eſt neceſſaria, vt maritus ſuſcipiat Habitum Militarem, & Profeſſionem emittat. *d.*3. *ex num.* 160. Quænam licentia ſit ad id ſufficiens? *ibid. num.*167. Licentiæ conceſſæ à Prælatis abſque limitatione temporis non expirant, eis deficientibus. *d.*7. *num.*241.

Lictor.

Lictores Ordinum Militarium. *d.*17. *num.*45. Eorum munus, & numerus. *ibid.*

Litteræ

Litera Dimiſſoria. VIDE *dimiſſoria Litera.*

Lucrum.

Pro lucro ceſſante nihil poteſt recipi à Monialibus, quando differtur ſolutio dotis alicuius ex illis; poteſt verò recipi pro damno emergente. *d.*14.*n.*16.

Ludus.

In ludo amiſſi redditus Commendarum, etiam à filiofamilias, non debent reſtitui. *d.* 10.*num.* 50. Poſſunt hi redditus à Commendatarijs exponi ludo.*ibid.* Debent Equites Militares abſtinere à ludis immoderatis. *d.* 3. *n.* 172. Multò magis Clerici Fratres, quibus diſtrictiùs prohibentur. *d.* 4.*n.* 59. Statuta, & Definitiones Ordinum Militarium, quæ ludos prohibent, ſunt ſolùm pænales. *d.* 4. *num.* 59. Clerici Fratres immoderatas pecunias in ludo expendentes an peccent contra Paupertatem, & iuſtitiam? *d.*4.*n.*52.

M

Magiſter Ordinum Militarium. Magiſtratus.

Magiſtri nomen cur fuerit impoſitum ſupremo Capiti cuiuſque Ordinis Militaris? *d.*1. *numer.* 129. Magiſtri quot fuerint in ſingulis Ordinibus intra Hiſpaniam erectis? *d.* 1. *per totam.* Magiſtri poteſtas, & iuriſdictio. VIDE *Reges Hiſpaniarum.* Magiſtri Ordinis S. Ioannis poteſtas. *d.*1.*num.*122. Magiſtratus Ordinum Militarium Regiæ Coronæ fuerunt vniti perpetuò ſub titulo Adminiſtrationis.*d.*1. *ex num.* 133. Ex quo tempore in ſingulis Ordinibus fuit vnio peracta? *ibid.* Reges noſtri poſſunt circa Ordines Militares, quod poterant Magiſtri.*d.*1 *num.* 205. Dum tamen non per ſe ipſos exerceant ſpiritualia, & ſpiritualibus annexa. *ibid.*Magiſter Militiæ S. Bernardi fuit olim in Hiſpania.*d.*1.*n.*101.

Magiſter Nouitiorum.

Magiſter nouitiorum, ſi non ſit Prælatus Monaſterij, nequit Vota nouitiorum irritare. *d.* 7.*n.*130.

MAGISTERII GRADVS. VIDE *Gradus.*

Maioratus.

Maioratus ſucceſſio an competat Clericis Fratribus? *d.*4. *ex num.*94. An Equitibus Ordinis D. Ioannis? *ibid.* Exponuntur variæ conſtitutiones Maioratuum ad excludendum Religioſos.*ibid.num.*95.

Martyr.

Martyr an eſſet, quomodo, qui vitam profunderet pro defenſione Myſterij Immaculatæ Conceptionis, & pro celebritate Eccleſiæ circa illam? *d.* 12. *ex numer.* 106. Non pauci Clerici Fratres olim pro Fide fuerunt occiſi.*d.*9.*num.*112.

Matrimonium.

Matrimonium contrahere non poterant Equites Militares, præter Iacobæos, vſque dum diſpenſatio fuit obtenta.*d.*2.*num.*37. An indigeant licentia, vt matrimonium contrahant? *d.*3.*num.* 88.

Matrimonium ratum non conſummatum diſſoluitur, quoad vinculum etiam, per Profeſſionem Equitum Ordinis D. Ioannis *d.*5. *ex numer.* 13. Conſummatum non diſſoluitur quoad vinculum per Profeſſionem in qualibet Religione.*ibid. num.*14. Inualidum eſt matrimonium contractum poſt Profeſſionem in Ordine D. Ioannis, & in Religionibus non Militaribus. *d.* 5.*num.* 16. Et poſt Profeſſionem Clericorum Fratrum Militarium *ibid.num.*19. Non verò poſt Profeſſionem Equitum Militarium: *ibid.* Intra bimeſtre poſt matrimonium ratum non conſummatum poteſt quis ingredi Religionem, etiam inuito altero coniuge.*ibid. num.*15.

Matrimonij vſus prohibitus certis diebus Equitibus Iacobæis an ſit peccatum? *d.* 5.*ex num.* 22. Matrimonium poteſt ſtare cum limitatione vſus illius, & abſque vſu. *d.*3.*ex num.*161. An, & in quibus matrimonij impedimentis poſſint diſpenſare Priores Militares iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentes? *d.*7.*num.*153. Valent diſpenſare in impedimento ad petendum debitum contracto poſt matrimonium.*ibid.*

MILITARIS ORDO.

Militares Ordines. VIDE *Ordines Militares.*

Militares Equites, & Clerici Frater *Vide* Eques, & Clericus Frater.

Militia Equeſtres.

Militiæ Equeſtres extra Hiſpaniam erectæ recenſentur. *d.* 1. *ex num.*15. Inſtitutæ intra Hiſpaniam. *ibid.ex nu.* 94. Plures non obtinuerunt confirmationem Apoſtolicam.*ibid. numer.* 15. *& ſeqq.* Plures fuerunt, & ſunt veræ Religiones approbatæ, non verò aliæ. *ibid.* Etiam apud Gentiles, Mahometanos, & Hæreticos Militiæ Equiſtres reperiuntur. *ibid. numer.* 90. VIDE *Ordines Militares.*

Minor Ætate.

Minores ætate an, & quomodo poſſint gaudere Commendis Ordinum Militarium? *d.*10.*num.*11.

Miſſa.

Miſſas præſcriptas in Statutis, & Definitionibus Ordiuum Militarium pro defunctis an Equites teneantur dicere aliter peccaturi? *d.* 13. *num.* 25. An Commendatarij? *ibid.* An Clerici Fratres? *ibid. num.* 26. Quæ, & quot Miſſæ ſint pro defunctis Militaribus perſoluendæ *d.* 16. *ex num.* 8. Quæ ſint Miſſæ S. Lamberti in Ordinibus Calatrauæ, & Alcantaræ? *d.*16.*ex n.*9.

Miſſæ in Monaſterijs, & Collegijs quomodo à Clericis Fratres ſint perſoluendæ? *d.* 9. *n.* 27. Quando per ipſos, & non per alios: in Altari determinato, & non in alio ſint celebrandæ? *ibid. ex num.* 28. Caſus abſentiæ, & ægritudinis, qui excuſant à Miſſis debitis celebrandis. *ibid. num.* 30. Etiam ſi quotidie teneatur Capellanus Miſſam celebrare, poteſt omittere duos menſes in anno, & ſemel in hebdomada, ſi legitimè ſit occupatus. *d.* 9. *numer.* 31. Si non teneatur ad Miſſam quotidie celebrandam, quid poſſit præſtare? *ibid. num.* 32. Si in Communitate Clerici Fratres ægrotent, aut abſentes ſint, quid de Miſſis debitis celebrandis ſit tenendum? *ibid. num.* 36. An qui in alio Altari, aut Eccleſia, extra præfixam, celebrat, reſtituere debeat eleemoſynam pro Miſſa acceptam. *ibid. num.* 37. An peccet grauiter? *ibid.* An, ſic celebret aliam Miſſam, præter deſignatam à concedente eleemoſynam? *ibid. num.* 38. Priuilegium Hiſpalenſis diœceſis ad omittendum Miſſas Capellaniæ, aut Beneficij, tempore ægritudinis, aut legitimæ occupationis. *ibid. n.* 33.

Miſſarum numerum an poſſint ex cauſa Senatus Ordinum, & Priores in ſuis territorijs imminuere. *d.* 9. *num.* 39. An poſſit quis committere alij Miſſas celebrandas minori ſtipendio, quam ipſe pro illis celebrandis accepit? *ibid. num.* 43. Miſſas ex obligatione Ordinis, ſed non cotatas, an poſſint Clerici Fratres primariò offerre pro alijs? *ibid. num.* 45. Quid dicendum ſit de Miſſis celebrandis in Monaſterio Calatrauæ? *ibid.* Miſſam celebrare an poſſint Clerici in territorio Ordinum Militarium de Sanctis diœceſis, intra quam ſunt, & è conuerſo? *d.* 12. *nu.* 113. VIDE *Officium Diuinum.* Miſſam celebrare ante Auroram poſſunt Priores Militares iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentes. *d.* 7. *num.* 143. Et Clerici Fratres Iacobæi in Monaſterijs de Vcles, & S. Marci. *d.* 12. *num.* 132. An cæteri Militares? *d.* 12. *num.* 137. Poſſunt prædicti Priores concedere licentiam celebrandi Miſſam ante Auroram, & poſt meridiem ex cauſa. *ibid.* Poſſunt ipſi poſt meridiem celebrare. *d.* 7. *num.* 143. Miſſam celebrare nequeunt Sacerdotes in Monaſterijs Monialium, niſi de licentia Prælati ipſarum. *d.* 14. *n.* 38.

Monachus.

Monachi Sarabaïtæ quinam fuerint? *d.* 3. *nu.* 77. Apud Monachos Benedictinos, quàm frequens fuerit ſacræ Euchariſtiæ ſuſceptio. *d.* 12. *ex num.* 162.

Monaſterium.

Monaſteria Militaria Clericorum Fratrum, & Monialium recenſetur. *d.* 9. *ex num.* 4. *&* *d.* 14. *num.* 1. Monaſteria Clericorum Fratrum ſunt capita Ordinum. *d.* 9. *num.* 2. Sunt etiam in proprijs territorijs Eccleſiæ Matrices. *d.* 9. *num.* 3. Monaſterij de Calatraua controuerſia ſuper Prioratu cum Abbate Morimundi, & Ordine Ciſtercienſi latè expenditur. *d.* 9. *num.* 75. Monaſteria Clericorum Militarium poſſunt intùs habere Oratoria, in quibus Miſſæ priuatæ celebrentur. *d.* 12. *ex num.* 131. Quam illuſtres Viri ex Monaſterijs Militaribus prodierint. *d.* 9. *ex num.* 108. Monaſteria Monialium non tenentur lege lata pro omnibus Monialibus, ſi illam non acceptarunt vel iam abrogarunt. *d.* 14. *num.* 33. Intra Clauſuram Monaſterij nequeunt Moniales ſeruare Euchariſtiam, niſi ex ſpeciali priuilegio. *d.* 14. *nu.* 37. In pluribus earum Monaſterijs intra clauſuram ſeruatur. *ibid.* VIDE *Monialis.*

Monaſteria Clericorum Fratrum, quo fine fuerint erecta? *d.* 9. *num.* 1. In eis debet eſſe literarum exercitium. *d.* 9. *num.* 13. Miſſæ in Monaſterijs dicendæ. VIDE *Miſſa. Clericus Frater. Prior. Subprior.* Monaſteria viſitari non ſolùm ab Equite, ſed ſimul à Clerico Fratre, videtur expediens. *d.* 7. *num.* 198. Monaſteriorum villæ poſſunt habere Oratoria. *d.* 12. *num.* 132. Vt Monaſteria fundentur in territorijs Ordinum Militarium, præter horum licentiam, neceſſaria eſt licentia Regis, quà Rex eſt, ſeu Senatus Regij Caſtellæ. *d.* 14. *num.* 37.

Monialis.

Monialium Militarium Monaſteria recenſentur. *d.* 14. *num.* 1. Informationes quomodo fiant ad admittendas Moniales, & conuerſas Militares? *d.* 14. *num.* 63. Informationes

hæ à

hæ à Senatu Regio Ordinum examinantur, ac iudicatur de illis.*ibid*. Commendatariæ, & Abbatiſſæ confirmantur à Rege noſtru,tanquam Adminiſtratore Ordinum. *d*.14.*num.* 53. In dotibus Monialium accipiendis nulla ſimuniæ labes interuenit. *d*.14. *numer*.15. An, ſi Monialis nouitia exeat extra Clauſuram ſine licentia, interrumpat nouitiatum? *d*.14.*numer*.76. Moniales Militares poſſunt edere oua, & lacticinia virtute Bullæ Cruciatæ in ieiunnijs Quadrageſimæ.*d*.12.*ex numer*.146.

Monialis ante annum nouitiatus expletum quo caſu poſſit emittere Profeſſionem? *d*.14.*num*. 10. Annus decimus ſextus.ætatis requiritur ad eius Profeſſionem.*ibid.num*.9. Poteſt Profeſſa tranſire ad Religionem ſtrictiorem.& quomodo? *ibid.num*.10. Quid præſſandum ſit cum Muniali incorrigibili? *ibid*. Non peccat Monialis aſſumendo pro breui tempore abſque ſcandalo veſtem virilem ad aliquod ludicrum.*d*.14.*num*. 40. Dos pro Moniali quando ſit recipienda? *ibid*. *num*. 15. Valor monetæ ſoluendæ pro illa attenditur iuxta tempus contractus. *ibid.num*.16. Si differatur ſolutio,poteſt aliquid vltra accipi pro damno emergente, non verò pro lucro ceſſante.*ibid*. An dos Monialis alienari poſſit? *ibid*.

Monialis quando teneatur ex vi voti obedire? *d*. 14. *num*. 30. An in dubijs teneatur? *ibid*. *num*. 32. An aliquando in rebus leuibus ſub culpa graui teneatur? *ibid*. An teneatur, ſi præcipiantur auſteritates ſupra Regulam? *ibid*. *num*. 30. Aliquando tenetur obedire cum periculo vitæ.*ibid*. Monialis tenetur extra Chorum recitare Horas Canonicas, ſi in illo non recitet. *d*. 14.*num*. 33. Quid de Orationibus ex obligatione iuſtitiæ debitis pro Benefactoribus? *ibid*. Priuilegia Monialium circa recitatiunem Horarum.*ibid*.

Moniales tenentur ad interdicta, & Feſta loci ſeruanda.*d*.14.*num*. 34. Non tenentur lege lata pro omnibus Militaribus diœceſis, ſi eam non acceptaruut, aut iam abrogarunt. *ibid*. *num*. 33. Diebus Rogattonum non tenentur aſſiſtere Proceſſionibus intra Monaſterium, niſi detur conſuetudo obligans.*ibid*. Monialis poteſt ſuſcipere infantem, aut adultum in Sacramento Confirmationis. *ibid*. *num*. 40. Mouialis, ſi fortè ex cauſa ſit extra Monaſterium, poteſt aſſiſtere ſpectaculo agitationis taurorum *d*.9. *num*. 62. Munialis quomodo poſſit vendere opificia manuum, & operas ſuas locare? *d*.4.*num*.92. Quæ moderatio in hoc requiratur? *ibid*. *num*. 93. Monialium Confeſſor. VIDE *Confeſſarius*.

Moniales, maximè Sacriſtæ, non peccant tangendu corporalia, Agnos Dei, & ſimilia. *d*. 14. *num*. 38. Nequeunt à Monialibus recipi fœminæ, vt probantur, ante Nouitiatum. *ibid*. Non poſſunt Moniales alienare bona Monaſterij, nec ſuſcipere cenſus annuos, aut pecuniam ad ſoluendum lucrum ceſſans, aut damnùm emergens.*ibid*. *num*.39. Moniales exemptæ an excommunicari poſſint ab Epiſcopo? *d*. 14. *num*. 14. Monialesomnes ſunt exemptæ à poteſtate ſæculari. *d*.14. *num*. 44. An famulantes eis? *ibid*. Exemptæ ſunt à iuribus Parochiæ, nec à Parocho accipere Sacramenta tenentur. *ibid.num*.45. Moniales ſubiectæ Prælato Regulari an poſſint ſubijci Epiſcopo? *ibid.num*. 42. Quæ ſubduntur Epiſcopo, etiam Vicario eius generali ſubijciuntur.*ibid*.

Monialium priuilegia.*d*.14.*num*.43. & 45. Monialium Eccleſias an poſſint benedicere, & reconciliare Prælati Regulares. *d*. 14.*nu*. 46. An benedicere ornamenta ſacra? *ibid*. Monialium Prælati, quid poſſint circa electionem Superioriſſæ, ingreſſum in Monaſteria, & alia huiuſmodi? *ibid*. *ex num*. 47. Moniales debent viſitari à Prælatis, & quoties? *ibid*. *num*. 49. Monialium Abbatiſſa poteſt eſſe illegitima.*d*.14.*num*. 42. Fxponuntur plura circa electionem; ſuffragia, renuntiationem, requiſita, & poteſtatem Superioriſſæ.*ibid*. & *ex num*.51. Monialium Viſitatores ad quid teneantur, & de eorum poteſtate.*d*.14.*num*.50. Monialium Superioriſſa poteſt ex bonis Monaſterij donationes remuneratorias facere.*ibid.num*.53.

Monialibus deputandus eſt ordinarius Confeſſarius à Prælatis. *d*. 14. *num*. 58. Et etiam extraordinarius. *ibid.num*.62. Quando poſſit ingredi Cõfeſſarius earum clauſuram ad adminiſtranda Sacramenta? *ibid*. *num*. 60. Ad ſepeliendas defunctas, atque ad alia pia munia? *ibid*. *num*. 62. Moniales Militares non valent ea præſtare circa diſpoſitionem bonorum, quæ Clerici Fratres. *d*. 4. *num*. 79.

Monialium Clauſura quid ſit? *d*. 14. *num*. 67. & 71. Quinam eius limites? *ibid*. Qua lege introducta? *ibid*. *num*. 67. Quid poſſine Epiſcopi circa illam in exemptas Moniales? *ibid.num*. 68. Per conſuetudinem poteſt introduci defectus Clauſuræ.*d*.14. *num*.69. Sic præſtitum eſt in Iacobæo Monaſterio Sancti Spiritus Salmantino. *ibid*. *num*. 88. Et in aliquibus Militaribus.*ibid.num*.89. Et in alijs diuerſorum Ordinum. *ibid*. *num*. 70. Clauſura an ſeruanda ſit in Monaſterijs de nouo erectis? *ibid*. *num*. 90. Eſtò Fundator ea erigat ad inſtar aliorum, quæ Clauſuram non ſeruant? *ibid*. *num*. 94. An Prælati poſſint inducere

Digitized by Google

inducere clauſuram in Monaſteriis, in quibus non datur? *ibid. num.* 70. In quibus caſibus violetur, aut non violetur Clauſura? *d.* 14. *num.* 71. Non violatur à Moniali, quæ exiſtens extra Monaſterium egreditur è domo, in qua habitat. *ibid. n.* 73. Si Monaſterium actu ædificetur & aliquæ ibi Moniales adſint, an violetur clauſura ab externis ingredientibus? *ibid.* Conuerſæ Profeſſæ obligantur ad clauſuram. *ibid. numer.* 74. Etiam Tertiariæ in Communitate degentes. *ibid.* Necnon Militares, niſi aliud conſuetudine ſit inductum. *d.* 14. *n.* 74. *&* *ex n.* 86.

Moniales Nouitiæ non tenentur lege clauſuræ. *d.* 14. *n.* 76. Si Monialium Religio cum ſolis votis ſimplicibus approbaretur à Pontifice, adhuc illæ tenerentur ad clauſuram. *d.* 14. *num.* 75. Monialis egreſſa cum licentia è ſuo Monaſterio, an poſſit alia Monaſteria Monialium ingredi? *ibid. ex num.* 77. Clauſuram Monialium quinam ingredi poſſint? *ibid.* Poſſunt Reges, & Reginæ. *ibid.* Quis, & ex qua cauſa poſſit concedere licentiam ad ingrediendum? *d.* 14. *ex n.* 78. An Vicarius generalis Epiſcopi? *ibid.* An Capitulum, Sede vacante? *ibid.*? Quomodo ſit neceſſarium, licentiam in ſcriptis concedi? *ibid.* Ex quibus cauſis poſſint Moniales egredi à clauſura? *ibid. num.* 81. Fugiens ſatellites, aut inimicum non peccat ingrediendo clauſuram Monialium. *ibid. numer.* 82. Cenſuræ, & pœnæ impoſitæ violantibus clauſuram. *ibidem. num.* 83.

Cum Monialibus colloqui an ſit peccatum? *d.* 14. *numer.* 85. Prohibita collocutione, non prohibetur literarum ſcriptio. *ibid.* Prohibito acceſſu ad illas, non prohibetur collocutio ex feneſtra. *ibid.* Excommunicatis ab Epiſcopo his, qui accedunt ad colloquendum cum Monialibus, ſi exprimat Monaſteria exempta, comprehenduntur accedentes ad illa. *ibid.* In admittendis famulis, conſuetudini ſtandum eſt. *d.* 14. *n.* 97.

In Monaſteriis Iacobæis Monialium olim degebant vxores, & filiæ Equitum militantium. *d.* 14. *num.* 96. Iam id ſublatum eſt. *ibid.* Moniales Barchinonenſes *de las Iunqueras*, non emittunt Votum Caſtitatis abſolutæ. *ibid.* Nubere poſſunt. *ibidem.* Nuptæ iam, & viduæ Habitum Iacobæum geſtant. *ibid.* Monaſteria Monialium Calatrauenſium viſitanda ſunt ſumptibus Magiſtri. *ibid. num.* 99. Alcantarenſium Monialium Sancti Spiritus viſitatio ad quem pertineat? *d.* 14. *ex num.* 87. Viſitatores quid præſtent circa Moniales? *ibid. n.* 98.

Pœnæ quædam pecuniariæ in Ordine D. Iacobi applicantur Monaſteriis Monialium. *ibid. n.* 99. Numerus præfixus Monialium in Monaſteriis; Oratio, Horarum recitatio, & Breuiarij vſus. *ibid. num.* 100. *&* *d.* 13. *n.* 7.

Monialium diuerſitas, & finis. *d.* 14. *n.* 4. Vitam contemplatiuam profitentur. *ibid. n.* 5. Earum receptio ad quem pertineat? *ibid.* Nequit dari expectatiua loci vacaturi. *ibid.* Numerus Conuerſarum quantus eſſe poſſit? *ibid. num.* 6. Conuerſa an poſſit, & quomodo tranſire ad ſtatum Choriſtæ. *d.* 14. *num.* 4. Fœmina conjugata poteſt de conſenſu viri admitti in Monialem. *ibid. n.* 6. Et ſine conſenſu intra bimeſtre poſt matrimonium ratum, ſed non conſummatum. *ibid.* In qua ætate poſſit recipi Monialis? *ibid.* Nouitiæ in loco ſeparato debent degere. *ibid. n.* 7. Quomodo annus Nouitiatus continuetur, aut interrumpatur? *ibid.* Monialis quando, & quo pacto renuntiationem bonorum facere debeat? *d.* 14. *num.* 8. An, & quomodo poſſit condere teſtamentum, & donare cauſa mortis? *ibid.* Cui competant fructus à tempore renuntiationis vſque ad profeſſionem? *ibid.* An renuntiatio reuocari poſſit? *ibid.* Monialis voluntas ante profeſſionem exploranda eſt ab Ordinario. *ibid. num.* 9. Si exploratio non fiat, adhuc non redditur profeſſio inualida. *ibid.* Aliqua circa explorationem voluntatis exponuntur. *ibid.* *&* *ex num.* 13.

Monteſa Ordo Militaris.

Monteſæ Ordinis inſtitutio. *d.* 1. *n.* 169. Confirmatio. *ibid.* Habitus, Regula, Inſtitutum, & filiatio Ordinis Calatrauenſis. *ibid. num.* 170. Magiſtri, & Adminiſtratores perpetui. *ibid. num.* 171. *&* 172. Commendæ, Dignitates, & Munera. *ibid.* Vnio Ordinis S. Georgij de Alfamá. *ibid.* Priuilegia Ordinis. *ibid. n.* 173. Quæ de Ordine Calatrauenſi exponuntur, ei ſunt adaptanda. *ibid.* Prior Monaſterij Monteſæ eſt Monachus Ciſtercienſis. *ibid. n.* 170. Ordo intendit, vt Clericus Frater ſit Prior. *ibid.* VIDE *Ordines Militares. Eques. Clericus Frater*, & alia plura verba.

Morimundi Abbas.

Morimundi Abbas miſit diu Priorem, & Subpriorem Monachos, qui præeſſent Monaſterio Calatrauæ. *d.* 9. *ex num.* 92. Quare id Monaſterium fuerit filiatio Monaſterij Morimundi? *ibid. num.* 88. Controuerſia Ordinis Calatrauæ, cum Ordine Ciſter-

cienſi

cienſi, & cum Abbatibus Morimundi ſuper Prioratu Calatrauæ. *ibid. ex num.* 75.

Munus.

Munera, & Officia Ordinum Militarium. *d.* 8. *ex n.* 1. *&* *d.* 17. *ex n.* 43. Quæ munera obtinuerint plures Clerici Fratres militares ad præcipua Regni munera promouentur. *ibid. num.* 107.

N

Negotiatio. Negotiator.

Negotiari Dignitates, & Beneficia per munera, eſt ſimonia. *d.* 4. *n.* 81. Negotiationis ſpecies proponuntur. *ibid. numer.* 82. Vendi à Religioſis, & Clericis, quæ ipſis ſuperſunt, non eſt negotiatio prohibita. *ibid. numer.* 83. Etiam ſi ea empta fuiſſent ad vſum, & cariùs vendantur, dum in emptione abfuerit animus reuendendi. *ibid. ex num.* 82. Prohibita eſt Clericis negotiatio, quæ merx emitur, & venditur immutata. *ibid. n.* 84. Quæ pœnæ Clerico negotiatori ſint inflictæ? *d.* 4. *numer.* 88. Quinam excuſentur ab his pœnis? *ibidem. num.* 89. Negotiari per alium an ſit prohibitum? *ibid. num.* 89. Non eſt prohibitum, vendere res immutatas, aut melioratas, niſi indecentia interueniat. *ibidem.* Exponuntur pro praxi aliqui caſus negotiationis. *ibid. num.* 91. Opificia manuum vendere, eſt licita negotiatio. *ibid. num.* 92.

Nobilitas.

Nobilitas requiſita ad Ordines Militares in quo conſiſtat? *d.* 3. *num.* 25. VIDE *Informationes.*

Notarius.

Notariis eſt inuigilandum, ne aliquid ſupra taxam recipiant. *d.* 7. *num.* 264.

Nouitius. Nouitia.

Nouitij Religioſi, & Militares poſſunt profeſſionem emittere in articulo mortis ante finem Nouitiatus. *d.* 3. *num.* 150. Si conualeſcant, debent annum finire; & iterùm profiteri. *ibid.* Quæ licentia ad eam profeſſionem requiratur? *ibid. n.* 151. Si decedant, eorum bona tranſeunt ad hæredes. *ibid.* Clerici Fratres Calatrauæ, & Alcantaræ profeſſionem emittunt de Regis licentia, meritis cognitis. *ibid.* Nouitij Clerici Fratres ſunt capaces Beneficiorum. *d.* 11. *num.* 35. Poſſunt minoribus ordinibus initiari à Prioribus juriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentibus. *d.* 3. *numer.* 152.

Nouitij, niſi obſtet prohibitio Religionis, poſſunt omnes ordines ſuſcipere. *d.* 3. *ex num.* 152. A quolibet Epiſcopo poſſunt ordinibus initiari, dum habeant dimiſſorias literas à Prælato. *ibid. num.* 156. Si non habeant, poſſunt ab Epiſcopo loci, in quo eſt nouitiatus. *ibid. num.* 154. Nouitiatus annum omnes Militares agere debent, & quo fine. *d.* 3. *n.* 61. *&* 171. Nouitius Militaris non amittit Beneficium ordinis, cum profeſſionem emittit. *d.* 11. *num.* 35.

Nouitiæ Moniales non tenentur lege clauſuræ. *d.* 14. *num.* 76. VIDE *Moniales.* Nouitij non tenentur obſeruare Regulas, nec definitiones ſuorum ordinum. *d.* 3. *numer.* 60. Poſſunt vti Bulla Cruciatæ, vt abſoluantur ab omnibus caſibus in ea contentis. *ibid. num.* 65. Etiam renuente Prælato. *ibid.* Nouitij Equites Militiarum tenentur militare in triremibus per ſex menſes, & in Monaſterio per menſem verſari, niſi diſpenſetur cum illis. *d.* 3. *num.* 61. Debent Habitum in Monaſterio ſuſcipere. *ibid. nu.* 54. An gaudeant priuilegio Canonis, & fori? *d.* 2. *num.* 66. *&* *d.* 3. *num.* 71. Gaudent cæteris priuilegiis ordinum. *d.* 3. *num.* 65. In odioſis non comprehenduntur nomine Religioſorum. *ibid.* Nouitios Equites emittere profeſſionem, finito anno nouitiatus, non obligat ad culpam, ſed ad pœnam. *d.* 3. *num.* 64. Nouitiatus an interrumpatur, ſi Equites, aut Clerici Fratres Habitum non geſtent? *d.* 12. *num.* 9. An, ſi Monialis exeat abſque licentia à clauſura, interrumpat illum? *d.* 14. *numer.* 76.

O

Obedientiæ Votum.

Obedire quibus teneantur ex vi voti Equites Militares? *d.* 6. *ex num.* 1. Quibus Clerici Fratres? *ibid. ex num.* 40. Quando non teneatur obedire Religioſus, ſeu Monialis? *d.* 14. *num.* 30. In dubiis an teneatur? *ibid. num.* 32. Res leues aliquando poſſunt præcipi ſub culpa graui. *ibid. num.* 31. Et res graues ſub culpa leui. *ibid.* Religioſus an teneatur obedire, ſi imponantur auſteritates ſupra Regulam? *ibid. numer.* 30. Aliquando tenetur obedire etiam cum periculo vitæ. *ibid.* Obedire tenentur Clerici Fratres Subpriori, & quomodo peccent non obediendo? *d.* 7. *n.* 229.

Obedientia ſecundùm Regulam, quæ promittitur in profeſſione aliquarum Religionum, includit alia vota. *d.* 3. *num.* 76. Hæc verba, *in virtute ſanctæ obedientiæ,*

cum

cum apponuntur in ſtatutis, aut Definitionibus Ordinum Militarium, obligant ſub mortali. *d.* 6. *num.* 21. Secùs in Ordine Ciſtercienſi. *ibid.* Votum obedientiæ factum ſæculari non præbet illi iuriſdictionem ad præcipiendum in virtute ſanctæ Obedientiæ. *d.* 6. *num.* 5. Ad præcipiendum ſic, requiritur poteſtas ſpiritualis. *ibid. num.* 4. Plures caſus circa obedientiam exponuntur. *d.* 14. *ex num.* 28. Superioriſſæ Monialium an valeant præcepta obedientiæ imponere? *ibid.* Poſſunt aliundè obligare ſubditas ſub mortali. *ibid.* An teneatur Monialis obedire Vicariæ, ſen Subprioriſſæ? *ibid. n.* 9.

Oblationes.

Oblationes, quæ fiunt in Eccleſiis ordinum Militarium, non debentur Commendatariis, ſed Parochis. *d.* 10. *n.* 37.

Obligationes Status.

Obligationes proprij ſtatus tenentur Equites Militiarum, & Clerici Fratres dignoſcere. *d.* 6 *numer.* 23. Obligationes priorum Militarium. *d.* 7. *num.* 149. Obligationes Parochorum. *d.* 11. *num.* 84. Obligationes Commendatariorum. *d.* 10. *ex numer.* 19. *&* *d.* 6. *ex numer.* 24. Obligatio reſidendi in parochis, quàm ſtricta ſit? *d.* 11. *num.* 91. Obligationes deſignandi Viſitatores ordinum Militarium, & curandi, vt viſitent. *d.* 7. *ex num.* 182. Obligatio promouendi ad Beneficia benemeritos. *d.* 11. *num.* 8. obligatio deſignandi ad Collegia Militaria Clericos Fratres magis idoneos. *d.* 9. *num.* 20. obligatio ad celebrandas Miſſas in Monaſteriis, & Collegiis. *d.* 9. *num.* 27. Regula, Statuta, & Definitiones ordinum Militarium non obligant ad culpam, niſi exprimatur. *d.* 6. *ex num.* 17. Ex promiſſione conuerſionis de bono in melius in profeſſione Alcantarenſium nulla ſpecialis obligatio reſultat. *d.* 3. *ex n.* 82.

Occulta Labes.

Occulta Labes ſanguinis candidati ordinum Militarium nequit à teſte in informationibus aperiri. *d.* 3. *num.* 31. *&* 34. Debet ille vti reſtrictione in iuramento. *ibid.* Quando dicatur occulta? *ibid. num.* 33. VIDE *Informationes. Teſtis.*

Officialis.

Officiales Ordinum Militarium, ſeu officia gerentes recenſentur. *d.* 8. *ex num.* 29. Qui munera, & officia erga Senatum ordinum gerunt, enumerantur. *d.* 17. *ex num.* 44.

Officium Diuinum, ſeu Canonicum.

Officium Canonicum an teneantur perſoluere Moniales? *d.* 14. *num.* 33. Priuilegia Monialium circa recitationem officij. *ibid. num.* 33. In territoriis ordinum militarium poteſt recitari officium Sanctorum, qui ſunt proprij Diœceſis, intra quam territoria extant. *d.* 12. *num.* 113. Au e conuerſo? *ibid. num.* 119. Quando dantur Reliquiæ inſignes in aliqua Eccleſia, in ea ſolum, ſed ab omnibus, poteſt officium de eis Sanctis perſolui, & Miſſa ab aduenis etiam celebrari. *ibid. num.* 123. Poteſt etiam ab hís, qui ſunt ex ea Eccleſia, quamvis alibi exiſtant. *ibid. n.* 124. Quę approbatio in officio Diuino recitando requiratur? *d.* 12. *num.* 125. Poteſt in Eccleſia recitari, & celebrari de Sancto, cuius Reliquiæ non ſunt in Eccleſia, ſed intra Monaſterij Clauſtra *ibidem. num.* 124. Miſſali, & Breuiario Benedictino vti debent Clerici Fratres Militiarum Ciſtercienſium intra Monaſteria. *d.* 13. *numer.* 6. Extra illa poſſunt vti illis, ſed non tenentur. *ibid.*

Officia Ordinum Militarium.

Officia, & Munera ordinum Militarium recenſentur. *d.* 8. *per totam, &* *d.* 17. *num.* 44. Officia ordinum Militarium nequeunt abſque diſpenſatione Pontificia in perpetuum donari, vendi, aut alienari. *d.* 17. *ex num.* 24. Sunt bona ipſorum ordinum. *ibid.* Eorum conſenſus requiritur ad alienationem. *ibid. num.* 26.

Operarius Ordinis Calatrauæ.

Operarius ordinis Calatrauæ eſt Dignitas intra ordinem propria Equitum. *d.* 8. *num.* 3. Eius munus. *ibid.*

Orationes.

Orationes præſcriptæ in ſtatutis, & definitionibus ordinum Militarium recenſentur. *d.* 13. *ex numer.* 1. Non tenentur Equites ſub peccato eas perſoluere. *ibidem, numer.* 14. An Clerici Fratres? *ibidem. numer.* 16. Nec Commendatarij tenentur. *ibidem. num.* 14. Ab ordine Ciſtercienſi in Alcantarenſem orationes diminuuntur. *ibidem. num.* 27. Militaris, qui gaudet penſione Eccleſiaſtica, & recitat orationes præſcriptas in ſuo ordine, non tenetur ad recitandum officium paruum Beatæ Mariæ. *d.* 13. *numer.* 27.

Oratoria.

Digitized by Google

cium paruum B. Mariæ. *d.* 13. *num.er.* 27.

Oratoria.

Oratoria an liceat habere Militaribus? *d.* 12. *ex num.* 131. *&* *d.*18.*num.* 26. Nequit Senatus Ordinum ea concedere. *d.*12. *num.*136. Monaſteria Militarium poſſunt habere Oratoria, etiam in ſuis villis, ſeu prædijs. *ibid. num.* 132. Priores Militares territorio gaudentes poſſunt habere Oratoria. *d.* 7. *num.*143.

Ordinarius.

Ordinarius territorij de Alcantara eſt Prior Alcantaræ, adhuc poſt concordiam cum Epiſcopo Caurienſi.*d.*7.*num.*178.Commendatarij Ordinis S. Ioannis ſunt Ordinarij territorij Commendarum. *d.* 10. *numer.* 52. Exemptio Ordinum Militarium ab Ordinarijs.*d.*2.*ex n.*10.

Ordo Sacer, & Ordines minores.

Ordo ſacer dirimit matrimonium ratum, non verò dirimit quoad vinculum matrimonium conſummatum. *d.* 5. *ex numer.* 13. Militares ſub inſtituto Ciſtercienſi degentes poſſunt Ordinibus Minoribus initiari ab Abbatibus Ciſtercienſibus. *d.* 13. *numer.* 160. Priores Militares poſſunt conferre Ordines Minores ſubditis, & alijs afferentibus dimiſſorias à ſuis Prælatis. *d.* 3. *numer.* 157. Clerici Fratres vt à quouis Epiſcopo Ordines recipiant, indigent dimiſſorijs ſui Prælati. *ibid. numer.* 156. Nouitij Religioſi, ſecluſa Ordinis prohibitione, poſſunt omnes Ordines ſuſcipere. *d.* 3. *numer.* 152. Priores Militares ſuis ſubditis dimiſſorias valent concedere, vt Ordinibus initientur. *d.* 7. *n.* 84. VIDE *Dimiſſoria litera.*

ORDO CISTERCIENSIS. VIDE *Ciſtercienſis Ordo.*

Ordo B. Mariæ De Mercede.

Ordo B. Mariæ de Mercede, quantùm coluerit à ſui exordio immaculatam Conceptionem Deiparæ? *d.*11.*num.*105. Ordo Militaris B. Mariæ de Mercede. *d.* 1. *numer.* 99. Eius inſtitutio, & confirmatio, ac finis. *ibid.*

Ordines Militares, & Militiæ Equeſtres.

Ordines plures Militares, atque etiam Militiæ Equeſtres inſtitutæ fuerunt intra, & extra Hiſpaniam. *d.* 1. *per totam.* Plures ex-

tinctæ fuerunt. *ibid.* Recenſentur per Ordinem Alphabeti cum.

Ordines, & Militia vigentes, & extincta.

Alæ Militia in Luſitania.*d.*1.*n.*97.
Alcantarenſis Ordo VIDE *ſuprà* Alcantarenſis Ordo.
Ampullæ Militia in Gallia.*d.*1.*n.*82.
Annuntiatæ Virginis in Sabaudia. *d.* 1. *num.* 64.
Annuntiatæ alius Ordo, Mantuæ. *ibid. num.* 63.
S. Antonij Ordo. In Æthiopia. *d.* 1. *numer.* 20.
Argonautarum Militia. Neapoli. *d.* 1. *num.* 77.
Armillini muris Militia. Neapoli. *d.* 1. *num.* 72.
Auiſij Ordo Militaris in Luſitania. *d.*1. *numer.* 178.
Auricularium Militia olim apud Limenſes. *d.* 1. *num.*91.
Balnei Militia in Anglia.*d.*1.*n.*35.
De la Banda Militia iam extincta in Caſtella. *d.*1.*n.*158.
S. Blaſij Ordo in Palæſtina.*d.*1.*n.*87.
Bricianorum Militia in Suecia. *d.* 1. *numer.* 45.
Burgundiæ Militia ab Imperatore Carolo V. inſtituta.*d.*1.*n.*106.
Calatrauenſis Ordo. VIDE *ſuprà* Calatrauenſis Ordo.
Calcaris Militia in Italia.*d.*1.*n.*81.
Canis Militia in Lybia.*d.*1.*n.*88.
Cardi Militia in Burguudia.*d.*1.*n.*86.
S. Catharinæ Ordo in Græcia.*d.*1.*n.*26.
Chriſti Ordo Militaris in Luſitania. VIDE *ſuprà* Chriſti Ordo. Alius Ordo Chriſti in Italia.*ibid.n.*57.
Columbæ Militia iam extincta in Caſtella. *d.* 1 *n.*103.
Conceptionis Deiparæ in Italia. *d.* 1. *num.* 58.
Conchæ Militia in Gallia.*d.*1.*n.*69.
Conſtantinianæ Militiæ Ordo,olim apud Græciam,nunc in Italia.*d.*1.*n.*15.
Cygni Militia in Belgio. *d.*1.*n.*79.
Cypri Militia apud Cyprum.*d.*1.*n.*65.
Diſciplinæ Militia in Bohemia.*d.*1.*n.*76.
Draconis victi Militia in Vngaria. *d.* 1. *numero* 67.
De la Encina in Nauarra Militia iam extincta.*d.*1.*n.*94.
Enſium Militia in Suecia.*d.*1.*n.*71.
Friſiorum Ordo apud Friſonum Prouinciam. *d.*1.*n.*25.
Funis Militia in Anglia *d.*1.*n.*89.
S. Georgij Ordo in Germania.*d.*1.*n.*48.

S. Georgij Ordo in Carinthia, & Auſtria. *d.* 1. *num.* 60.

S. Georgij Ordo in Italia. *d.* 1. *n.* 54.

S. Georgij Ordo apud Rauennam. *d.* 1. *numer.* 55.

S. Georgij Ordo apud Genuenſes. *d.* 1. *numer.* 83.

De la Gineta Militia in Gallia. *d.* 1. *n.* 84.

De la Hacha Militia fœminarum, ad inſtar; iam extincta in Catalaunia. *d.* 1. *numer.* 106.

Hyſtricis Militia in Gallia. *d.* 1. *n.* 73.

D. Iacobi Ordo. VIDE *D. Iacobi Ordo Militaris.*

De la Iarra, ſeu liliorum Militia extincta in Aragonia. *d.* 1. *n.* 104.

De la Iarretera Militia in Anglia. *d.* 1. *n.* 66.

Ieſu-Chriſti Ordo in Anglia extinctus. *d.* 1. *num.* 29.

Ieſu-Chriſti, & Enſium Ordo iam extinctus apud Liuoniam, & Poloniam. *d.* 1. *numer.* 37.

Ieſu-Chriſti Ordo ſub Sancto Dominico apud Lombardos, & Toloſanos. *d.* 1. *n.* 36.

S. Ioannis Hieroſolymitani Ordo. VIDE *D. Ioannis Ordo Militaris.*

S. Ioannis de Ancona, & S. Thomæ, aggregatus iam Ordini D. Ioannis. *d.* 1. *num.* 49.

S. Lazari Ordo in Sabaudia. *d.* 1. *n.* 38.

Liliorum Militia iam extincta in Nauarra. *d.* 1. *num.* 95.

Lunæ creſcentis, ſeu Stellæ Ordo in Sicilia. *d.* 1. *n.* 42.

Lunæ Byzantinæ Militia apud Turcas. *d.* 1. *num.* 90.

S. Marci Ordo, Venetijs. *d.* 1. *n.* 61.

S. Mariæ Theutonicorum Ordo in Germania. *d.* 1. *n.* 31.

B. Mariæ de Mercede Ordo in Aragonia. *d.* 1. *num.* 99.

S. Mariæ Matris Domini Ordo, vulgò Gaudentium, in Italia. *d.* 1. *n.* 33.

S. Mariæ, & Elephantum Militia in Dania. *d.* 1. *n.* 85.

S. Mariæ de Monte Carmelo Ordo in Gallia. *d.* 1. *n.* 46.

Martyrum Ordo apud Paleſtinam. *d.* 1. *num.* 41.

S. Mauritij Ordo in Sabaudia. *d.* 1. *num.* 39.

Menſæ circularis Militia in Anglia. *d.* 1., *n.* 74.

Monteſæ Ordo. VIDE *Monteſa Ordo Militaris.*

Montis Gaudij Militia, Hieroſolymis. *d.* 1. *num.* 30.

Neugori Equeſtres Milites in Iaponia *d.* 1. *num.* 90.

Nodi Ordo iam extinctus, Neapoli. *d.* 1. *num.* 34.

SS. Petri, & Pauli Militia, Romæ. *d.* 1. *num.* 53.

De la Razon Militia extincta in Caſtella. *d.* 1. *num.* 103.

Redemptoris Ordo, in Mantua. *d.* 1. *num.* 61.

Ruttæ Militia in Scotia. *d.* 1. *n.* 68.

Saluatoris Militia iam extincta in Aragonia. *d.* 1 *n.* 96.

S. Sepulchri Ordo, Hieroſolymis. *d.* 1. *num.* 22.

Seraphinorum Militia in Suecia. *d.* 1. *num.* 70.

Spicæ Militia in Anglia. *d.* 1 *n.* 75.

S. Spiritus Ordo, Romæ. *d.* 1. *n.* 51.

S. Spiritus Ordo in Gallia. *d.* 1. *n.* 52.

Squammæ Militia iam extincta in Caſtella. *d.* 1. *n.* 98.

Stellæ Militia in Gallia. *d.* 1. *n.* 80

S. Stephani Ordo, Florentiæ. *d.* 1. *n.* 43.

Templi Militum Ordo iam extinctus, vulgò *Templarios. d.* 1. *n.* 27.

Teuclides, Militia olim Equeſtris apud Limenſes. *d.* 1. *n.* 90.

S. Thomæ Ordo. *d.* 1. *n.* 50.

Del Tuſino Militia in Auſtria. *d.* 1. *numer.* 78.

Velleris aurei Militia Regia, Hiſpanè *del Tuſon. d.* 1. *n.* 91.

Virginis de Loreto Ordo in Italia. *d.* 1. *num.* 56.

Ordines Militares in Hiſpania, quo fine fuerint inſtituti? *d.* 1. *ex numer.* 1. Conſtant ex Equitibus, & Clericis Fratribus *ibid.* Sunt veræ Religiones approbatæ, & confirmatæ à Pontificibus. *d.* 1. *ex numer.* 123. Eorum priuilegia Pontificia, & Regia. *ibid. & d.* 2. *n.* 2. Eorum iuriſdictio ſpiritualis, & temporalis. *d.* 2. *ex n.* 1. Eorum Adminiſtratio perpetua, Patronatus, & Protectio eſt penes Reges noſtros Hiſpaniæ. *d.* 1. *ex n.* 201. *& d.* 7. *ex n.* 1. VIDE *Reges Hiſpaniarum.*

Ordinum & Militarium Capitula Generalia. *d.* 7. *ex num.* 8. VIDE *Capitula.* Eorum Vota. *d.* 4. 5. *&* 6. Eorum Prælati. *d.* 7. *per totam.* Eorum Dignitates, & Munera, ac Officia. *d.* 8. *per totam, & d.* 17. *ex num.* 43. Eorum Commendatarij, & Commendæ. *d.* 10. *per totam.* Eorum Monaſteria Virorum, & Collegia. *d.* 9. *per totam.* Eorum Beneficia. *d.* 11. Eorum ceremoniæ, victus, ornatus, & Sacramentorum receptio. *d.* 12. Eorum Orationes. *d.* 13. Eorum Moniales. *d.* 14. Eorum conſuetudo circa defunctos. *d.* 16. Eorum iura, & ſtatuta circa teſtamenta, diſpoſitiones vltimas, & legata.

legara.*d.*15.Ordinum Regius Senatus. *d.* 7. *ex n.*26.*& d.*17.*per totam.*

Ordinum Militarium informationes ſanguinis. 3. *ex num.* 15. Habitus acceptio. *ibid. ex num.* 52. Profeſſio. *ibid. ex num.* 54. Ordinum Militarium Equites an ſint ſtrictè Religioſi, & exempti à iuriſdictione ſæculari Regia? *d.* 2. *ex num.* 21. Ordines Militares communicant omnia priuilegio Religionum. *ibid. num.* 107. Eorum priuilegia communicantur à Religionibus Mendicantibus, dum non repugnent proprio Inſtituto. *ibid. num.* 109. Ordinum Militarium ampliſſima priuilegia ad eligendos Iudices Conſeruatores. *d.* 2. *ex num.* 115. An abſque licentia Ordinis poſſit Eques Militaris nuptias contrahere? *d.*3.*num.*87. VIDE *Eques Militaris* Ordinum Militarium Equites quam illuſtres fuerint, & ſint. *d.*9.*num.* 107. Eorumdem Ordinum Clerici Fratres inſignes recenſentur. *ibid.ex n.* 108.

Ordines Militares an in aliquibus caſibus poſſint abducere bona patrimonialia, & etiam Maioratus ab Equitibus, & à Nouitijs, nec non bona immobilia à Clericis Fratribus? *d.* 4. *ex num.* 109. *& num.* 115. *ac* 118. An Ordines poſſint immutare vltimas diſpoſitiones Clericorum Fratrum? *d.* 15. *num.* 50. Votum aſſumendi ſtatum Equeſtrem Ordinum Militarium an ſit validum? *d.* 3. *numer.* 141. Non ſatisfit voto Religionis aſſumendo ſtatum Equeſtrem Ordinum, niſi ſit Ordinis S. Ioannis. *ibid. numer.* 146. Sic verò aſſumendo ſtatum Clericorum Fratrum. *ibid.* Ordines Militares quot habeant in ſua ditione vrbes, oppida, quibus Gubernatores, & Iudices præficiunt? *d.* 17. *numer.* 19. Ordinum officia, ſeu munera nec vendi, nec alienari queunt abſque diſpenſatione Pontificia, & conſenſu ipſorum Ordinum. *d.* 17. *num.* 24. Ordinum Militarium votum emiſſum de defendenda Immaculata Conceptione Deiparæ. *d.* 12. *num.* 100. In Profeſſione Militarium additur id votum. *ibid. numer.* 103. Expoſiti nequeunt ad Ordines Militares admitti. *d.* 3. *numer.* 50. De alijs exponitur, an poſſint. *ibid.n.*52.

Oſtiarius

Oſtiarius Senatus Ordinum.*d.*17.*numer.*49.

Oua, & Lacticinia.

Oua, & lacticinia poſſunt edi à Clericis Fratribus, & Monialibus Ordinum Militarium virtute Bullæ Cruciatæ in ieiunijs Quadrageſimalibus. *d.* 12. *ex numer.* 146. Et abſque Bulla Clerici Fratres Iacobæi in Monaſterijs de Vcles, & S. Marci. *ibid. numer.* 147. Non verò eorum famuli. *ibid.* Nec id priuilegium communicatur alijs Religioſis Militaribus, nec cæteris, nec Equitibus Iacobæis. *ibid. ex numer.* 149. Ex eo priuilegio Priores de Vcles, & S. Marci poſſunt edere in ieiunijs Quadrageſimæ oua, & lacticinia. *ibid. num.* 148. Alij Priores Militares iuriſdictione in territorio gaudentes nequeunt virtute Bullæ Cruciatæ communis veſci ouis, & lacticinijs, quamvis alij Clerici Fratres poſſint. *ibid. num.*146.

P

Paraſceues.

In die Feriæ ſextæ in Paraſceue, an ſit prohibita Communio ſacra. *d.* 12. *num.*129. Olim ſumebatur.*ibid.*

Parochus.

Parochorum obligationes. *d.* 11. *ex num.* 84. *& d.* 4. *num.* 95. Tenentur per ſe ipſos adminiſtrare Sacramenta, Eccleſiæ inſeruire, & aſſiſtere funeribus. *d.* 11. *numer.* 85. Non ſufficit, vnum, vel alind adminiſtrare Sacramentum. *ibid. num.* 86. Parati eſſe debent ad Confeſſiones etiam quotidianas Parochianorum audiendas. *ibid.* Quando excuſentur à non adminiſtrando per ſe ipſos? *d.* 11.*num,* 87. Auaritiam debent fugere.*ibid.num.*88. Quid teneantur cum Parochianis, & pauperibus præſtare? *ibid.* Ad reſidentiam ſtrictiſſime tenentur, & quantum temporis? *ibid. ex num.*90. Si non reſideant, aut non adminiſtrent per ſe ipſos, non faciunt fructus ſuos, etiam ante Iudicis ſententiam.*d.*11. *ex num.*92. Prælati poſſunt eis alias adhuc pœnas infligere.*ibid.* Ad non reſidendum per duos menſes quomodo ſit neceſſaria in ſcriptis licentia? *ibid. num.* 93. Cauſæ excuſantes à reſidentia. *ibid. num.* 94. Parochi Ordinis S. Ioannis, quid ſpeciale circa reſidentiam habeant? *ibid.num.*97.

Parochis Eccleſiarum Ordinum Militarium debentur primitiæ, & oblationes, non Commendatarijs. *d.* 10. *numer.* 35. *&* 37. Parochis Militaribus, ſi aliundè non ſuperſit, tribuenda eſt à Commendatarijs congrua. *d.* 6. *numer.* 25. In Parochum nullus debet, nec poteſt aſſumi abſque præuio examine, niſi notoria, & manifeſta ſit eius ſcientia. *d.* 11. *ex num.* 8. Parochus nequit eſſe Prior Monaſterij, nec Rector Collegij Militaris. *d.* 7. *ex numer.* 199. Nec Viſitator, nec Vicarius Generalis.

ralis. *ibid. numer.* 200. & *d.* 11. *numer.* 96.

Patronatus Regius Ordinum Militarium.

Patronatus Regius Ordinum Militarium ſtabilitur. *d.* 1. *ex numer.* 201. Nequit præſcribi contra illum. *ibid. numer.* 211. Reges præſentare poſſunt ad omnia Beneficia Ordinum, quamvis ad aliqua adhuc non præſentauerint. *ibid. ex num.* 210. Patronatus hic eſt Eccleſiaſticus. *ibid. num.* 216. Sed Reges quovis tempore præſentant, ac ſi eſſent Patroni laici. *ibid. num.* 224. Poſſunt etiam variare, & alium ante collationem præſentare. *ibid.* Patronatus hic an poſſet a Pontifice reuocari? *d.* 1. *num.* 215. Nihil Eccleſiaſticum in Ordinibus poteſt præſtari, niſi à Regibus, aut ex eorum conſenſu, & conſuetudine. *d.* 1. *numer.* 204. & 229. Nequit ædificari in territorijs Ordinum locus pius abſque Regum, vt Patronorum licentia. *ibid. num.* 231. Quomodo eis ſubiaceant, poſtquam extruuntur. *ibid.* Omnes cauſæ ad patronatum Regium Ordinum pertinentes ad Senatum ipſorum Ordinum ſpectant. *ibid. n.* 228.

Panis, & Aquæ Alimenta.

Panis, & aquæ alimenta, vulgò *Pan, y agua,* ſuppeditantur Equitibus Militaribus à Rege noſtro. *d.* 12. *num.* 139. Quibus, & quomodo? *ibid.*

Paupertatis Votum.

Paupertatis Votum ad quid obliget Equites Militares Profeſſos? *d.* 4. *ex num.* 1. Retinent illi proprietatem bonorum. *ibid. num.* 14. Non aduerſatur dominium paupertati. *d.* 4. *ex num.* 7. Non verò Clerici Fratres, adhuc Iacobæi. *ibid. num.* 66. An teneantur Equites, & Clerici Fratres ſub mortali facere Inuentarium? VIDE *Inuentarium.* Nequeunt Ordines tollere ab Equitibus proprietatem bonorum. *ibid. num.* 10. Niſi in caſibus raris, & ſpecialiſſimis. *ibid. numer.* 106.

Paupertatis voto non contrariantur Clerici Fratres, cum obtinent Beneficia, & redditus eorum. *d.* 4. *num.* 23. Nec ei aduerſatur, poſſe eos diſponere de bonis, limitationibus adhibitis, dum viuunt, & dum obeunt. *d.* 15. *ex num.* 18. Proprietarij excommunicantur quotannis in Monaſterijs Calatrauæ, & Alcantaræ. *d.* 12. *numer.* 57. Qui ſint proprietarij? *ibid. numer.* 62. An violetur paupertas, ſi occultent aliquid, dum ſerutinia fiunt à Prioribus, & Rectoribus? *d.* 14. *nu.* 21. Paupertatis Votum non exprimitur in profeſſione aliquarum Religionum, & quare? *d.* 3. *numer.* 75. An ex vi voti Paupertatis teneantur Equites in aliquibus caſibus bona ſua Ordinibus tradere? *d.* 4. *ex num.* 109. Etiam ſi ſint bona Maioratus. *ibid. num.* 117. Idem de Clericis Fratribus decernitur. *ibid. ex num.* 120. Paupertatis votum ad quid obliget omnes Religioſos, & Moniales *d.* 14. *ex numer.* 18. Exponuntur plures caſus ad praxim. *ibid.* Paupertas an violetur, ſi Clerici Fratres abſque licentia ſpeciali vtantur pecunijs in Depoſito conſtitutis, & habitis ex Informationibus, aut aliunde. *d.* 4. *n.* 30.

Penſio.

Penſionem Eccleſiaſticam habens Militaris, ſi recitet Orationes in Ordine præſcriptas non tenetur ad perſoluendum Officium paruum B. Mariæ. *d.* 13. *n.* 27.

Pœna.

Sub pœna, non ſub culpa obligant Regulæ, ſtatuta, & Difinitiones Ordinum Militarium, niſi aliud in eis exprimatur. *d.* 6. *numer.* 17. Pœnæ impoſitæ violantibus Clauſuram Monialium. *d.* 14. *numer.* 83. Pœnæ quædam pecuniariæ applicantur in Ordine D. Iacobi Monaſterijs Monialium, & Hoſpitalibus. *d.* 14. *numer.* 99. Pœnas nequit ſibi applicare Vicarius Epiſcopi, aut Prioris Militaris. *d.* 7. *numer.* 261. Pœnæ latæ in Iure contra Religioſos extenduntur ad Moniales. *d.* 14. *n.* 36.

Pontifex Summus.

Pontifex poteſt diſpenſare in votis ſolemnibus Religionis. *d.* 3. *numer.* 135. Si Religioſus euehatur ad Pontificatum, liberatur ab obſeruantia Regulari, & à votis. *d.* 9. *num.* 57.

Pontificalium Vſus.

Pontificalibus vti poſſunt Priores Militares iuriſdictione quaſi Epiſcopali in territorio gaudentes. *d.* 7. *ex numer.* 65. Quinam hi ſint. *ibid. & numer.* 138. An poſſint eis vti extra territorium in Capitulis Generalibus? *ibid. ex num.* 66. Prior Alcantaræ, adhuc ſtante Concordia cum Epiſcopo Caurienſi, poteſt vti Pontificalibus in Miſſa in ſuo Monaſterio, & an in ſuo territorio? *d.* 7. *n.* 172. Exercere Pontificalia, & vti Pontificalibus, non eſt idem. *ibid. num.* 170.

Præbenda.

Præbendas ſæculares an poſſint obtiuere Clerici Fratres Militiarum abſque diſpenſatione Pontificia. *d.* 11. *ex n.* 44. Plures ab illis obtentæ ſunt. *d.* 9. *ex n.* 109.

Præceptum.

Præcepta Obedientiæ poſſunt ſubditis imponere Capitula Generalia Ordinum. *d.* 7. *nu.* 17. Senatus Ordinum. *ibid. numer.* 26. Viſitatores. *ibid. num.* 192. Priores Monaſteriorum, & Rectores. *d.* 7. *ex num.* 45. *& num.* 213. Sub-Priores, & Vice-Rectores abſentibus Prioribus, ac Rectoribus. *ibid. n.* 234. Adminiſtratores perpetui Reges noſtri non poſſunt per ſe immediatè ea imponere, ſic verò per alios à ſe deputatos. *d.* 6. *nu.* 5. An Abbatiſſæ, ſeu Superiориſſæ poſſint? *ibid. n.* 2.

Præfectus Arcis.

Præfecti Arcium Ordinum Militarium recenſentur. *d.* 8. *ex n.* 30.

Prælatus Regularis.

Prælatus poteſt negare, & limitare Clericis Fratribus intra Communitatem degentibus facultatem ad diſponendum de diſtributionibus. *d.* 4. *num.* 18. Prælati Clericorum Fratrum poſſunt diſpenſare cum illis, ne recitent Horas Canonicas, & quomodo? *d.* 13. *numer.* 11. Prælatus Regularis nequit negare ſubdito licentiam tranſeundi ad Religionem ſtrictiorem, ſi non ſit priuilegium ſpeciale prohibens tranſitum. *d.* 3. *numer.* 134. Si dubitetur, an Religio illa ſit ſtrictior, ſtandum eſt arbitrio viri prudentis. *ibid.* Prælati Regulares valent benedicere Eccleſias Monialium ſubditarum, ac ornamenta, & ipſas Eccleſias reconciliare. *d.* 14. *numer.* 46. Prælati an poſſint de nouo indicere Clauſuram in Monaſterijs Monialium, in quibus ex conſuetudine non datur? *d.* 14. *num.* 70. VIDE *Prior.* Prælati Monialium debent viſitare eas per ſe, aut per alios. *d.* 14. *numer.* 49. Quoties? *ibid.* Quid poſſint circa electiones, Clauſuram, & alia? *ibid. ex num.* 47. Prælati Regulares poſſunt eſſe Conſeruatores. *d.* 2. *num.* 118.

Præſentatio Ad Eccleſiaſtica.

Præſentatio ad omnia Eccleſiaſtica Ordinum Militarium, pertinet ad Reges noſtros, tanquam patronos. *d.* 1. *num.* 229. Poſſunt præſentare, etiam ad ea Beneficia, ad quæ adhuc non præſentarunt. *ibid. numer.* 209. Præſentant quovis tempore. *ibid. num.* 224. Poſſunt variare ante collationem, & alium, præſentare. *ibid.* Priores de Vcles, & S. Marci præſentant ad aliqua Beneficia. *ibid. num.* 205. Aliqui Commendatarij præſentant ad Sacriſtias. *ibid.* Commendatarij Ordinis S. Ioannis præſentant parochos ſuæ Commendæ. *d.* 14. *n.* 64.

Præſes Senatus Regij Ordinum.

Præſes Senatus Ordinum. *d.* 17. *num.* 51. Deſignat Informantes, qui Informationes peragant de omnibus vtriuſque ſexus admittendis ad Ordines Militares. *d.* 17. *num.* 27. VIDE *Senatus Ordinum.* Præſidis obligationes. *d.* 7. *n.* 44.

PRÆSIDENS MONASTERII, AVT Collegij Militaris.

Præſidens Monaſterij, aut Collegij Militaris qua poteſtate, & iuriſdictione gaudeat? *d.* 7. *ex num.* 247.

Praxis Senatus Regij Ordinum.

Praxis Senatus Regij Ordinum recenſetur. *d.* 17. *per totam.*

PRIMA TONSVRA. VIDE *ORDO ſacer, & Ordines minores.*

Primitiæ

Primitiæ non debentur Commendatarijs in Eccleſijs Ordinum Militarium, ſed parochis. *d.* 10. *n.* 35. Cui deputentur? *ibid.* Primitiarum retentio eſt caſus reſeruatus in pluribus diœceſibus. *ibid. n.* 45.

Prior Militaris, Prioratus.

Priores in Ordine D. Iacobi, quinam iuriſdictione quaſi Epiſcopali in territorio gaudeant? *d.* 7. *num.* 61. Quinam in Ordine Alcantaræ? *ibid num.* 65. Poſſunt hi Priores præſtare ea, quæ poſſunt Epiſcopi, præter ea, quæ poſcunt Ordinem Epiſcopalem. *d.* 7. *num.* 141. *& num.* 150. Poſſunt vti veſtibus Epiſcopalibus. *ibid num.* 137. Benedicere populo ſolemniter, & an extra Eccleſiam? *ibid. num.* 75. *&* 138. Concedere Indulgentias. *ibid. num.* 76. Initiare Ordinibus minoribus ſubditos, & alios afferentes literas dimiſſorias? *ibid. num.* 91. Concedere ſubditis literas dimiſſorias. *ibid. n.* 82. Benedicere, & reconciliare Eccleſias. *ibid.*

num. 140. *&* 247. Et quævis ornamenta? *ibid. num.* 125. An conſecrare aras, & calices, ac ſimilia. *d.* 7. *n.* 139. *&* *d.* 18. *ex n.* 7. Valent Synodum congregare. *ibid. n.* 151. Cenſuras per modum ſtatuti in perpetuum durantes ferre. *ibid. num.* 151. Abſoluere à caſibus, à quibus poſſunt Epiſcopi. *ibid. num.* 109. Diſpenſare in irregularitatibus, in quibus Epiſcopi poſſunt. *d.* 7. *num.* 111. Diſpenſare in impedimentis matrimonij, in quibus Epiſcopi. *ibid. num.* 153. Non indigent confirmatione Pontificia. *ibid. num.* 58.

Priores præfati valent habere Oratoria. *d.* 7. *num.* 143. Vti altari portatili. *ibid.* Celebrare ex cauſa ante auroram, & poſt meridiem. *ibid.* Eligere ſibi Confeſſarium, qui eos abſoluat à caſibus, à quibus ipſi poſſunt alios abſoluere. *ibid. num.* 142. Viſitare ſuas Eccleſias poſſunt, & debent per ſe, aut per alios. *d.* 2. *ex num.* 10. Approbare Confeſſarios, & Concionatores in ſuo territorio. *d.* 7. *num.* 162. Eorum domus quomodo gaudeant immunitate Eccleſiaſtica? *ibid. num.* 146. Eorum miniſtri, & famuli an gaudeant priuilegio fori? *ibid. num.* 147. Non incurrunt in pœnam ſuſpenſionis, nec interdicti generaliter latam in Iure, niſi ibi exprimatur, Epiſcopos incurrere. *ibid. nu.* 144. Percutientes hoſtiliter illos contrahunt excommunicationem Bullæ Cœnæ. *ibid. n.* 145. Eorũ obligationes. *ibid. n.* 149.

Priores nequeunt eſſe in Ordinibus Militaribus, qui aliunde ſint Parochi, aut aliam Dignitatem habeant, niſi in euentu ſpeciali. *d.* 7. *ex num.* 199. Reſidere tenentur in ſuis Prioratibus. *ibid. num.* 210. An ab illis ſint obtenturi literas dimiſſurias Equites Militares, vt Ordines ſuſcipiant? *d.* 7. *num.* 103.

Priores in Ordine Alcantaræ, quinam poſſint vti Pontificalibus? *d.* 7. *numer.* 74. An Prior Alcantaræ in ſuo Monaſterio, & territorio? *d.* 7. *num.* 171. Concordia cum Epiſcopo, & Eccleſia Cathedrali Caurienſi cum Ordine, & Priore Alcantaræ. *d.* 7. *num.* 163. Plnres caſus circa illam, & circa poteſtatem Prioris, ſtante concordia. *ibid. ex num.* 164. Priores an extra ſua territoria poſſint in celebratione Miſſæ, vti Pontificalibus? *ibid. num.* 74. An poſſint abſoluere ab hæreſi occulta? *ibid. num.* 113. Vicarij Priorum, & item Prioratum vacantium. VIDE *Vicarius. Subprior.*

Prioris iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentis in territorio nomen apponendum eſt in Canone, & Collecta Miſſæ. *d.* 7. *ex numer.* 123. Prioratus nequeunt obtineri ab Equitibus Militaribus, ſed solùm à Clericis Fratribus. *d.* 8. *ex numer.* 7.

Prior Monaſterij de Alcantara, ſi obeat, poteſt de ſuis bonis mobilibus diſponere. *d.* 15. *numer.* 41. Etiam finito Prioratu. *ibid.* Quinam Priores in ordinibus Militaribus ſint Dignitates intra, & extra ordinem? *d.* 8. *num.* 2. Prior Calatrauæ non datur, & controuerſia ſuper Prioratu cum ordine Ciſtercienſi exponitur. *d.* 9. *ex numer.* 75. Priores iu ordine Alcantaræ deſignantur à Rege noſtro, eiuſque Senatu Ordinum. *d.* 8. *numer.* 6. Priores de Vcles, & S. Marci, eliguntur per ſuffragia, & quomodo? *d.* 8. *n.* 5.

Priores gaudentes iuriſdictione quaſi Epiſcopali poſſunt abſoluere à caſibus reſeruatis Pontifici, cum datur impedimentum adeundi illum. *d.* 7. *num.* 121. Poſſunt commutare Fundatorum voluntates circa pia opera, & quomodo? *d.* 7. *numer.* 155. Ad eos ſpectat concedere licentias ad poſcendum eleemoſynas. *ibid.* An poſſint familiam armatam habere ad iuſtitiæ executionem? *ibid. num.* 156. Fiſcum habere poſſunt, & cui ſint pœnæ applicandæ? *ibid.* Poſſunt inuocare auxilium brachij ſæcularis. *ibid.* Et habere carcerem, ac vincula. *ibid.* Priores de Vcles, & S. Marci poſſunt ex Statutis vti Inſigni aureo, & veſtibus ſericis. *d.* 12. *n.* 42.

Priores præfati an poſſint validè ferre cenſuras abſque monitionibus? *d.* 7. *nu.* 157. Poſſunt Clericum deponere; non vero degradare. *ibid. n.* 159. Quam & in quibus cauſis ſæcularium iuriſdictionem habeant? *ibid. ex num.* 160. Ad eos ſpectat viſitatio Eccleſiarum, Confraternitatum, Hoſpitalium, & operum piorum ſui territorij, ac cura executionis teſtamentorum. *d.* 7. *ex num.* 161. Exactiſſimè eſt peragenda ab illis Viſitatio. *ibid. num.* 263. VIDE *Viſitatio Eccleſiarum.* Priores, tanquam Ordinarij, debent per ſe, aut per alios aſſiſtere ad cauſas ſubditorum in ſacris Tribunalibus Fidei. *ibid. n.* 162. Priore Alcantaræ mortuo, abſente, aut vacante Officio, Præſidens Monaſterij gaudet iuriſdictione ordinaria in territorio. *ibid. n.* 255.

Priores Monaſteriorum poſſunt reſeruare caſus reſpectu ſubditorum, & quomodo? *d.* 12. *n.* 91. An expediat, eos reſeruari? *ibid. n.* 92. Tenentur reſidere, & quomodo? *d.* 11. *num.* 98. Priores territorio gaudentes an poſſint ex cauſa numerum Miſſarum in Capellanijs imminuere? *d.* 9. *ex num.* 39. Poſſunt concedere licentiam, ex cauſa, celebrandi ante Auroram, & poſt meridiem. *d.* 12. *n.* 137. Priores de Vcles, & S. Marci ex quibus locis orti debeant eligi? *d.* 9. *n.* 5.

Priores de nouo aduenientes poſſunt ad nouum examen vocare Confeſſarios, & Concionatores. *d. 7. n. 121.* Valent conſtituere, & approbare Parochorum Vicarios. *d. 11. num. 103.* Licentiam præbere, vt ex cauſa legitima abſint Parochi à ſuis Eccleſiis. *ibid. num. 105.* Priores poſſunt eſſe Conſeruatores reſpectu aliorum ordinum. *d. 2. num. 135.*

Ad Priores juriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentes pertinet jure deuoluto prouiſio Capellaniarum, in caſibus, in quibus ad Epiſcopos in ſuis Diœceſibus pertinet. *d. 11. numer. 121.* Poſſunt eas concedere Clericis Fratribus. *ibid.* Debent inueſtigare Fundationem earum. *ibid.* Item monere Patronos. *ibidem.* Prioratus an poſſint renunciari à Prioribus, & quomodo? *d. 11. numer. 112.*

Priores Ciſtercienſis Ordinis extiteruut in Monaſterio Calatrauæ quadringentis, & duodecim annis. *d. 9. num. 97.* Priores formati in ordine Calatrauæ quinā dicantur? *d. 8. num. 31.* Poſſunt de bonis immobilibus diſponere, dum viuunt, & dum obeunt. *d. 4. num. 35. & d. 15. num. 40.* Sacriſta major ordinis gaudet priuilegiis Prioris formati. *d. 8. numer. 31.* In Capitulo Generali ordinis aſſiſtunt. *d. 7. numer. 8.*

Prior Alcantaræ, & eo abſente, Prior de Magacela, aqua luſtrali aſpergit Regem noſtrum, prima die Capituli Generalis Ordinis, & incipit Miſſam ante ipſum. *d. 7. num. 10.* Prior Alcantaræ, adhuc poſt concordiam, nequit excommunicari ab Epiſcopo Caurienſi in inhibitoriis. *d. 7. numer. 178.* A ſententia interlocutoria ipſius nequit appellari ad Epiſcopum, ſed à definitiua. *ibid. num. 173.* Nec à mandatis ipſius in Viſitatione præſtitis: *ibid. num. 180.* Senatus ordinum cognoſcit de ſententiis interlocutoriis Priorum. *d. 17. num. 14.* An poſſit cognoſcere in prima inſtantia de cauſis criminalibus, ac ciuilibus Priorum, & Vicariorum? *ibid.* Prior Alcantaræ eſt Parochus ordinis, & præcipuus inter Alcantarenſes. *d. 7. numer. 81.* Poteſt celebrare in Pontificalibus iu ſuo territorio. *ibid. num. 168.*

Priores poſſunt diſpenſare cum ſubditis in votis non reſeruatis, & irritare vota ſubditorum Fratrum; necnon diſpenſare in obſeruantiis regularibus, ac in irregularitatibus, & quomodo? *d. 7. ex num. 235. & num. 244.* Poteſt item Prior diſpenſare, & efficere ſecum, quod cum aliis. *d. 7. num. 242.* Si diſpenſatio non ſit executioni mandata, finito Prioratus munere, poteſt mandari. *ibid. n. 243.* Nequit Prior ſibi ipſi concedere licentiam ad tempus poſt finitum Prioratum. *ibid. num. 242.* Prioris ſedes non occupatur à Subpriore, etiam illo abſente, aut deficiente. *ibid. num. 245.* Si abſeus ſit Prior, & Subprior eius vices gerat, an vterque iuriſdictione ordinaria gaudeat? *d. 7. ex numer. 248.*

Priores territorio gaudentes poſſunt indicere interdicta, & ceſſationes à diuinis. *d. 7. n. 151.* Diſpenſare in Iure, & quomodo? *ibid. n. 153.* Diſpenſare ad petendum debitum. *ibid.* Valent approbare miracula, & Reliquias Sanctorum, & quomodo? *ibid. numer. 154.* An poſſint conferre Sacramentum Confirmationis ex commiſſione, & licentia Epiſcopi? *d. 7. num. 148.* Priores poſſunt deſignare ſubditis Fratribus Confeſſarios. *d. 9. num. 72.* Et excipere Confeſſiones omnium Regularium ſui ordinis. *ibid. num. 74.*

Priuilegium.

Priuilegia ordinum Militarium. *d. 2. ex num. 101.* ordinis D. Iacobi. *ibid. num. 102.* ordinis Calatrauæ. *ibid. num. 103.* ordinis Alcantaræ. *ibid. num. 104.* ordinis D. Ioannis. *d. 2. num. 106.* Ipſi, & ordines Monteſiæ, Chriſti, & Auiſij communicant priuilegia inter ſe, & ordinum aliorum, & præcipuè Calatrauæ, Alcantaræ, & Ciſtercij. *d. 2. num. 106.* Equites Militares an gaudeant priuilegio fori? *d. 2. ex num. 21.* An priuilegio Canonis? *d. 3. num. 67.* Gaudent vtroque Clerici Fratres Militares. *d. 2. num. 30. & 67. & d. 3. num. 66.* Et Moniales Militiarum. *d. 14. n. 44.*

Priuilegia conceſſa Ordinibus Militaribus non reuocantur per Bullam Cruciatæ. *d. 12. num. 148.* Quænam priuilegia communicentur adinuicem in Religionibus? *ibid. num. 150.* Priuilegio audiendi publicè Ius Ciuile gaudent Clerici Fratres. *d. 9. numer. 14.* Priuilegia ampliſſima eligendi Conſeruatores conceſſa ſunt Ordinibus Militaribus. *d. 2. ex num. 115.* Nouitij gaudent priuilegiis Religionis. *d. 3. ex num. 65.* Priuilegia Ordinum Militarium quibus perſonis competant? *d. 2. ex n. 69.* Perſonaliſſima non extenduntur ad eos, qui non ſunt ex ordinibus. *ibid. num. 77.* Religiones Mendicantes communicant priuilegia Ordinum Militarium, quæ non repugnant proprio inſtituto, & obſeruantiæ. *d. 2. n. 109. & d. 12. num. 150.* Quibus priuilegiis gaudeant Moniales? *d. 14. num. 43. & 45.* Priuilegia aliquarum Religionum, ne Religioſi ad alias Religiones ſtrictiores tranſeant

ſeant, exponuntur. *d.* 3. *n.* 116. An communicentur Ordinibus Militaribus? *ibid.*

Proceſſiones.

Ad proceſſiones intra Monaſteria diebus Rogationum non tenentur ex ſe aſſiſtere Moniales. *d.* 14.*n.*34.

Procurator.

Procuratorum generalium ordinum Militarium electio, & munus. *d.* 8. *num.* 34.

Profeſſio.

Profeſſionem facere coram quo debeant Equites Militares? *d.* 3. *numer.* 55. Et Clerici Fratres? *ibid. num.* 57. In quo caſu poſſit profeſſio fieri coram ſæculari? *ibid. numer.* 55. qui ſe ipſum noſcit ſanguine infectum, an poſſit Ordinem Militarem poſcere, & profeſſione emittunt? *d.* 3. *numer.* 39. In profeſſione emittunt Militares trium ordinum votum defendendi Immaculatam Conceptionem Deiparæ. *d.* 12. *num.* 103. profeſſionis formulæ, & verba profeſſionis Ordinum Militarium exponuntur. *d.* 3. *n.* 69. profeſſio emiſſa à Clericis Fratribus, & ab Equitibus Ordinis S. Ioannis diſſoluit quoad vinculum matrimonium ratum non conſummatum. *d.* 5. *numer.* 13. *&* 20. Non diſſoluitur quoad vinculum matrimonium conſummatum. *ibid. num.* 14. Inualidum eſt matrimonium contractum poſt profeſſionem prædictorum. *ibid. n.* 16. Validum verò poſt profeſſionem aliorum Equitum Militarium. *ibid.n.* 19.

Profeſſionem poſſunt emittere Nouitij ante annum finitum probationis in articulo mortis. *d.* 3. *n.* 150. Militares Nouitij, ex qua licentia id poſſint? *ibid. num.* 151. Si conualeſcant, debent finire annum Nouitiatus, & iterùm profeſſionem emittere. *ibid. num.* 150. profeſſionem de licentia Regis emittunt Clerici Fratres Calatrauæ, & Alcantaræ. *d.* 3. *ex num.* 58. Formula profeſſionis Ordinis Ciſtercienſis. *d.* 3. *numer.* 83. Validè profeſſionem emittunt Militares, etiam Ordinis S. Ioannis, profeſſi in ipſo, qui ad aliam ſtrictiorem Religionem tranſeunt, adhuc ſine licentia prælatorum. *d.* 3. *ex num.* 98. Monialis ante profeſſionem debet explorari de conſenſu ab ordinario. *d.* 14. *num.* 9. Non redditur Inualida profeſſio, quamvis non præcedat exploratio *ibid.*

Profeſſio ad ſui valorem requirit in profitente annum decimum ſextum ætatis. *d.* 14. *num.* 9. Quo caſu Monialis poſſit emittere profeſſioné ante annũ expletũ nouitiatus. *ibid. n.* 10. Monialis poſt profeſſionem quomodo valeat ad Religionem ſtrictiorem tranſire? *ibid.* profeſſio inualida eſt, ſi fiat ex metu cadente in conſtantem virum. *d.* 14. *n.* 11. Et item facta ex errore circa ſubſtantiam Religionis. *ibid.* Item, ſi fiat cum animo non obligandi ſe; ſed in foro externo poteſt compelli ad illam ſeruandam is, qui eo fuit animo. *ibid.* Valida eſt profeſſio, occultato impedimento non irritante eam. *ibid. num.* 12. Etiam eſt valida, & ſi nouitius toto anno probationis ægrotet. *ibid.* Renuntiatione facta ante profeſſionem, cui competant fructus, & an renuntiatio reuocari valeat? *d.* 14.*n.*8.

Prohibitio.

Prohibitiones latæ in Iure contra Religioſos extenduntur ad Moniales. *d.* 14. *n.* 36.

Proprietarius. Proprietas.

Proprietarij excommunicantur quotannis in Monaſteriis Calatrauæ, & Alcantaræ. *d.* 12. *num.* 57. Quinam hi ſint? *ibid. num.* 62. Proprietas non aduerſatur Voto paupertatis Equitum Militarium. *d.* 5. *ex num.* 7. Clerici Fratres, nec adhuc Iacobæi, non retinent proprietatem bonorum. *ibid. ex nu.* 66. VIDE *Paupertatis Votum.*

Pſalterium.

Pſalteria recitanda in Ordinibus Militaribus. *d.* 16. *num.* 9. Non tenentur ſub peccato Militares ea recitare. *ibid. num.* 12.

Puritas Sanguinis.

Puritas ſanguinis ab omni labe infectionis requiritur in Equitibus admittendis ad Ordines Militares in quatuor auis. *d.* 3. *num.* 8. Et in Clericis Fratribus. *ibid. numer.* 11. Et in Monialibus. *d.* 14. *num.* 64. Adhuc in Conuerſis *ibid.*

R.

S. Raymundus.

S. Raymundus Fundator fuit Ordinis Calatrauæ, cum Rege Don Sanctio. *d.* 1. *num.* 140. *&* *d.* 9. *n.* 76. *&* 87.

Receptor.

Receptores Ordinum Militarium, & eorum munus. *d.* 8. *n.* 40.

Recitatio

RECITATIO OFFICII DIVINI.
Vide *Officium Diuinum.*

RECTOR COLLEGII MILITARIS.

Rector Collegij Militaris poteſt cenſuras in ſubditos ferre, & præcepta imponere. *d.* 7. *ex num.* 213. Eius juriſdictio. *ibid. & d.* 6. *num.* 41. Debet enixè conari ad ſtudia promouenda. *d.* 9. *num.* 10. A quo accipiat juriſdictionem erga ſubditos? *d.* 7. *num.* 213. Non cenſetur habere Beneficium Eccleſiaſticum in ordine ad effectum teſtandi in Ordine D. Iacobi. *d.* 15. *num.* 28. Rectores Collegiorum poſſunt eſſe Iudices Conſeruatores. *d.* 2. *numer.* 136. Poſſunt deſignare Confeſſarios ſubditis. *d.* 9. *num.* 69. Poſſunt benedicere ornamenta ad cultum Diuinum neceſſaria. *d.* 7. *num.* 247. Nequit eſſe Rector, qui Beneficium Parochiale habet. *d.* 7. *num.* 200. Rectores præcisè quà tales, nequeunt diſponere de bonis, dum obeunt. *d.* 15. *num.* 41.

Redditus.

Redditus annuos quomodo poſſint habere Religioſi? *d.* 4. *num.* 105. Eos valent habere Clerici Fratres Militiarum. *ibid. numer.* 106. Commendatarij non tenentur in vſus pios expendere redditus commendarum. *d.* 10. *n.* 61.

Regula.

Regulæ Ordinum Militarium non obligant ſub peccato, niſi id exprimatur. *d.* 6. *ex numer.* 17. Profiteri ſecundùm Regulam, quid ſit? *d.* 3. *ex num.* 70. Regulam immutare ſolus Pontifex poteſt. *d.* 7. *n.* 12.

Religio. Religioſus.

Religioſis quibus, & quænam bonorum ſucceſſiones competant? *d.* 4. *ex num.* 96. Exponuntur Clauſulæ Majoratuum ad excludendos Religioſos. *ibid. ex num.* 97. Aliquę Religiones ſunt capaces ſucceſſionis, non aliæ. *ibid. num.* 101. Capaces poſſunt capere bona ex teſtamento, & iure ſanguinis. *ibid. num.* 105. Quomodo poſſint Religioſi redditus annuos habere? *ibid. num.* 107. Religioſus an poſſit eſſe Vicarius Generalis Epiſcopi? *d.* 7. *ex n.* 256. Viſitator Ordinarij, nec Ordinarius poſſunt viſitare Eccleſias Regularium exemptorum, niſi ſint Parochiæ. *ibid. num.* 266.

Religiones Mendicantes communicant priuilegia Ordinum Militarium, quæ non aduerſantur proprio Inſtituto, & obſeruantiæ, ac è conuerſo *d.* 2. *num.* 76. & 79. Regulares Ordinum nequeunt ſuo foro renuntiare. *ibid. n.* 66. Nouitij Religioſi gaudent indulgentiis, & priuilegiis ſuæ Religionis. *d.* 3. *n.* 65. VIDE *Nouitius.* Religioſus, ſi promoueatur ad Epiſcopatum, gaudet indulgentiis ſuæ Religionis. *d.* 9. *n.* 56. VIDE *Epiſcopus.* Religioſi infirmi, & abſentes quomodo poſſint lucrari Indulgentias ſuarum Eccleſiarum? *d.* 12. *num.* 85. VIDE *Indulgentia.* Religioſi nequeunt appellare à correctione Superiorum, niſi ratione notabilis injuriæ, & ad quem? *d.* 14. *n.* 39. & 41.

Religioſus tranſiens ad aliam Religionem arctiorem ſine licentia Prælati validè in illa emittit profeſſionem. *d.* 3. *ex num.* 98. Conditiones ad tranſitum licitum. *ibid. ex num.* 100. Quæ ſit cenſenda Religio ſtrictior? *ibid.* Nequit Superior concedere licentiam, niſi ex ſpeciali priuilegio ad tranſeundum in Religionem laxiorem. *ibid. numer.* 134. Quæ licentia requiratur ad tranſitum in Religionem æqualem? *ibid.* Qui tranſiit ad Religionem ſtrictiorem, & emiſit profeſſionem, ſi redeat ad laxiorem, eſt Apoſtata. *d.* 3. *num.* 125. Religioſus Apoſtata, aut fugitiuus, ſi ſit in prouincia remota, vbi nequit ad ſuam Religionem reuerti, poteſt ingredi aliam laxiorem abſquę licentia. *ibid. num.* 132. VIDE *Apoſtata.* Religioſi Prælati. VIDE *Prælatus.*

Ad Religioſorum Confeſſiones audiendas non requiritur approbatio Ordinarij, ſed Superioris. *d.* 14. *num.* 56. VIDE *Approbatio. Confeſſarius.* A quibus peccatis abſolui poſſint virtute Bullæ Cruciatæ? *d.* 24. *ex num.* 54. VIDE *Bulla Cruciata.* Examinari poſſunt, vt Confeſſiones audiant, & concionentur, ab Epiſcopo de nouo adueniente. *d.* 7. *num.* 121. An, vt audiant Confeſſiones Monialium exemptarum, debeant eſſe approbati ab Ordinario? *d.* 14. *numer.* 57. Religioſi aliqui in Catalaunia ad Canonicatus apponuntur, & eos obtinent. *d.* 11. *numer.* 83. Religioſus, ſi fiat Cardinalis, eodem iure, ac ſi promoueatur ad Epiſcoparum gaudet. *d.* 9. *num.* 57. VIDE *Clericus Frater. Ordines Militares.* Profeſſio in Religione. VIDE *Profeſſio.* Vota Religioſorum. VIDE *Votum.*

Reliquiæ Sanctorum.

In Eccleſia in qua extant Reliquiæ inſignes Sanctorum, poteſt de eis perſolui Officium Diuinum, non in aliis. *d.* 12. *num.* 123. VIDE *Officium Diuinum.* Priores Militares territorio gaudentes poſſunt approbare Reliquias

Google

quias Sanctorum, & quomodo? *d. 7. num.* 154.

RENVNTIATIO BENEFICII. Vide *Beneficium.*

Reſeruati caſus, & vota reſeruata.

A reſeruatis caſibus, à quibus Epiſcopi poſſunt abſoluere, poſſunt etiam Priores Militares territorio gaudentes. *d. 7. num.* 109. An ab hæreſi occulta? *ibid. nu.* 113. In pluribus Diœceſibus eſt caſus reſeruatus retentio decimarum, & primitiarum. *d.* 10. *num.* 45. Reſeruatio caſuum in Religione non extenditur ad Nouitios. *d. 3. numer.* 65. Nulli caſus reſeruati ſunt in Ordinibus Militaribus. *ibid.* Reſeruata vota. VIDE *Votum.* Reſeruari poſſunt caſus à Capitulis Generalibus, & à Prioribus. *d.* 12. *num.* 91. Qui caſus, & quomodo? *ibid. numer.* 90. An poſſint reſeruari à Senatu Ordinum? *ibid. numer.* 91. Reſeruatio non videtur in Ordinibus Militaribus expediens. *ibid. numer.* 92.

Reſidentia.

Reſidere tenentur Priores Militares in ſuis Prioratibus; in quibus iuriſdictione gaudent. *d. 7. num.* 110. Non excuſantur a reſidentia Clerici Fratres Parochi ratione informationum, niſi tempore à iure permiſſo. *d.* 11. *num.* 95. Reſidere in ſuis Eccleſiis tenentur ſtrictiſſimè Parochi. *d.* 11. *numer.* 85. & *d.* 7. *numer.* 200. Nec ſolùm includitur in obligatione reſidentia in loco, ſed adminiſtratio Sacramentorum, & aliæ functiones. *d.* 11. *num.* 85. Cauſæ excuſantes à reſidentia. *d.* 11. *n.* 94. VIDE *Parochus.*

RESIGNATIO BENEFICII. Vide *Beneficium.*

Reſtitutio.

Reſtituere an teneatur Sacerdos, qui Miſſas celebrat in alia Eccleſia, aut altari, quàm præfixo ab erogante eleemoſynam? *d.* 9. *num.* 37. Qui lucratur in ludo pecuniam à Commendatario, etiam filio familias, quæ ſit ex redditibus Commendæ, non tenetur reſtituere. *d.* 10. *n.* 50. Qui ſe infectum ſanguine noſcit, & Habitum per induſtriam obtinuit, ac Commendam, an teneatur reſtituere? *d.* 3. *num.* 46.

Rex Hiſpaniarum.

Reges Hiſpaniarum ſunt Adminiſtratores perpetui Ordinum Militarium, qui in Hiſpaniis fuerunt inſtituti. *d.* 1. *ex nu.* 129. Si in fœminam Regna deuoluantur, Regina erit Adminiſtratrix. *d.* 6. *numer.* 1. Poſſunt circa ordines, quidquid Magiſtri poterant, cum ampliſſima poteſtate, dum non per ſe, ſed per alios ordinum à ſe deſignandos exerceant ſpiritualia, & his annexa. *d.* 6. *ex nu.* 1. & *d.* 7. *ex num.* 1. Sunt veluti Prælati Generaliſſimi ordinum. *d.* 1. *num.* 104. Sunt Patroni eorumdem ordinum. *d.* 1. *ex numer.* 201. Præſentant ad omnia Eccleſiaſtica ordinum, niſi ad aliqua Beneficia, & Sacriſtias, quæ ex conſuetudine ab aliis præſentautur. *ibid. num.* 204. Quovis tempore, & cum poteſtate variandi ante collationem præſentant. *ibid. num.* 214. Sunt protectores Ordinum Militarium. *d.* 7. *num.* 3. Conuocant Capitula Generalia Ordinum. *d.* 7. *num.* 9. Ceremoniæ quæ ſunt in praxi, dum Reges aſſiſtunt Capitulis. *ibid.*

Rex poteſt præſentare ad Beneficia ſita in Eccleſiis ordinum, quamvis adhuc non præſentauerit. *d.* 1. *ex num.* 208. Nequit contra eius Patronatum præſcribi. *ibid. numer.* 211. Regi tenentur obedire ex vi Voti Equites, & Clerici Fratres Profeſſi. *d.* 6. *nu.* 1. Reges conferunt Equeſtres Habitus, Commendas, & Dignitates Ordinum, Prioratus Ordinis Alcantaræ, Adminiſtrationem Monaſterij Calatrauæ, & alia plura. *d.* 7. *num.* 3. & *d.* 8. *ex numer.* 5. Confirmat Superioriſſas Monialium Militarium. *d.* 14. *num.* 53. Cum Senatu ordinum vnum Tribunal conſtituit, vt Epiſcopus cum Vicario Generali. *d.* 17. *n.* 2. Regum priuilegia conceſſa ordinibus militaribus attinguntur. *d.* 1. *ex num.* 131. & *d.* 2. *n. ex num.* 102.

Rex debet approbare ſtatuta, & definitiones à Capitulis Generalibus conditas, vt validæ ſiut. *d.* 7. *numer.* 12. Ex munere Adminiſtratoris Ordinum quę obligationes eum vrgeant? *d.* 7. *numer.* 6. Regis licentia expectatur, vt Clerici Fratres Calatrauæ, & Alcantaræ profeſſionem emittant. *d.* 3. *num.* 58. Rex conſulitur à Senatu Ordinum, & de quibus rebus? *d.* 17. *ex num.* 18. VIDE *Patronatus Regius.* Rex confert Equitibus alimenta, Hiſpanè *pan, y agua*, & quomodo? *d.* 12. *numer.* 139. Rex noſter Philippus IV. fouit maximè, quòd Capitula Generalia emitterent Votum defendendi Immaculatam Conceptionem Deiparæ. *d.* 12. *num.* 101. Eius inſignis deuotio erga hoc myſterium. *ibid. num.* 101. & 106.

Sacramenta.

In Sacramẽtorum adminiſtratione an poſſint

Militares vti toga Capitulari, loco ſuperpellicei? *d.* 12. *ex num.* 15. Sacramenta recipere an poſſint, & debeāt Equites Militares accinctis enſibus? *d.* 12. *ex num.* 43. Sacramenta adminiſtrare renentur per ſe ipſos Parochi. *d.*11.*n.*85. VIDE *Parochus.* Sacramenti Euchariſtiæ receptio frequens vſitata apud Monachos Benedictinos. *d.* 12. *ex n.* 127. Frequenter Euchariſtia à Militaribus eſt recipienda *d.* 12. *ex n.* 126. VIDE *Euchariſtia.*

Sacriſta.

Sacriſta major Ordinis Calatrauæ eſt Dignitas intra ordinem. *d.*8.*n.*3. Et Sacriſta major ordinis Alcanraræ. *ibid. num.*4. Eorum munus. *ibid.* Sacriſta major ordinis Calatrauæ gaudet exemptionibus Prioris formari. *ibid. numer.*31. Poteſt diſponere de bonis immobilibus. *d.* 15. *num.* 40.

Salmantina Collegia Militaria. *Vide* Collegia.

Sanctia Alfonſa.

Sanctia Alfonſa Monialis Iacobæi ordinis eximiæ fuit ſanctitatis. *d.* 9.*num.*115.

Sanctorum Officia. Vide *Officium Diuinum.*

Sanguis. *Vide* Putitas ſanguinis.

Sarabaita.

Satabaïtæ Monachi quinam fuerint? *d.*3.*n.*78.

Secretarius.

Secretarius vnus eſt ordinum Militarium. *d.* 17. *numer.* 44. Abſtinet à concurſu cum Senatu ordinum proprer ſedem, quam ſibi deberi ante Fiſcalem Senatus intendit. *ibid.*

Secretum.

Secretum ſeruandum eirca infotmationes, maximè cùm vnus vel alius teſtis ſolùm de defectu ſanguinis candidati deponunt. *d.* 17. *num.*30.

Scrutinium.

Serutinia eum faciunt Priores, & Rectores Militares, an ſit peccatum, aliquid occultari à ſubditis? *d.* 13.*n.* 21.

Sedes vacans.

Sede vacante, omittendum eſt nomen Pontificis, & reſpectiuè Epiſcopi, aut Abbatis, vel Prioris Militaris juriſdictione in territorio gaudentium, in Canone, & in Collecta Miſſæ. *d.* 7. *num.* 136. Sede vacante, intra annum literæ dimiſſoriæ non ſunt præſtandæ, niſi ratione Beneficij coarctati, ab Epiſcopo, nec ſæcularibus ſubditis à Vicario Prioratus. *d.* 7. *num.*96.

Senatus ſupremus Caſtellæ.

Senatores duo ex Senatu ſupremo Caſtellæ cum duobus aliis Senatoribus Ordinum conſtituunt Conſeſſum Commiſſionum, ad quem appellatur in plutibus cauſis à Senatu Ordinum. *d.* 2. *numer.* 54. & 85. In territoriis Ordinum Militarium nequeunt ædificari Monaſteria abſque licentia Regis, quà Rex eſt, ſeu eius Supremi Senatus Caſtellæ. *d.* 14. *num.*37. Senatus Supremus Caſtellæ quomodo ſe habuerit in cauſis Compctentiarum Ordinum Militarium, & in cauſis criminalibus Equitum? *d.* 2. *num.* 54. Quid circa juriſdictionem reſpectu Equitum Militarium propoſuerit ipſe Senatuſconſultus Regi noſtro? *d.* 2. *numer.* 6.

Senatus Regius Ordinum.

Senatus Regij otdinum juriſdictio confirmata eſt à pluribus Pontificibus. *d.* 7. *ex num.* 24. Vnum cum Rege, provt Adminiſtratore otdinum conſtituit Tribunal. *d.* 17. *num.* 2. Superior, & Prælatus eſt reſpectu trium Ordinum D. Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ. *ibid.* Subjacent ei Monaſteria, Collegia, territoria, Equites, Clerici Fratres, Cleriei ſæculares in territoriis degentes, & Vaſſalli. *d.*7. *num.* 31. Omnes res iuſtitiæ, & plurimæ aliæ ad eum ſpectant. *ibid. num.* 27. & *num.*30. Ad quæ eius poteſtas, ac iuriſdictio extendatur? *ibid. n.* 32. & *d.* 17. *ex n.* 1. De quibus Regem noſtrum conſultet. *d.*17.*n.*18. Quibus illuſtribus Senatoribus conſtet? *ibid. ex numer.*51. Quibus Officialibus? *ibid. ex num.*44. Quomodo ſe habeat circa examen informationum? *ibid. ex n.* 27. Eius praxis. *d.* 17. *per totam.*

Senatus ordinum ex eauſa poteſt imminuere Miſſas Capellaniarum, quæ ſiræ ſunt in Eecleſiis ordinum. *d.*9. *n.*40. Valet concedere licentiam, vt Militares ex cauſa vtantur Altari portatili. *d.*12.*n.*136. De ſtudiis promouendis in Collegiis Militaribus debet maximè eurare. *d.* 9. *nu.* 114. Ad eum ſpectat examen Parochorum, & Vicariorum ordinum. *d.*11.*ex num.*100. Et licentiæ conceſſio, vt Parochi Militares non ſubjecti Prioribus poſſint abeſſe à Beneficio, tempore præfixo à Tridentino. *ibid. numer.* 103. Poteſt concedere facultatem ad permutanda

mutanda Beneficia Ordinum. *ibid. n.* 102. Valet cogere Clericos Fratres ad acceptandum Beneficia. *d.* 11. *n.* 99.

Senatui ordinum tenentur obedire Equites Militares Profeſſi ex vi voti. *d.6.n.*15. Et Clerici Fratres. *ibid. n.* 39. Quomodo iuriſdictionem Eccleſiaſticam exerceat Senatus ordinum, adhuc in ſententia aſſerente; Equites non eſſe perſonas Eccleſiaſticas? *d.* 7. *ex n.*27. An priuatiuè ad ipſum, & ad Iudices Ordinum pertineat cognitio de cauſis criminalibus, & mixtis Equitum Militarium? *d.* 1. *ex nu.* 21. De omnibus cauſis Clericorum Fratrum pertinet ad eum cognitio in prima, aut in ſecunda inſtantia. *d.* 1. *num.*67. & *d.* 7. *nu.*28. Quæ appellationes cauſarum ad ipſum priuatiuè ſint deferendæ? *d.*1.*n.*87. Quænam cum electione appellantis ad ipſum, vel ad Cancellarias Regias? *ibid. n.* 85. A ſententiis in cauſis eccleſiaſticis, & in criminalibus Equitum à Senatu prolatis immediatè ad Pontificem appellatur. *d.* 17. *n.*16. Poteſt Senatus auocare ad ſe in prima inſtantia cauſas graues ſubditorum. *d.* 7. *n.*31. Poteſt mittere Iudices commiſſionum ad cauſas graues. *ibid.* Appellatur ad eum à ſententiis Priorum. *ibid.* Non verò à ſententiis definitiuis Prioris Alcantaræ ob concordiam cum Epiſcopo Caurienſi. *d.* 7. *n.*31. & 163. An appellandum ſit à ſententiis interlocutoriis Prioris ad Senatum? *ibid. n.* 175. Cognoſcit in prima inſtantia de ſententiis interlocutoriis Priorum. *d.*17.*n.*14.

Senatus ordinum an poſſit immutare vltimas diſpoſitiones Clericorum Fratrum? *d.* 15. *ex n.* 50. Omnes cauſæ pertinentes ad Regium Patronatum ordinum pertinent ad hunc Senatum. *d.*1.*n.* 229. Quomodo poſſit Senatus dubia Statutorum, & Definitionum interpretari? *d.* 7.*n.*13. De cauſis ipſorum Priorum, & Vicariorum ciuilibus, & criminalibus an poſſit Senatus cognoſcere in prima inſtantia? *ibid.* Iuriſdictio Senatus eſt ordinaria, & delegabilis. *ibid. n.*17. Nequit Senatus ferre cenſuras, ſic verò deſignare, qui ferant. *d.*6.*n.*15. & *d.*7.*n.*24. Poteſt præcepta obedientiæ imponere. *d.* 6. *n.*15. Senatus, quatenùs Superior Regularium, non debet obſeruare apices Iuris in pluribus. *d.*7.*n.*31.

Sepelire. Sepultura.

Sepeliendi quomodo ſint Equites, & Clerici Fratres Militares? *d.* 16. *ex n.* 1. Habitus eis apponendus. *ibid.* Pompa funebris. *ibid.* Sepeliri nullus valet intra Clauſtra Monialium, niſi ipſæ. *d.* 14. *num.* 38. Moniales, vbi datur conſuetudo, poſſunt ſepeliri in ſua Eccleſia. *ibidem.* Ad ſepeliendas Moniales quinam poſſint ingredi clauſuram? *ibidem, numer.* 62.

Simonia.

Simonia non eſt, vendere, aut emere Commendas, & Habitus Equeſtres. *d.* 1. *ex num.* 232. Nec eſt ſimonia, pretio dato procurare commendas. *d.*10.*n.*64. Simonia non eſt, dotem pro Monialibus admittendis, accipere. *d.*14.*n.*15. Simonia eſt, negotiari per munera dignitates, & Beneficia Eccleſiaſtica. *d.*4.*n.*81.

Societas IESV.

Societatis IESV vota ſimplicia ante profeſſionem emiſſa conſtituunt verè & ſtrictè religioſos. *d.* 3. *n.* 135. Societatis defuncti innumeris gaudent Miſſarum, & orationum ſuffragiis. *d.*13.*n.*25. Societatis priuilegium circa Oratoria, & vſum Altaris portatilis. *d.*12.*n.*131. Eius priuilegium circa celebrationem Miſſæ ante Auroram, & poſt meridiem. *ibid. n.* 137. An Ordines Militares communicent omnia priuilegia Societatis IESV? *d.* 2. *n.*111. & *d.* 3. *num.*117. Societatis IESV tertius Præpoſitus Generalis B. Franciſcus de Borja, fuit Eques Ordinis D. Iacobi. *d.* 9. *n.* 116. In Societate IESV non tenentur Nouitij renuntiare intra duos menſes ante emiſſionem votorum. *d.* 14. *numer.* 8.

Sponſalia.

Sponſalia non diſſoluuntur per profeſſionem Equitum Militarium, niſi hi ſint Ordinis S. Ioannis. *d.* 15. *n.* 13. & 19. VIDE *Matrimonium.*

Stabilitas.

Stabilitas quæ in profeſſione aliquorum Ordinum promittitur, quid ſit? *d.* 3. *n.* 73. Ad quid obliget? *ibid. n.*75.

Statuta, & Definitiones.

Statuta, & Definitiones Ordinum Militarium non obligant ſub mortali, niſi id exprimant, aut ratione materiæ. *d.* 6. *ex numer.* 27. Nouitij non tenentur ad illorum obſeruationem. *d.* 3. *numer.* 68. Capitula generalia poſſunt immutare ſtatuta, & Definitiones & alia condere. *d.*7.*n.*12. Statuta de puritate ſanguinis, & nobilitate in ordinibus Militaribus. *d.*3.*ex n.*8.

Stipendium

Digitized by Google

Stipendium.

Stipendio maiori pro Miſſæ eleemoſyna accepto, an poſſit quis committere eam alij dicendam, minori ſtipendio dato? *d. 1. num.* 43. Stipendium an ſit reſtituendum, ſi quis non celebret Miſſam ſibi deſignatam, aut in Eccleſia, ſeu Altari præfixo ab erogante eleemoſynam? *ibid. n.* 37.

Studia Literarum.

Studia literarum valdè promouenda ſunt in Collegijs Militaribus. *d. 9. num.* 8. *&* 114. Nec non in Monaſterijs *ibid. num.* 13. Studiorum cauſa excuſat à reſidentia in Beneficijs, etiam Ordinum Militarium. *d. 7. nu.* 212. *& d. 11. num.* 95. Collega Militaris, qui non ſtudet, aut non incumbit ſtudijs ſibi præfixis, an reſtituere teneatur? *d. 9. numer.* 21. Quæ literarum ſtudia liceant Clericis Fratribus Militiarum? *d. 9. numer.* 14. *&* 67.

Subprior.

Subprior vacante, vel abſente Priore, iuriſdictione ordinaria in territorio gaudet. *d. 7. num.* 232. *& ex num.* 248. Electio Subpriorum Monaſteriorum Militarium. *d. 7. numer.* 217. Præſentibus Prioribus, non habent iuriſdictionem ordinariam. *ibid. nu.* 2. Eorum poteſtas œconomica non poteſt tolli, aut impediri à Prioribus. *d. 7. num.* 229. *&* 231. Quomodo peccent ſubditi non obedientes eis? *ibid. nu.* 229. Non expirat eorum munus, mortuis, aut amotis Prioribus. *ibid. n.* 231. *&* 254. Illegitimus nequit eſſe Subprior. *ibid. n.* 231.

Subprior, abſente, mortuo, aut amoto Priore, gaudet erga ſubditos iuriſdictione quaſi Epiſcopali. *d. 7. nu.* 233. Poteſt cum eis diſpenſare in Votis, & hæc irritare; item diſpenſare in præceptis Eccleſiaſticis, in obſeruantijs regularibus, in irregularitatibus, & reſeruare caſus, & quomodo? *d. 7. ex n.* 235. *&* 244. Poteſt concedere licentiam, quam Prior, dum eſſet præſens, negauerat. *ibid. numer.* 240. Valet diſpenſare, & efficere ſecum, quod cum ſubditis. *ibid. num.* 242. Si diſpenſatio, cum finierit officium, non ſit executioni mandata, poſteà valet mandari. *ibid. num.* 243. Nequit concedere ſibi licentiam ad tempus poſt finitum officium. *ibid. num.* 242. Poteſt benedicere quævis ornamenta ſacra, etiam externorum, ac reconciliare Eccleſiam propriam. *ibid. numer.* 247. An ipſe, & Prior abſens, iuriſdictione ordinaria ſeorſim gaudeant. *ibid. ex numer.* 248. Poteſt eſſe Iudex Conſeruator. *ibid. num.* 246.

Subprior Militaris nequit occupare ſedem Prioris abſentis, aut defuncti. *d. 7. num.* 245. Iniuria ei inflicta non eſt adeò grauis, ac inflicta Priori. *ibid.* In Dignitate Eccleſiaſtica cenſetur conſtitutus. *ibid. num.* 246. Subprior in quavis Religione electus ab ipſo Priore in quo differat ab eo, qui deſignatur à lege, & ſtatutis? *d. 7. numer.* 250. Deſignatus à Generali habet eandem iuriſdictionem, deficiente Priore, ac deſignatus à lege. *ibid. num.* 251. Quanta debeat eſſe abſentia Prioris, vt Subprior ſuccedat in iuriſdictionem ordinariam, & Prælaturam? *ibid. n.* 253.

Subſidium, & Excuſatum.

Subſidium, & excuſatum tenentur ſoluere Commendatarij. *d. 10. num.* 46. Item Prioratus, & Beneficia Ordinum Militarium. *ibid.* Ad diſtributionem ſubſidij præſtandam debet in Congregationibus Generalibus Eccleſiarum aſſiſtere Procurator generalis Ordinis Alcantaræ. *ibid. n.* 47.

Suffragia.

Suffragia peragenda pro Defunctis Ordinum Militarium. *d. 16. ex num.* 8. An ſub peccato peragi debeant? *ibid. n.* 12.

SVPERIOR. VIDE *PRÆLATVS.*

Superpelliceum.

Superpellicei loco an poſſint Militares vti toga capitulari in adminiſtratione Sacramentorum, & in alijs functionibus Eccleſiæ? *d. 12. ex n.* 15.

T

Taurorum Agitatio.

Taurorum agitationi poſſunt intereſſe Clerici Fratres Militiarum propter tolerantiam, non verò independenter ab illa. *d. 9. ex num.* 59. Equites Militares, etiam ſacris initiati, poſſunt intereſſe, independenter à tolerantia. *ibid. num.* 61. Moniales etiam, quæ extra Monaſterium fortè exiſtant. *ibid. num.* 62.

Tertiariæ.

Tertiariæ intra Communitatem degentes tenentur ad ſeruandam Clauſuram. *d. 14. nu.* 74. *&* 86.

Teſtamentarius. Teſtamentum.

Teſtamentarij, diſpoſitores, ſeu executores vltimæ voluntatis Clericorum Fratrum debent eſſe ex Ordine ipſo. *d.* 15. *numer.* 38. Quæ poſſint præſtare? *ibid.* Cura executionis teſtamentorum in territorijs Priorum Militarium ſpectat ad ipſos Priores. *d.* 7. *ex numer.* 160. Omnes Equites trium Ordinum Militarium poſſunt condere teſtamenta. *d.* 15. *numer.* 1. Iacobæi Clerici Fratres, dum ſint Beneficiarij, teſtari poſſunt, & non aliter. *d.* 15. *num.* 8. Quinam cenſeantur quoad hoc habere Beneficium? *ibid. ex num.* 28. An ſint valida teſtamenta Iacobæorum, ſi deficiant requiſita in ſtatutis? *ibid. num.* 9. An, ſi conſtet de licentia petita à Priore, & non de conceſſione. *ibid.* Teſtamentum quomodo condere poſſit Monialis nouitia, & donationes mortis cauſa. *d.*14.*n.*8.

Teſtis.

Teſtes, ſi ſubornentur à Candidato Habitus, aut per vim, vel fraudem moueantur ad teſtificandum falſum, an ille poſſit Habitum, Profeſſionem, & Commendam ſuſcipere? *d.* 3. *ex num.*48. Teſtis in Informationibus tenetur dicere labem publicam. *ibid. num.*29. Et eam, de qua iam rumores dantur. *ibid. num.* 33. Nequit deponere labem occultam. *ibid. num.* 31. Non tenetur deponere auditos rumores abſque fundamento. *ibid. num.*35. Poteſt deponere de puritate, aut nobilitate, quamvis non habeat aliam notitiam niſi præſtitam ſibi à Candidato per inſtrumenta publica, & per Viros timoratos, ac prudentes. *ibid. num.* 36.

Teſtis poteſt induci à Candidato Habitus, vt deponat, quæ ei per Inſtrumenta, & per Viros prudentes manifeſtat. *d.*3. *num.*37. Si ignoret labem ſanguinis, quæ verè datur, poteſt induci ad iurandum, quod ſcit in fauorem Candidati. *ibid.* Si interrogetur de defectibus, quorum examen non eſt neceſſarium ad finem Informationum, non tenetur reſpondere. *ibid. num.* 38. Monialis an, & in quibus cauſis poſſit eſſe teſtis? *d.*14.*num.*39.

Theſaurarius. Theſaurus.

Theſaurarij Ordinum Militarium, & eorum munus. *d.* 8. *numer.* 38. Bona applicata Theſauro Ordinum nequeunt in alios vſus expendi, niſi in præfixos. *ibid.n.* 39. Theſaurarij vices gerens. *d.* 17. *numer.* 49.

Toga Capitularis.

Toga capitulari an vti poſſint Militares in adminiſtratione Sacramentorum loco ſuperpellicei? *d.*12. *ex n.*15. Ea debet imponi Militaribus defunctis, vt ad Sepulchrum deferantur. *d.*16.*n.*3.

Tranſitus Ad Religionem.

Tranſitus Equitum, & Clericorum Fratrum Militarium, etiam Ordinis S. Ioannis, ad alias Religiones eſt validus. *d.* 3. *ex num.* 98. Et licitus. *ibid. num.* 121. Quamvis fiat abſque licentia ſpeciali expreſſa. *ibid.* Priuilegia aliquarum Religionum, ne ex eis ad alias tranſitus liceat. *ibid. ex numer.* 117. Equites Ordinis S. Ioannis poſſunt tranſire ex diſpenſatione Pontificia ad ſtatum Equeſtrem aliorum Ordinum Militarium. *d.*3.*ex numer.* 135. Equites poſſunt abſque diſpenſatione tranſire ad ſtatum Clericorum Fratrum, non è conuerſo. *ibid. num.*129.

Tredecim Viri.

Tredecim viri in Ordine D. Iacobi à Pontifice fuerunt inſtituti. *d.* 1. *ex num.* 132. Eorum munus. *ibid.* Aſſiſtunt Capitulis Generalibus Ordinis. *d.* 7. *numer.* 8. Si non adſint, eorum loco alij ſubſtituuntur. *ibid. numer.* 22. De ipſorum vxoribus fiunt Informationes circa ſanguinis qualitatem. *d.* 3. *num.* 88. Sunt Dignitates intra Ordinem. *d.* 8. *numer.* 2. Eorum exemptiones. *ibid.num.*16.

Tribunalia Sanctæ Fidei.

Tribunalium Sanctæ Fidei iuriſdictioni priuatiuè ſubiacent omnes Militares in cauſis ad illa pertinentibus. *d.*2.*num.*90. In Tribunalibus his debent aſſiſtere Priores Militares territorio gaudentes, aut ipſorum loco alij, tanquam Ordinarij, ad cauſas ſuorum ſubditorum ſæcularium. *d.* 7. *num.* 162.

V

Vaſſallus.

Vaſſallis Ordinum Militarium, quæ priuilegia competant? *d.* 2. *ex numer.*74. Quot oppida Vaſſallorum Ordines Militares habeant? *d.*8.*num.*30. Ad quos Iudices appellare

lare poſſint Vaſſalli Ordinum? *d.* 2. *num.* 85.

Velum.

Velum Monialis, quid ſignificet? *d.* 14. *num.* 17.

Vendere. Venditio.

Vendere, aut emere Habitus Equeſtres, & Commendas, non eſt ſimonia. *d.* 1. *ex num.* 233. Eſt verò peccatum mortale. *ibid. num.* 243. Quæ venditio, & negotiatio ſit licita, & quæ illicita Clericis, & Religioſis? *d.* 4. *ex num.* 80. Quarum rerum venditio ſit licita Monialibus? *ibid. n.* 91.

Veſtis.

Veſtes affereudæ à Militaribus. *d.* 12. *num.* 144. An à Clericis Fratribus poſſint ſericæ veſtes afferri? *ibid. & n.* 41. *& d.* 4. *numer.* 63. Veſlibus Epiſcopalibus poſſunt vti Priores Militares juriſdictione quaſi Epiſcopali in territorio gaudentes. *d.* 7. *numer.* 137.

Vicarius.

Vicarij Priorum, Sede vacante, nequeunt concedere literas dimiſſorias ſubditis ſæcularibus intra annum, niſi ratione Beneficij coarctati. *d.* 7. *n.* 96. Poſſunt eas concedere Religioſis ſubditis. *ibid. num.* 103.

Vicarius generalis Epiſcopi, aut Prioris Militaris vnum cum eo conſtituit Tribunal; ſecùs Vicarius foraneus. *d.* 7. *numer.* 256. Prior poteſt Vicarium Generalem deſignare. *ibid. num.* 257. Sed non tenetur, ſi poſſit per ſe negotia expedire. *ibid.* Clericus Frater Militaris poteſt eſſe Vicarius Generalis Epiſcopi, aut Prioris. *ibid. numer.* 258. An Religioſi non Militares poſſint id munus obire? *ibid.* Vicarij generalis Epiſcopi ſubditæ ſunt Moniales, quæ Epiſcopi juriſdictioni ſubduntur. *d.* 14. *n.* 46.

Vicarius generalis quibus ordinibus debeat eſſe initiatus? *d.* 7. *n.* 259. Parochus nequit eſſe Vicarius. *ibid. num.* 260. Quæ ſedes debeatur Vicario generali? *ibid.* Nequit ſibi applicare pœnas in ſententiis inflictas. *ibid. num.* 261. Non poteſt remoueri abſque graui cauſa. *ibid.* Quid circa id in Ordine D. Iacobi? *ibid.* Poteſt Vicarius viſitare territorium. *d.* 7. *n.* 262.

Vicarius Parochi à quo ſit conſtituendus? *d.* 11. *ex n.* 130. A quo ei congrua deſignanda? *ibid.* Vicarij Iacobæi Monialium non cenſentur habere Beneficium, atque adeò nequeunt teſtari. *d.* 15. *ex nu.* 28. Vicarij generales Priorum Militarium non ceſſant à munere, quamvis Priores ceſſent. *d.* 7. *n.* 255. Vicarij Iacobæi juriſdictione gaudentes recenſentur. *d.* 8. *n.* 1.

Vice-Rector.

Vice-Rectoribus Collegiorum Militarium, circa poteſtatem, & juriſdictionem, abſente, aut vacante Rectore, aptanda ſunt, quæ Subprioribus in ſimili euentu conueniunt. VIDE *Subprior.* Vice-Rectorum electio. *d.* 7. *num.* 227. Idem dicito de præſidente, quod de Subpriore. VIDE *Subprior.*

Vidua.

Viduis Equitum Militarium competunt plura priuilegia, & quænam? *d.* 2. *num.* 71. Quando amittunt ea priuilegia? *ibid. numer.* 77. Moniales Iacobeæ Barchinonenſes poſſunt nubere, & nuptæ, ac viduæ Habitum Ordinis geſtant. *ibid.*

Viſitare. Viſitator.

Viſitatorum Ordinum Militarium poteſtas, & juriſdictio. *d.* 7. *ex num.* 1[illegible]5. Ordines Militares ſuas Eccleſias viſitare poſſunt. *d.* 2. *ex num.* 15. Priores Militares territorio gaudentes debent viſitare Eccleſias, Hoſpitalia, Confraternitates, & Opera pia ſui territorij. *d.* 7. *ex num.* 161.

Viſitandi munus per ſe, aut per alios exactiſſimè eſt præſtandum à Prioribus Militaribus. *d.* 7. *num.* 263. Nequeunt Viſitatores quidquam recipere vltra taxam præfixam. *ibid. n.* 264. A qua Eccleſia ſit inchoanda viſitatio? *ibid. n.* 265. Intra quod tempus finienda? *ibid.* Cauſam, quam viſitator finiuit, nequit prior iterùm ad iudicium trahere. *ibid.* Nequit prior Eccleſias Regularium exemptorum, quæ non ſunt parochiæ, viſitare. *d.* 7. *num.* 266. Quomodo in viſitatione crimina ſint inquirenda? *d.* 7. *n.* 267. Non poteſt prior in viſitatione recuſari, aut impediri, quominùs corrigat delicta. *ibid.*

Viſitatorum generalium, & ſpecialium ordinum Militarium electio. *d.* 7. *n.* 182. An Clericus Frater poſſit eſſe Viſitator generalis? *ibid. n.* 194. Viſitator poteſt præcepta obedientiæ imponere. *ibid. num.* 192. An cenſuras ferre? *ibid. n.* 191. A ſententia Viſitatorum generalium ſolùm appellatur ad Senatum Ordinum. *ibid. num.* 193. Etiam in territorio Alcantaræ. *ibid. & num.* 165. Obligatio deſignandi Viſitatores, & cu-

randi Viſitatores, & curandi, vt viſitent. *ibid. num.* 186. Viſitatores rerum temporalium poſſunt ab Ordinibus deſignari. *ibid. num.* 187.

Viſitatores nequeunt accuſari, nec fit de eorum munere reſidentia. *d.7.numer.* 195. An poſſint deponi? *ibid.* Viſitatores Viſitatorum hos, vt Equites, non vt munus Viſitationis exercentes, poſſunt viſitare. *ibid.* Quam ſedem Viſitatores habeant in Monaſteriis,& Collegiis? *ibid. num.* 197. An in Capitulo generali, aut in particulari poſſint Clerici Fratres ſoli deſignari in Viſitatores? *ibid. num.* 194. Aut in Ordine Alcantaræ ſimul cum Equitibus? *ibid.*

Viſitatores miſſi à Prioribus ad ſua territoria qua poteſtate gaudeant? *d.7.ex num.*262. A mandatis in viſitatione peractis à Priore Alcantaræ, nequit appellari., etiam poſt concordiam, ad Epiſcopum Caurienſem. *ibid.n.* 180. Viſitatores Monialium ad quid teneantur? *d.* 14. *nu.* 50. Ad quem pertineat viſitatio Monialium S. Spiritus in oppido Alcantaræ? *d.* 14. *num.* 88. Sumptibus Magiſtri viſitanda ſunt Monaſteria Monialium Calatrauenſium, & Collegium Salmantinum. *ibid.n.* 99. Parochus nequit eſſe Viſitator, vltra duos menſes. *d.* 7. *n.* 200. *& ex n.* 260.

Votum.

Votorum ſolemnitas quando fuerit introducta. *d.* 3. *n.* 136. Vota ſimplicia, quæ in Societate IESV emittuntur, conſtituunt abſolutè, & ſtrictè Religioſos. *ibid. num.* 135. Diuerſitas votorum ſimplicium à ſolemnibus. *d.* 5. *num.* 10. VIDE *Paupertatis votum. Obedientiæ votum.*

In votis ſolemnibus Religionis valet Pontifex diſpenſare. *d.* 3. *n.* 137. Qui emiſit votum Religionis, ſatisfacit ei, ſuſcipiendo Habitum Clerici Fratris Militaris. *ibid. ex n.*145. Necnon Habitum Equeſtrem Ordinis S. Ioannis. *ibid. num.* 146. An ſatisfaciat aſſumendo Habitum Equeſtrem aliarum Militiarum? *d.* 3. *n.* 141.

Votum aſſumendi Habitum Clericorum Fratrum, & Equitum S. Ioannis eſt reſeruatum. *d.* 3. *n.* 146. An ſit validum, & reſeruatum votum ſuſcipiendi Habitum Equeſtrem Militiarum? *ibid. ex n.* 142. Si Eques ex his Militiis in Profeſſione voueat Caſtitatem abſolutam, non erit votum ſolemne. *d.* 5. *ex n.* 10.

Votum defendendæ Immaculatæ Conceptionis emiſerunt Ordines D. Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ. *d.* 12. *ex n.* 100. Omnes ex his Ordinibus tenentur emittere in Profeſſione hoc votum. *ibid. n.* 103. Ad quid eos hoc votum obliget? *ibid.* Vota paupertatis, & Caſtitatis non exprimuntur in Profeſſione aliquarum Religionum, & quare? *d.* 3. *ex n.* 76.

Vota Religioſorum ſubditorum poſſunt irritari à Subprioribus Militaribus, abſentibus Prioribus, aut ceſſantibus, & poteſt ab illis diſpenſari in votis non reſeruatis quorumcumque ſubditorum. *d.* 7. *ex n.* 235. *& n.* 240. Voto Religioſus ſatisfit per ſuſceptionem Habitus Hoſpitalis Regij iuxta Burgos. *d.* 3. *n.* 147.

Vſusfructus.

Vſumfructum bonorum ſi reſeruet ſibi Clericus Frater Militaris, an ex eo debeat ſoluere decimas? *d.* 2. *n.* 114. An valeat Clericus Frater bona immobilia alieno nomine emere, concedendo alij proprietatem, & ſibi reſeruando vſumfructum? *d.* 4. *ex num.* 42.

Vxor.

Vxoribus Equitum Militarium, quæ priuilegia competant? *d.* 2. *n.* 71. De vxoribus plurium in Ordinibus Militaribus informationes ſanguinis peraguntur,& quarum? *d.* 3. *n.* 88. Vxoris licentia eſt neceſſaria, vt maritus ſuſcipiat Habitum Equeſtrem, & Profeſſionem emittat. *d.* 3. *ex numer.* 160. Quæ licentia ſufficiat? *ibid. numer.* 167. Quomodo vxor cedat iuri ſuo, quoad aliquem matrimonij vſum? *ibidem, numer.* 160. Etiam renuente vxore, intra bimeſtre poſt matrimonium ratum, ſed non conſummatum, poteſt maritus ingredi Religionem. *d.* 5. *num.* 13. *&* 19. Manet tunc libera vxor, Profeſſione à marito emiſſa in Religione non Militari, ſeu in Ordine Sancti Ioannis, vt alteri nubat. *ibid.* Non manet libera, ſi ſuſcipiat ille Ordinem ſacrum Subdiaconatus extra Religionem. *ibid. num.* 15.

FINIS.


INGENIVM
B R
SVPERAT VIRES

42[illegible]773

Digitized by Google